ANNALES

ECCLESIASTICI

TOMVS SECVNDVS

ANNALES ECCLESIASTICI

QVOS POST

CAESAREM S. R. E. CARD. BARONIVM

ODORICVM RAYNALDVM AC IACOBVM LADERCHIVM

PRESBYTEROS CONGREGATIONIS ORATORII DE VRBE

AB AN. MDLXXII. AD NOSTRA VSQVE TEMPORA CONTINVAT

AVGVSTINVS THEINER

EIVSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTER, CONSVLTOR SS. CONGREGATIONVM INDICIS LIBRORVM PROHIBITORVM, EPISCOPORVM ET REGVLARIVM, AC SANCTI OFFICII, SOCIVS COLLEGII THEOLOGORVM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE, ET ACADEMIAE HERCVLANENSIS, TABVLARIORVM S. R. E. PRAEFECTVS ETC. ETC.

TOMVS SECVNDVS



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA TIBERINA
1856.

FRANCISCO JOSEPHO I.

AUSTRIÆ IMPERATORI

REGI APOSTOLICO

AUGUSTINUS THEINER C. O. P.

FELICITATEM.

Majestas Tua brevi, quo inclytum ac felix Austriacum Imperium moderatur, tempore tanta tamque præstantissima facta effecit, ut optimo jure dici possit, Eandem ad felicitatem populorum suorum, atque ad gloriam Ecclesiæ natam delectamque fuisse. Qua vero de causa id factum? Scilicet quia Majestas Tua, ut cæteras mittam virtutes, ingenita in Deum pietate atque integra, nulla ostentatione fucata, mirifice admodum enitescat, sibique imprimis proposuerit, populos concreditos haud aliter nisi omni in Deum ejusque sacrosanctam Ecclesiam obsequio ac studio gubernare. Id palam ac ingenue, Inclytissime Cæsar, professus es, quando calamitosissimis illis diebus, quibus nefarii quidam ac perduelles homines, patriæ haud secus ac Dei hostes, non solum quietem tuorum populorum, sed etiam tranquillitatem ac salutem Europæ fere totius perturbarent pessundarentque, imperium avorum tuorum, Divino ita disponente numine, regendum suscepisti.

Meum esse non potest, nec mei consilii ratio id exigit, quæcunque Majestas Tua in gentium tuarum commodum et in Ecclesiæ bonum præclare gesserit, fusius hic enarrare. Sufficiat solummodo ad memoriam revocare illustria sane atque admirabilia facta, quæ Tu simul cum gloriosissimo Gallorum Imperatore, tecum, una eademque animi celsitate, eodemque consilio, omnibus exultantibus, intime ac sancte conjuncto, præstitisti ad profligandos Dei populorumque hostes, ad tuendum amantissimum ac sanctissimum Universalis Ecclesiæ Antistitem, Pium inquam Papam Nonum, quæ denique ad instaurandam communem atque exoptatissimam Europæ pacem contulisti.

Itaque procul dubio fateri fas est, Te, perquam Inclyte Cæsar, abditos ac reconditos sublimium verborum sensus, quibus S. Cœlestinus Papa I. Theodosium piissimum Imperatorem est alloquutus, funditus perspexisse, in ejusque effati spiritum ac vim actiones tuas omnes direxisse, absolvisse,

perfecisse. En aurea verba: „ Scientes regnum vestrum sanctæ Religionis observantia communitum firmius duraturum.... Major vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora, serventur.... Pro vestro enim Imperio geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ vel sanctæ Religionis reverentia laboratur. „ [1] Eadem fere verba S. Leo Magnus PP. I. in Pulcheriam Imperatricem convertit: „ Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas. „ [2] Quod et ipsi Theodosius et Valentinianus Imperatores, haud secus ac Majestas Tua senserunt, cum in gravissimis Ecclesiæ negotiis ad S. Cyrillum Alexandrinum scriberent: „ Pendet a religione, qua Deus coli-

[1] Epist. IX. apud Mansi Collect. Concilior. amplise. Tom. VIII. fol. Florentiæ 1769.
[2] Epist. 70. oper. Tom. I. pag. 983. edit. fratrum Balleriniør. Venetiis 1753. fol.

tur, nostræ Reipublicæ status, multaque inter hunc et illam cognatio intercedit. Nam et connexa inter se sunt, et utrumque prosperis alterius successibus incrementa sumit. „ [1] Ac re quidem vera: num optatius quidquam vel felicius Ecclesiæ obtingere potest, quam ut temporalis cum spirituali potestate in unum conspiret, cum illud ad ipsius potestatis excellentiam et gloriam vel maxime pertineat, divinam Religionem tueri, et sacræ disciplinæ leges cum civilis Reipublicæ salute, et prosperitate arctissime conjunctas propugnare?

Quid demum dicam, Cæsar Inclytissime, ne longius in meritorum tuorum laudes excurram, de sanctissimo tuo consilio res Ecclesiasticas in vastissimo tuo Imperio componendi, quodque sanctissimis Summi Ecclesiæ Antistitis votis obsecundans, eoque adjuvante et probante, tanta celsitate animi et magnitudine perfecisti? quo solo nomine omnium, quotquot sunt in orbe terrarum, Catholicorum gratos animos in

[1] Apud Mansi Collect. Concil. max. Tom. XII. pag. 1003.

omne ævum Tibi devinxisti. Verum enimvero plura etiam præstitisti, quæ si singillatim enumerare vellem, prius tempus quam res me desereret.

Optimo igitur jure Tu quoque, Celsissime Cæsar, confidentiori sane animo verba illa usurpare potes, quibus immortalis ille Carolus Magnus usus, dum præstantissimas leges, non ita pridem in comitiis Wormatiensibus anno circiter DCCCIII. conditas, sanciret, exequendasque juberet, ut omnes intelligerent eum potestatem suam non minus in Reipublicæ commodum, quam in Ecclesiæ præsidium contulisse. Quo factum, ut Defensoris et Advocati Ecclesiæ nomine, quo ipse tam gloriabatur, dignissimus ab omnibus haberetur. Memoranda autem Caroli verba præsto sunt: „ Apostolica auctoritate, et multorum sanctorum episcoporum admonitione instructi, sanctorum Canonum regulis edocti, posterisque nostris exemplum dantes. „ [1] Tu sane Leonem quoque Impera-

[1] Apud Baluzium: Capitularia Reg. Francor. Tom. I. pag. 400. Parisiis 1674. fol.

torem, cognomento Sapientem, non solum imitari, sed longe etiam exsuperare voluisti, cum non in uno vel altero, quemadmodum ille, sed in omnibus fere ecclesiasticæ disciplinæ negotiis gravissimam hujusmet Imperatoris sententiam rebus præclare gestis comprobaveris; ita ille: „ Si sacrorum decretorum sanctio ad res civiles transiens, in illis sæpe plus auctoritatis, quam ipsæ civiles de iisdem rebus tractantes leges habeant; quanto magis sacra decreta in suis rebus, civilibus legibus prævalebunt? „ [1]

Perge itaque, Celsissime Cæsar, quam ingressus es viam. Illustria tua facta firmissimæ hujusmodi spei amplissimi sunt testes ac sponsores. Excelso quippe animo tuo celebria verba, quibus S. Bernhardus Claravallensis Conradum Regem Romanorum jam affatus fuerat, altius infixa sunt: „ Non veniat anima mea in consilium eorum qui dicunt, vel Imperio pacem

[1] Constit. LXXV. pag. 136 edente ac interprete H. Agylæo. Lugd. 1568. 8.

et libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem et exaltationem Imperii nocituram. Non enim utriusque institutor Deus in destructionem ea connexuit, sed in ædificationem. „[1]

Præclara tua in Ecclesiam facta, Amantissime Cæsar, audax sane meum optatum ac desiderium, Tibi nimirum hocce Annalium Ecclesiasticorum volumen in gratissimi exultantissimique animi testificationem inscribendi, satis superque excusabunt. Quod consilium alia etiam res confirmavit. Præsens etenim Annalium liber magna ex parte versatur in enarrandis iis, quæ immortales tui avi, Maximilianus II. et Rudolphus II. in utilitatem Ecclesiæ, et in commune Reipublicæ Christianæ commodum tanta cum sua laude egerunt ac præstiterunt. Tu certe tum pietatis, tum virtutum dignus es æmulator et hæres tuorum progenitorum, nec non Ferdinandi I. Leopoldi I. Josephi I. Caroli VI. æque ac magnæ illius Mariæ The-

[1] Epist. 244. Oper. Tom. 1. pag. 243. ed. Mabill. Venetiis 1726. fol.

resiæ: omniaque spondent Te quidem talem evasurum, quales omnibus constat eosdem extitisse. Hæc sunt omnium, et præprimis Germanorum virorum vota, quæ ut expleantur, Teque Deus Opt. Max. gratia juvare sua, multosque in annos fortunare velit, nunquam intermittam ardentissimis ad eundem fusis precibus impetrare.

Dabam Romæ ex Tabulariis Vaticanis XIV. Kalendas Aprilis MDCCCLVI.

ARGUMENTUM

MDLXXV.

MDLXXVI.

MDLXXVII.

MDLXXVIII.

I. — Adeo ingenti numero peregrini hoc Jubilæi anno Romam se contulerunt, ut vel septena atque octona eorum millia sæpe singulis diebus hospitalis domus Sanctissimæ Trinitatis exceperit. Socii Archiconfraternitatis ex eo divino nomine nuncupatæ, quæ, ut omnes norunt, a S. Philippo Nerio inde ab anno MDXLVIII. originem duxit, omnibus caritatis officiis pios advenas prosecuti fuere. Mira admodum sunt, quæ Victorellius et præsertim Mucantius, haud ignobiles hujus ævi scriptores de Romanorum erga peregrinos pietate scripta nobis reliquerunt. Mucantius eos, qui in xenodochio Sanctissimæ Trinitatis hospitio excepti, refectique laute aliquot diebus fuerint, quatoor centenorum millium numerum superasse refert: [*] additque Deum ipsum mira quadam ratione virorum istorum caritati sæpius adfuisse. Neque enim putandum est, sine peculiari Divinæ Providentiæ numine præclaram hanc Urbem protegente factum esse, ut peste sævissima per multas Italiæ urbes, totaque Sicilia, grassante, tantaque hominum undique ad Urbem confluentium multitudine, nulla non modo ejus morbi vis eam infecerit, sed ne ulla quidem suspicio turbaverit, piosque homines ab ea ingredienda unquam deterruerit.

[*] Mandosa Document. N. 1.

Christiana humilitas Ferdinandi Medicæi Cardinalis et deinde Magni Ducis Etruriæ, illius domus et Sodalitatis Patroni, Alexandri Farnesii Parmæ Principis, Pauli Jordani Ursini Bracchiani Ducis, Ernesti Bavari, aliorumque insignium virorum resplenduit; nam peregrinis serviebant, abluebantque illorum pedes. Gregorius ut votis, præsertim peregrinorum, qui ejus pedes deosculari cupiebant, indulgeret, eo anno sæpissime sese conspiciendum exhibuit: quatuor Basilicas sæpius lustravit, Scalam Sanctam, non sine lachrymarum ubertate, conscendit: effecit, ut Urbs annona abundaret, ædes Pontificiæ exteris advenientibus paterent, egentes largitionibus juvarentur; Cardinali Varmiensi singulis mensibus tercentos nummos aoreos, ad Polonos pauperes sublevandos, tribuit. Convolarunt ad Urbem anno eodem Cardinalis Borromæus, Simoncellus, Placentinus, Perusinus, Granvellanus, Duces, Marchiones, Principes multi.

Pontifex, die 24. Decembris post Vesperas, ex more sanctam Vaticanæ Basilicæ Portam clausit, in pariete autem arculas plumbeas sacris Lipsanis refertas, aureaque, argentea et ærea numismata posuit.

II. — Quin etiam vel e remotissimis Europæ Asiæque regionibus non defuerunt cujuscumque conditionis homines, qui Romam Jubilæi causa convolarent. Quare populo Romano gratissimo spectaculo fuere Arabes, Armeni, Syri, aliæque ex Oriente gentes suæ fidei exempla edentes, sanctasque Basilicas impressis religione vultibus suplicibusque agminibus perlustrantes. Ex gentibus autem ultra Montes Germani frequentissimi convenerunt. Illud vero fuit dolendum, quod misera temporum conditio, civilibus ac religiosis dissidiis cuncta turbantibus, Episcopos et Principes impediret, quominus se Romam conferrent. Quamobrem per Legatos suos

Pontificem adierunt, deprecatique sunt, ut ipsis Jubilæi indulgentias consequendi in suis regionibus faceret facultatem. Lubet heic unas alterasve horum virorum litteras adponere ecu eorum nec non istorum temporum pietatis testes.

Primus omnium occurrit Albertus Bavarorum Dux. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 38.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe mi Benignissime.

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Quandoquidem ea est publica Germaniæ, privatorumque negotiorum meorum ratio, a qua hoc tempore ego filiique mei abesse non facile debemus: sed et corporis vires longiorem atque difficiliorem peregrinationem mihi non admittunt, sacri Jubilæi participationem aliam quam ipsi præsentes in urbe percipere possemus, a Sanctitate Vestra rogare cogor, inductus ad id ea quoque fiducia, quam de eo per litteras suas aliquando mihi non est designata. Ut itaque ego cum charissima conjuge matre ac liberis de spirituali ista consolatione accipere possim, commendavi jam filio Ernesto, qui hoc meis verbis a Sanctitate Vestra reverenter ac humiliter impetret. In quo quidem eo faciliorem mihi polliceor Sanctitatem Vestram, quo in aliis etiam rebus erga me magis est benefica. Et tale quippiam rogabit Orator meus, non solum pro iis, qui aulica mea familia, sed etiam ubique per Bavariam sunt pii et catholici utriusque sexus homines, qui legitimis causis a Romana ista profectione similiter excluduntur. Ego vero operam dabo, ut spiritualem exinde profectum suum Bavaria sentiat, adque Sanctitatem Vestram vicissim redeat, quod tantæ suæ benignitatis suavem aliquem fructum referre possit. Optime diu valeat Sanctitas Vestra meque solito suo favore benigne prosequatur. Monachii XXIII. die Aprilis anno salutis MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

III. — Idem Dux aliis quoque auctor fuit, ut ad lucrandas Jubilæi indulgentias sacram peregrinationem aggrederentur, eosque ut commendatos habere vellet, Pontificem efflagitavit. Hoc et egit erga Jacobum Rabum, qui sibi a concionibus erat. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 32.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe mi benignissime.

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Jacobus Rabus Theologus Concionator meus aulicus Urbem jam petit, ut impetrata sacri Jubilæi gratia, exosculatisque Sanctitatis V. beatissimis pedibus, pietati suæ satisfaciat. Quem Sanctitati Vestræ vel eo nomine libenter commendo, quod is, si quisquam alius jam inter Theologos Germanos, hæreticorum graves persecutiones atque odia fortiter sustinet, et Ecclesiæ catholicæ dignitatem ore calamoque egregie tuetur, ideoque non indignum arbitror eum, qui Sanctitatis Vestræ clementiam atque favorem experiatur. Sic enim ad labores et suscepta Ecclesiæ negotia magis etiam excitabitur, et ego, si quid Sanctitas Vestra benignitatis in illum contulerit, ad me quoque pertinere judicabo. Valeat diutissime fœlix et incolumis Sanctitas Vestra, cui me meaque omnia dedo et offero reverenter. Monachii XI. die Januarii anno a Christo nato MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

IV. — Quod et præstit Severino Fuggero. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 33.

Beatissime in Christo Pater ac Dñe Dñe mi benignissime.

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Ex multis istis hominibus meis, qui sacram profectionem ad Urbem instituunt, vix est, qui ægrius ejus rei facultatem impetrare potuit, quam generosus Baro, in primis mihi dilectus et fidelis Severinus Fuggerus: quod nimirum ejus fide atque opera ad cubiculi aliaque familiaria mea negotia præcipue utar: vicit tamen ejus pietas, ut quod incommodum etiam satis mihi cedere videbatur, permitterem potius, quam istam animi sui devotionem impedirem. Abeunti porro hinc mandavi, ut salutata meo nomine reverenter Sanctitate Vestra, ejusdem beatissimos pedes humiliter exosculetur. Quod quidem devotionis meæ studium ut Sanctitas Vestra ex dilectissimi servitoris officio benigne admittat, etiam atque etiam rogo. Et is certe est, cui hoc muneris propter insignem ejus fidem atque integritatem libentissime commisi. Valeat diutissime incolumis Sanctitas Vestra, mei meorumque benignissime semper amans. Datæ Fridbergæ XIII. die Januarii Anno 75.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

V. — Nec non Gasparo Franco, claro illius temporis viro: qui repudiatis falsis Lutheri dogmatibus fidem Catholicam nuper amplexus fuerat, et ob morum probitatem et studium veritatis catholicæ propugnandæ merito commendatus. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 36 fol. 95.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine mi benignissime.

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Ad venerandam S. Vestram sacri Jubilæi gratia excitatus, properat in Urbem Reverendus et doctissimus vir, mihi dilectus fidelis Magister Casparus Francus Theologus, cujus ab eo tempore, quo is una cum Hagensi populo, cui vivo Comite ex Lutheri placitis evangelizaverat, ad catholicæ fidei unitatem pervenit, preclara foerant in religionem merita. Primum enim ubi hæresim abjecerat, in aula mea per annos aliquot, inde ad parochiam S. Mauritii et Academiæ meæ negotia Ingolstadii utilissimam navavit operam, dignus ob id, quem Sanctitas Vestra paterna benignitate amplectatur. Ex quo etiam non ipsi solum M. Casparo accedet, sed ingens erit sacrosanctæ Sedis laus, quæ pietate atque liberalitate sua foveat recipientes sese ad eam oves abductas in errores. Et certe est Magister Casparus, qui deserto patre, non obscuri inter præcones Lutheranos nominis, factaque ob animæ suæ salutem paternæ domus fœlici jactura, jam a Sanctitate Vestra meliore utique parente in filium charissimum accipi libenter debeat. Valeat diu fœlix et incolumis Sanctitas Vestra, cui me reverenter commendo et offero. Monachii XXI. Februarii Anno Salutis MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

Eundem Francum Episcopus quoque Eichstadiensis ob ejus virtutes ac merita Cardinali Commendono enixe commendavit. [*]

[*] Lit. Principum. Vol. 28. fol. 210.

Salutem et obsequia nostra ad quævis paratissima, R̃me ac Ill̃me Domine, et Amice in Christo Charissime.

« Abiturus Romam religionis et devotionis ergo, et sese præsentis Jubilæi participem redditurus, Venerandus et perdoctus fidelis noster dilectus Casparus Francus, Ingolstadiensis Ecclesiæ Parochus, vir insigni pietate et doctrina præditus, a nobis tamquam suo Ordinario humiliter petiit, ut eumdem Dominationi Vestræ commendare dignaremur. Cum ergo præfatus Francus, ob vitæ probitatem et innocentiam, morumque bonestatem plurimum commendatus nobis existat, atque parochiæ suæ curæ commissæ maxima cum laude et fructu præsit, tum quoque religionem nostram Catholicam, et verbo et scripto adversus hæreticorum insultus strenue propugnare, ac publicis quoque scriptis et lucubrationibus illustrare, ac in pristinum nitorem asserere sedulo conetur, ac eum adversariis quasi in arenam et publicum certamen descendat, dignum sane eumdem judicavimus, quem Dominationi Vestræ pro nostra erga eamdem observantia, tamquam virum doctum et de Republica Christiana benemeritum commendaremus, eamdem obnixe rogantes, ut ipsum hujus nostræ commendationis intuitu, tum quoque suarum virtutum meritis, omni favore et benevolentia complectatur, ac sese erga ipsum talem exhibeat, ut hanc nostram commendationem aliquid apud eamdem ponderis habuisse intelligat. In eo sane R̃ma Dominatio Vestra faciet rem piam, et nobis longe gratissimam, quam et nos omni vicissim observantia et studio promereri unice conabimur. Dominus Deus R. D. V. in multos usque annos ad Ecclesiæ et Reipublicæ ornamentum et commodum florentem, ac incolumem conservare dignetur.

Datum Eistadii ex residentia nostra Episcopali 14. Februarii Anno 1575.

Vestræ Dominationis

Addictissimus

MARTINUS EPISCOPUS EISTADIENSIS.

VI. — Carolus quoque Archidux Austriæ et Comes Tyrolis per Episcopum Gurcensem adprecabatur Pontificem, ut se suosque indulgentiarum Jubilæi esse participes vellet. [*]

[*] Germania Vol. 28 fol. 17.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem filialis meæ erga Sanctitatem Vestram, et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Acceptis nuper Sanctitatis Vestræ benignissimis literis, quibus me ad percipiendos sacrosancti præsentis Jubilæi fructus benigne invitare et cohortari dignata fuit; nihil certe magis in votis habui, quam ut tam paternæ tamque amabili Sanctitatis Vestræ invitationi plane satisfacere valerem. Verum cum id ob multas ac gravissimas illas quidem causas et eo præsertim facere ipse non possem, quod Majestas sua Cæsarea in Bohemiam abiens, horum Regnorum et locorum gubernationem, licet meo maximo incommodo, gratiose mihi concrediderit et demandaverit; volui saltem venerabilem, devotum, mihi dilectum Christophorum Andream Episcopum Gurcensem, harum exhibitorem ad Sanctitatem Vestram ablegare, hisce cum mandatis, ut Sanctitatis Vestræ beatissimos pedes, qua fieri posset, maxima reverentia meo nomine deoscularetur, ab eaque simul humillime peteret: primo, ut me dictis de causis, quod hoc debitum illi officium personaliter non præstiterim, paterne excusatum habere; deinde vero me nihilominus prælibati sacrosancti Jubilæi gratiose usquequaquam participem facere, ac sibi vicissim de mea perpetua erga se et hanc almam Sedem Apostolicam observantia, fide ac cultu nihil non polliceri dignetur. Quod ut Sanctitas Vestra benigne faciat etiam atque etiam ab ea peto. Et Deum supplex oro, ut eam diu longeque reipublicæ suæ Christianæ incolumem ac fœlicem tueatur et conservet. Datæ Viennæ vi-

1*

gesima die Martii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
CAROLUS.

VII. — Caroli frater Ferdinandus eodem consilio Gregorium per legatum adit. [*]

[*] Germania Vol. 23. fol. 16.

Sanctissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementisssime.

Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum.

« Non dubium mihi est, quin Sanctitas Vestra literas meas XVIII. die Decembris proxime præteriti ad Eam datas, non solum acceperit, verum etiam ex iisdem causas benigne intellexerit, cur neque ego, neque filiorum meorum ullus ad sanctissimum hujus anni Jubilæum (quantumvis nihil jucundius aut optabilius nobis fuisset) Romam ipsimet adire queamus. Et quamquam inter alia scripserim quoque Sanctitati Vestræ, me pro divino illo sacratissimi Jubilæi beneficio consequendo, in vicem meam destinaturum et ablegaturum generosum Comitem Schwickhardum de Helffenstain, Consiliarium meum, mearumque superioris Austriæ provinciarum Locumtenentem: tamen ejusmodi jam inciderunt impedimenta, ut nec illum quidem eo amplius hinc amandare possim. Verumtamen ut et Sanctitati Vestræ et mihi satisfiat, nihilque hac in parte, quod ad impetrationem et participationem hujus sanctissimi Jubilæi, et simul meæ erga Sanctitatem Vestram pietatis et observantiæ summæ debitam declarationem requiritur, prætermittatur, mitto cum hisce Nobilem Virum Jacobum Liberum Baronem in Boymont, Pairsperg et Schwanburg, itidem Consiliarium meum, qui meo nomine omnia ea, quæ ipsemet præsens facturus fuissem, quanta maxima fieri poterit devotione et pietate peragat. Et cum is quidem ob antiquam suam prosapiam, generisque nobilitatem, et virtutes egregias, atque etiam propter multa sua merita, non minus quam dictus Comes de Helffenstain mihi charus acceptusque sit, et ipsemet ex singulari quoque devotione et catholicæ religionis zelo, devoto et promptissimo animo ad Sanctitatem Vestram proficiscatur, spero omnino, planeque mihi persuasum habeo, Sanctitatem Vestram eum non tantum meo nomine benigne excepturam, sed etiam in negotio hoc solitam et singularem suam erga me clementiam declaraturam esse. De me autem Sanctitas Vestra sibi vicissim persuadeat, quæcumque a Deo Opt. Max. mihi in humanis data et concessa sunt, ea ad Sanctitatis Vestræ et beatæ illius Sedis servitia, quovis tempore et loco paratissima fore, eidem Sanctitati Vestræ humillime me commendans.

Datæ Oeniponti, die secundo mensis Martii, Anno Domini MDLXXV.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Idem insuper pro nonnullis ex suis Consiliariis aulicis facultatem petiit, ut indulgentias Jubilæi possent acquirere, quin sanctam peregrinationem adgrederentur. [*]

[*] Germania Vol. 23. fol. 12.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Clementissime.

Humillimam mei commendationem, et pedum oscula beatorum.

« Cum sanctissimus Jubilæi annus jam ad finem suum tendat, et complures ex meis Consiliariis, Servitoribus aulicis, officiariis aliisque Curiæ nostræ personis subditis et vasallis meis fidelibus, partim propter itinera huc illucque mecum facta quotidianaque sua mihi præstanda servitia, partim vero propter malam corporis dispositionem aliaque subinde intervenientia obstacula, in propria persona se Romam ad impetrandum illud conferre hactenus non potuerint, neque in posterum forsitan ante ejusdem exitum propter intemperiem ingruentis hiemis facile poterint; Ego vero tanquam Catholicus et Christianus princeps, qui maximam, et præsertim hac in parte meorum subditorum curam gero, minime velim, ut ipsi hujusmodi tanto et tam insigni bono dictas ob causas defraudarentur, sed potius ex singulari quodam devotionis fervore et religionis zelo summopere cupiam, ut ejus juxta animi desideria absque ullo impedimento participes reddi possint; Sanctitatem Vestram quam humillime rogo, ut illa ex singulari gratia, favore et innata animi sui pietate, atque clementia, benigna concedere atque facultatem elargiri velit, ut prædicti mei Consiliarii, Servitores aulici, officiarii et aliæ Curiæ nostræ personæ, cum propter antedictas causas hujusmodi sacratissimi Jubilæi salutiferum fructum non præsentes potuerint percipere, nec possint, saltem absentes hic apud me, et in patria, ejusdem participes fieri queant. Qua autem ratione quove commodo modo id fieri possit et debeat, Sanctitas Vestra pro ejus piissima voluntate, judicioque exactissimo benigne statuendum habebit. Et quemadmodum minime mihi est dubium, quin Sanctitas Vestra in hujusmodi meam tam justam ac Catholicæ religioni congruam petitionem libentissime sit consensura, ita etiam syncere polliceor, me sic erga Sanctitatem Vestram beatamque illam Sedem Apostolicam semper gesturum, ut nullum Catholici principis filiique obedientissimi officium merito in me desiderari possit. Denique Sanctitati Vestræ, quam Deus Orbi Christiano diutis-

sime fœlicem et incolumen conservare dignetur, me omni filiali humilitate commendo. Datæ Oeniponte prima die mensis Septembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

VIII. — Gregorius autem sui muneris duxit esse Ferdinandi votis obsecundare, ejusque pietatem laudare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 60. f. 40.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Incredibilem voluptatem cepimus ex tua pietate et charitate, quam perspeximus in tuis literis, in quibus postulas, ut impertiamur sanctissimum Jubilæum Consiliariis atque aliis Aulicis tuis, quibus non licet huc pervenire iis de causis, quas scribis. In quo non solum declaras, præclare intelligere te, quantus hic sit, quamque inextimabilis Ecclesiæ thesaurus, sed etiam ostendis, quanta charitate prosequaris tuos, dum non potes pati, ut careant tam præsenti tamque immenso bono: simul etiam indicas cujusmodi homines apud te habeas, eos scilicet, quibus summo in precio sint merita Jesu Christi, beatissimæque Virginis ejus matris Sanctorumque omnium, quique in iis impartiendis Ecclesiæ Pastoris auctoritatem agnoscant et confiteantur: unde etiam non parva ad Nobilitatem Tuam redit laus; eorum enim, qui Principibus inserviunt, pietas et religio magna ex parte Principum ipsorum, quos semper in oculis habent, quosque imitari student, bonitati assignanda est. Noluimus igitur tuæ postulationi negare id, quod hactenus nemini tribuimus: itaque concedimus sanctissimum Jubilæum iis, quibus postulas, eisdem scilicet conditionibus, quibus illum Nobilitati Tuæ concessimus. De negotio Monasteriensi scribimus ad Ducem Bavariæ congruenter tuo justo atque honesto desiderio, cui ut hac in re, sic in cæteris omnibus quantum quidem in Nobis erit, gratificabimur, neque ullam id faciendi opportunitatem prætermittemus, idque intelliges reipsa, quoties facultas dabitur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimanona Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

IX. — Clarus ille Coloniensium Archipræsul et S. R. I. Princeps Elector Godfridum Gropperum Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Canonicum ad Jubilæum consequendum Romam misit, atque Pontifici, hac arrepta opportunitate, pretiosissimas quorumdam Sanctorum reliquias dono obtulit. [*]

[*] Colonia Vol. I fol 7.

Beatissimo Patri et Domino, Dño Gregorio Ejus Nominis Decimo Tertio Sacrosanctae Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Dño Meo Clementissimo.

« Beatissime Pater et domine domine clementissime. Post devota pedum oscula beatorum Sanctitatis Vestræ me meamque diœcesim debita cum obedientia subjicio. Quemadmodum me in postremis ad Sanctitatem V. literis scripsisse memini, missurum me aliquem ex intimis meis propediem ad celeberrimam istam Jubilæi anni festivitatem, qui et meæ in Sanctitatem V. observantiæ, obsequii ac gratitudinis documentum aliquot adferat, easque gratias et indulgentias, quas Sanctitas V. sacro isto tempore fidelibus devote petentibus elargitur, meo nomine petat, ac religiosa Sanctæ Urbis loca debita cum devotione visitet: mitto jam nunc ad Sanctitatem V. Venerabilem consiliarium nostrum devote nobis dilectum Godfridum Gropperum, jurium Doctorem, Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ Coloniensis presbyterumCanonicum et Præpositum Susatiensem, ut meæ in Sanctitatem V. venerationis, gratitudinis ac perpetui studii testis sit, et ex sanctissimis locupletissimisque Ecclesiæ thesauris, quas Sanctitas V. lætissimo hoc tempore recludit, quosque ipse sine parato provinciæ meæ discrimine adire nequeo, partem aliquam ad me reportet, ac pleraque alia, quæ ad provinciæ meæ statum pertinent, exponat, sicut ei copiosius in mandatis dedi. Itaque Sanctitatem V. humillime precor, ut eum benigne clementerque audire, fidemque ei in omnibus rebus non secus ac mihi ipsi adhibere, allatis per ipsum reliquiis sanctis, quas ex præcipuis omnibus, quarum intra Metropolis meæ mœnia haud exigua est copia, id est, ex sanctissimorum martyrum Thebæorum et undecim millium Virginum pretiosissimis thesauris delegi, penes sacratissimas reliquias, quibus ea Urbs clara sanctaque est, locum aliquem concedere, easque illis (quemadmodum beatissimorum martyrum Stephani et Laurentii corpora fraterne et se cognovisse et conjunxisse, itemque citra hominis ullius factum, non sine miraculo, catenæ quibus et in Judæa et Romæ primus Romanæ Ecclesiæ Antistes in vinculis constrictus fuerat, adhæsisse leguntur) consociare, ac ad delineandam meam omnium a Sanctitate V. in me profectorum beneficiorum memoriam ac perennem recordationem sinere vim et pondus habere, denique me ac provinciam meam, eo quo dudum facit amore complecti prosequi ac tueri dignetur. Quo nihil Sanctitate V. dignius, nihil mihi utilius accidere poterit. De quo quia indubitata spe teneor, ideo et me et meam provinciam Sanctitati V. commendo, ac ei omne meum tum obedientiæ et observantiæ studium, quod quidem a me proficisci poterit, offero, multos ei annos ad Universalis Ecclesiæ gubernacula felicissime

tenendum comprecando. Datum ex Cæsaris Insula 16. Februarii anno etc. 75.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius
Salentinus Electus et Confirmatus
Ecclesiæ Coloniensis etc.
SALENTIN mpp.

X. — Gregorius haud prætermisit, quominus horum virorum pietatem litteris humanissimis commendaret, eosque peculiaribus gratiis cumularet: lege quas dedit ad Moguntinorum Antistitem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Anno III ep. 277 fol 338.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. In omnibus literis Fraternitatis Tuæ sese ostendit tua pietas, et solicitudo optimo pastore digna. Quod Ecclesiæ, atque ovium tuarum causa isthic detinearis, quominus hoc sanctissimi Jubilæi anno hinc venias; laudamus pietatem tuam, teque in eo gratissimum Deo facere non dubitamus. Leonardum tuum libenter vidimus, Ecclesiæque thesaurum, quem postulas ex meritis Jesu Christi, gloriosissimæque Virginis, Sanctorumque ejus omnium libentissime impertimus Fraternitati Tuæ. Joannem Everardum propinquum tuum in Collegium Germanicum recipi, inque eo summa cura et diligentia institui jussimus, magnamque spem in ejus optima indole, diligentissimaque præceptorum opera habemus. Alter item Everardus ejus comes erit Nobis, ut postulas, commendatissimus. De beneficiis eorum, qui istinc venerint ad Germanorum Collegium, ubi eos ex hac vita decedere contigerit, si superstites erimus, intelliges, magnam Nos tuæ postulationis rationem habituros. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XI. — Summum etiam Coloniensis Archiepiscopi in re catholica provehenda studium amplissimis laudibus prosequitur, eique de Sanctorum reliquiis sibi ab eo missis agit gratias. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 11. fol. 10.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Jucundissimus fuit Nobis adventus Goffredi tui, et quia a Tua Fraternitate missus est, et quia sancti Jubilæi causa missus, et quia tum ex hac ipsa causa, tum ex tuis literis, atque ex ejus sermone munereque eo, quod a te attulit reliquiarum Sanctorum Martyrum, quas oculis ipsis perspeximus insignem pietatem tuam. Nam quod tantopere cupis sancti Jubilæi thesaurum tibi impertiri, facile declaras, quanti facias sanguinem Jesu Christi, meritaque Sanctissimæ Virginis, aliorumque Sanctorum, quanti Petri ejusque successorum hunc ipsum thesaurum impertiendi acceptam a Deo facultatem: quæ omnia miseri hæretici conculcant, dum hujusmodi indulgentias contemnunt ac rident. Libentissime igitur sanctum Jubilæum Fraternitati Tuæ per Goffredum concessimus, tuumque veniendi desiderium pro re ipsa accepimus, martyrum vero reliquias omni cum honore venerati sumus, summoque in precio habemus, dolemusque eorumdem hæreticorum miseram atque ab universa Ecclesia Catholica jamdin damnatam cæcitatem in abroganda veneratione atque honore iis, quibus Spiritus Sanctus, ut ait Augustinus, usus est ad omnia tanquam quibusdam organis et vasis. Quæ vero istic curas ad Dei gloriam de Seminariis, deque Theologorum Collegio constituendo, ac diœcesi visitanda, de Synodo bis quotannis convocanda, de Apostolico hæresum Inquisitore juvando, de breviariis ac legendis, ut vocant, ad Romani Breviarii veritatem conformandis, de hæresibus, deque omni depravatione amovenda, denique omni conatu ad omnipotentis Dei Catholicæque Ecclesiæ gloriam et dignitatem, atque ad animarum salutem adhibendo summopere laudamus, optimique pastoris cura et vigilantia dignissima ducimus, confidimusque in his ex Sacri Concilii Tridentini decretis agendis Sancti Spiritus gratiam Fraternitati Tuæ affuturam, eamque tibi omnia facilia atque expedita reddituram. Indultum, quod postulas, libentissime mittimus, nec unquam in gratificando Fraternitati Tuæ Nobis ipsis satisfaciemus. Cætera ex Goffredo ipso cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XII. — Cæsar hoc anno variis gravissimisque tum Imperii, tum Ecclesiæ negotiis valde detinebatur, quæ non leviori sollicitudine Pontificis animum afficiebant. Instabat enim tempus, quo Pragæ Comitia essent habenda, quæque excunte Februario coacta sunt. Hujus afflictissimi Bohemiæ regni religiosæ ac civiles res expediendæ et componendæ erant. Interea accidit, ut Maximilianus gravius quam soleret calculi morbo laboraret, ex quo mortem sibi ingruere suspicaretur, velletque regno consulere; vehementissime cupiebat Hungariæ regem Rudolphum quoque Bohemiæ renunciatum iri. Quod ut assequeretur, sibi Bohemorum animos conciliandos esse perspexit; nec Bohemos fugit ejus consilium; qui propterea magnam in spem venerunt, Cæsarem suis, quoad religionis negotia, postulatis facilius obsecundaturum. Neminem latet, quod vel a tempore miserrimi hominis Joannis Hussii, ejus asseclæ, vulgo Hussitæ, qui se orthodoxos confitentes sub utraque nuncupabant, immixti Catholicis vivebant, nec prohibebantur sua sacra ex more avorum peragere: at vero Imperii legibus hujus facultatis erant expertes cæ-

teri omnes, qui a rebus fidei aliena sentirent. Hussitæ, qui etsi prava dogmata sequerentur, speciem tamen quamdam vel simulacrum Catholicismi præ se ferrent, ad hæc usque tempora neque cum Lutheranis, neque cum Calvinistis vel Reformatis, neque cum cæteris Sectariis, quos ineunte hoc sæculo filii perditionis adhibito Evangelii nomine in Ecclesiæ Catholicæ detrimentum invexerant, nullum contubernium habere voluerunt, semperque ab ineunda cum iis societate, quamvis sæpissime efflagitati, abhorruerunt. Cum autem horum sectariorum hominum numerus in Bohemia vel vicinitate vel familiari necessitudine cum Germanis atque Polonis in dies cresceret, potentiorque fieret, brevi tempore infelix illud regnum Lutheranis, Reformatis, Anabaptistis, Piccardis, aliisque hujus furfuris hominibus fuit confertum, qui et numero et divitiis et gratia facile Hussitis præstarent. Hussitæ enim proprie dicti ex abjecta plebecula erant; illi vero ad cultiorem et opulentiorem populi classem pertinebant. Itaque nihil hi intentatum reliquerunt, ut iisdem atque Hussitæ privilegiis quoad liberum religionis exercitium potirentur: nulli arti, nullo seductionis generi pepercerunt, ut eos ad societatem secum ineundam allicerent: persuadere iis conabantur, nullius prorsus momenti discrimen inter utramque doctrinam intercedere; æquum adeo esse ac puriorem verbi divini prædicationem profitentibus maxime consentaneum, ut conjunctis studiis, communique consilio in præsentibus regni Comitiis a Cæsare postularent, ut ampliori religionis libertate sibi per eum frui liceret. Hisce artibus ac blanditiis capti Hussitæ assensere, ut suo quoque nomine nova fidei professio, sub utraque confitentium dicta, redigeretur, quæ Cæsari traderetur, ab eoque peterent, ut publica regni lege eam confirmare vellet; quod si faceret, nihil eum a se vel studii vel operis et laboris desideraturum esse, quo voluntati ejus satisfacturi essent. Idem igitur intuebantur, quod et Dissidentes in Polonia, qui non absimili arte eamdem ob rem usi fuerunt. Omnes enim quotquot affirmabant se puriorem Evangelii doctrinam tenere Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Fratres Moravi, et reliqui omnes errorum antesignani mense Aprili anno MDLXX. Sendomiriæ convenerant, conflaverantque communem novæ fidei professionem, quæ a loco, quo conventum fecerant, Sendomiriensis Consensus dicta est: ex quo deinceps omnium discordiam civilium et religiosarum luctuosa fax exarsit. Typis editus est hic Consensus apud J. Chr. G. Augusti: Corpus librorum symbolicorum, qui in Ecclesia Reformatorum publicam auctoritatem obtinuerunt. Elberfeldiæ 1827. Tom. I. pag. 254-264. Vide D. Ern. Jablonsky: Historia Consensus Sendomiriensis. Berolini 1731.

XIII. — Gregorius cum a Nuntio suo comperisset, Cæsarem firmam voluntatem declarasse tuendi Ecclesiæ causam, datis epistolis ad ipsum Maximilianum meritas laudes ei tribuit, eaque addit, quæ ejus animum magis magisque in proposito confirmare valeant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 281. f. 360.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus diversos variarum sectarum homines, qui isthuc ad dietam convenerunt, multa postulare a Majestate Tua, atque id agere, ut possint in isto Bohemiæ Regno suas sedes, ac Synagoga tute collocare, omniaque, ut solent, pervertere, eaque obtinere conari, quæ nunquam neque a Majestate Tua, neque a superioribus Regibus auferre potuerunt. Et quamquam persuasum habemus, te pro tua insigni pietate, et sanctæ Matris Ecclesiæ dignitatis zelo hæreses penitus odisse, neque ulla ratione velle in divinam iram incurrere, neque violare jusjurandum id, quod tum cum istud Regnum adeptus es, sanctissime jurasti, nihil te de Religione novari passurum, optimeque meminisse quid Nobis per Nuncium nostrum pollicitus fueris; nihil denique velle indignum Tua Majestate committere; tamen non possumus pro nostro munere, proque paterna erga te charitate et tuæ ipsius, tuorumque populorum salutis desiderio non gravissime commoveri, atque angi. Maxima, ut vides, de re agitur, nimirum de sancta Religione, qua ut nihil potest esse majus, sic nihil est, quod Catholicis omnibus magis cordi esse debeat: pro cujus incolumitate debemus libentissime sanguinem ipsum, si ita opus sit, profundere, immortalesque Christo gratias agere, quamcumque Nobis opportunitatem tribuat nostræ erga eum charitatis et fidei probandæ. Quod si tanta est nobilitas animæ, ut præstet universum orbem, quæque in eo sunt omnia rationis expertia interire, quam vel unam animam damnari, quis non commoveatur, innumeras non in tuis tantum, sed multis etiam in locis aliis animas periclitari? ac non modo periclitari, sed necessario interire, siquidem ea conceduntur hæreticis, quæ illi tanta cum obstinatione, et impietate conantur. Hac igitur cura et metu incredibiliter angimur. Itaque præter ea, quæ cum Tua Majestate hac de re et per literas, et per Nuncium nostrum egimus, hortamur atque obsecramus in Domino, ut Christi causam constantissime tuearis, tuique similis sis, hominumque insaniam a tuis auribus repudies; tuorumque populorum veram tranquillitatem, et animarum salutem, quæ extra Catholicam Ecclesiam nusquam esse potest, ipsius denique Dei causam et gloriam humanis rationibus, ac rebus

omnibus anteponas, semperque in hæreticis refutandis in animo habeas verba illa sanctissimi Pontificis Leonis ad Leonem Augustum: Constanter, inquit, despicias, ac repellas eos, qui se Christiano nomine privavere, nec patiaris parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat fidem velle vacuare; cum autem clementiam tuam Dominus tanta sacramenti illuminatione, debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta, defendendo, et veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas. Cætera cognoscet Majestas Tua ex Nuncio nostro, quasi ex Nobis ipsis. Itaque omnem ei fidem tribui cupimus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XIV. — Idem Archiepiscopo Pragensi scribit, eumque monet, ut Cæsari in impiis hæreticorum ausibus coarcendis præsto esse velit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. ep. 282. fol. 362

Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibile est, quanto Nos gaudio compleverint literæ Nuncii nostri de tuis præclaris actionibus, deque summa libertate, constantia et zelo in hæreticorum, qui isthuc convenerunt adversus Dominum, et adversum Christum ejus, postulatis confutandis, inque Catholica fide tuenda, optimique pastoris et parentis munere obeundo. Agimus gratias Divinæ bonitati, quæ ex omnibus malis semper aliquid boni elicere consuevit, contra quam facit hominum perversitas, quæ non veretur sanctissima quæque violare et corrumpere. Quid enim sanctius fide Catholica? quæ Christi ipsius, innumerabiliumque Sanctorum sanguine, doctrina, miraculis, vitæ innocentia sancita est, hanc tamen audent impii hæretici perrumpere. Quid autem hæresibus perversius, ac detestabilius? inde tamen illud boni elicit Deus, quod ait Apostolus, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Hoc nunc facile in te cernitur; probas enim tuam constantiam, et Christi gloriæ atque animarum salutis zelum. Perge igitur ut facis, charissime frater, Catholicosque inter se conjunctos tene, atque in dies magis magisque incende ad hæreticorum impia postulata, conatusque refutandos ac frangendos. Aderit certe Deus tuæ, fideliumque suorum virtuti, neque deseret causam suam. Nos ejus opem assiduis precibus implorare non desistimus. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, eique omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XV. — Guillelmum Rosembergium virum tum splendore generis, tum rei catholicæ provehendæ studio inter Bohemos clarissimum Pontifex merito laudat, eique addit animum, ut pro veteri sua pietate eam in regni Comitiis contra hæreticorum aggressiones viriliter defendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 283. fol. 362.

Dilecto Filio Nobili Viro Rossembergio

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. In communi bonorum gaudio de tua virtute, et constantia in Catholica fide semper tuenda, inque impiorum hæreticorum conatibus frangendis summum ac singulare est nostrum gaudium: Ecclesiæ enim gloria Præpositi gloria est; nec unquam de tua virtute cogitamus, cogitamus autem frequentissime, quin te ut filium charissimum cogitatione atque animo complectamur. Hujus nunc virtutis ostendendæ, immortalisque apud bonos omnes laudis, apud Deum mercedis promerendæ, ut præclara hoc tempore facultas tribuitur Nobilitati Tuæ in hæreticorum, qui istuc convenerunt, postulatis confutandis, inque Dei gloria, et tum tuæ ipsius patriæ, tum innumerabilium populorum salute procuranda, sic te eam cupidissime amplecti, nulloque loco optimi fidelissimique Catholicæ Ecclesiæ filii officio, ac muneri deesse incredibili cum voluptate ex literis Nuncii nostri cognovimus. Perge igitur, ut facis, charissime fili, istamque virtutem, atque animum, quem a Deo habes, eidem Deo redde hoc præsertim tempore cum ejus causa maxime agitur, hancque unam cogitationem et curam omnibus humanis rebus, ac rationibus antepone, tuaque præstanti auctoritate eorum, qui hæreticis favent, conatus perfringe, Deumque ipsum tuæ virtuti causæque suæ affuturum confide. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, eique omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XVI. — Albertum quoque Bavarorum Ducem Gregorius adit, rogatque, ut Cæsarem hortetur, ne vaferrimis hæreticorum postulatis indulgeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. ep. 291. fol. 367.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quanto in periculo sint res Catholicæ Religionis ad Pragam, quæ sint hæreticorum consilia, qui conatus, non dubitamus, Nobilitatem Tuam Nobiscum et intelligere et dolere: id unum moliuntur, inque maxima sectarum inter se varietate et discordia; in hoc uno mirifice conveniunt, ut Catholicam fidem et veritatem, hoc est, ut unicum fundamentum nostræ salutis evertant, nec ullus unquam alius hæreticis omnibus finis propositus fuit. Nunc autem hoc se facile assequi posse arbitrantur, si a charissimo in Christo filio nostro Maximiliano impetraverint, ut possint in illo Bohemiæ Regno sedes, et synagogas tutas habere: quod consilium,

ut vides, spectat non solum ad Regni illius, sed ad vicinorum etiam Catholicorum locorum omnium ruinam et interitum: nihil enim est, quod magis cupiant impii homines, quam suam pestem quam latissime spargi et grassari. In quo cum in discrimen vocetur Christi gloria, Catholica Religio, innumerabilium animarum salus, qui possumus non gravissime angi? Et quamquam magnam spem habemus in Maximiliano, neque arbitramur, illum quicquam eorum impietati concessurum, neque jusjurandum id violaturum, quod juravit, tum cum Regnum illud adeptus est, nihil se de Religione novari passurum, sui denique similem futurum: tamen non possumus præsenti rerum statu et periculo, hæreticorumque audacia non contremiscere. Voluimus igitur has ad Nobilitatem Tuam, cujus Nobis pietas perspectissima est, literas dare, ut Nobis adjumento sis, Maximilianumque horteris, ut hæreticorum postulata constantissime rejiciat; neve illis ea concedat, quæ neque superiores Reges, neque ipse hactenus concedere voluit: ea denique cum eo agas, quæ huic tempori maxime convenire intelliges. Illud præterea ut dilectum filium Rossembergium, cujus fidem, summamque libertatem in Catholica Religione tuenda, et hæreticorum conatibus refutandis perspectissimam habemus, horteris, ut in sententia persistat, neque se de ea aut precibus, aut minis cujusquam dejici patiatur. Speramus, auctoritatem Nobilitatis Tuæ apud utrumque plurimum profuturam, de tua autem optima voluntate dubitare non possumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Quibus Pontificis mandatis Dux ille lubentissimo animo se obsecuturum fore spondet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 36 fol 87.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine
Domine mi benignissime

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Amantissimas et piissimas Sanctitatis Vestræ literas VIII. die hujus mensis in Urbe datas reverenter accepi. Ad quas si præstare possem, quod Sanctitas Vestra per summam benignitatem abs me requirit, non equidem mihi gratum magis accideret. Arbitror scilicet, si quicquam esse queat, quod ex obedientissimo Sanctæ Sedis filio ullo unquam tempore proficiscatur, id ad me pertinere vel maxime; atque hoc suo quodam jure a me efflagitat ingens illa Sanctitatis Vestræ erga me, meosque omnes propensio. Unde nimirum illud etiam est profectum, quod benignissimæ istæ suæ litteræ mihi sunt loquutæ. Quamobrem in rationes atque commoditates eas diligenter incumbam, ut de Sanctitatis Vestræ paterna voluntate atque sollicitudine intelligat Cæsarea Majestas. Non continui me quidem hucusque, si quem vidi consiliis ac monitionibus locum dari, unde vel ad juvandam Catholicam religionem, vel Rempubblicam consolandam accedere posset, quamvis non æque bene boni isti conatus mei semper fuerint accepti. Et in Bohemia ex iis, quorum vel officiis atque muneribus, vel authoritate et potentia religio stare videtur, paucissimi ita mihi noti sunt, ut hujus rei curam magno cum fructu a me susceptam iri sperem, præsertim cum regnum sit illud, a communibus Imperii Romani negotiis plane remotum. Apud Rosenbergium tamen non intempestivum erit fortasse consilium meum, de quo jam illi perscripsi; ac de Cæsarea quoque Majestate id sperabo, quod hucusque extorqueri aut immutari apud se non est passa, staturam videlicet illam adversus hæresum insaniam pro religione et pietate catholica. Valeat diutissime fœlix et incolumis Sanctitas Vestra, mei meorumque benignissime semper memor. Monachii XXIII. die Aprilis Anno Salutis MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

XVII. — Adhortatoriæ Pontificis litteræ ad Cæsarem, ad Clerum et ad Nobilitatem Bohemiæ haud inutiles fuerunt. Jam Dissidentes, vel dicamus potius diversarum sectarum asseclæ Confessionem fidei una cum supplici libello XVI. Cal. Junias Cæsari obtulerunt. Damus supplicem libellum, quem ex vernaculo idiomate latine redditum Cæsar Nuntio Pontificio exhibuit. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol 206

Serenissime et Invictissime ac Potentissime Romanorum Imperator, Ungariæ ac Bohemiæ etc. Rex, et Domine Dñe noster clementissime.

« Non dubitamus, quod quemadmodum Deo omnipotenti omniaque videnti, ita etiam Vestræ Cæsareæ Majestati tamquam totius Christianitatis Domino et Regi Dominorum nostro clementissimo notum; imo et multis aliis perspectum sit, qua ratione nos religionis ac illius veræ, christianæ, antiquæ, sanctæ sub utraque fidei sumus, quæ a filio Dei Dño ac Salvatore nostro Jesu Christo suum principium habet, et quæ a S. Apostolis per mundum prædicata fuit, quo usqua et ad hoc Bohemiæ regnum certa ordinatione Dei ante aliquot centum annorum primo pervenit, ac deinde per sanctæ memoriæ Joannis Hus et aliorum sanctorum virorum doctrinam et verbi Dei prædicationem iterum renovata, et hinc ad circumjacentes regiones propagata fuit. Et per hanc religionem et veram fidem majores nostros multas persecutiones sustinere oportuit, cum vellent in agnita veritate et puro verbo Dei permanere et nobis posteris suis thesaurum hunc prorsus sibi divinitus revelatum derelinquere.

Nos quoque ex verbo divino agnoscentes ideo nos esse a Dño Deo nostro creatos, ut ipsum tamquam creatorem nostrum in hoc mundu coleremus, glorificaremus, eo cultu, quo ipse in verbo suo coli vult, divinæ voluntati in omnibus obsequentes, et juxta omnes vires nostras id exequi et implere cupientes, semper præ omnibus aliis rebus id nobis curæ fuit, ut pax, charitas et concordia in religione nostra conservaretur. Cum autem his annis a multis et præsertim quibusdam impiis sacerdotibus ab hujusmodi vera religione et fide christiana ac bono ordine cum magna populi offensione perniciose recessum sit, simplicique populo porta ad peccandum aperta. Proinde cupientes nos, ut illorum bonus ac christianus ordo in ecclesiam et partem nostram introduceretur, hoc semel atque iterum humillimis desideriis apud M. V. C. quæsivimus, imo et in his præsentibus comitiis cupientes eadem M. V. in memoriam revocare: prius Dñis et amicis nostris omnium nostrorum statuum sub una specie communicantium per concordiæ ac veritatis conservationem, animum nostrum cum omnium ufficiorum nostrorum oblatione significavimus, desiderantes ut una nobiscum C. M. V. accederent, nobisque in hoc tam bono proposito nostro auxilio essent. Qui deliberatione interea habita amice pacificeque cum omnium et studiorum suorum ac benevolentiæ significatione nobis responsum dederunt, in quo et hoc addiderunt, ista sibi non displicere, et se minime dubitare, si quid salutare in negotiis nostris excogitaverimus, et si hæc C. M. V. intellexerit, quod ita ut decet et convenit benigne erga nos se M. V. geret. Itaque multum hoc inter nos animorum concordia et benevolentia constituta, omnes sub utraque specie communicantes unanimiter ad C. M. V. venimus, et per supremum judicem regni Bohemiæ viva voce cum humili concordique desiderio V. M. significavimus: quod cum nos simus illius veræ christianæ et antiquæ (ut superius positum est) religionis et fidei sub utraque, quæ superioribus annis hinc ad circumjacentes regiones propagata tandem in Imperialibus comitiis Augustæ anno 1530 scripto certis articulis comprehensa, ac gloriosæ ac sanctæ memoriæ potentissimo Imperatori Carolo Quinto in præsentia hinc gloriosæ ac sanctæ memoriæ regis Ferdinandi amantissimi parentis M. V. oblata, et a statibus Imperii comprobata, a multisque ecclesiis pro vera, Christiana, antiqua, sancta fide conspiranti cum Scripturis sanctis, propheticis, apostolicis et cum Christi Dñi doctrina agnita et recepta fuit: per hujusmodi igitur unanimem consensionem eorum et Cæsaream M. concessionem inter status Sacri Imperii Romani concordia et charitas introducta et pax stabilita est, ita ut omnis alia mala ac perniciosa hæreticaque doctrina verbo Dei repugnans, hujusmodi confessione tamquam regula quadam ad discernendum et extirpandum rejecta sit. Hoc ac hujusmodi bono et salutari statuum Romani Imperii exemplo inducti pro augenda et conservanda in hoc regno inter nos concordia, charitate, pace et bono ordine, imo et christiana nostra obligatione, qua (ut superius attigimus) primo Dño Deo nostro, deinde C. M. V. postremo patriæ posterisque nostris obligati devinctique sumus, ut primo loco de iis rebus, in quibus gloria et honor Dñi Dei nostri et animarum nostrarum salus sita est, fideliter, diligenter et sedulo toto hujus nostræ mortalitatis tempore agamus, sollicitique simus submisse ac obedienter C. M. V. tamquam Dominum nostrum clementissimum rogavimus, ut nobis cum bona M. V. gratia in unum convenire et juxta nostram antiquam fidem ac religionem christianam inter nos conferre ac nostrum christianum ecclesiasticum ordinem, a quo jam in hoc regno perniciose recessum est, iterum in certam formam redigere, et scripto comprehendere liceret: ut saltem hac ratione doctrina falsa omnesque perniciosæ sectæ, quæ sub parte nostra tamquam aliquo palio sese contegebant, possent ab omnibus dignosci et extirpari. Ad quæ omnia supramemorata a C. M. V. benigna facultate obtenta, vehementer in Domino gavisi sumus, et Domino Deo ex toto corde gratias agentes, Divinam ejus M. humiliter petimus, ut C. M. V. felix ac pacificum supra nos Dominium, omnium regnorum ac terrarum augumentum, de inimicis victoriam, omnem denique tam temporalem quam æternam benedictionem dare et Spiritu suo sancto Cæsareum cor vestrum consolari et regere, ac ad æternam vitam dirigere dignetur, una cum Serñta Imperatrice et omnibus M. V. hæredibus Dominis ac Dominis nostris clementissimis. Juxta igitur hanc a C. V. M. nobis concessam gratiam his diebus invicem convenientes, et ad nos etiam aliquos pios et doctos viros tam ecclesiasticos quam sæculares assumentes summam nostræ antiquæ Christianæ ac veræ religionis in certos articulos scripto redegimus; quod quidem scriptum, cum omni animi submissione ac subjectione C. M. V. ad legendum et cognoscendum offerimus, illudque omnes pro nostro agnoscimus, et juxta hanc agnitam Dei veritatem et fidei nostræ veracem confessionem, atque bonum et christianum ordinem semper (nec quoquam a verbo Dei ad dexteram vel sinistram declinantes, et sub M. V. tamquam a Deo nobis Superioritate data benigna protectione constituti) perseverare constituimus et decrevimus, et cum divino favore perseverabimus, nullam falsam doctrinam admittentes, neque in fide convenientes cum illis, quos in quacumque re veritati Scripturarum sanctarum et institutioni Christi Dñi contrarios esse cognosceremus, quicumque tan-

dem illi sectarii hæretici, sacramentarii sive novi sive veteres sint. Et quando quidem in certo ac stabili sanctarum Scripturarum fundamento juxta antecessores nostros certo fundatam religionem habemus, quæ quidem Christiana nostra religio fideique professio nulla ratione posset sine bono ordine stabilis ac firma permanere. Proinde C. M. V. humiliter rogamus, ut nos in ea potestate relinquere dignetur, qua possimus consistorium nostrum sicut et majores nostri viris piis, virtuosis et exemplaribus constituere, qui sacerdotes nostros confirmarent, illosque in hac nostra fidei confessione in bono ordine et conversatione virtuosa retinerent, et gubernarent, ita ut in posterum nullis in ecclesiis nostris sint dissensiones, sed pax, charitas, concordia inter nos omnes conservetur. Nos enim supra confessionem fidei nostræ administratoribus et consistorio nostro nullum alium post Deum defensorem ac protectorem habere volumus præter C. M. V. regem ac dominum nostrum clementissimum, et eos, qui cum consensu et certa scientia C. M. V. a nobis tribus statibus sub utraque ad superintendentiam et protectionem ejusdem concistorii delecti essent, et constituti, ita ut ea ratione facilius in Regno hoc et sub regimine V. C. M. honor et gloria Dei augeri verbumque illius sanctum in sua puritate prædicari et doceri possit, populus ad veram pietatem induci, et ab iniquitate peccatorum ac idolatria per verbum Dei tamquam medium quoddam adduci possit, quemadmodum ex hoc scripto nostro et ordine consistorii, quod C. M. V. una cum hac fidei nostræ confessione porrigimus, clarius ex parte M. V. intelligere poterit. Præterea, clementissime Imperator, quia talis M. V. de nobis informatio data est, quasi non omnes in hac fide conveniremus et præcipue Domini et amici nostri, qui ex communitate fratrum esse dicuntur: proinde cum omni submissione C. M. V. significamus, quod quemadmodum ipsi annis præcedentibus confessionem fidei suæ M. V. obtulerunt, et ut in ea relinquerentur, C. V. M. humiliter supplicarunt, quod nos eos, quandoquidem in omnibus substantialibus articulis cum hac christianæ fidei confessione, quam M. V. exhibemus, conveniunt, in religione eorum impedire et molestare non intendimus, et unanimiter ac pariter C. V. M. humiliter petimus, quod supra nos omnes gratiosam ac protectricem manum suam tenere et nobis hoc, ut in pietate nostra christiana libere et sine impedimento Domino Deo servire possimus, gratiose concedere dignetur. Nos vicissim tamquam fideles subditi omnia nostra obsequia cum omni submissione Majestati vestræ offerimus, et offerre cupimus, et in his omnibus Cæsareæ Majestati Vestræ tamquam Cæsari Christiano et Regi Domino nostro clementissimo cum omni submissione in gratiosam nos protectionem commendamus.

Actum die martis post ascensionem Christi Domini 1575.

Vestræ Cæsareæ Majestatis
Fideles subditi
BARONES, EQUITES ET BURGENSES ALIÆQUE CIVITATES, OMNES TRES STATUS REGNI BOHEMIÆ SUB UTRAQUE COMMUNICANTIUM.

XVIII. — Confessio ipsa, cui hic speciosus titulus inerat « Confessio Sanctæ Fidei Christianæ omnium trium Statuum Bohemiæ ex fide Corpus et Sanguinem Christi Domini sub utraque communicantium », constat quinque et viginti articulis: quæ Bohemico idiomate exarata extemplo in Germanicum translata fuit, ut, peractis Comitiis, theologis Wittembergensibus tradi posset, qui eam approbarent; quod sine ulla difficultate IV. Non. Novembris ejusdem anni fecerunt. Serius autem, anno nempe MDCXIX., Confessio ista latine reddita, typisque edita fuit; nunc vero eadem non secus ac versio Germanica, nec non ipsa editio originalis Bohemica rara admodum est. Præ manibus habemus versionem Latinam, quam Cæsar Comitiorum tempore fieri Nuntioque Pontificio tradi jusserat, quæque valde discrepat ab impressis. Nos eam libenter heic inseruissemus, si postremi articuli non deessent.

Cæsar oblatam sibi Confessionem accipere non dubitavit, responditque ecclesiarum dissidentium Deputatis se curaturum, ut diligenti inquisitioni ea subjiceretur: pro certo haberent, se obfirmatæ esse sententiæ, neque ullo modo commissurum, ut in rebus fidei novi aliquid fieret. Quamobrem Pontifex meritas Cæsari laudes tribuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 15. fol. 9.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili Noster salutem etc. Ex litteris Nuncii Nostri incredibili cum voluptate recognovimus Majestatis Tuæ præclaram, atque omni pietate plenam, tuoque isto altissimo gradu et munere dignam voluntatem in Christi Catholicæque Ecclesiæ causa toto pectore tuenda, inque ejus hostium conatibus refutandis. Sic enim scribit Nuncius pollicitum esse te, idque sæpius, nihil de religione novari passurum, spemque optimam habere nihil ab hæreticis actum iri, propter summam inter se discordiam, mirificamque Catholicorum constantiam: te vero nihil unquam communibus hostibus a recto alienum concessurum. Agimus immortales gratias Deo: speque ipsa repræsentamus Nobis eum exitum, quem cupimus, quemque tua virtus pollicetur, gratulemurque Majestati Tuæ, quod præstantem istam voluntatem, quam ha-

bes a Dei benignitate, retribuas eidem Deo in causa ut omnium gravissima, sic ei acceptissima, tibique ab eo ad amplissimum meritum proposita. Neque enim istius tantum Regni tui tranquillitas, earumque quæ isthic modo sunt animarum salus agitur; sed aliorum præterea Regnorum, innumerabiliumque animarum vita atque incolumitas pendet ex præsenti tuo facto atque exemplo, ut enim tete in hac causa gesseris utramvis in partem, sic cæteris aliarum rationum sive Catholicis sive hæreticis animum addideris, aut ademeris. Quia vero de tua præstantissima virtute dubitare non possumus, nihil autem Deo gratius esse intelligimus salute animarum, hocque ipsum bonum, quo ad plures permanat, eo illi gratius esse, vere atque ex animo gratulamur, tantam tibi esse oblatam facultatem innumerabilium animarum salutem procorandi, immortaliaque atque omni existimatione majora ab ejus bonitate præmia promerendi. Incumbe igitur, ut facis, omni studio in causam Christi, omniaque ab ejus gratia tibi facilia ac soluta pollicere. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XIX. — Maximilianus experientia edoctus, quam callidis quamque versutis cum hominibus ipsi res esset, eorum Confessionem tum Catholicis tum Hussitis, Piccardis aliisque hæreticis, qui postulaverant hancce fidei Confessionem probari, considerandam tradidit. Utrinque acriter certatum fuit: interea Dissideotes, in hoc valde incubuerunt, ut blanditiis omnique officiorum genere assentientes suis consiliis qua ex Catholicis, qua ex Hussitis sibi compararent, qui Cæsari suaderent, suam Confessionem utpote eamdem doctrinam continentem, quam Bohemi Joannis Hussii sectatores sequerentur, omnino confirmandam et sanciendam esse. Ex Catholicis, quos Archiepiscopus Pragensis, vir præstantissimus, invicti animi, fidei integerrimæ, Ecclesiæ Catholicæ et Sanctæ Sedi Apostolicæ maxime addictus, ad avitam fidem tuendam inflammaverat, ne unus quidem extitit, qui novam istorum hominum fidei Confessionem munire auctoritate sua non impium ac turpe duceret. Laudandi præ cæteris sunt ob studium in rejicendis hæreticorum votis Ladislaus Princeps a Lobkowitz, Supremus Bohemiæ Burggravius, Comites Joannes et Felix item a Lobkowitz, Guillelmus a Rosenberg, Vratislaus a Pernstein et Georgius de Martinitz; quos omnes anteibat illustris Comes a Rosenberg. At vero non modo Catholici, sed et ipsi antiquæ doctrinæ Hussitiæ subdolis eorum petitionibus contraibant. Totus ille Clerus sub utraque communicantium nuncupatus, nec non Barones et Equites Pragenses, qui « Sanctæ antiquæ ecclesiæ Christianæ fidei sub otraque specie adherentes » dicebantur, Cæsari pridie Non. Junii supplices libellos obtulerunt, quibus eum exorabant, ne Confessionem, quam isti hæretici proprio marte conflaverant eique exibuerant, approbaret, quin etiam utpote adulteratam, et a vera Joannis Hussii doctrina abhorrentem, falsis autem Confessionis Augustanæ aliorumque Germaniæ sectariorum dogmatibus apprime consentientem prorsus abjiceret. Unus Comes Joannes Baro a Wallenstein Supremus Regni Camerarius, idemque Hussita novatorum petitiones et Confessionem Cæsari commendaverat; verum ubi primum se errare ac decipi a suis intellexit, una cum cæteris illorum postulationes impugnare instituit.

XX. — En cœtus Hussitarum ecclesiastici supplicem libellum. (*)

(*) Germania Vol 38. fol 346.

« Responsio administratoris ac consistorii Pragensis data Cæsari ad Confessionem fidei, jam recens in regno Bohemiæ conscriptam et Imperatori, ut eam approbaret, oblatam.

« Serenissime atque Invictissime Romanorum Imperator, Ungariæ et Bohemiæ Rex etc. Domine noster clementissime. In die S. Pentecostes oblata est nobis a C. M. V. conscripta quædam fidei confessio, vestraque C. M. exhibita, in qua subscripti sunt Barones, Equites Pragenses et aliæ civitates omnium trium statuum sub utraque communicantium. Quam confessionem diligenter legimus, ponderavimus et consideravimus, quantum propter brevitatem temporis nobis id facere licuit. In qua hæc invenimus et perspeximus.

« I. Quod hæc confessio fidei sine ulla hæsitatione ad confessionem Augustanam spectat: quæ quoniam magna ex parte doctrinæ et religioni catholicæ et parti nostræ antiquæ sub utraque veræ contraria est, non sine causa a sanctæ memoriæ Carolo V. et a Principibus Catholicis tam sæcularibus quam ecclesiasticis statim et a principio et deinceps tamquam a veritate aliena damnata et reprobata fuit. Ex qua quanta pax, charitas ac concordia consequuta sit, et quomodo per eam in Germania sint hæreses extirpatæ, opera ipsa non solum vulgi, verum etiam eorum qui eam cognoscunt et fovent, cum magno damno ecclesiæ, provinciarum ac personarum testantur. Proinde non sine causa V. C. M. illam confessionem tamquam doctrinam peregrinam prohibere, et illis, qui illam introducere in hoc regnum volebant, proque ea C. M. V. supplicabant, interdicere dignata est. Qua de re una vel altera responsio C. M. V. scripto comprehensa inveniri possit.

« II. Illa confessione commendatur religio Piccardorum, qui in ea pro amicis habentur, eo quod eum ea in omnibus substantialibus articulis conveniant, et propter hanc causam eos in

sua religione impedire aut aliquam molestiam illis inferre non intendunt. Cum tamen omnibus notum ac perspectum sit, quod religio ista fratrum tamquam Ecclesiæ Dei et huic Regno perniciosa anto multos annos in comitiis publicis per certa decreta regni hujus, deinde etiam per literas publicas regum Bohemiæ, imo et per diplomata V. C. M. damnata, et tandem etiam sub pœna capitis interdicta fuit, et tamen hi nullam horum rationem habentes, eam approbare audent. Proinde ipsi hoc eorum patrocinio freti conventicula sua non solum per domos, sed etiam per templa celebrare audent, magnosque concursus populi cogere, quod numquam antea ita libere facere ausi fuerant. Insuper et in die Pentecostes in nova Bleslavis synagogam suam, quæ ex mandato Serenissimi Imperatoris Ferdinandi, parentis M. V. clausa, et usque ad hoc tempus obsignata fuerat, in præsentia M. V. in Regno hoc aperire et in ea conventus facere ausi sunt cum magna frequentia vulgi et nobilium. Hac eorum audacia si non violatur pax et tranquillitas hujus regni, et si non detrahitur regiæ autoritati M. V., id M. V. considerationi relinquimus. Et nisi mature hæc eorum temeritas reprimatur, timendum est, ne brevi pejora audeant. Non solom autem in hac confessione sua laudant religionem fratrum, verum etiam ut quivis legendo intelligere potest, fere majori ex parte in eisdem articulis et in eodem sensu cum illis conveniunt.

« III. Eadem confessione novus modus consistorii constituitur, ut more Lutherano laici et non Episcopi sacerdotes ordinent et regant, quod numquam in hoc regno e consistorio factum est, sed semper sacerdotes a legitimis Episcopis ordinatos habuimus. Imo optime sciunt, quod in comitiis præcedentibus omnes status tam sub una quam sub utraque pro Archiepiscopo constituendo petierunt: quæ eorum petitio a Ferdinando sanctæ memoriæ exaudita et ad effectum perducta est. Insuper status sub utraque in comitiis anni 1573. supplici libello Serenissimos Principes Archiduces Austriæ Rudolphum Regem Ungariæ et Ernestum petierunt, ut apud C. M. V. pro impetranda legitima sacerdotum ordinatione, quæ in hoc regno semper observata fuit, intercederent.

« Nihilominus multi aliter fecerunt et adhuc faciunt, dum in dominiis suis recipiunt sacerdotes more Lutheranorum et Piccardorum ordinatos. Qui cum nulli subsint, id faciunt quodcumque eorum collatoribus placet, religionem et cæremonias novas ac peregrinas in hoc regnum introducunt, et potentia sæcularium subnixi, miseram plebem etiam vi ad novam religionem amplectendam cogunt: veram autem et antiquam religionem sub utraque specie, ejusque sacerdotes contumeliis afficiunt. Quæ populus sine gravi dolore et gemitu ferre non potest, prout M. V. non solum hoc tempore, verum etiam antea hæc omnia significavimus. Quod si hujusmodi illegitima sacerdotum ordinatio (quod non speramus) in Regno hoc contra morem majorum permitti deberet: quid aliud inde nisi religionis antiquæ interitus et gravis omnium sacerdotum oppressio sequeretur.

« IV. In illa confessione approbatur ac permittitur conjugium sacerdotum contra leges ecclesiasticas, et ordinem regni hujus, et contra comitiorum statuta: et quod numquam antea in regno hoc approbatum aut permissum fuit, nisi forte ab antiquis illis seditiosis et toties in regno hoc proscriptis Taboritis et Piccardis. Quæ res quantum huic regno sit conducibilis, quamve firma esse possit, Majestatem Vestram intelligere non dubitamus.

« Quod autem pertinet ad alios religionis articulos in prædicta confessione comprehensos, prolixe possemus C. M. V. demonstrare, utrum cum antiqua fide et religione sub utraque conveniant vel non; verum id propter brevitatem temporis facere non possumus, nec etiam necessarium esse videmus, vel illa de causa maxime meminit enim C. M. V. quod ante triennium ex commissione et mandato C. M. V. supplici libello nostro vicestenentibus gravamina consistorii nostri exposuimus. Quo quidem tempore etiam libellum quendam eisdem vicestenentibus obtulimus, in quo continetur quænam fides ac religio in regno hoc sub utraque communicantium ab initio usque ad hæc tempora fuerit. Secundo etiam quosdam ex nostris cum supplici libello Viennam ad C. M. V. misimus, humillime petentes ut C. M. V. antiquam sub utraque religionem in regno hoc defendere ac tueri dignaretur. Qui quidem libellus quamvis una cum aliis supplicationibus nostris in Cancellaria regni deberet inveniri, nihilominus tamen hic eundem iterum C. M.V. offerimus. Cum igitur C. M. V. librum hunc una cum supplicationibus nostris, tum etiam confessionem hanc, nec non Piccardorum diligenter perlegerit, vel iis ad quos de rebus religionis judicium ferre pertinet legendum et examinandum commiserit, facile intelligetur, quænam sit illa vera, antiqua, sub utraque Christiana religio, conveniens cum doctrina sanctorum Prophetarum, Christi Domini et Apostolorum, et cum doctrina sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ, quæ tabulis regni, publicis comitiis, fœdere inter status sub utraque communicantium, diplomatibus aliisque modis insuper et solemni juramento M. V. semper rata et firma habita est. Imo et hoc manifestum evadet, si hæc nova quorumdam ex statibus fidei confessio, similiter etiam et confessio Augustana ac Piccardorum cum illa vera antiqua ac tot rationibus confirmata religione conveniat,

vel illi contraria sit. In qua quidem nos una cum aliis legitimis ac piis sacerdotibus, nec non cum innumerabili populi multitudine exemplo majorum nostrorum manere et conservari cupimus; ac C. M. V. in nomine Domini Dei, cujus honor et gloria agitur, humillime rogamus, ne C. M. V. aliam novam et peregrinam religionem introducere, ac tam numerosam populi multitudinem misere decipi et seduci patiatur. Quod si M. V. fecerit, erit hoc domino Deo gratum, ecclesiæ Dei huicque regno utile, ac toti populo salutare, et hac ratione in regno hoc vera concordia ac firma pax stabilietur et confirmabitur.

« Quod autem ad consistorium hoc attinet, de quo in eadem confessione fit mentio, qua ratione constitui et gubernari debeat, id nobis videtur (cum prædictum consistorium proprie ad autoritatem et defensionem Majestatis Vestræ, una cum tuto clero suo pertineat, habeatque jus suum ecclesiasticum et ordinem antiquum ac laudabilem, quo huc usque tam in regendis et gubernandis sacerdotibus, quam etiam in controversiis ac litibus ad eam spectantibus usum est), quod in eodem statu et in hoc bono ordine relinqui ac conservari potest; dummodo illa impedimenta, quæ non semel C. M. V. in nostris supplicationibus proposuimus, e medio tollantur. Nam si tale consistorium, quale ipsi præscribunt, constitui deberet, quis non videt, quam misere totus clerus opprimeretur, et omni libertate spoliaretur? imo id et quod illi a sæcularibus præscriptum esset, facere cogeretur. Verum ea spe sumus, quod C. M. V. nulla ratione in tantam servitutem clerum liberum redigi patietur.

« Postremo et illud judicio C. M. V. examinandum relinquimus; deceatne homines sæculares, et maxime paucos quosdam de religione in rebus divinis, quæ conscientiam ac salutem hominum concernunt, absque personis ecclesiasticis, præcipue iis, quibus regimen cleri et religionis commissum est, aliquid tractare et statuere, et ad ea quæ ab ipsis conscripta et definita erunt, omnes alios tam ecclesiasticos, quam sæculares, qui nec quid ibi agatur, sciunt, obligare? Quod quidem hic fieri videmus, quod nunquam antea in regno hoc tentatum fuit. Nobis enim non constat, quod ad hanc confessionem conscribendam aliqui pii, eruditi et legitimi viri ecclesiastici vocati fuerint.

« Omnia igitur hæc C. M. V. benigno ac justo judicio examinanda ac dijudicanda relinquimus: et C. M. V. cum omni animi nostri demissione rogamus, ut hoc bonum judicium nostrum, quod hic pro ratione officii nostri (quandoquidem rationem de animabus nobis commissis Deo reddituri sumus) bono ac sincero animo (Deus est testis) C. M. V. proponimus ac significamus, benigno cultu suscipere nosque in sua protectione habere dignetur. Nos vicissim pro C. M. V., Serenissima Imperatrice ac hæredibus Domino Deo nostro (quod quidem semper facimus) tam in publicis quam in privatis orationibus preces fundere non cessabimus, ut Dominus Deus C. M. V. prosperam ac diuturnam valetudinem, in omnibus bonis felicem successum, et de inimicis victoriam concedere dignetur.

Datum Pragæ, die Sabathi post festum Sanctissimæ Trinitatis, hoc die 4. Junii 1575.

Cæsareæ Majetatis Vestræ

Fideles subditi sacellani

Administrator et Parochi Consistorii Archiepiscopatus Pragensis sub Utraque Communicantium.

XXI. — Habeas etiam nobilium Hussitarum libellum. [*]

« Invictissimo Romanorum Imperatori tamquam Regi Bohemiæ humilis protestatio, confessio et approbatio sanctæ, antiquæ, Catholicæ, Christianæ fidei sub utraque specie communicantium a summo Camerario Regni Bohemiæ oblata.

« Serenissime et Invictissime Romanorum Cæsar, Hungariæ et Bohemiæ rex, Dñe Dñe noster clementissime. Postquam V. C. M. porrexerunt quosdam articulos conscriptos, pietatem et religionem concernentes, Domini et amici nostri, qui se præteritis temporibus Confessionis Augustanæ esse profitebantur, et illa religione ut possent uti, postulabant, multosque non unius, sed variarum religionum homines circa se stantes habebant, et V. C. M. etiam nobis sub utraque, qui sanctam Christianam fidem antiquorum Bohemorum sequimur, et ii sumus et a sacerdotibus legitimis ab Episcopis consecratis regimur, legem Dei et constitutiones ecclesiæ sanctæ sentimus, et in pactis per comitia et regni statuta confirmatis, certisque et amicis conventis cum Dominis et amicis nostris sub una specie communicantibus stamus, dignata est V. C. M. eos articulos noviter conscriptos, ut inspici possent, et quid intenderent intelligi, clementer porrigere. Et quamvis antea a V. C. M. illi Domini et amici nostri ad petitionem prædictam videlicet de religione et peregrina doctrina unam et alteram, qua dirigi possent, habeant responsionem: tamen quod nunc denuo est ab illis eo scripto comprehensum, id ad ponderandum sumptum est, in illudque introspectum, inventumque est, quod ibi sint aliqui nostri proprii articuli antiqui adscripti, quos pars sub utraque in bono et christiano ordine existens servabat, tenebat, et tenet, et ad quos multa comitia et certa Christiana et amica pacta et conventa ab antiquo facta spectant et pertinent. Et propterea quod est prius in aliquibus articulis secundum nostrum Christianum ac pium ordinem sub utraque specie observatum et adhuc observatur,

[*] Germania Vol. 30. fol. 251.

quam unquam de illa confessione vel cogitaretur vel sciretur, vel audiretur: eo non est nec esse V. C. M. occupare. Nos namque cum simus in religione Christiana antiqua sub utraque specie confirmati, non permittemus nobis in ea quamquam emendare, mutare: in ea Deo favente constanter permanebimus et perdurabimus usque ad nostras mortes, cum ea humili petitione et supplicatione, ut V. C. M. eam antiquam et sanctam fidem Christianam sub utraque specie et nos fideles subditos suos, secundum debitum et officium suum tamquam Rex Bohemiæ et Dominus noster clementissimus tueri sine prævaricatione velit. Nihilominus tamen in eo scripto etiam quidam articuli peregrini et novi reperiuntur, et cum omissione ordinis atque cæremoniarum ecclesiasticarum, quæ in ecclesia et templis nostris cum omni pietate et laude observabantur et tenebantur; quibus nos et nullis novitatibus assentiri unquam possumus. Verum quoniam illi Domini nunc iterum consistorium profitentur et suscipiunt, et petunt illud renovari, hoc illorum desiderium bonum est, et necessarium; nam et nos præteritis temporibus idem a C. M. V. sæpius petiimus, et adhuc petimus, et humiliter supplicamus, ut clementer permittere velit, quatenus veteri, bono ac pio more consistorium Pragense, quemadmodum antiquitus fieri solebat, ad suam renovationem pervenire posset: et cum secundum bonum, antiquum ac pium ordinem erit renovatum et ordinatum, atque secundum antiquam normam gubernatum omnes illæ novæ ac peregrinæ religiones corrigentur ac ad ordinem redigentur. Qui vero ordo aut quæ consuetudo antiquitus apud præteritos bonæ memoriæ Serenissimos Imperatores et Reges Bohemiæ in renovatione consistorii servata fuerit, ejus V. C. M. hic certam memoriam et scripto comprehensam porrigimus, similiter et illi (quod antea C. M. V. humiliter submisse rogavimus) articuli hoc scripto comprehensi V. C. M. porriguntur, et humiliter in memoriam revocantur.

« Illud etiam humiliter a V. C. M. petimus et desideravimus, ut nos penes recentes petitiones et nostra desideria, et antiquum ordinem sincere et relinquere dignetur: insuper ut C. V. M. auxilio esse velit, ut propter honorem et laudem Dei sacerdotum legitimorum, qui digni rectores sint, sufficientia esse possit. Dominus namque Deus pro eo V. C. M. copiosa erit merces. Clemens et gratiosum responsum a C. V. M. expectabimus.

« Postquam autem hi nostri Domini et amici, qui illos articulos C. M. V. porrexerunt, aperte profitentur, se nihil novi, quod prius non fuerit, petere, sed quæ antiquitus fuerat religio, in ea se velle et desiderare permanere, fit ut ad præteritam pietatem et christianam Bohemicam religionem sub utraque specie redeant, quod nos cum ingenti consolatione et libenter audimus. Idcirco ad veram istius rei confirmationem (quandoquidem non exiguæ differentiæ in istis religionibus per hos omnes fuerunt, et ipso facto in magna discordia sunt inventæ) ut possit certificari et ab omnibus cognosci, unanimem inter omnes partes et differentias factam esse concordiam et consensionem, petimus et desideramus, ut nobiscum cum aliquibus personis de hac pia re conveniant, una cum sacerdotibus et rectoribus suis, et ut omnes sciant coram Domino Deo, in templo Dei, ecclesia nostra principali, Christianæ fidei confessionem faciamus, et præmissa pia præparatione per sanctam pœnitentiam et confessionem peccatorum, ad communionem venerandorum sacramentorum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi simul accedamus, hancque devotionem per legitimos sacerdotes perficiamus.

« Hoc nos ideo petimus, ut ab illis et omnibus cognoscatur, nos eis eadem bona favere et optare, quæ nobis ipsis: nosque nihil aliud cogitare, quam quod animæ illorum et corpori prodesse possit. His nos V. C. M. tamquam Regi et Domino nostro elementissimo ac omni submissa humilitate commendamus.

Vestræ Cæsareæ Majestatis
Fideles subditi
Barones, Equites Pragenses, qui Sanctæ Antiquæ Ecclesiæ Christianæ Fidei sub Utraque Specie Adhærent.

XXII. — Catholici quoque suadente atque adhortante præ primis Archiepiscopo Pragensi binis libellis cum Maximiliano agunt, ne ipse velit contra Imperii leges et contra datam juramenti fidem novam illam fidei Confessionem probare. (*)

(*) Germania Vol. 38. fol. 291.

Serenissime et Invictissime Cæsar.

« Quemadmodum Vestra Sacra Cæsarea Majestas quædam prolixa scripta religionem concernentia, et V. Cæs. Majestati a personis quibusdam ex statu Baronum, Equitum, civilium porrecta nobis catholicis statibus transmittere dignata est, ea omnia summa cum diligentia, adhibita etiam opera Reverendissimi Archiepiscopi nostri, Dominorum Prælatorum, aliarumque ecclesiasticarum personarum, (quas a deliberatione rerum spiritualium et religionem catholicam concernentium excludere nobis non fuit æquum) vidimus et maturo judicio consideravimus, invenimusque, quod supradicti Domini et amici nostri in scripto suo, cujus datum est die martis post ascensionem Christi Domini nostri hujus anni 1575. V. C. M. oblato, non mediocri dolore se affici dicunt, quod his superioribus annis a multis et præcipue a quibusdam impiis sacerdotibus a vera religione et antiqua fide Christiana, et a bono ordine cum magno scandalo perniciose deviatum sit, hoc

cupientes, ut juxta antiquam in regno hoc fidem et christianam ipsorum religionem, bonus ille ordo iterum in Ecclesiam et partem eorum introduceretur. Quare et certos articulos confessionis fidei suæ una cum probationibus, ex antiquis synodis et doctrina testium suorum in regno Bohemiæ sub utraque communicantium sumptis, qualiter fidem Christianam docuerint et senserint, V. C. M. porrexerunt, eam submissam petitionem addentes, ut V. C. M. relinquendo illos penes eam fidem, eos benigne defendere, et ut in consistorium suum dignas personas pro sententia sua legere possint, clementer permittere dignetur, ut saltem ea ratione omnes falsæ doctrinæ omnesque perniciosæ sectæ, quæ sese parte illorum tamquam quodam pallio cooperiebant, eradicari possent, cum hac additione, quod amicos suos fratres Piccardos ad se recipientes et cum illis in essentialibus articulis fidei convenientes, ut a religione sua recederent, cogere nolunt. Traditum est etiam nobis a V. C. M. alterum scriptum, in quo similiter Barones, Equites et Pragenses sanctæ antiquæ fidei Christianæ sub utraque communicantes sese subscripserunt, illudque V. C. M. contra supradictum prius scriptum, prout ex eo intelligi potest, porrexerunt. Juxta quam protestationem consistorium etiam Pragense communicantium sub utraque haud exiguum scriptum in formam libri redactum, articulorum fidei suæ, cum multis aliis exemplaribus rerum, quid status regni Bohemiæ ante multos annos in multis conventibus cum consensu regum Bohemiæ de religione tractarint, in quo convenerint, et quemadmodum hactenus in ea permanserint, non prætermisit V. C. M. offerre. In quibus quidem scriptis tam Barones et Equites et Pragenses, quam consistorium, aperte testantur in ea nova confessione nonnullos articulos peregrinos et ignotos reperiri, addentes etiam se ante habuisse formam et ordinem pium, quam de confessione Augustana aut cogitaretur aut quicquam sciretur, prout hæc omnia illa sua scripta sibi contraria latius in se continent, et comprehendunt. Quæ omnia nos cum summa diligentia ponderantes magnam et insignem differentiam in multis præcipuis et essentialibus articulis fidei aperte cognovimus: qua quidem ex re non possumus non maximum percipere dolorem, quod in hoc celeberrimo Regno, patria nostra charissima ab aliquot annis talia schismata in Christiana religione cum ingenti seductione animarum, cum multis occupationibus V. C. M. et impedimento tractationum publicarum, atque diminutione publicæ concordiæ, pacis et charitatis semper magis ac magis oriantur ac multiplicentur. Etenim isti Domini et amici nostri id, quod de religione anno 1571. similiter in publicis comitiis ad V. C. M. detulerunt, idem nunc post certum benignum ac diligenter consideratum a V. C. M. in scriptis adjunctis porrigimus, renovare sibi assumunt: cum tamen nos non simus ejus animi, ut aliquas de fide controversias, disputationes cum illis suscipiamus, aut ineamus, neque in aliquam ejus rei justam aut decentem necessitatem esse cognoscimus. Verum enimvero de hac re justissimis moti causis diligentem curam habemus, ne contra privilegia regni, contra comitia publica de conservanda fide sancta Christiana habita, contra pacta ac certa decreta (quorum omnium propter faciliorem eorum intelligentiam V. C. M. exemplar humiliter porrigimus), postremo contra regni una et V. C. M. officium et huic regno factum juramentum insolitæ (vel ut altera ex illis pars nominat) peregrinæ religiones in hoc regnum introducantur.

« Quæ quidem comitia, pacta, decreta, conventiones et jura regni optima regula esse possunt, ut cognoscatur, quæ et qualis religio in hoc regno esse et permanere debeat: quare præcipua necessitas erat, ut illa comitia, quæ utraque pars pro ostensione antiquæ suæ religionis adducit, introspiceremus, ac diligenter eam fidei confessionem, quæ V.C.M. in scripto oblata fuit, cum præterita antiqua sub utraque in hoc regno servata religione conferremus, atque diligenter ponderaremus, quinam sint ex illis duabus religionibus, ad quos comitia plurima, pacta, decreta regni, mandata et recessus regum Bohemiæ et V. C. M. juramentum et debitum officium spectent et pertineant. Quæ omnia ad invicem collata atque scripto comprehensa V. C. M. submisse porrigimus, ex quibus facile V. C. M. intelliget, qui sint illi, ad quos illa pacta, comitia, decreta regni spectent et pertineant, et quæ religio antiquitus a parte sub utraque in hoc regno servata fuerit, quæ a regibus Bohemiæ protecta, et quæ e diverso interdicta atque explosa. Quapropter, Serenissime Imperator, quum V. C. M. id præsertim apud se perpenderit, quanta et quam perniciosa pericula, quantæ dissensiones aliorum contra alios per introductionem et admissionem novarum religionum non solum in hoc regno antea ortæ fuerint, sed et nunc oriri possent, prout et hoc tempore alia regna et provinciæ exemplo nobis esse possunt, et quando V. C. M. tamquam Cæsar et Dominus Christianus in mentem revocare dignabitur, communia inter nos status hujus regni certa pacta et conventa, per nostros majores charissimos laboriosis comitiis confecta, similiter et V. C. M. nobis factum juramentum et semel ex consideratione Cæsarea datum, iisdem Dominis et amicis nostris ad priorem petitionem illorum responsum recogitaverit, non dubitamus, quin nos prout V. C. M. cum omni debita submissione rogamus, penes illum antiquum ordinem fidemque sanctam, quæ

antiquitus secundum conventa et sæpius nominata comitia et communia pacta fuit, clementer relictura sit, atque eundem bonum ordinem benigne protectura et conservatura. Qua in re nos ipsos V. C. M. cum debita reverentia, et cum restitutione omnium scriptorum nobis a C. M. V. exhibitorum, tamquam Cæsari ac Domino nostro clementissimo commendamus, obnixe a Deo Optimo Maximo postulantes, ut V. C. M. in bona valetudine, felici ac prospera gubernatione, piorum Christianorum omnium bono conservare velit.

Vestræ Cæsareæ Majestatis
Fideles Vassalli
Barones, Equites et Burgenses Catholici
Regni Bohemiæ.

Habeas et alteras Catholicorum contra hancce fidei Confessionem expostulationes. (*)

(*) Germania Vol. 38. fol. 203.

« Brevis annotatio illius responsionis, quæ postquam utrumque scriptum utriusque partis eorum, qui se sub utraque esse dicunt, revisum est, Cæsareæ Majestati dari debuit.

« In primis cum status catholici haberent præ manibus a Cæsarea Majestate sibi datas supplicationes, et certos de religione articulos conscriptos, ut legitima ac securior de his rebus deliberatio suscipi possit, Reverendissimum Archiepiscopum Pragensem, Dominos Prælatos aliosque religiosos viros, quos in rebus religionem concernentibus pastores suos agnoscunt, in consilium adhibuerunt, atque hoc ordine progressi sunt.

« Primo lecta et discussa fuit supramemorata supplicatio, et illi adjuncti articuli fidei eorum, qui ab aliquot centenis annis illius veræ, antiquæ, christianæ, sanctæ fidei sub utraque communicantium se esse dicunt. Quæ quidem supplicatio hoc in se præcipue comprehendit, quod nimirum catholici sub utraque specie communicantes consensum suum dare debuissent, ut ipsi cum Cæsarea Majestate de religione tractarent. Quem quidem consensum se dedisse ipsi non meminerunt.

« Deinde quod ipsi omnes unanimiter una cum Piccardis (quibus ipsi in eorum religione molesti esse nolunt) eam fidem sibi concedi postularent, quæ superioribus annis in Imperialibus comitiis Augustæ anno 1530. certis articulis scripto comprehensa sanctæ ac gloriosæ memoriæ Imperatori Carolo V. oblata fuit, et exhibita. Post diligentem igitur supplicationis et omnium illius fidei articulorum discussionem visum est catholicæ parti, quod Suæ Cæsareæ Majestati nihil respondere possint, donec intelligerent quidnam altera pars, tam sæcularium quam ecclesiasticorum, qui etiam se sub utraque esse dicunt ac vocant, ad eosdem articulos responderent, quidve ad hæc dicerent.

« Hæc cum Cæsareæ Majestati per personas ad hoc a statibus ad Imperatorem missas significata fuisset, haberetque tunc Imperator ad manus utriusque partis responsiones sibi eodem die ab eisdem sub utraque communicantibus traditas, statim per easdem personas ordini catholico prædictas responsiones transmittere dignatus est. Itaque cum catholici haberent illa omnia, quæ optabant, omnia accurate ac diligenter viderunt, legendi et examinandi, et non solum illa, verum etiam et alias eorum antiquiores supplicationes, et quidnam illis ad easdem supplicationes responsum fuerat, sibi in memoriam revocarunt. Ex his omnibus intellexerunt, quod iidem Domini et amici sub utraque communicantes anno Domini 1571. eandem religionem, cujus modo mentionem faciunt, a Sua Cæsarea Majestate postulaverant: quibus ad hanc eorum petitionem tale responsum datum fuerat, ut quod ad consistorium attinet, ea omnia in antiqua forma absque ulla mutatione et sine mutuis odiis maneant. Cum enim S. C. M. intelligat, quodnam sit ipsius juramentum, quod in coronatione sua, more antiquo, ordinibus regni hujus tam sub una quam sub utraque communicantium, et non aliis fecit; sciatque etiam quonam privilegia, pacta, et statuta regni hujus spectent, ea se omnia gratiose tueri, ac inviolata custodire velle, ac proinde se nulla ratione eorum petitioni absque consensu omnium trium statuum consentire posse. Ad hæc etiam Sua C. M. eos movere, illisque præcipere dignata est, ut omnia religionem concernentia in antiquo statu, absque ulla mutatione relinquerent. Huic responsioni cum acquiescere nollent, sed alteram supplicationem, in qua idem postulabant, S. C. M. offerrent, dignata est eis S. C. M. secundo respondere, ut primæ responsioni acquiescerent, in qua responsione etiam hæc addita et clarius explicata sunt: Religio ut in suo pristino statu absque ulla innovatione in regno hoc more antiquo maneret, parochias eorum ut nullus occupare auderet: videlicet illæ parochiæ, quæ prius catholicæ fuerunt et sunt, similiter et illæ, quæ ad consistorium pertinent, in suo statu sine mutatione permanerent, et ne mutuo se invicem molestarent, et in his omnibus juxta statuta regni, decreta antiquorum comitiorum et fœdera se gererent, et gubernarent, nec aliter facere auderent.

« Secundo iidem Domini et ordines catholici jusserunt sibi publice legi responsionem illam administratoris et parochorum consistorii, similiter et aliud scriptum seu fidei confessionem aliorum quorumdam Dominorum ex omnibus tribus statibus regni Bohemiæ, qui se etiam sub utraque esse gloriantur, atque hinc manifeste intellexerunt. Quod illi justis et maximis de causis eo adducti sunt, ut illi novæ confessioni jam recens conscriptæ, et S. C. M. oblatæ se oppo-

nerent, et S. C. M. rogarent, ut memor juramenti sui, quod huic regno fecit, nulla ratione novam hanc religionem et confessionem Augustanam in regnum hoc introduci patiatur.

« Deinde quia novam hanc fidei confessionem Suæ Cæsareæ Majestati oblatam, antiquis synodis in regno hoc a parte sub utraque celebratis, confirmant, et ratione demonstrare cupientes, quod antiquitus hæc eorum religio, quam hic petunt, in regno hoc fuerit: cumque haberent libellum quendam C. M. oblatum, in quo quæ fuerit olim et qualis religio sub utraque communicantium, et etiam in eodem libello prædictæ synodi (quibus ipsi nituntur) continerentur: visum est, si utriusque libri fieret mutua collatio, facile intelligetur, quanta inter illos sit differentia, et quomodo in multis et substantialibus christianæ fidei articulis mutuo inter se pugnant, sibique contrarii sunt. Quod clarius Sua Cæsarea Majestas ex scripto hoc, in quo pugnantia eorum inter se loca assignata sunt, intelligere poterit.

« Postremo necessarium esse visum est, ut acta publicorum comitiorum, quæ in regno hoc ab omnibus statibus, tam sub una quam sub utraque communicantium celebrata olim fuerunt, inspicerentur, ex quibus facile etiam intelligetur, qualis nam religio in regno hoc præteritis annis observata fuit, et etiam quænam duarum illarum partium sub utraque communicantium rectius antiquitatem suam probet, et ad quosnam acta comitiorum et decreta regni pertineant. Item videndum est, qualia nam diplomata, seu quales litteræ et mandata publica olim a sanctæ memoriæ regibus Bohemiæ, ut a gloriosæ ac sanctæ memoriæ rege Ladislao, Ludovico, Imperatore Ferdinando, nec non et a S. C. M. prodibant; nam et ex his intelligetur, quænam religio ab his regibus defendebatur, quæve ab eisdem tamquam perniciosa proscribebatur. Quæ omnia Sua C. M. ex scripto hoc, quod hic offerimus, facile perspiciet.

« Hæc ac hujusmodi alia scripta cum accurate ac diligenter (ut superius dictum est) status catholici discussissent, et magnum inter duas illas partes discrimen vidissent, magno animi dolore affecti sunt, quod tot ac tam diversæ circa religionem opiniones in hoc nobilissimo regno et patria eorum amatissima ab aliquot jam annis oriantur, per quas concordia, pax et charitas minuitur, et multæ ac magnæ molestiæ tam Cæsareæ Suæ Majestati quam etiam statibus, tum etiam impedimenta tum publicorum tum privatorum negotiorum, cum maximis sumptibus et temporis amissione, imo et cum animorum quadam exacerbatione quotidie emergunt. Hoc autem semper catholici summo studio optabant, ut exemplo majorum suorum in una fide absque ulla religionis immutatione firmiter et immobiliter perseverarent, nullamque molestiam regibus suis facerent.

« Quod quidem ut hactenus semper diligenter servarunt, sic etiam et in posterum cum divina gratia conari volunt, ut unitatem, pacem, concordiam in una sancta catholica fide absque ulla mutatione conservent, nullamque molestiam aliis dent, vel etiam publicis negotiis tractandis impedimento sint.

« Verum quandoquidem propter peccata nostra Dominus Deus regnum hoc hujusmodi dissensionibus punire dignatur, illud imprimis curandum est, ut charitas, concordia et pax, nec non debita erga Deum et magistratus in regno hoc obedientia conservetur, et omnibus dissensionibus et discordiis occasio tollatur. Quæ quidem concordia et pax nulla ratione conservari ac retineri poterit, si singulis annis novæ ac novæ de religione opiniones in regnum hoc introducentur. Proinde status catholici id vehementer optant, ut nullæ novitates ex parte religionis in regno hoc permittantur, sed ut tantum antiqua religio tam sub una quam sub utraque specie retineatur. Cum autem hoc tempore duæ partes sub utraque communicantium inveniantur, et inter se valde etiam in substantialibus fidei articulis diversæ, altera eorum necesse est, ut antiqua sit. Hoc autem ex supradictis causis facile dijudicari et discerni poterit, quænam ex his duabus religionibus in regno hoc juxta decreta et tabulas regni pro conservatione (ut jam dictum est) concordiæ et pacis (sine tamen præjudicio decretorum ac tabularum regni, et etiam juramenti, quod S. C. M. regno huic præstitit) permitti et conservari debet.

« Itaque status sub una specie communicantium, absque ullo affectu vel etiam odio unius et alterius partis (quando quidem utrosque pro suis amicis habeant) diligenter inspicientes scripta omnia et precipue illa, quæ sibi a S. M. oblata sunt, id in veritate et secundum conscientiam agnoscunt, quod hi Domini et amici nostri, qui hanc novam fidei confessionem a S. C. M. sibi permitti cupiunt, non possunt dicere se esse illos veros antiquos sub utraque specie communicantes, quandoquidem illis omnia comitia publica, et synodi ab iis, qui sub utraque olim fuerunt, celebratæ, quin etiam pacta, fœdera, tabulæ regni, diplomata et recessus regum Bohemiæ contraria sunt; ac præcipue cum etiam multa diplomata præ manibus habeantur, in quibus concionatores Lutheranorum et Piccardorum proscribebantur, eorumque doctrinæ interdicebantur, quæ etiam diplomata executioni mandata fuerunt. Contra hæc tamen omnia prædicti fratres Piccardorum his temporibus (cujus tamen necdum hæc causa religionis determinata sit) aliquas synagogas suas, maxime in nova Boleslavia olim clausas propria auctoritate aperue-

runt, in eisque conventus suos ad contemptum prædictorum diplomatum celebrant.

« Insuper notum est, et multi adhuc memoria tenent, quum anno 1556. in regno hoc quidam sacerdotes in publicum prodirent, qui religionem novam, quam confessionem Augustanam vel Lutheranam nominabant, seque sub utraque esse gloriabantur, et novos ritus instituere, antiquosque damnare conabantur, missam more antiquo celebrare negligebant: ex certa commissione sanctæ ac gloriosæ memoriæ Imperatoris Ferdinandi Serenissimus Archidux Ferdinandus, qui tunc viceregx in regno hoc erat, Pilsnæ (quo se metu pestis receperat) maturo judicio et magna cum deliberatione statoit, ut, ad evitanda majora mala, et ne doctrina Lutheri in regno hoc magis cresceret, (quæ quidem tunc statim judicata est cum antiqua sub utraque communicantium religione non convenire, ad quam juramentum regis Bohemiæ, tabulæ regni, pacta inter otramque partem cum magna juramenti attestatione facta, et decreta comitiorum pertinent) prædicti sacerdotes in exilium pellerentur: et sub pœna capitis illis est reditus interdictus, Dominis illis severe præceptum est, ne amplius auderent, hujusmodi sacerdotes ad parochias suas introducere. Quod si quis eorum aliquid secus attentare præsumpserit, hinc Sua C. M. tamquam rex Bohemiæ bene novit, qua ratione cum hujusmodi se gerere debeat. Hæc omnia in scriniis apud Secretarium Regni Bohemiæ reposita reperiri debent.

« Ad hæc si hæc nova religio in regnum hoc introduceretur, jam Sua Cæsarea Majestas juramentum suum violare, et exempla majorum suorum deserere cogeretur; statuta regni, pacta, fœdera in nihilum redigerentur, et multa alia incommoda (quod Deus avertat) initium haberent. Ex eo illud incommodum sequeretur, quod inter status tam sub una quam sub utraque communicantium aliquæ dissensiones oriri possent. Cum enim multi Domini, qui sub una specie communicant, in ditione sua sub utraque communicantes, et similiter Domini sub utraque in ditione sua subditos sub una specie communicantes habeant: si igitur unus quisque subditos suos vel alienos ad novam et peregrinam religionem contra voluntatem vel Domini vel subditorum cogere vellet, quis non videt, quot et quantæ dissensiones et insolitæ in religione novitates hinc necessario orientur.

« Quod autem ad gravamina Catholicorum pertinet, ut olim aliquoties Suæ C. M. significarunt, quoque multi Domini sub utraque non legitimos sacerdotes ad parochias christianas introducant, et subditos eorum opprimant, ex parochiis ejiciant et antiquam religionem impediant et prohibeant, ita et hoc tempore significare possent: verum hæc interim omittere consulto volunt, solummodo Suæ C. M. cum debita subjectione hæc in memoriam revocant, et se S. C. M. commendant, vehementer S. C. M. obsecrantes, ut Sua Cæsarea Majestas memor juramenti sui, et omnia quæ ex hac nova religione sequi possent (tamquam Dominus et Imperator Christianus, magnis a Deo donis ornatus) benigne perpendens (insuper etiam quod S. C. M. ut novus ordo ecclesiasticus introducatur, et multo minus Dominis illis tamquam personis sæcularibus novum ordinem ecclesiasticum constituere, ex parte sua permittere non deceat) dignetur status catholicos in jure suo et antiquo ritu conservare, eosque ac etiam eosdem antiquos ritus, multis publicis comitiis magno labore constitutos stabilitosque in sua protectione habere. Postremo status cum omni debita reverentia S. C. M. precantur, ut Dominus Deus Suam C. M. salvam atque incolumem communi bono multos in annos conservare dignetur.

XXIII. — Quo factum est, ut hæreticorum conatus in irritum effluxerint. Etenim Cæsar omni religionis exercitio eisdem Hussitis novæ fidei Confessionis inventoribus interdixit; quippe qui nomine confessionis sub utraque communicantium id unum molirentur, ut Protestantismum cum innumeris ejus sectis in Bohemiam inducerent; lataque lege cavit, ne Dissidentium alii quam veri et antiqui Hussitæ, quibus jamdiu superioribus regni legibus liberum fidei suæ exercitium erat permissum, in regno Bohemiæ versarentur, publiceque sua dogmata profiterentur. Nam hæretici isti, quibus deinde ad jocum quodammodo ac ludibrium Confessionistarum nomen obtigit, idque ut ab Hussitis distinguerentur, alia quamplurima ab Imperatore atque tribus regni Bohemiæ Ordinibus expostulaverant; in primis studiorum in Universitate Pragensi reformationem. Adeo veteratores isti suam calliditatem prodiderunt, qui prævidérent, si in celebre hoc athenæum scientiarum errorum suorum magistri irrepsissent, fore ut facilius reliquam Catholicam juventutem inficere atque a majorum fide possent abducere. Hoc cum neque Cæsarem, neque regni Ordines fugisset, conjunctissimis sententiis, quæ a novatoribus proponebantur, rejecerunt.

XXIV. — Quæ heic, quo brevius fieri potuit, de Bohemiæ rebus narrata sunt, luce clarius demonstrant, quanto in errore omnes fere tam veteres quam recentiores Bohemorum historici versentur, qui non dubitent summa contentione affirmare Cæsarem cum regni Ordinibus Confessionistarum postulationes ipsamque eorum confessionem gratissimo animo et audivisse et approbasse, ex eo procul dubio decepti, quod mitius cum ipsis Confessionistis egerit. Non enim eam Confessionem probaverat, sed nullas molestias eos suo jussu passuros, et in Comitiis,

vel apud se declaratum iri, quod petebatur, promisit. Inde somnia et deliramenta historicorum Bohemorum, quæ ut excutiantur atque explodantur, adjungimus in Documentorum Mantissa relationes, quas de Comitiis Pragensibus Pontificis apud Cæsarem Legatus, qui iisdem interfuit, conscripsit atque Cardinali Comensi misit, quæque profecto maximi apud sanos homines momenti esse debeant. [*]

[*] Mantissa document. N. 2.

XXV. — Archiepiscopus Pragensis extemplo ad Summum Pontificem de Comitiorum exitu scribens nunciat malum, quod timebatur, depulsum esse, simulque cum deprecatur, ut sibi suisque subditis Jubilæi indulgentias impertiri velit. Ipse enim et publicis negotiis et infirma valetudine, quominus limina Apostolorum adiret impediebatur. [*]

[*] Germaniae Vol. 26. fol. 39.

Beatissime et Sanctissime Pater Domine, Dñe longe omnium Clementissime.

« Post beatissimorom pedum oscula, et orationum fideliumque servitiorum meorum humillimam subjectionem. Quam humillime S. Vestræ expono, me sæpenumero ardenti desiderio flagrasse, ac studio devotionis exarsisse Romam videndi, quoties in mentem venit Sanctissima Urbs, quæ effigiem cœlestis Jerusalem hac in terra præsentat ac præ se fert, quæque in Civitate splendidissima Spiritus Sanctus mirabiliter operatur in Successoribus B. Petri Summi Pontificis, cujus legitima successione S. Vestra nostris temporibus fungitur, eoque sæpissime in animum meum induxisse ad visitanda Sanctissima limina Beatissimorom Apostolorum, ac ad subeunda pro Dei gloria et salute animæ meæ veteris pietatis exercitia, me ad Sanctitatem Vestram conferre velle; semper tamen cum propter infirmitatem corporis, qui per quinquennium paralyticus graviter decubui et adhuc in hodiernum usque diem æger ac languidus incedo, tum etiam (primo quod onerosius est) propter graves ac maximas occupationes, quas in administranda Ecclesia mea pro religionis catholicæ conservatione subire cogor invitus, remoratus ac impeditus sum. Qua de re plenius Sanctitas Vestra poterit informari a quibusdam Cardinalibus Patronis meis observantissimis, quibus et debilitas corporis mei in paralyticis membris consistens et maximi mei labores, quos in terra nostra Bohemia multis detestandis hæresibus conspurcata ac coinquinata sustineo, satis luculenter constat. Et nunc Sanctissime Pater, hoc sanctissimo ac almo anno, in quo Deus per Sanctitatem Vestram thesaurum inenarrabilis suæ bonitatis ac misericordiæ ineffabilis nobis miseris peccatoribus aperuit, ex quo remissio peccatorum dulcissima ac lavacrum regenerationis suavissime fluit, cum omnino apud me constituissem limina beatissimorum Apostolorum humiliter visitare ac invisere plusquam unquam antea chimeræ intellectu horribiles, totaque caterva infernalium vermium, ac faux ipsa tartarorum suis veneficis sagittis, ac Augustana Confessione vel potius confusione spurcissima ad reliquias catholicæ religionis funditus ac radicitus delendas, exterminandas, eradicandas sese fortiter opposuerunt, ita ut crediderim omnes Dæmones execrandos magno cum comitatu hæreticorum præmortuorum infernum ipsum vacuum reliquisse, ac Bohemiam in quibusdam proceribus ac magnatibus obsedisse. Contigit enim Sanctissime Pater, cum Imperator Maximilianus hoc anno ad nos in Bohemiam venisset, et comitia instituisset, quod major ac fortior pars ob multitudinem auderet ab Imperatore Augustanam confessionem petere, et instanter eam urgere ac desiderare, quod procul dubio Sanctitas Vestra a Sanctitatis Vestræ Legato, quem in Aula Imperatoris habet, satis abunde jam dudum intellexerit. Qua in re laboratum est per totam hanc æstatem usque huc, et vix verbis exprimi potest, quantis in periculis, quantove in discrimine miseræ oves, Dei et Apostolicæ Sedis benignitate et gratia in partibus hisce mihi ad pascendum commissæ, inter lupos rapaces fuerint, et videbatur totam Bohemiam in potestatem Diaboli perditum iri: attamen Deus omnipotens clementer hoc malum avertit, nec passus est, me aliisque Baronibus Catholicis in efficacia verbi divini reluctantibus suas oves hæresibus pasci, sed ab omni malo paterne liberavit. Sciat itaque V. Sanctitas ultra illud, quod jamdudum in hoc Regno observatum est, nihil novi divina favente clementia introductum esse. In tanta itaque extrema necessitate impossibile mihi pastori fuit Romam proficisci, ac miseras oves inter tot hæreticorum furores, tantasque confusiones ac dissensiones solas relinquere, meam propriam salutem quærere ac multos perdere. Ne tamen in hoc sacratissimo anno ego et alii insignes Barones ac reliquiæ catholicæ Religionis, qui una mecum omnes ictus hæreticorum sustinuerunt, fructu mellifero hujus almi anni careremus, humiliter ad Vestram Sanctitatem ad ejusdem sacratissimos pedes humillime procumbens supplex confugio, ac Sanctitatem Vestram obnixe rogatam habere volo, ut quando jam propter angustiam temporis hujus almi anni ac propter difficultatem itineris ex imminente rigida hyeme promanantem, me Romam conferre non possim, ut ibi limina Sanctorum Apostolorum visitarem, nec valeo propter paralytica membra, ac imbecillitatem meam tam arduum iter in hyeme conficere, ut inquam Sanctissima Paternitas V. dignetur, me ac omnes meæ Diœcesi subjectos concessione anni Jubilæi reficere, participemque effectus ejus facere, quo possim hic Pragæ eo thesauro cœlesti et remissione divina frui, ac quibusdam Baronibus Catholicis, præsertim Illustri Domino Ursino de Rosis Burgravio hujus

Regni Bohemiæ, qui eadem causa qua ego Romam venire non poterant, nec non aliis ovieulis mihi a Dei et Apostolicæ Sedis benignitate creditis communicare, modum etiam clementer indicare, quo pacto omnia peragi debeant jejuniis, orationibus, eleemosinis, communione ac aliis necessariis, et quomodo ii Barones, qui tantum unam Parochiam tenent sub dominiis suis debeant sese gerere, et alia requisita, Sanctissime Pater, ad consequendam plenariam indulgentiam paterne mihi notificare. Non dubito V. Sanctitatem habita ratione status Regni Bohemiæ, qui hisce temporibus turbulentis non patitur, me nec alios nostræ religionis addictos abesse (uti hujus rei mihi testis V. Sanctitatis Legatus, quem in Aula Imperatoris V. Sanctitas habet) meæ petitioni hac in parte clementer locum daturam. Deus Optimus Maximus pro Ecclesiæ suæ splendore, dignitate et exaltatione Sanctitatem Vestram, ad cujus beatissimorum pedum oscula me pronum dejicio, quam perdiutissime nobis omnibus sanam, salvam, incolumem conservet ac florentem. Datum Pragæ XIX. Septembris anno MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Capellanus

Antonius Archiepiscopus Pragensis.

Gregorius libenter piis Præsulis votis annuit, ejusque in conventu Pragensi adhibitam solertiam operamque laudat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 74. fol. 82.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Pragensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Nunquam fuit Nobis obscura pietas tua; eam autem in tuis literis datis XIX. Septembris adeo perspicuam conspeximus, ut et immortales Deo gratias ageremus, et te ut fratrem charissimum cogitatione atque animo amplecteremur deosculamurque. Mirifice autem cumularunt nostrum gaudium literæ Nuncii nostri, quibus Nos certiores fecit, quanta semper extiterit virtus tua, quam attenta vigilantia, quam inexhausti labores in eurando, ne quid Catholicæ Religioni incommodi afferretur per eos, qui errorum fluctibus, in quos ipsi sese projecerunt, agitati, cum omnibus de rebus inter se dissideant, et digladientur, in uno tamen Christo, Catholicaque Ecclesia ejus sponsa, extra quam salus esse non potest, impugnanda mirifice consentiunt. Fuit hoc tuum factum ista tua virtute et munere dignissimum, habetque repositam apud Deum mercedem amplissimam, atque omni humana existimatione majorem. Probamus summopere consilium Fraternitatis Tuæ, atque eas causas, quibus te istic detineri dicis; quodque facis, quam maxime fac, ut isti gregi tantis in periculis tuendo, Divinæque Majestati integro et syncero conservando invigiles. Sanctissimum Jobelæum, quem postulas, libentissime concedimus Fraternitati Tuæ atque iis, quibus postulas, idque ex aliis nostris literis, quas una mittimus, planius cognosces. Saluta nostris verbis Nobiles illos Catholicos, quos in tuis literis nominas, nostramque illis benedictionem imperti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXVI. — Rebus publicis ac religiosis Bohemiæ compositis, Cæsar Bohemorum votis indulgens Rudolphum filium, Hungariæ regem, regem quoque Bohemiæ solemniori, qua fieri potuit ratione renuntiandum, coronaque ornandum curavit. Cupiet fortasse aliquis descriptionem legere, quam Nuntius Apostolicus de hac solemnitate Pontifici misit. (*)

(*) Mantissa document. N. 3.

XXVII. — Iisdem rationibus, quas supra enarravimus, adductus Cæsar Imperii Comitia in mensem Octobrem Ratisbonæ indixit, ut electionem Rudolphi in Romanorum Regem, inque suum in Imperio successorem urgeret atque conficeret. At vero Gregorius, ne Germaniæ Principes, occasione arrepta, ampliora quoad liberum suæ religionis exercitium privilegia sibi a Cæsare extorquerent, quod superioribus Imperii Comitiis sæpius accidisse constabat, eundem per suum Nuntium Episcopum Torcellanum monet, ne in fidei negotio quicquam innovari sineret, eamque ab eorum conatibus tutaretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 38 fol 26.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Ut nulla ratione possumus, neque debemus non vehementer curare ea, quæ ad commune catholicæ Ecclesiæ bonum pertinere intelligimus, sic nullam hujus boni opportunitatem ammittendam judicamus. Quoniam autem neminem habemus, neque te dignitate atque auctoritate præstantiorem, neque voluntate et studio promptiorem, libentissime tecum nostras curas communicamus, tuamque operam summa cum spe expectamus. Eris, ut accepimus, Ratisbonæ mense Septembri, convenientque eo a Tua Majestate vocati multi istius Imperii Principes, mandavimus Nuncio nostro, ut tecum agat nonnullis de rebus gravissimis, quibus tunc provideri Catholicæ Reipublicæ magnopere interest: in quibus curandis ut facile perspicies nostrum communis Ecclesiæ boni desiderium, atque erga te amorem, sic satis esse existimamus ea Majestati Tuæ indicari; nam de tua singulari ac spectatissima virtute et pietate dubitare non possumus: tantum rogamus, ut Nuncio nostro eandem, quam Nobis ipsis fidem habeas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Augusti MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eadem Rudolpho ipsi perscribit, nec non iis Archiepiscopis atque Episcopis, qui ex alto di-
[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 40.-43. gnitatis gradu, quem in Imperio obtinebant, [*] interesse Comitiis solebant; eosque adhortatur, ut de omnibus religionis negotiis cum Nuntio Apostolico conferant; eique et Rudolpho in tuendis Ecclesiæ juribus præsto sint. En litteras ad
[*] Ibidem epist. 39 f. 27. Moguntinum Præsulem. [*]

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quia certo scimus Fraternitatem Tuam libentissime amplecti omnem facultatem navandi operam Christo, Catholicæque ejus Ecclesiæ, eamque qua præditus es pietatem, quam quidem Nos summam esse agnoscimus, omni in re declarandi, neque dubitaous, quin in proximo Conventu Ratisbonensi præclare responsurus sis tuo ipsius muneri in Ecclesia Dei gravissimo, voluimus Nuncium nostrum cum Tua Fraternitate communicare nonnulla, quæ ad Dei gloriam, sanctamque Religionem pertinere magnopere judicamus, in quibus tuum consilium, atque operam (utraque enim omnibus in rebus plurimi facimus) postulamus. Audies igitur Nuncium nostrum, omnemque ei fidem tribues, Christique causam toto pectore amplecteris, consilioque et re, ut confidimus, juvabis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Aug. MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXVIII. — Omnia Summo Pontifici ac Cæsari ex votis cesserunt. Maximilianus, suffultus in primis auctoritate Nuntii Apostolici, tum Principum Ecclesiasticorum S. R. I. Electorum atque Ducis Bavariæ, omnes Protestantium Germaniæ Principum de suæ religionis juribus ampliandis conatus sapienter cohibuit, nihilque in hoc gravissimo negotio innovatum fuit. Rudolphus autem mirifica quadam omnium Electorum Principum consentione VI. Kal. Novemb. Rex Romanorum fuit renuntiatus. Extat adhuc publicum instrumentum hac ipsa die de ejus electione confectum, quod Nuntius Apostolicus nactus atque ex Germanico idiomate in latinum versum, una cum apographo originalis diplomatis in membranis, sigillis omnium Principum S. R. I. Electorum obsignato, ex Vratislavia pri-
[*] Armar. II. caps. 1. N 147. die Kal. Junias MDLXXVI. Summo Pontifici misit [*]

« Serenissimo ac Potentissimo, Invictissimoque Principi, et Domino Domino Maximiliano Secundo Electo Romanorum Imperatori semper Augusto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ et Slavoniæ Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniæ et Wirtenbergi et Comiti Habspurgi, Flandriæ et Tiroli etc. Nos Daniel Dei gratia Sacræ Sedis Moguntinæ, Jacobus Trevirensis Archiepiscopi, Salentinus Electus et Confirmatus in Archiepiscopum Coloniensem, Dux Westphaliæ et Angariæ, Sacri Romani Imperii per Germaniam, Galliam, et Regnum Arelatense, et per Italiam Archicancellarii, Rudolphus Rex Hungariæ et Bohemiæ tamquam Elector, Archidux Austriæ etc., Ludovicus Comes Palatinus Rheni et Dux Bavariæ tamquam Plenipotentiarius Domini Friderici Comitis Palatini Electoris etc., Augustus Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ et Marchio Misniæ etc. et Joannes Georgius Marchio Brandeburgi, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ et Vandalorum et Crossiæ Dux, Burggravius Nurembergæ et Princeps Rugiæ, Sacri Romani Imperii Archidapifer, Archimariscallus et Archicamerarius, omnes Electores, submissa nostra promptissimaque et debita officia, qua possumus sedulitate nunciamus, atque hoc ipso notum facimus: Quod cum ad ejusdem Cæsareæ Majestatis Vestræ clementissimam petitionem Reverendissimus in Christo Pater Dominus Daniel Archiepiscopus Moguntinus Nobis aliis Principibus Electoribus juxta inter nos erectam unionem primo intimaverit, ut ad diem Veneris post Jacobi Apostoli XXIX. Julii proxime præteriti Francofortum ad Mænum personaliter accederemus, postridie in communi nostro Collegali Conventu eorum, quæ Sacri Imperii res, et præcipue futuram ipsius administrationem concernerent, necessariam deliberationem inituri. Cumque propter oblata impedimenta dictus dies et locus in XXVI. Septembris fuerit prorogatus atque huc translatus, quo die Nos quinque Principes Electores et loco Principis Electoris Confratris nostri Domini Friderici Comitis Palatini filius ejus Dux Ludovicus cum aliis plenum mandatum habentibus hic Ratisbonæ personaliter comparuimus, Vestraque Majestas Cæsarea illico ad ingressum præfixæ nostræ deliberationis Nobis ex rationibus paternum ejos animum, quo erga Sacrum Imperium, totamque Christianitatem affecta est, moventibus, principio oretenus, et post in scriptis proponi fecit, quo pacto duceret non esse necessarium pluribus exponere, quantis solicitudinibus hucusque mediante gratia Dei munus Cæsareum ab eo tempore, quo per Principes Electores ad id fuit sublimata, semper gesserit, et nihil omiserit, imo fideli et paterno zelo omnia quæsierit, quæ quomodocumque ad communis Patriæ honorem, commodum et decus pertinerunt: item, ut Vestra Majestas Cæsarea Sacrum Imperium cum eidem annexis membris et statibus melius quam antea in pace et quiete conservarit, idemque in futurum paterne cogitet facere, nec quicque magis desideret, quam ut munus hoc Cæsareum, ejusque onus sola ulterius gerere posset, in quo Vestra Majestas nullam molestiam vel laborem recusaret. Nobis vero minime est obscurum, quanta corporis imbecillitate Vestra Majestas

jam aliquot annos gravetur, et in dies magis infestetur. Item considerandum, quanta pericula temporibus hisce exulceratis Imperium circumstent, quamque quotidie invalescant, adeo ut Majestas Vestra ob invaliditatem illis personaliter non possit providere. Unde Vestra Majestas pro paterna sua sollicitudine non frustra movetur ad eas excogitandas rationes, quibus et hujusmodi pericula advertantur, et Vestra Majestas tam gravi onere Cæsareæ administrationis levetur, ipsique Principes Electores, Principes et status Caput habeant ordinarium et successorem sine ulla concertatione aut dissentione, Nos et habentes mandatum a Palatino paterne requisivit et monuit, rem tam gravem ex prædictis causis habeamus cordi, deque communi salute cogitemus, quo pacto opus hoc ad expeditum finem deducatur, talisque persona ad Cæsareum munus assumatur, quæ Imperio bene et utiliter præsit. Humiliter itaque revocavimus ad animos nostros hanc Vestræ Majestatis fidelem et sollicitam admonitionem, in quo meminimus, et officii nostri electoralis debere videlicet Nos juxta antiquas leges et consuetudines in Imperio, quicquid ad ipsius conservationem ac incolumitatem Christianitatis conducat suscipere, ac tractare. Neque propter adductas a Vestra Majestate rationes, aliasque causas aliter possumus existimari, quam hoc Majestatis Vestræ consilium esse, ut consulatur in communi, et quomodo natio Germanica conservetur in antiquo suo statu, subditi vero protegantur et manuteneantur, honor et commodum communis Patriæ, totiusque Christianitatis promoveatur, ac denique certa securitas fiat. Cum igitur in hujusmodi casu ad nos spectet electio, Nosque ad Archiepiscopi Moguntini citationem, ac litteras patentes eum ejusdem majore illis appendente sigillo post unanimem conclusionem hoc tempore bonum esse, atque utile, durante vita Majestatis Vestræ eligi Romanorum Regem, XXVII. Octobris hic Ratisbonæ in Ecclesia Cathedrali hora septima mane convocati per litteras patentes dicti Electoris majori sigillo pendenti munitas convenimus ad electionem Regis Romanorum, prout hoc ad eundem Archiepiscopum Moguntinum tamquam Romani Imperii Archicancellarium juxta Auream Bullam, communia jura et antiquam observantiam officii ipsius ratione pertinet. Propterea Nos unanimi consilio prædicta die XXVII. Octobris juxta emanatam citationem in præmemorata Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis Sacristia loco ad id deputato convenimus, ac electionis negocium una cum mandatum habentibus a Principe Electore Palatino, Aureæ Bullæ insistentes, solemniter peregimus, et consequenter omnes simul, et separatim prestitimus juramentum per antedictum amicum et fratrem nostrum Archiepiscopum Moguntinum secundum Aureæ Bullæ tenorem nobis prælectæ, ipseque Archiepiscopus idem personaliter præstitit, constituimusque electionis hujusmodi negotium in nomine Omnipotentis Dei concorditer et unanimiter adimplere, ac Nos Daniel Archiepiscopus Moguntinus aliorum nostrorum Confratrum Principum Electorum singulorum voces et vota juxta Aureæ Bullæ ordinationes interrogavimus et scrutati sumus ipsius Domini Danielis Archiepiscopi Moguntini vocem et votum, repertumque est, Nos omnes unanimiter et concorditer sine ulla contradictione voces, et vota nostra contulisse in Serenissimum ac Potentissimum Principem, et Dominum Dominum Rudolphum Regem Hungariæ et Bohemiæ, tamquam Archiducem Austriæ etc. Ad quod principaliter impulsi fuimus, quoniam ipsius Majestas prognata esset ex laudabili natione Germanica et altissima stirpe, ac deinde a dicta Majestate Cæsarea ad honorem Dei, et virtute a pueritia recte educata, et nationum exterarum et linguarum esset perita. Quo accedit, quod hucusque ad Cæsareæ Majestatis Vestræ consilia Imperialisque administrationis negotia adhibita fuit, in quibus erga Majestatem Vestram omni filiali obsequio studium suum ita probavit, ut tam persona, quam peritia consideratis, maxima certissimaque spes esse debeat, ipsius Majestatem tantis donis et virtutibus usuram ad honorem, salutem et commodum, non solum Sacri Imperii Germanici, dilectæ patriæ, sed totius Christianitatis, ac utrumque statum Ecclesiasticum et sæcularem habitura sit tamquam Rex mansuetus in bona protectione, et in tranquillitate, unione atque pace diligenter conservatura, inque futura Imperii administratione nullum laborem, molestiam, vel diligentiam prætermissura. Idcirco Nos Jacobus Archiepiscopus Trevirensis, Salentinus electus et confirmatus Coloniensis et loco Principis Electoris Confratris nostri Domini Friderici Comitis Palatini Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ cum habentibus mandatum, Augustus Dux Saxoniæ etc. et Joannes Georgius Marchio Brandeburgensis etc. omnes Principes Electores prædicti simul, et unusquisque nostrorum separatim dedimus Dño Danieli Archiepiscopo Moguntino plenam potestatem ejusdem, et nostrum omnium nomine Regiam Suam Majestatem cum Omnipotentis Dei auxilio in Romanorum Regem, et in casu vacationis Imperii (quod longissime absit) in futurum Imperatorem eligendi, publicandi, pronunciandi et acceptandi, quod etiam per Suam Dilectionem, primo, uti decet, fiat apud nos in Sacristia. Cui unanimi electioni Regia Sua Majestas habita deliberatione ac præcedente Vestræ Majestatis scientia et consensu, tandem ad paternam ejusdem admonitionem, nostrasque preces, licet gravate assensum præbuit, prout successive in Cho-

ro coram maxima populi frequentia fuit publicata cum hymno: Te Deum Laudamus, aliisque solitis Ceremoniis. Quam nostram electionem notifacimus Vestræ Majestati Cæsareæ et publicamus, humiliter eam rogantes, prædictum nostrum gratiosissimum Dominum et ad Imperium electum, tali honore, dignatione ac titulo suscipiat ac teneat, præcipiatque ejus Majestatem tamquam Romanum Regem ab omnibus Imperii statibus et subditis teneri et agnosci: certo confidentes hanc provisionem Deo esse acceptam, ac Christianitati, Romano Imperio, Populisque fore consolationi. Ejusque Majestas Regia cum consilio et auxilio Vestræ Majestatis Cæsareæ in Christianitate et Sacro Imperio concordiam et pacem faciet, et conservabit, aliaque præstabit, quæ Regem Romanum decent, fideliter et diligenter. Nihil etiam per hanc nostram electionem censeatur imminuta Vestræ Cæsareæ Majestati dignatio, autoritas, et potestas. In quorum fidem Nos Daniel Moguntinus, Jacobus Trevirensis Archiepiscopi et Salentinus electus et confirmatus Coloniensis, Rudolphus Rex Hungariæ et Bohemiæ, Archidux Austriæ, et Ludovicus Comes Palatinus Rheni tamquam Mandatarius nostri dilecti Domini Patris cum aliis adjunctis, Augustus Dux Saxoniæ, et Joannes Georgius Marchio Brandeburgensis Principes Electores singuli sigillum nostrum hisce litteris appendimus, et a duobus publicis Notariis a nobis Daniele Archiepiscopo Moguntino ad hoc requisitis subscribi fecimus. Datum Ratisbonæ in Choro et Sacristia ad hoc deputata Anno Domini 1575. Indicatione tertia, Imperii Serenissimi et Potentissimi Principis ac Reverendissimi Domini Maximiliani Secundi electi Romanorum Imperatoris semper Augusti etc. anno XIII., Regni Hungariæ XII., et Bohemiæ XXVII., die Jovis SS. Simonis et Judae vigilia XXVII. Octobris. Quibus supradictis actibus in Choro et Sacristia, et conclavi ad electionem destinato, et ante Chorum in Area Ecclesiæ ad proclamationem, tamquam ad singulos actus specialiter requisiti testes, praeter duos illos subscriptos Notarios, adfuere Reverendissimi ac Illustrissimi, item Reverendi et Generosi, nobiles, doctissimi et strenui dilectissimi nostri amici, cognati, affines et consobrini etc. Dominus Joannes Jacobus Archiepiscopus Salisburgensis, Dominus David Episcopus Ratisponensis, Dominus Wolfangus Præpositus Berchtesgadensis etc. Comes Ottingensis; Dominus Albertus Comes Palatinus Rheni, Dux Superioris et Inferioris Bavariæ, Dominus Philippus Ludovicus, Dominus Georgius Joannes ambo Comites Palatini ad Rhenum Ducesque Bavariæ, Dominus Parnim Dux Pomeraniæ, Joannes de Trautson Liber Baro in Spremenstain, Archimarischallus Tirolensis, Cæsareæ Majestatis Aulæ magister et Consiliarius Intimus, Leonardus de Harrach Liber Baro in Rorauz Pirnstain, supremus stabuli Præfectus Archiducatus Austriæ Subensianæ, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius Intimus, Adamus de Dietrichstain Liber Baro in Hollenburgh et Frankenstain, Archipincerna in Carinthia, Cæsareæ Majestatis Cubiculo Præfectus, et Regiæ Majestatis Bohemiæ Supremus aulæ Præfectus, Joannes Baptista Weber Vicecancellarius, Wolfangus Camerarius de Wormatia cognomine de Dalberg Præpositus, et Georgius de Schonenburg Decanus Cathedralis Moguntinæ, Christophorus Faber Cancellarius Moguntinus, Philippus Wolf de Rosenbach U. J. Doctor Consiliarius, Joannes de Schonenburg Præpositus Cathedralis Trevirensis, Joannes Wimpheling U. J. Doctor Cancellarius Trevirensis, Georgius Comes de Witgenstain Præpositus Cathedralis Coloniensis, Georgius de Leyne aulæ Præfectus, Franciscus Burchardus J. U. D. Cancellarius Coloniensis, Dominus Ludovicus Comes de Witgenstain Comitis Palatini supremus aulæ Præfectus, Christophorus Ehem J. U. D. Cancellarius, Ericus Volcmarus de Berleps, Joannes de Pernstain, Adamus de Sebottendorf, Laurentius Lindemanus U. J. D. omnes Electoris Saxoniæ Consiliarii, Albertus Georgius Comes de Stolberg, Georgius de Planckenburg, Martinus Comes de Honstain, Dominus de Viraden, Lambertus Distelmaier J. U. D. Christophorus Comes de Stolberg et Conigstain, Wolf et Henricus de Isenburg Comites de Budingen fratres, Sigismundus Comes de Gleichen, et alia magna multitudo Principum, Dominorum, Equitum, et Nobilium, et aliorum, ad omnes et singulas actiones tamquam testes omnes et singuli rogati et requisiti. Et quoniam ego Hieronymus Plest etc. et ego Petrus Kraych magister etc. publici et matriculati Notarii Imperiales, Consiliarii et Secretarii Celsissimi Archiepiscopi et Principis Electoris Moguntini etc. etc. etc.

« Præsens hoc exemplar et transumptum, a fide digno meo amanuense scriptum, ego Andreas Erstenbergius a Bischofsheim Moguntinæ diœcesis, Sacræ Cæsareæ Majestatis consiliarius, et in negotiis Imperii Romani Secretarius, nec non et ejusdem auctoritate publicus, inque Judicio Imperialis Cameræ approbatus Notarius, una cum infranominato mihi adjuncto Notario, cum ipso vero Pergameneo originali, quod integrum, non cancellatum, nec vitiatum, septemque Electorum Imperii sigillis, nimirum trium Archiepiscoporum de cera viridi, cæterorum vero quatuor de cera rubra, munitum vidimus, diligenter collacionavi, auscultavi et judicavi, idque ab initio usque ad finem de verbo ad verbum cum eodem per omnia convenire et concordare inveni, quod omnibus et singulis ad quoscumque illa ipsa scriptura et hoc transumptum

pervenerit, hac manus meæ propriæ subscriptione notariatus mei soliti signi appositione publice attestatum volo. Ad præmissa debite et legitime registratus.

ANDREAS ERSTENBERGER.

« Et ego Walterus Hascke clericus Coloniensis diœcesis publicus Apostolica auctoritate Notarius, quia præsens hoc exemplar sive transumptum, una cum supradicto Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario et Notario publico, cum suo vero et indubitato, ac in nulla parte suspecto originali septem Electorum Principum sigillis, trium nimirum Archiepiscoporum in cera viridi, cæterorum vero quatuor in cera rubra munitum, diligenter collationavi et auscultavi, idipsumque cum eodem in omnibus et de verbo ad verbum concordare et convenire inveni; ideo me hic subscripsi, et signetum Notariatus mei solitum apposui, debite requisitus in fidem et testimonium.

« Nos Joannes Delphinus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Torcellanus ad Sacram Cæsaream Majestatem Nuntius Apostolicus cum potestate Legati de Latere etc. Universis et singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis pariter et audituris notum facimus et testamur, præscriptos Dominos Andream et Walterum, qui præmissum transumptum fecerunt et collationaverunt, fuisse et esse Notarios publicos fideles et legales, quorum instrumentis et aliis scripturis publicis per eos confectis et subscriptis plena ac indubia fides adhibetur tam in judicio quam extra. In quorum fidem has præsentes litteras manu nostra propria subscriptas fieri ac sigilli nostri jussimus ac fecimus apensione muniri. Datum Wratislaviæ die ultima Maii Anno Domini MDLXXVII. Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno sexto.

JOANNES DELPHINUS EPISCOPUS TORCELLANUS N. A.

XXIX. — Maximilianus ad testanda grata animi sui sensa in Deum, totius veræ felicitatis fontem, statuit, ut filius Rudolphus die Omnibus Sanctis sacro, Kalendis nempe Novembribus hujus anni maxima celebritate amplissimaque pompa Regis Romanorum corona ornaretur: quæ antequam ejus capiti imponeretur, Capitulationem ita dictam Electionis, solemni jurejurando interposito, subscripsit. [*] Haud equidem fieri potest, quin incredibili voluptate perfundatur animus legentium ea, quæ Nuntius Apostolicus, Comitiis quoque Ratisbonensibus a Pontifice interesse jussus, de illis gravissimis cæremoniis, deque summa Cæsaris et Regis Romanorum pietate; de eorum atque Germaniæ Præsulum studio in fovenda tuendaque majorum fide Cardinali Comensi perscripsit. [*]

[*] Apud Dumont Corps Diplomat. Tom. V. P. I. pag. 217. et Lunig: Spicil. Eccles. Continuat. P. I. p. 234.

[*] Monitsea documentor n. 4.

XXX. — Maximilianus omne studium adhibuit, ut sibi Pontificem demereretur. Itaque effecit, quod hic maxime concupiverat, ut in iisdem Comitiis Ratisbonensibus postridie Kal. Novembris S. R. I. decreto Etruriæ Princeps ejusque successores Magni Ducis titulo cohonestarentur. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 541

« Sacra Cæsarea Majestas Dominus Noster Clementissimus benigne meminit, quid cum Cæsarea Majestate Sua jam ab aliquot annis per Illustrissimos et Excellentissimos Principes quondam Dominum Cosmum de Medicis, eoque defuncto, filium, et successorem suum Dominum Franciscum de Medicis Duces Florentiæ etc. ac eorumdem nomine de Magno Hetruriæ Ducatu actum sit, atque insuper animo repetit tum luculenta et utilia obsequia hactenus Majestati Suæ, ejusque antecessoribus ab utroque Duce alacri semper, promptissimoque studio præstita, tum arctissimam affinitatis necessitudinem, quæ Majestati Suæ cum iisdem intercedit: ac proinde re hac cum Sacri Imperii Principibus Electoribus in maturam deliberationem adducta decrevit ipsi Illustrissimo Duci Florentiæ conferri titulum, et dignitatem Magni Ducis Hetruriæ eorum locorum, quæ ibidem possidet, neque alteri cuipiam subjecta sunt, in eadem forma, et cum iisdem clausulis, quæ in Illustrissimi quondam Alexandri de Medicis a Divo olim Imperatore Carolo Quinto augustæ memoriæ in Ducem Florentiæ creati continentur; ita tamen quod hujusmodi concessio Cæsareæ Majestatis Suæ, Sacrique Imperii ac cujuscunque alterius juribus præjudicare minime debeat. Id quod Cæsarea Majestas Sua præfati Illustrissimi Ducis Florentiæ Oratori significari clementer jussit, eidem, quod reliquum est, Cæsaream Suam gratiam benigne deferens.

Decretum Ratisbonæ die 2. mensis Novembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

XXXI. — Neque Rudolpho, neque Cæsari minori fuit curæ per legatum extra ordinem Pontifici de iis, quæ Ratisbonæ feliciter sunt acta nuncium mittendi: quibuscum Pontifex ex animo gratulatur litteris ad Romanorum Regem missis. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. IV ep. 106. fol. 70.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, et in Romanorum Regem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili Noster salutem et Apostolicam benedictionem. Legimus libentissime literas Majestatis Tuæ, summamque lætitiam, (quod te non dubitare persuasum habemus) cepimus ex iis, quæ exposuit Claudius Trivultius, quem ad Nos misisti, fusius cum eo locuti sumus, ex quo omnia cognosces: itaque nihil est, quod longiores simus. Tuæ autem Majestati omnia læta et prospera et cupimus, et a Domino Deo precamur. Datum Romæ apud

Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxvi. Novembris mdlxxv. Pontificatus Nostri anno quarto.

Gregorius præterea voluit electionem novi regis Romanorum sacro ecclesiastico ritu et publicis lætitiæ signis celebrare. Audiamus Mucantium. [*]

[*] Diarior. cærem Vol. XIV. f. 285.

« Die igitur xxv. ejusdem mensis Novembris, narrat ille, in festo B. Catherinæ Virg. et Mart. fuit celebrata Missa in Cappella Palatii per Rmum Cardinalem Madrutium pro lætitia novi Regis Romanorum electi. Et cum fuisset resolutum inter Sacristam et nos, debere eligi unam ex tribus Missis votivis pro gratiarum actione, videlicet aut de Trinitate, aut de Spiritu Sancto, vel de beata Virgine, inter quas elegeramus illam de Trinitate. Sanctissimus D. N. voluit, ut diceretur de ipsa beata Catherina, cujus festum erat, eo præsertim, quia in Germania festum beatæ Catherinæ est magnæ devotionis, et duæ orationes altera de ipso festo, altera pro gratiarum actione sub una conclusione: celebratum fuit in paramentis rubeis. Pontifex venit sede vectus, Cardinales autem cum cappis rubeis. In fine Missæ nihil aliud actum, quia nullus nostrum, nec alius advertit, licet jam consuctum esset in hujusmodi Missis pro gratiarum actione decantari hymnum: Te Deum Laudamus, et aliquos versiculos et orationes rei de qua agebatur accommodatas, ut plura exempla tempore diversorum Pontificum memorari possent, quamquam postremis temporibus incuria eorum ad quos spectabat prædicta omissa fuerint. Erit igitur alias in simili occasione advertendum. Hac nocte et precedenti ignes et foci per Urbem accensi fuerunt pro lætitiæ signo, et in arce S. Angeli fragor bombardarum. »

XXXII. — Die nona Februarii hujus anni summo Pontificem dolore affecerat acerba mors Caroli Friderici Cliviæ Principis, juvenis christianis virtutibus ornatissimi: cujus acerbissimum casum magis doluit Pontifex, quod apud se Romæ ac pene in sinu suo obierit. Postquam enim Neapoli, quo visendorum veterum monumentorum cupiditate se contulerat, Romam rediit, febri correptus eadem die accubuit, paucisque post diebus e vivis ablatus est. Gregorius, qui vivum valde dilexerat, ei mortuo eam funeris pompam, easque funebres cæremonias adhibuit, quibus maximorum Principum et Ducum in Urbe decedentium funera decorari solebant. Sepultus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Anima, Theutonicorum dicta: ejusque vitam, mortem et funus eleganter Stephanus Pighius exaravit opere, quod inscripsit « Hercules Prodicius ». Ne pigeat legere, quæ Mucantius, incultiori licet stylo, de singulari Pontificis erga defunctum Principem caritate, deque ejus funere ex authenticis actis nobis reliquit. [*]

[*] Diarior. cærem Vol. XIV. f. 334.

« Die 9. Februarii hora xvii. obiit in Palatio Apostolico, et mansionibus Viridarii Illmus Carolus Fridericus Princeps Cliviæ, cujus eventum Pontifex graviter admodum tulit, cum illum summopere diligeret. Itaque statim a prandio vocati fuimus apud Magistrum S. Suæ, cum quo ordinavimus pompam funebrem pro sequenti die hora xx., ita enim Pontifex decreverat, quam una cum exequiis pro eodem peractis in Ecclesia Beatæ Mariæ de Anima describimus infra sub die 2. Martii. Interim ordinatum fuit, ut cadaver ejus portaretur ad Cappellam B. Mariæ de Febri in fine porticus Ecclesiæ D. Petri, et circa horam 3. noctis exentaretur, atque aromatibus conderetur, ut ad ejus patriam, si opus esset, facilius transmitti posset, quod et fuit factum. Sed pro deferendo cadavere a mansionibus Viridarii ad d. Cappellam, non fuit delata crux, quæ in Palatium inferri pro mortuis non solet, nisi pro solo Pontifice: fuit delatum per ejus Nobiles comitantibus sacerdotibus xx. et funalibus xii.

« Die 2. Martii fuerunt celebratæ exequiæ bo. mem. Illmi Principis Cliviæ in Ecclesia beatæ Mariæ de Anima, quarum ordinationem una cum funebri pompa, qua ejus cadaver ad Ecclesiam deductum fuit die 9. Februarii proxime præteriti, hic late et distincte apponere placuit, ut de his ad posteros memoria transeat; ordo igitur funeris talis fuit.

« Postcaquam Illmus atque Excell. Princeps Carolus Fridericus Guglielmus Juliæ, Cliviæ Montiumque Ducis major filius, Neapoli rediens, quo animi causa secesserat, ad Urbem reversus in gravem inciderat morbum, a quo nonnullos dies acriter conflictatus adhibitis omnibus opportunis remediis tandem ut Altissimo placuit vitam cum morte commutavit. Smus D. N. Gregorius Papa XIII. qui eum viventem apprime dilexerat, infirmum visitaverat, afflictum lacrymans solatus fuerat, denique illum jam ad beatiorem patriam transmigraturum cœlesti viatico, aliisque Ecclesiæ sacramentis, ut vere Christianum decuit Principem communitum Indulgentiæ ac benedictionis suæ præsidio fulserat. Mortuum etiam singulari benevolentia persequens, extrema erga eum charitatis officia demonstrare non distulit.

« Itaque quinto Idus Februarii præsentis anni Jubilæi 1575. postridie scilicet quam Princeps ab hac luce migrasset, composito atque aromatibus cadavere ejus condito, jussit illud omni honore et pompa, quibus maximorum Principum ac Ducum in Urbe decedentium funera decorari solerent, ad sepulturam perduci. Convocatis ergo universis Religiosorum in Urbe existentium ordinibus ac Laycorum sodalitatibus, coactaque Pontificis sumptu magna cereorum ac funalium copia, funus ad templum B. Mariæ Theutoni-

corum de Anima nuncupatum, hoc ordine delatum fuit.

« Præibant Laycorum sodalitates, quas Confraternitates vocant, quarum una quæque sodales suos talaribus saccis diversorum colorum indutos, ac facie velata, ut moris est, habebat. Harum nomina sunt hæc: Sodalitas Mortis coloris nigri; Sod. S. Mariæ de Planctu coloris fulvi; Sod. Convalescentium seu Sñæ Trinitatis col. rubei; Sod. S. Juliani color. cœlestis; Sod. S. Catharinæ de Senis col. albi; Sod. S. Mariæ de Quercu col. albi; Sod. S. Mariæ de Laureto col. albi; Sod. S. Crucifixi col. nigri; Sod. Sñi Corporis Christi S. Laurentii in Damaso col. albi; Sod. S. Rochi col. viridis; Sod. Sñi Corporis Christi S. Jacobi in Burgo col. albi; Sod. S. Ursulæ col. albi; Sod. S. Gregorii ad ripettam col. albi; Sod. S. Josephi col. cœlestis; Sod. Genuensium col. albi; Sod. Bergomensium col. fulvi; Sod. Spiritus Sancti Neapolitanorum col. albi. Omnes prædicti bini procedebant suo ordine, ac singulis, qui circiter mille erant, viritim candelæ distributæ.

« Post eos sequebatur Clericus cotta indutus, Crucem illius Ecclesiæ bajulans, ad quam conducebatur funus.

« Deinde Religiosarum familiarum Fratres cucullati videlicet: S. Joannis et Pauli; S. Honuphrii; Sñæ Trinitatis; Sanctorum Cosmæ et Damiani; Sanctorum Apostolorum; S. Petri Montorii; S. Francisci; S. Bartholomei; S. Mariæ de Populo; S. Augustini; S. Grisogoni; S. Mariæ Transpontinæ; S. Martini; S. Clementis; S. Mariæ in Via; S. Marcelli; S. Mariæ supra Minervam; S. Sabinæ. Et isti bini incedebant, singulisque binæ candelæ datæ fuerunt, et præterea unicuique familiæ certa pecunia.

« Succedebant istis Sacerdotes quamplurimi cottis et lino albis superinduti pariter bini, et ultimo loco sacerdos paratus stola et pluviali nigro. Item et alter sacerdos curatus Basilicæ Sancti Petri stolam habens circa collum. Omnes prædicti religiosi et sacerdotes euntes psalmos versiculosque opportunos concinebant.

« Tum subsequebantur pueri Sancti Spiritus et Orfanorum, hi quidem albi, illi vero cœlestis coloris vestibus induti, quorum singuli singula funalia accensa ferebant numero 160. seu prout aliqui numerarunt 222. Quibus etiam eleemosina consueta elargita fuit.

« Deinde bajuli sodalitatum, et ipsi saccis vestiti, candelabra alta ad quadricubitalem mensuram gestantes, quibus impositi erant cerei grandiores n. 40. et ultra, hique omnes bini.

« His proxime accedebant aliæ quædam virorum nobilium sodalitates non quidem saccis, ut aliæ sed habitu quotidiano indutæ, nec certo ordine sed mixtim procedentes; distinguebatur tamen una ab altera interpositis duobus ministris binos baculos oblongos ferentibus quasi ad turbam submovendam, quos mandatarios vocant.

« Hæ vero sodalitates id in more positum habent, ut corpus defuncti immediate antecedant, seu viciniores omnibus prædictis illi sint, videlicet: Sodalitas S. Mariæ Consolationis; Sod. S. Salvatoris ad Sancta Sanctorum; Sod. S. Angeli in Burgo; Sod. Sñæ Virginis Annunciatæ; Sod. Confalonis.

« Post illos continue aderant quamplurimi viri Nobiles de familiis Illñorum Cardinalium, et Oratorum, atque Illustr. virorum, qui eos illoc miserant funeris honestandi gratia.

« Postremo duo cursores violaceis vestibus induti, argenteos baculos gerentes, præibant feretrum aureo panno circumquaque coopertum atque insigniis ornatum, super quo defuncti corpus per octo ejus Nobiles familiares lugubribus pannis obsitos efferebatur. Ad quatuor feretri angulos quatuor alta candelabra cum cereis accensis ut de aliis dictum est portabantur. Post feretrum sexdecim alii Nobiles de familia Principis defuncti bini procedebant, ac per vices feretri onus subibant. Deinde quatuor alii cursores, ut supra induti cum baculis argenteis sequebantur. Tum vero equestris comitatus Sacri Palatii, nempe cohors pontificia, Prælatorum atque officialium eo ordine, quo in Rñorum Cardinalium funeribus observari consuetum est.

« Ante omnes equitabant duo ministri argenteas clavas ferentes, quos Mazerios vocant, post ipsos Nos duo Cæremoniarum magistri habitu violaceo, quo in publicis actibus utimur, induti, tum magister domus Sñi D. N. Papæ medius inter duos digniores Prælatos assistentes, post quem multi alii Prælati, hoc est Archiepiscopi et Episcopi pontificalibus indumentis, quas croceos vocant, violacei coloris decorati bini procedebant.

« Post Prælatos Cubicularii Sñi D. N. Papæ rubeis vestibus et scapularibus induti numero circiter quinquaginta, quos immediate sequebantur totidem scutiferi pariter rubeo induti, sed sine scapularibus; deinde plures alii curiales.

« Quo ordine itum est a Porticu Basilicæ D. Petri Apostolorum principis, ubi Principis cadaver in sacello, quod B. Mariæ de Febri vocitant, manebat, usque ad d. Ecclesiam de Anima, ad quam funebris pompæ caput aliquanto ante pervenerat quam e Vaticano feretrum tolleretur, quod spatium est fere mille passuum, incredibili per totam viam, quamquam pluvia immundam populi concursu et moerore.

« Erat autem ipsum cadaver vestibus illis perpulchris ac gemmis ornatum, quibus vivens Princeps uti solebat; facies tamen serico albo obducta, ne deformitas morbi vitio contracta appareret. Ipsa Ecclesia intus et extra insigniis Principis repleta erat, in cujus medio corpus depositum

fuit, solitisque precibus ac cæremoniis expiatum, cujus anima requiescat in pace. Amen.

« Transactis deinde nonnullis diebus videlicet sexto Nonas Martii ejusdem Pontificis jussu et impensa celebratæ fuerunt exequiæ fel. mem. Principis prædicti in eodem B. Mariæ templo. Cujus rei causa circumcirca majorem aditum Ecclesiæ a summo ad imum parietes nigris pannis strati fuerunt: pannis autem applicatæ alternatim insignia Principis et mortis imagines. In supremo vero circuitu ingens copia facularum ardentium, ac circa vestibulum et altare majus eodem ordine panni violacei appensi erant, qui et altaris gradus, et Rmorum Cardinalium subsellia omnino contegebant. In medio templi Cenothaphium ex tabulis et tela erectum est, sub quo lignea capsa, ubi Principis cadaver plumbo diligenter obseratum asservabatur, posita fuit. Erat quidem Cenothaphium oblongum ac quadrilaterum supra basim sepulchralibus picturis variegatum ad trium cubitorum altitudinem a terra sublatum. A duobus hujusce honorarii tumuli lateribus depicta erant Principis stemmata parvo intervallo distincta: unum scilicet quo puer Delphino insidens aquis supernatabat; alterum quo multa simul corda humana ardentia in unum erant collecta: ambo tali elogio circumscripta: CVSTODIA AMORIS OPTIMA. A superiori parte e regione majoris altaris Justitiæ ac Temperantiæ imagines hujuscemodi inscriptionem ostentabant: EXORIATVR TIBI LVX, QVIA IVSTE ET TEMPERANTER EGISTI. A parte vero inferiori altera inscriptio inter Religionis et Fidei imagines conspiciebatur videlicet: ECCE QVIA SEMITAS NOSTRAS FECIT; PROPTEREA DOMINVS SVSCEPTOR ANIMÆ ILLIVS. Supra tumuli coronidem aureus pannus nigro limbo circumdatus eminebat in curvum protensus, quasi ipsius tumuli operculum ad cujus quatuor angulos Principis insignia affixa erant: anteriori vero et posteriori ejus partibus titulus hoc pacto inscriptus adhærebat: CAROLVS FRIDERICVS GVLIELMVS IVLIÆ CLIVIÆ MONTIVMQVE DVCIS MAIOR FILIVS.

« Stabant hinc inde duo aerem a tumulo nigris flabellis leniter commoventes. Altius vero suspensum erat umbraculum in pyramidis formam undequaque luminibus plenum. In circuitu tumuli quinquaginta continuo faces ardebant: præterea et atrati familiares nobiles Principis mortui triginta circumsedebant, et cum eis Nobiles etiam Illmi Bavariæ Ducis filii, de quo inferius, luctuoso habitu vestiti. Quæ omnia ut splendide et magnifice ordinata, majestatem et admirationem, ita ob miserandum adolescentis Principis casum lacrymabilem intuitum cunctis præbuerunt. Exequiæ peractæ fuerunt more solito: Missa celebrata est per R. P. D. Thomam.... Episcopum.... nigris pontificalibus indumentis et mitra simplici paratum, cui interfuerunt Illmi et Rmi Cardinales novem, nempe Tridentinus, Farnesius, Varmiensis, Comensis, Delphinus, Madrutius, Sancti Sixti, Medices, Vastavillanus, quamquam plures vocati, justo impedimento detenti, adesse nequaquam potuerunt. Adfuit etiam Illmus D. Hernestus Serini Bavariæ Ducis filius Hildesemensis et Frisingensis Ecclesiarum Administrator, post ipsos Cardinales modico intervallo assidens. Interfuere quoque Serini Ducis Bavariæ orator et Illmus D. Jacobus Boncompagnius ecclesiastici exercitus gubernator, et Illmus etiam D. Honoratus Gaetanus Custodiæ Smi D. N. Papæ et Burgi præfectus, nonnulli præterea Archiepiscopi, et Episcopi ac Prælati, alii quam plurimi. Decantata epistola distributa fuerunt Illmis Cardinalibus, et celebranti ac Principi Bavariæ præfato funalia bilibribus cereis appensis; Prælatis vero et viris Illustribus ejusdem ponderis cerei singulis: sed atratis circa cumulum considentibus unius libræ viritim; aliis quibuscumque Nobilibus ibi præsentibus dimidiæ libræ, universo populo minutiores. Hæ omnes faces accensæ fuerunt, dum recitaretur evangelium in Missa et eo finito extinctæ, et rursus ad elevationem Smi Sacramenti usquequo illud celebrans sumpsit illuminatæ, mox extinctæ fuerunt. Sacro Missæ officio peracto R. P. D. Andreas Ringherius Bononiensis S. D. N. Papæ Referendarius ascendit pulpitum nigro panno coopertum, ibique luculentam de Principis defuncti laudibus orationem habuit. Qua finita confestim quatuor digniores Prælati amictu pluviali et mitra parati una cum Episcopo, qui Missam celebravit, cruce præcedente, et aliis Ministris accesserunt ad funerum suggestum, atque inibi per angulos divisi solitisque precibus atque absolutionibus recitatis tumulum per vicies circumeundo, thure et aqua sacra expiarunt, choro continue lamentabili voce respondente. Quibus expeditis, unusquisque ad propria recessit.

« Ad valvas Ecclesiæ epigrammata et carmina multa diversa Principis virtutes et laudes, communemque dolorem ac damnum ex illius obitu commemorantia applicata fuerunt, quæ avide tota die quærebantur, describebanturque a studiosa juventute. »

Muneris sui Gregorius duxit esse, Cliviæ Ducem calamitosum patrem amantissimis litteris consolari, filiique amissi christianas quidem virtutes recensere. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 221. fol. 326.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Cliviæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil potuit Nobis gravius accidere eo casu, quo sumus gravissime afflicti: Carolus Federicus non minus Nobis charitate filius, quam tibi natura venerat a Maximiliano avunculo defessus et languens de via; excepimus

eum eo honore et gaudio, quo par erat filium nostrum in Christo charissimum et tantu Principe natum, tantisque virtutibus prædituum, nec prius illum a Nobis discedere et Neapolim, cujus urbis visendæ studio teuebatur, ire passi sumus, quam bene firmum et robustum vidimus. Inde eum rediret, eodem ipso, quo ad Nos pervenit, die cum febre decubuit. Nihil prætermisimus, quodquidem humana ope provideri atque effici potuerit, eandemque in eo curando diligentiam adhiberi fecimus, quæ Nobis ipsis simili in periculo adhiberi potuisset: hoc tibi alios confirmaturos aut confirmasse jam confidimus. Cum autem uihil proficeretur morbusque ingravesceret, quod unam restabat, Divinam opem impensius imploravimus: perque omnia templa et religiosas domos pro illius salute supplicari fecimus. Neque tamen nostras et piorum preces aspernatus est Deus, sed ut solet, amplius multo atque abundantius tribuit, quam postulabamus; nam pro hac mortali et caduca, quam Carolo Federico precabamur, vita, tribuit ei Divina bonitas immortalem illam et beatissimam, cujus causa facti sumus, et quo totis viribus omnes niti atque aspirare debemus. Acerbissimum certe est et fere intollerabile carere tanto filio, tamque amabili, eque nostro dolore facile existimamus de tuo. Sed quoniam nos mortales esse agnoscimus, Deumque benedictum (tametsi Nos sæpe latet ejus consilii ratio) tamen omnibus in rebus ut optimum parentem scimus, nobis, uostrisque præclare consulere, æquum est, Nos ejus voluntati acquiescere et gaudere, quod illum ad sese in coelum evocarit, quod quidem pollicetur Nobis ipsius pietas, quam eum sæpe alias, tum vero in ipsa ægritudine (sæpius enim ad eum visendum ivimus) in eo singularem perspeximus, ferebat æstum febris summa cum patientia: Deum semper in ore habebat, eum invocabat, non corpus sed animam ei suam commendabat; ad extremum omnibus criminibus absolutus sacramentisque ecclesiasticis munitus, nostraque dispensatione Ecclesiæ thesauri, hoc est meritorum Jesu Christi, sanctissimæque Virginis aliorumque Sanctorum omnibus pœnis, si quæ reliquæ fuissent, liberatus eo charitatis provectus est, ut multis audientibus proferret illa Pauli verba: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Maxima hæc sunt, Charissime fili, ad consolandum, ac tanta, ut merito debeant omnem dolorem abstergere. Etenim filii fœlicitate dolere, parentis non est: suo vero ipsius incommodo commoveri, se ipsum amantis est, et suas rationes ad communis summique parentis Dei voluntatem minime accommodantis. Sic cogitemus, non periisse filium, sed ad optimum parentem pervenisse; non vitam perdidisse, sed ad meliorem migrasse; non nobis ereptum esse, sed in cœlum receptum. Quis vero unquam peregrinus lamentatus est periisse sodalem suum, quem persuasum habuerit citius se ad hospitium pervenisse? ferat modo ejus breve desiderium atque absentiam, cumque ipse eodem pervenerit, una cœnabit, quiescet, perfructurque amico. Hoc nimirum erat, quod monebat Apostolus: Ne contristemini de dormientibus, sicut cæteri, qui spem non habent. Evasit jam is, quem desideramus, ex gravissimis hujus itineris periculis capitaliumque hostium et latronum insidiis, fruiturque lætus summa et sempiterna tranquillitate, et dolebimus cum non adhuc in his periculis versari? An non experimur, longiorem in hac vita commorationem, multorum maximorumque committendorum criminum occasionem esse? Divinam igitur sapientiam audiamus: Justus, inquit, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Hæc nobis ipsis ad consolandum proponimus, quibus, ut tu quoque utaris, cumque primis naturæ commotionibus satisfeceris, teque in dolendo parentem præstiteris, sapientem et servum Christi in dolore leniendo uti præstes, omniaque a paterna Dei manu cum gratiarum actione accipias dicasque cum beato Job, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum, etiam atque etiam rogamus. Deus ipse omnis consolationis auctor consoletur Nobilitatem Tuam teque in dies augeat sua gratia, Nobisque facultatem tribuat, nostram erga te voluntatem declarandi, quæ cum semper fuit paterna tuorumque commodorum cupidissima, hoc tempore eo erit propensior, quo altius in animo conservabimus dulcissimam memoriam amoris, quo hunc filium benedictum prosequebamur. Cætera ex Nuncio nostro Gropperio cognosces, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Pater christianum in modum nuntium de dilectissimi filii sibi primo loco nati morte accepit, et Pontifici gratias agit maximas, qui singulari caritate vivum complexus fuisset, ægrotum alloquio suo fovisset, mortuum piacularibus ritibus prosequutus esset. (*)

(*) Germania Vol. 27. fol. 3.

Post debitam paratamque more majorum meorum observantiam.

Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime.

« Quanta vis sit affectus et pietatis patris erga unice dilectum natum reipsa proximis hisce diebus sum expertus, cum allatum fuit de præmatura morte carissimi mei filii primogeniti Caroli Frederici piæ memoriæ tristissimum nuncium. Quod sane in summum me dolorem ac mœrorem conjecit. Omnia enim statim animo meo paterno, ut in tam gravi vulnere evenire solet, ob-

versabantur, quæ acerbiorem hunc casum redderent. Imprimis vero optima spes de eo concepta, et quod jam ætas ejus rebus gerendis apta fieret, prædicataque mihi sæpius de multis etiam principibus viris præclara ejus virtus ac indoles, quibus Dei benignitate confisus mihi certo persuaseram, eum non solum baculum firmum senectutis meæ futurum, verum etiam aliquando ditionibus meis, toti etiam patriæ Germaniæ atque etiam adeo universæ Reipublicæ Christianæ commodum utilemque operam navare posse. Quum hisce doloribus animus meus obrueretur, vixque ullam consolationem recens istud vulnus reciperet, perropportune eodem fere tempore Sanctitatis Tuæ Nuncius Reverendissimus Dñus Casparus Gropperus ex mandato S. T. me convenit, ejusdemque S. T. non solum verbis aptissimis me consolatus fuit, sed et Breve S. T. plenum e christiana philosophia petitis consolationibus mihi reddidit. Cujus quidem lectione animus meus nonnihil erectus, cœpi mox Sanctitatis T. paterno ac piissimo consilio acquiescere, et me divinæ voluntati (cui repugnare non licet) magis magisque accommodare. Hoc autem mihi vel maximam consolationem attulit, quod filius meus etiam Sanctitatis Tuæ testimonio in orthodoxa et catholica fide pie et devote in Domino obdormivit, ita, ut certus sim illi nihil mali accidisse, sed mortalem hanc vitam cum immortali (ad quam omnes aspiramus) commutasse, ac a Christo in sinum Abrahæ collocatum, perpetua nunc frui fœlicitate. Cæterum ex hoc Sanctitatis T. Brevi gratissimo animo intellexi S. T. hunc filium meum Romam advenientem multo majore honore, quam ejus ætati conveniebat, excepisse, ibi morantem paterne clementissimeque uti carissimum filium tractasse, ægrotum omni benignitate prosecutum fuisse; suos ei medicos adhibuisse in ipsaque ægritudine sæpius ad eum visendum ivisse, nihilque prætermisisse, quod ad recuperandam pristinam valetudinem conducere ullo modo videri posset; cumque illa nihil proficerent, morbusque ingravesceret, S.T. per omnia templa et religiosas domos pro illius incolumitate Deo Opt. Max. supplicari fecisse, obituque illius pro sua incredibili humanitate graviter afflictam fuisse: id quod etiam plurimorum literæ Roma ad me missæ cum Sanctitatis T. mirifica laude testantur et confirmant. Quid vero ego S. T. pro hac tam egregia erga nos paterna voluntate summisque collatis beneficiis retribuam: non invenio. Maximas profecto ac immortales quod unum possum, ago gratias Sanctitati Tuæ: nihilque mihi accidere posset exoptatius, quam eam a Deo mihi facultatem concedi, quo reipsa gratum meum animum erga S. T. declarare possem. Me vero S. T. quanto possum studio tanquam obedientissimum filium officiosissime et devotissime commendo. Quod superest, Deum Opt. Max. toto pectore oro, ut S. T. Ecclesiæ suæ totique Reipublicæ Christianæ quam diutissime incolumen et fœlicem conservare dignetur. Datæ ex arce mea Clivensi vii. Idus Martii Anno MDLXXV.

E. S. V.

Obsequentissimus filius
GUILHELMUS DUX JULIÆ ETC.

P. Langer.

XXIII. — Hujus Principis obitus ea etiam de causa Pontifici valde luctuosus et incommodus accidit, quod cum esset natu major, alterque tantum frater superesset nomine Joannes Guilelmus, isque, quamvis nondum decimum quintum ætatis annum egressus a Monasteriensi Episcopo approbante Sũo Pontifice in Coadjutorem cum futura successione cooptatus fuisset, nunc, mortuo fratre, patri in Cliviæ, Juliæ et Montium Ducatibus regendis eum dari in successorem oportuit. Huc accessit, quod hisce luctuosissimis diebus Episcopus quoque Monasteriensis vita excesserit. Quærendum igitur fuit, quis ei sufficeretur: hinc Pontifici exortæ curæ. Ingens namque eaque diuturna inter partes exarsit disceptatio: Monasterienses Canonici litteris ad Pontificem missis exponunt, ob illorum temporum calamitatem alio modo ecclesiæ Monasteriensi consuli haud posse, quam si aliquis ex catholicis Germaniæ Principibus postuletur, qui eam potentia sua ab hostium impetu tueri posset. Simulque Pontificem adprecantur, quoniam alii ex Canonicis in Ernestum Bavarorum Ducis filium, eundemque Ecclesiarum Frisingensis et Hildeshemensis Administratorem; alii vero in Henricum Saxoniæ Ducem, qui aliquot ante annis ad episcopatum ecclesiarum Bremensis et Osnabrugensis postulatus fuerat, convenerant, ut ipse auctoritate sua unius vel alterius postulationem probaret. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 67.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nominis XIII. Sacros. Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Optimo Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, post devota beatorum pedum humilima oscula et devotissimas ad Deum Optimum Maximum præces pro incolumitate et fœlicis christianæ Religionis administratione. Sanctitati Vestræ necessarium et oportunum hoc præsertim pernicioso sæculo ac vario rerum statu duximus significandum, quamvis superioribus annis per obitum quondam Reverendissimi in Christo patris et Domini, Domini Joannis ex Comitibus de Hoya Episcopi Monasteriensis, Administrator Osnaburgensis et Paderbonensis Ecclesiarum etc. nostra Monasteriensis Ecclesia destituta vacasset, et unanimi consensu et voto Illustrissimum et Reverendissimum Principem et Dominum, Dominum Joannem Guilhelmum juniorem filium etiam Illustrissimi Principis et

Domini, Domini Guilhelmi Ducis Juliæ Cliviæ et Montium, antea per Episcopum prædictum in Coadjutorem cooptatum, sub Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ approbatione in futurum Episcopum et Dominum Ecclesiæ et diœcesis ejusdem postulaverimus, Decreto postulationis exhibito ac Sanctitati Vestræ transmisso confirmatio ejusdem postulationis humilime petita esset, quod tamen proh dolor infœlici fato ac Illustrissimi Ducis Caroli Friderici fratris postulati Principis in Urbe morte res eo devenerit, ut suspicari oporteat, prædictum Dominum postulatum, utpote unicum hæredem masculum senioris Principis sese Ecclesiastico statui non dediturum. Quando quidem vero hæc res pro fœlici statu et tranquillitate Reipublicæ Monasteriensis, ac ejusdem Religionis Catholicæ conservatione merito nobis curæ est, prædictum Illustrissimum Principem et Dominum postulatum requisivimus, ut postulationem de se factam refutare dignetur, nimirum ut bona pace ac secure, cum Sanctitatis Vestræ approbatione, alium futurum Episcopum et dominum vel eligere aut postulare queamus, cujus auxilio et præsidio diœcesis nostræ salutem et incolumitatem ac antiquæ Religionis Catholicæ observantiam tutare et conservare queamus. Non solum ipse Dominus postulatus, verum etiam Celsitudinis Suæ pater sese valde clementer obtulerunt, postulationem prædictam ad liberam futuram electionem ultro redhibituros. Cæterum quia esse, qui discordem postulationem apud nonnullos Capitulares sollicitarent, quod rebus sic stantibus, et pro regionis hujus diœcesis vicinitate egerrime intelligerent, monere, ut propediem de catholico et pacifico Episcopo et domino cogitaremus, quo facto in ipsis, quod peteretur nullam fore moram. Itaque hoc periculoso et omnibus Catholicæ Religionis asseclis infesto sæculo rati, admodum esse huic Ecclesiæ necessarium, ut præsertim hoc tempore præpotens aliquis Catholicæ Religionis Princeps Germanus postuletur, cujus potentia eadem nostra Ecclesia ab hostium Religionis infestatione tutior et securior esse possit, qualem Ecclesia nostra hoc tempore non habet. Ut ad electionem progredi queamus, proximo festo Sancti Martini capitulariter congregati Nos Præpositus Decanus et Seniores Capitulares, si Illustrissimum et Reverendissimum Principem et Dominum, Dominum Ernestum Ducem Bavariæ, Administratorem Ecclesiarum Hildesheimensis et Frisingensis etc.; nonnulli vero alii juniores etiam si Illustrissimum et Rm̃um Principem et Dñum, Dñum Henricum Ducem Saxoniæ postulatum ad Ecclesias Bremensem et Osnaburgensem, postularemus, Religioni Catholicæ ac Reipublicæ Monasteriensis incolumitati admodum expedire arbitrati fuimus. In qua quidem ambiguitate, nondum refutata priori postulatione, ideo Sanctitatem Vestram humilime consulere operæ precium imo admodum necessarium visum est: si alteruter forte Spiritu Sancto aspirante postularetur, ob id, quod uterque duabus jam præfectus est Ecclesiis, utrius Sanctitas Vestra postulationem approbare et confirmare malit, ac Religioni in Ecclesia nostra utilius esse censuerit: ne hac etiam in re nobis in posterum aliqua oboriatur difficultas, si Sanctitas Vestra suam hic nobis dignabitur sententiam et intentionem declarare, Ecclesiæ nostræ rem necessariam et oportunam ac Religioni Catholicæ hoc tempore præsertim maximum præstabit præsidium. Sanctitati Vestræ a Deo Optimo Maximo pro Ecclesiæ salute diuturnam incolumitatem precamur. Datum sub sigillo nostro ad causas die quidem vigesima secunda Mensis Novembris Anno Domini 1575.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi

Præpositus Decanus et Seniores Capitulares Ecclesiæ Monasteriensis in Westphalia.

Albertus equidem Bavariæ Dux causam filii sui Ernesti de episcopatu Monasteriensi apud Gregorium egerat; sed sapientissimus Pontifex eundem paterne admonuit, ne in istam pro filio petitionem incumberet; potius operam navaret, ut Ferdinandi Archiducis Austriæ filius ad illum episcopatum postularetur. [*] ([*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 64 fol. 11)

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Cum charitas Christi efficiat, ut Catholicorum omnium communis atque una sit causa, nec possit unius partis jactura non totius corporis propria existimari, cumque hic sensus debeat esse communis omnibus Catholicis, tum vero debet esse in primis noster, postquam Nobis imposita a Deo est Ecclesiarum omnium sollicitudo et cura. Doluimus igitur gravissime Ecclesiam Monasteriensem tamdiu pastore carere, quia videbamus, id non sine maxima ejus Ecclesiæ jactura accidere posse; eoque etiam magis doluimus, postquam obitu Cliviæ Principis videbamus, ademptam esse spem præficiendi ei Ecclesiæ illius fratrem. Magnopere autem consolata Nos est spes electionis aut postulationis nati tui; id quod cupere te ac curare accepimus. Sed quoniam plerique existimant multis de causis difficile id factu esse, si ipse quoque hujusmodi difficultates agnoveris, deque exitu ipso in dubium veneris, gratissimum Nobis erit, si omnem auctoritatem atque operam tuam converteris in adjuvandam postulationem filii Ferdinandi Archiducis Austriæ; sic enim speramus propter patris religionem et merita, propterque optimam nati educationem præclare cum ea Ecclesia actum iri, ma-

gnumque inde fructum posse expectari. Hortamur igitur, ut id cures, non solum propter eam, quæ Tuæ Nobilitati intercedit cum Ferdinando necessitudinem, sed etiam nostra causa. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXXIV. — Gravius autem negotium Pontifici facessit, ejusque animum maxime sollicitum habuit, postulatio inquam Capituli Halberstadiensis de Henrico Julii Ducis Brunsvicensis filio ad illum episcopatum eligendo. Hic adolescens, qui nondum decimum secundum annum attigerat, clam Protestantium doctrinis erat imbutus; pater quippe ejus, qui Ducatus Brunsvicensem ac Guelpherbitanum regebat, aliquot annis ante ab Ecclesia Catholica defecerat. Animadvertendum porro est, quod vel ab anno MDLXVII. cum pater, avus, totaque hujus pueri domus sponsionem dedissent Canonicis Halberstadiensibus, cum in religione Catholica instituendum se curaturos, si eumdem sibi Episcopum postularent: hac sponsione adducti Canonici deprecati fuere Pium V., ut hic puer pontificia dispensatione Episcopus Halberstadiensis renuntiaretur atque confirmaretur. Quorum precibus Pius haud passus est se flecti, postulationemque Canonicorum amandavit. Neque aliter se gessit Gregorius, cohortatusque est Catholicos Germaniæ Principes, ut sedulam darent operam, ut Canonicos Halberstadienses a tam fœdo tamque exitioso consilio abducerent. Pius etiam Dux Bavarorum totum se dedit huic rei procurandæ; nihil autem profecit, ut ejus litteræ ad Bartholomæum ex Comitibus Portiæ demonstrant. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 393.

Reverendissimo in Christo Patri, Nobis sincere Dilecto Bartholomeo Comiti Purlitiarum S. D. N. per Germaniam Nuncio, et Abbati Modii etc.

Albertus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux etc.

« Salutem et parata gratificandi studia. Reverende in Christo pater, nobis syncere dilecte. De insperato illo Halberstatensi exitu non minus equidem nos miramur, quam ipsa Urbs. Siquidem quæ inde ad nos pervenerunt, deque ejus loci studiis nobis sunt exposita, sic sese habuerunt semper, ut de Capitularium voluntate, ad ipsa Sanctissimi Domini Nostri mandata egregie admodum composita, nihil plane dubitandum videretur, dum nimirum ipsi expeterent Canonici, (sic nempe ad nos relatum fuit) ne sanis et necessariis illorum consiliis, non solum pro reverentia Sanctæ Sedis, sed etiam ipsius suæ Ecclesiæ salute atque dignitate magno cum judicio susceptis, quicquam ex superiore illa postulatione efficeret. Atque ideo cum existimaremus nos, nihil amplius cum ullius hominis cupiditate certandum fore, sed rem ex uno Sanctissimi Domini Nostri arbitrio, ac manifesta Capituli voluntate dependere, negligere noluimus Reverentiæ Vestræ, aliorumque amicorum consilia. Quia vero eventus aliud nos docet, resque ipsa loquitur, Capitulum Halberstatense a prioris postulationis favore nunquam integre recessisse, imo eam ipsam urgere atque promovere etiamnum, nobis quidem ea in re post hoc multum negocii esse vix cupiemus, præsertim cum et temporis hujus, et aliarum rerum quam plurimarum occasiones salutaria et honesta nostra consilia excludant. Sed tum de re tota penitus cognoscemus, etsi quid sit cujus aliquem usum esse videamus, de eo ad Reverentiam Vestram et etiam ipsum Pontificem perscribemus primo quoque tempore. Sane, quem imminere videmus istius Ecclesiæ casum dolemus non mediocriter; sed hæc est fortasse pessimorum temporum fortuna, ut cum dolore aspiciamus quibus mederi non possumus. Grave erit hoc procul dubio Optimo Pontifici vulnus. Viderint autem, qui Sanctitati Suæ Postulati educationem atque religionem tam ample prædicant, quorumque tam prona sunt consilia ad antiquissimæ Ecclesiæ interitum: nobis quidem quovis tempore sufficiet, si quid ullo in loco pro religionis et pietatis Christianæ dignitate instituere poterimus.

Valeat Reverentia Vestra, et de nobis quam semel concepit benevolentiæ persuasionem constanter sibi conservet. Monachii XVI. die Martii MDLXXV.

ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.
mppria.

Idem nunciat alteris litteris pridie Kalendas Septembris. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 271.

Reverendo in Christo Nobis syncere Dilecto D. Bartholomaeo Purlitiarum Comiti, Abbati Modii, S. D. N. Summi Pontificis in Germania Nuntio.

Albertus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux, etc.

« Salutem et benevolentiam nostram. Reverende in Christo pater, nobis syncere dilecte. Rogavimus per literas nostras a Reverentia V., ut Sanctissimi Domini Nostri Breve ad Halberstatense Capitulum penes se asservaret, donec de insinuandi ejus ratione aliqua commodiori nobis constaret. Qua de re cum consilium hoc optimum nobis videatur, ut Breve illud per certum quendam hominem quamprimum transmittatur, de hoc significare Reverentiæ Vestræ voluimus, a qua tamen amanter contendimus, ut insinuationem istam eo modo, perque talem hominem instituat, unde ne minima quidem de nobis suspicio suboriatur. Quod ipsa prudenter et dextre facere noverit, simul etiam admonere suis literis Capitulum, ut obediat Sanctitatis suæ

voluntati, et Ecclesiam istam hac ratione ex illorum manibus liberet, unde non incertum illi immineat periculom. Quod nisi jam fiat, periculum esse, ne ea, sicuti multæ per Germaniam aliæ, tota intereat. Bene valeat Reverentia Vestra, cui fœlicissima quæque precamur.

Datum in Civitate nostra Ingolstadio ultima Augusti Anno MDLXXV.

Albertus Dux Bavariæ etc.
mppria.

XXXV. — Gregorius tandem ea, quam tanti momenti res postulabat, severitate usus, gravissimis minis Halberstadienses Canonicos ab Henrico Jolio postolando deterret, monetque, ut intra octo dies, abjecto hæretico adolescentulo, alium Episcopum Catholicæ fidei assertorem sibi eligant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 313. f. 313.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Albertadiensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Monuimus vos per alias nostras literas, ut eligeretis, postolaretisve aliquem vobis Episcopum idoneum dignumque, quem ipsi confirmaremus. Nam Julius filius Ducis Brunsvicensis, quem pene infantem novo more postulastis, neque ætate, neque disciplina idoneus est, alitur enim, instituiturque a parentibus et magistris hæreticis; neque potest Ecclesia ista sine summa et certissima multarum animarum ruina diutius pastore carere. Hoc vos jampridem fecisse oportuit: neque debuit quidquam apud vos gravius esse Christi gloria, animarumque ejus sanguine redemptarum salute; debuistisque utrique rei vestra sponte providere, vosque fideles Christo servos præbere; tandemque misereri Ecclesiæ vestræ, cui inservitis, tamdiu viduæ, et pastore orbatæ; ac sic cogitare, si ubi Pastor vigilat, tamen non cessat diabolus omnibus artibus, ac viribus multas oves abducere et rapere: quam multam necesse est ibi stragem factam esse, quotidieque fieri, ubi nullus tamdiu fuit pastor? Cum vero ad vestrum ipsorum officium nostra quoque admonitio accesserit, neque hactenus vestræ aliorumque saluti, et Christi causæ provideritis, non potestis carere gravissimo apud Deum atque homines crimine. Ut igitur omnem vobis excusationem et moram præcidamus, monemus vos iterum, ut aliquem idoneum virum eligatis, quem possimus ex vestra electione, aut postulatione confirmare, istique Ecclesiæ Episcopum præficere, idque omnino faciatis infra octo dies, postquam has nostras literas acceperitis; huncque ultimum vobis terminum præstitimus. Quod si non feceritis, non amplius ignoscemus, exercebimusque ipsi nostram tum in Episcopo præficiendo auctoritatem, tum legitimam in vestra contumacia atque inobedientia punienda disciplinam, sentietisque quantopere Nobis cordi sit salus animarum, et Christi gloria, quam utramque curam vos hactenus in hoc negocio abjecistis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Maji MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXXVI. — Verumtamen Halberstadienses Canonici haud perterriti in proposito persistunt, postulationemque factam tuentur, miserrima temporum condictione objecta; deprecanturque iterum Pontificem, ut ab se Postulatum tandem confirmare velit. (*)

(*) Germania Vol. 36. fol. 57.

Cum deosculatione pedum Sanctitatis Tuæ.

» Quamvis Sanctissime Pater, Rescriptum tuæ Sanctitatis, Romæ secunda Maji ad nos exaratum, denique Septembris die decima nona huc perlatum fuerit, et essemus in ea sententia, ad Electionem sive postulationem novam Episcopi descendere: tamen vel mille nobis obvenerunt impedimenta, quibus singulari diligentis consideratis, proposito nostro superaedendum esse aliquamdiu censuimus. Verum ne aliquam contumaciæ labem contraheremus, remediis divini, canonici et civilis juris uti voluimus: ad Sanctitatem igitur tuam recurrimus: hanc unam solam nostræ causæ portum esse tutum scimus, quare ad te confugimus, tu pater, tu patronus: si deseris tu, perimus. Suscipe itaque in Summi Pontificis culmine, posite Gregori tertie decime, provocationes, appellationes, supplicationes humilimasque precationes nostras his supplicibus libellis pio zelo conglutinatas; præsta quæsumus, ut pro Sanctitatis tuæ candore eas justo juris tramite, in formalibus et materialibus, justificare liceat. Scimus postulationum vim a Romanorum Pontificium et Sedis Apostolicæ, prout nunc sunt mores Christianorum, gratia pendere: hanc itaque solam expetimus, hanc requirimus, hanc poscimus omnes: nec quicquam a pastorali Sanctitatis tuæ cura, si nobis Henricum Julium Brunsvicum illustrissimum habero Episcopum largitus fueris, alienum feceris. Aetas Sanctitati tuæ parum obstat, (audiat Sanctitas tua nos paterne) ad annum enim fere pervenit decimum tertium: is tantus est, ut Romani Pontifices multis heroum filiis Episcopos et Prælatos esse in eo anno ætatis gratiose concesserint. Imo quod majus est, Deus Optimus Maximus Hieremiam et Baptistam in utero materno sanctificavit; Samuelem puerum Pontifici maximo prætulit, ipsumque puerum senem redarguere mandavit. Nunquid Daniel puer, Deo authore, presbiteros judicat? Et Jesus Christus Salvator mundi a puero accipit panes hordeareos septem. Nihil itaque mirabitur vir prudens et pius, si Sanctitas Romani Pontificis Gregorii decimi tertii Henrico Julio gratism ætatis fecerit, et cum Celsitudine ipsius paterne dispensarit; eoque in genere secutus fuerit vestigia optimi Sacerdotis Joiadæ, qui Joam anno ætatis

octavo regno Judaico præfecit; nec non veterum Pontificium exemplis inhæserit. Quis enim antecessores Sanctitatis tuæ Pontificiæ idem fecisse negare audebit? Cum videamus ab ipsis pulcherrima remedia præscripta esse, quibus succurritur ætatis defectum patientibus: hæc remedia approbant magni Juris Canonici interpretes Archiaconus et Hostiensis: eosque sequitur Lucerna Juris Pontificii, Abbas Panormitanus, maxime locum hæc habere asseverans in casu necessitatis et utilitatis, in quo nos vere versamur. Quæ enim major potest obvenire necessitas, quam Ecclesiam nostram adversariis potentissimis circumdari, ære alieno premi, injuriis locorum et temporum expositam esse. Requiritur heros Episcopus, qui et velit et possit patrocinio suo eam eripere a faucibus potentium adversariorum et creditorum rapacitate. Ah Pater Sanctissime, Clementissime Domine convertere usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos Clericos tibi et Sanctæ Sedi Romanæ morigeros; concedat tua gratia, quod rigor Juris forsitan negaret. Suscipe puerum tuum Henricum Julium, tuæ Sanctitati et Sedi Apostolicæ supplicantem, suamque obedientiam pollicentem, et graphice dicitur: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, Domine. Sancta Katharina virgo annorum decimo quarto Sophistas convicit, et spreta mundi gloria, martyrii coronam meruit. Quis igitur hoc idem a Principe optima parentela prognato fieri posse ambiget? Nec obstat educatio; non enim impiam, sed christianam catholicam esse pater Julius pollicetur, et dabimus operam, ut peste quæ grassatur in iis partibus sedata et Rectoratu Academiæ Helmstadianæ finito, Henricus Julius ingenii cultus causa Coloniam mittatur. Et apud Deum non est impossibile omne verbum: male edocti fiunt pii, bene instituti labescunt, permittente domino. Saulus Pharisæus persecutor Ecclesiæ Christi, vas Electionis et Doctor gentium factus est; Iscariothes ex Christi discipulo proditor. D. Augustinus apud Aethnicos educatus, summus Ecclesiæ Doctor extitit; Julianus in Christianorum schola educatus, quis fuerit historiæ testantur. Hæc autem non dicuntur in eum finem, ut quicquam dubitemus de educatione Postulati nostri, quam piam, christianam catholicam esse pater constanter affirmat; sed ut ostendamus eruditionem, doctrinam, pietatem, justitiam, prudentiam, fidem, sanctitatem, reliquasque virtutes futuri Episcopi non tam ab educatione, et alia provisione hominis, quam ab ingenti misericordia Dei pendere. Hic enim creat bonum et malum in civitate; hic bonos largitur Principes, hic Nerones et Calligulas regnare sinit. Dominus ergo Jhesus Christus filius Dei vivi, verus homo, Salvator mundi cum Patre æterno et Spiritu Sancto trinus et unus Deus habens corda Principum in manu sua, providebit, ut omnia etiam melius, quam sperantur, eventura sint: ejus igitur curæ aliquid, imo tota vitæ ratio, omnesque actus tam senum quam juvenum relinquendi sunt. Hic nobis proponentibus paterne disponit prout vult, hujus gratia et benignitate sumus quod sumus, vivimus, movemur, et in pietate constituimur, conservamur, non minus ac Cornelius Centurio Aethnicus dono Spiritus Sancti mandatur. Et quamvis juxta Canonizatum D. Hieronimi dictum: Non est facile stare loco Pauli tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium; tamen Deus qui dedit Henrico Julio postulato velle esse Episcopum, dabit etiam posse. Quapropter rursus ut in principio, sic et in medio et fine ad gratiam tuæ Pontificiæ Sanctitatis recurrimus, hanc vocamus, hanc imploramus, ut exerceat vires Pontificiæ Majestatis, et det gratiam, qualem ante multos annos tuæ Sanctitatis antecessores Julius Secundus et Julius Tertius Ernesto Saxoni, Friderico et Sigismundo fratribus Brandeburgicis, in ætate floridæ pubertatis concesserunt: eaque adjuti ad Primatus et Archiepiscopatus Magdeburgensis honores (quod majus est) ascenderunt, et tandem nostri administratores claruerunt. Hoc cur intermittat tua Pontificia Sanctitas, causas rationabiles non videmus; tanta enim tuæ Pontificiæ Sanctitatis est potestas, quanta antecessorum fuit. Exaudiat itaque tua Sanctitas tam supplice voce æquum petentes, et ut omnia succincte et diserte dicamus, Postulationem, nos, caussamque nostram denuo revidendam, excutiendam, pensitandam tuæ Sanctitatis subjicimus et petimus, rogamus, summisque votis contendimus, ut ex gratia quod jura difficilius forsitan permittere videntur, largiatur Pontifex Romanus, in scrinio sui pectoris omnia jura habens. Valeat tua Sanctitas, beateque vivat hic et in æde poli. Dabantur Halberstadii sexta Octobris 1575.

Humilimi ac devoti Oratores
Decanus, Senior, Totumque Capitulum
Cathedralis Ecclesiæ Halberstadensis.

Habeas etiam Halberstadiensium libellum, quo diœcesis conditionem satis ample exponunt, rationesque, quibus permoti Brunsvicensem in episcopum postulaverint. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 43.

« 1. Primum est situs Diœceseos nostræ, siquidem in Saxonia ad partem Hercynæ Silvæ (quam Melibœum vocari contendunt), ubi Bructerus mons excelsus quasi cœlum tangit, habitamus. Qua autem nunc religione utantur, quibusque moribus vivant Saxones, novit Sanctitas Vestra. Ordinem Sacerdotum (ut dicamus quod res est), qui S. V. Sedem sartam tectamque volunt, floccipendunt, bellis assueti magis arma quam jura tractant. Nec solum ple-

bei sic vivunt, sed et viri principes et nobili prosapia prognati miro studio res bellicas fovent, quasi fato ad arma sint nati.

2. Cum autem hic sit situs Diœceseos nostræ, usu venit, ut vicinos habeamus Electores, Duces, Principes, Comites, Barones, urbes liberas satis amplas, quæ statum suum (si opus est) defendere possunt, ex quarum vicinitate et contiguitate sæpius questiones incidunt etiam gravissimæ de finibus, de subditorum contractibus, et aliis ejus generis negotiis.

3. Præterea in nostra Diœcesi reperiuntur viri nobiles divitiis aucti, sunt Episcopo nostro vassalli potentes, ex illustribus et præclaris familiabus Comitum Baronumque nati, gentiles quoque, quorum parentes fuerunt viri et domi et foris optime meriti de Republica. Horum feuda sæpius ab Electoribus, Principibus et aliis vicinis oppugnantur, ut usus postulet defensionem necessariam. Ad nos itaque et ad Episcopum nostrum urgente necessitate recurritur, negotia proponuntur, consilium et auxilium expetuntur.

4. Adversarii nostri sunt Principes, præclari nobiles, in illustri loco positi, Cæsaribus et reliquis Principibus Germaniæ accepti et grati, per se satis potentes, ut nostræ Diœcesi ex suis agris nostris contiguis quotidie possint facessere negotium.

5. Accedunt temporum injuriæ, crebri motus, varii delectus, et exercituum quotidianæ conscriptiones, quæ in nostris et finitimis locis fiunt singulis fere semestribus. Saxonia enim nostra militem etiam exteris dat copiosum, promptum manu, armis aptum, potentem et alacri pectore comminus pugnantem, cui si Dux accedat vel in odium religionis nostræ, etiamsi nec ulla alia subesset causa, facile in nos concitari atque irruere possent; unde et nobis eo Principe opus est, qui patrocinium Ecclesiæ non solum suscipere, sed etiam in hujusmodi casibus præstare valeat.

6. Atque talis etiam Princeps, qui vicinis Principibus, Electoribus et Ducibus sit sanguine junctus, qualis est Henricus Julius noster, qui patre Duce Brunsvicensi, matre vero D. Joachimi Electoris Brandeburgensis filia prognatus est, adeo ut cum propter sanguinis conjunctionem, tum etiam propter suam ipsius patrisque potentiam nos nostramque Ecclesiam salvam tutamque conservare possit contra potentes etiam Ecclesiæ nostræ adversarios.

7. Hoc quoque considerandum venit, quod Ecclesia nostra habeat vassallos Comites, Barones, nobiles et subditos nonnunquam satis immorigeros et reluctantes, et qui præsertim in hac religionis diversitate Clerum non usque adeo magni faciunt, pro quorum retundenda ac refrenanda licentia nobis quoque Duce et patrono forti et potenti opus est, qui ipsos si opus sit in ordinem redigere et in officio continere possit.

8. Eam nimirum ob caussam, ut Catholica Religio, quæ in nostra adhuc viguit Ecclesia, constanter et tranquille conservari contra vicinorum aliorumque injurias, ac posteros propagari possit, id quod nobis Henricus Julius cum patre et avo, omnemque debitam reverentiam et obedientiam Apostolicæ Sedi, atque adeo Sanctitati vestræ, et Cæsareæ Majestati sancte polliciti sunt et assecurarunt.

9. Quod etiam nobis hoc Principe pax publica restitui et tam Respublica quam familiaris in florenti statu servari ac retineri possint.

10. Ut infinitas insuper taceamus commoditates subditorum, quæ ex ipsa contigui et vicini Ducatus cum nostra Ecclesia unanimi concordia resultant maxime, quando ipsis tuta et expedita sunt cum Brunsvicensibus civibus ac incolis (quæ civitas est Metropolis Ducatus et quidem florentissima) commercia et mercaturæ.

11. Hinc apud majores nostros jam plus centum fere annis ita observatum fuisse videmus, quod huic Ecclesiæ semper ex illustri aliqua et principali familia sibi Episcopum delegerint, prout numerari possint Dux Saxoniæ Ernestus, Albertus, Joannes Albertus, Fridericus et Sigismundus Archiepiscopi Magdeburgenses, Administratores Halberstadienses et Marchiones Brandeburgenses, sub quorum tutela hactenus nostra Ecclesia etiam in turbulentissimis temporibus Deo propitio servata est.

12. Hisce igitur omnibus et singulis aliisque rerum et temporum circumstantiis diligenter inspectis ac consideratis, in hoc ipso nobis quoque majorum nostrorum vestigiis omnino insistendum censuimus, atque unum ex Principibus et vicinis et potentibus Ecclesiæ nostræ postulandum duximus.

13. Hisce accedit, quod nostra Ecclesia ingenti ære alieno oppressa, eoque liberari nulla alia ratione potuit, quam si ad aliquot annos fructus Ecclesiæ ad eam rem impendantur, ut creditoribus promissa appareant, obligationibus subsidiariis fidejussores et prædia Episcopalia nexu, ut tandem hujus Ecclesiæ subditi et incolæ tam Ecclesiastici quam Sæculares onere ingenti collectarum et exactionum, quibusque diu multumque hactenus vexati fuerunt, liberentur. Id quod inter nos nostrumque Postulatum ita conventum est.

14. Hinc quoque summa tam ad nostram Ecclesiam, quam ad subditos et incolas nostros utilitas cum magna lætitia et congratulatione conjuncta redundat, et nobis eorum animus propter illorum servitiorum diminutionem propensior redditus est.

15. Ex hoc congratulati sunt huic nostræ postulationi totus Clerus, atque omnes Eccle-

siastici ordines, cæterique nostræ Diœceseos status et subditi, vicini quoque et cæteri omnes, qui nostris hactenus commodis studuerunt, et adhuc favent.

16. Defectus ille ætatis nostri Postulati, qui ab initio postulationis fuit, jam novem annis post eandem elapsis prope complebitur. Præterea eundem quoque natales illustres, ingenii vigor, literarum studium, et ingenua disciplina supplebunt.

17. Quod ad educationem et institutionem attinet, alitur instituiturque quam accuratissime in sacris literis cæterisque liberalibus disciplinis, et obbligarunt se Avus, Pater et ipse Postulatus, ut non nisi Catholica Religione imbui atque institui velit et debeat, cujus se quoque adsertorem perpetuo futurum promisit.

18. Hic etiam noster Postulatus eo ætatis nunc provectus est, ut a Cæsarea Majestate illi munus Rectoratus Helmestadiensis Academiæ elementissime commissum sit, in quo etiam Cæsareo Diplomate pro Halberstadiensi Postulato Episcopo ab ipsa Cæsarea Majestate recognoscitur et nominatur.

19. Ejus quoque nec multo majoris ætatis fuerunt etiam olim Episcopi et Præsules nostri Postulati, Dux Ernestus Saxoniæ, Marchio Fridericus et Sigismundus, qui tamen a Pontificibus ejus temporis tollerati et confirmati summa cum laude et maximo eum fructu nostræ Ecclesiæ fideliter præfuerunt.

20. Hisce sane rationibus, majorumque nostrorum exemplis fœlicissimoque rerum eventu, omniumque denique ordinum nostræ Ecclesiæ unanimi congratulatione, hic noster Henricus Julius postulatus et vocatus est, qui etiam hoc munus sibi injungi libenter passus est, omnem T. S. et Sedi Apostolicæ reverentiam et obedientiam offerens, seque totum T. S. arbitrio committens et addictissime dedicans, obnixe et humillime simul nobiscum petens T. S. confirmationem vel dispensationem seu tollerantiam.

21. Nos quoque pollicemur cum eodem ipso in hac nostra Ecclesia Catholicam Religionem sartam tectamque, Rempublicam denique atque ea omnia, quæ Principem decent, quam diligentissime procuratum iri, sperantes atque confidentes omnino tuæ Sanctitatis clementiæ, benevolentiæ, et paternæ benignitati, nos hoc apud T. S. exoraturos.

22. Sin autem T. S. hoc omnino non velit, neque in hoc coonivere, (quo ipso tamen nos omnium injuriis, spoliis atque violentiis nos objici, nostram religionem mutari, pacem turbari, rem familiarem conteri, subditos commoveri, quod Deus avertat, valde timemus, cum et Dux Julius nomine filii ab hac postulatione bona cum pace discedere omnino non velit, id sibi totique suæ familiæ prorsus injuriosum et contumeliosum existimans) tum, ut S. T. nobis in hoc quam elementissime ignoscat, humillime rogamus atque obtestamur.

23. Quia hoc totum Postulationis negotium in T. S. arbitrium et beneplacitum rejectum fuerit, et sic nobis nec quicquam culpæ vel doli imputari possit.

24. Cum quod T. S. confirmationem non solum nostris literis supplicatoriis, sed et Cæsareæ Majestatis aliorumque procerum intercessionibus obnixe rogavimus, atque interea ejus resolutionem (citra omnem ullius criminis suspectionem) magno cum desiderio expectavimus, nos exinde nec contumaciæ, nec inobedientiæ reos statui posse. Contumax enim non est, nec in dolo vel culpa, qui rationabiles solum, nedum legitimas caussas allegat judicisque expectat patienter arbitrium et juditium.

25. Hinc nemo est, qui nos ejus contumaciæ reos facere aut legitimo modo convincere possit.

26. Nec etiam sumus ad ullius accusationem ante hoc citati, multo minus per canonicam rationem convicti.

27. Non debet autem is pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia. c. Non debet 11. q. 3.

28. Et si quis non sit convictus de culpa et delicto, pœna non debet affligi.

29. Præterea terminus octo dierum in Brevi præfixus nimium est angustus, et hoc ipso nobis a jure indultum beneficium aufertur.

30. Ergo quoque nec nos nostro jure Electionis eam ob causam privari possumus aut debemus.

31. Multo minus insuper etiam aliis quoque pœnis gravari, prout in illum eventum nobis nostræ electionis jus integrum relinqui, et terminum juri canonico convenientem concedi petimus, cum hic neque ad citandum absentes, id quod fas est, neque ad incheoandum, nedum etiam ad perficiendum tale negotium sit sufficiens.

32. Nos nostramque Ecclesiam et cætera, totumque denique hoc negotium T. S. fidei et tutelæ et discretioni committentes, atque quam humillimo quo possumus aut debemus, obsequio subjicientes.

Petentes gratiam
Tuæ Clementissimæ Sanctitatis.

XXXVII. — Pontifex haud se circumferri passus dolosis et ad speciem gravibus illis caussis, quas Canonici isti afferebant, postulationem constanter rejecit. Nemini profecto magis quam Gregorio misera Ecclesiæ in his regionibus conditio patebat: Bartholomæus enim a Portia, Gaspar Gropperus, Nicolaus Elgardus et Alexander Trivius, qui superiori anno Nuntii extra ordinem in Germaniam missi fuerant, Gregorio frequentibus ad Cardinalem Comensem

datis litteris accuratissime de Ecclesiæ Germanicæ rebus retulerant, additis quibus ejus bono consuli rationibus posset. En quæ Gropperus de Halberstadiensibus scribit, simul quæ cum Duce Cliviæ de ejus filio in Episcopum Monasteriensem postulato egerat. [*]

[*] Germania Vol. 24. fol. 155.

Illmo et Rmo Principi et Domino Dño Ptolomæo Gallio S. R. E. Cardinali Presbytero, Archiepiscopo Sipontino etc. Domino meo Colendissimo.

Illme et Rme Princeps et Dñe D. Colendiss.

« Novissimas Illmæ et Rmæ C. V. literas, quæ Halberstadensis Ecclesiæ et illius Postulati meminerunt, ea qua debui observantia accepi. Et quæ de ipsius Braunswicensis S. D. N. mandatis obediendi prompta voluntate antea perscripseram, attinet, ea ex relatione Georgii Gogreff per ipsum Ducem ad me missi, ut perscripsi, tunc cognoveram. Interea autem dum de singulis diligentius inquiro, ac ea (quorum cognitio Romæ desideratur) investigo, pleraque, quæ falsa cuperem, cognosco. Quod enim ad ipsum Ducem Julium attinet, nimis manifeste constat, illum a catholica religione jam plane defecisse: pleraque etiam monasteria et pia loca invasisse, ac eorumdem proventus suis profanis usibus applicare. Et cum istis diebus ex Halberstadio, Hildeshemio et vicinioribus locis huc quidam venissent, ac Nobiles quosdam adolescentes per Patres Societatis Jesu in literis et pietate erudiendos adduxissent, cum iis diligentius de singulis agere et tractare non cessavi. Et comperi ipsi Julio tres esse filios: majorem natu esse ipsum Postulatum Halberstadensem, jam forte decimum ætatis annum ingressum, et dum metu ipsius avi q. Ducis Henrici postularetur, adhuc anniculum fuisse, educari autem in aula paterna: an satis catholice multos metuere. Plerosque etiam in haud levem suspicionem venire, ne idem Braunswicenses Duces in Halberstadensi Ecclesia sint tentaturi, quod Marchiones Brandeburgenses in Archiepiscopatu Meidenburgensi Germaniæ Primatu perfecerunt: adeo ut si quidquam cum salute illius Ecclesiæ agendum, haud minori securitate et forsan majori opus fore, quam ea, de qua inter Monasterienses et Cliviæ Ducem jam convenerat. Intelligo, quod dum quidam Halberstadenses Capitulares ipsum Julium Ducem de voluntate S. D. N., ut alium idoneum eligerent, admonuissent, illum respondisse, ipsis liberum fore, ut filium suum recte et catholice institui curarent. Interea tamen nihil utrinque ulterius præstitum atque valde metuendum, ut ubi Postulatum istum adolescere contingat, ne super inducta uxore simul etiam Ecclesiam Halberstadensem detineat occupatam vel improba quadam successione in minores fratres transferat. Et si his malis in tempore occurri debeat, authoritatem ipsius Imperatoris, aliorumque Catholicorum Principum fidem plane necessariam. Agit ipse Dux Julius nunc valde diligenter, ut cæteri duo filioli (etiamsi adhuc prima tonsura careant) in ista Coloniensi Ecclesia Canonicatus nancisci queant: et jam pro altero locum obtinuit. Quo autem consilio et instituto ea præsertim ætate id fiat, varii varie sentiunt. Rogandus misericors Deus, ut cuncta ad nominis sui gloriam, Catholicæque religionis conservationem convertat.

« Non sine magna admiratione et animi dolore cognovi, necdum literas meas, in quibus de iis, quæ cum Cliviæ Duce, et Archiepiscopo Coloniensi acta fuerunt, perscripseram, perlatas. Quæ (si literæ illæ forsan aut improborum quorumdam fraude, aut casu aliquo interceptæ) paucis, ut sequitur (etsi nunc tardius) repetendo putavi. Statim enim ubi ea, quæ de immatura junioris Principis morte perscripta fuerant, ut jussus eram, ipsum Ducem, quem tunc Dusseldorpii reperi, accessi. Sed cum is tum discessum, Cliviam aditurus, adornaret, Consiliariis minime visum fuit, ut de tam tristi casu, et tantis Principatibus, et toti pene Germaniæ exitiali calamitate, aliquid ipsi Duci innotesceret, donec Cliviam, ubi aliquo tempore permansurus, veniret, possentque tunc omnium suarum Provinciarum conjuncti Consiliarii (prout res postulare videretur) rebus consulere. Coactus sum itaque primum Xanthos, post etiam Clivos cum ipso proficisci. Xanthis, (ubi filium Postulatum Monasteriensem invisit), pleraque, quæ ad catholicæ religionis conservationem spectare visa sunt, acta fuere. Clivos vero, ubi ventum, diligenter denuo deliberatum, qua potissimum commodiori ratione tristissimus iste casus (quo ipsi Patri acerbior, Principatibus autem ipsius nullus calamitosior accidere poterat) ad ipsum Ducem perferri posset, et expedire visum fuit, ut primum ipsi darentur literæ, quæ de ægritudine filii meminissent. Quas ubi legisset, statim ille magnopere turbatus, gemitu et singultu cuncta complebat: interea ego cum Cancellario et duobus aliis præcipuis Consiliariis ipsum accessi, et cum plurima de umbratilis hujus vitæ miseria collata fuissent, tandem etiam eo sermo devenit, si forte omnipotens Deus de filio suo quid humanitus statuisset, omnia Dei omnipotentis voluntati submittenda: et tum etiam literæ ipsius immaturæ mortis nunciæ partim illi traditæ, et omne genus consolationis, quod tanto dolori remedium aliquod adferre posset, adhibitum. Tradidi ego etiam tunc Apostolicum Breve, cui omnia ea, quæ opportuna videbantur, adjunxi: tum sane ille etiam profusis lachrymis adeo turbatus, ut dum quæ vellet, commode explicare non posset, omni corporis et motuum significatione indicaret, eam mortem sibi, non filio debitam, ac sæpius, ut commodius poterat, exclamabat:

Carole fili mi, quis mihi tribuat, ut moriar pro te? etc. adjunctis variis lamentationibus: Patientia, Patientia. Postea lecto sacro Apostolico Brevi, cognitisque quæ et quanta S. D. N. primum Romam venienti, ex Neapoli redeunti, moribundo et jam mortuo ipsius filio præstitisset, ipse quidem obitum filii primogeniti lugere et deplorare non desit: ita maximas gratias S. D. N. egit, quod tanta clementiæ beneficia in utrumque et patrem et filium conferre voluerit, se suamque posteritatem horum nunquam immemores futuros, prout et se suis literis, et reipsa (quotiescunque liceret) comprobaturum testabatur. Deinde cum ille animi dolore sine intermissione affligeretur, multa ex sacris literis et iis, quæ ipsi Job et aliis Deo charis amicis acciderunt, exposita fuerunt: inde se in interiora cubicula subtraxit, ac abjecto omni ornatu, vestem lugubrem induit, et dum cæteri crederent, (nox enim erat) quod quieti se daret, ille tamen uno tantum comite ad cubiculum, in quo ego morabar, media nocte, etiam secundo regressus, varie denuo intimum cordis dolorem testatus defuncto filio vitam, sibi vero tanquam nunc publicæ commoditati minus utili mortem haud obscure precabatur. Rogabam tum (ut et antea sæpe) ut suam voluntatem divinæ jussioni accomodaret, Deum Opt. Max. suo divino auxilio ipsi non defuturum: atque ita dum decessit. Altero vero die de defuncti sepultura ac cæteris statuit. Et hæc quidem summatim ea sunt, quæ tunc acciderunt, atque ego alias copiosius literis sum complexus.

« Mors ista ut patri et patriæ, ita toti Germaniæ (præsertim quæ Catholicæ religionis adhuc partes sequitur) tristissima, ita magnum timorem, et haud minime vanum metum secum trahere videtur. Nam cum ipse senior Dux sexagesimum ætatis annum agat et dilucida eloquendi facultate sit destitutus, ac alia pleraque incommoda patiatur, si illum hinc evocari contingeret, et Dei voluntatem etiam aliquid humanitus filio juniori Joanni Wilhelmo (qui tenerrimæ complexionis est) accideret, omnes amplissimi illi Ducatus et Principatus ad damnatæ fidei et religionis sectatores, Saxones, Prutenos et Palatinos devolverentur, ac dum de catholica religione hisce in partibus quodammodo actum videretur. Sed misericors Deus non patietur lucernam extingui in Israel, et populum suum dari in dispersionem.

« Illustrissimus Dux defuncti pater in singulis Principatibus suis solemnes piasque exequias, pro veteris Catholicæ religionis instituto atque observatione (prout ex adjacenti folio, in quo et S. D. N. paternæ clementiæ et benignitatis meminit, apparet) servari curavit.

« Capitulum Monasteriense, cæterique illius amplissimæ Ecclesiæ status haud minore dolore et angustia premuntur, cum Postulatum suum relicta ecclesiastica functione, Laicalem vitam secuturum haud tenere credunt, atque nunc multum dubii sunt, quanam potissimum ratione suæ diœcesis incolumitati consulere possint. Plerique de Rño et Illño Dño Ernesto Frisingensi Administratore Duce Bavariæ etc. cogitare incipiunt, cum sperent talem Cliviæ domus consanguineum ipsi Illño Duci gratum vicinum Principem futurum. Quidam tantum metuunt, nedum ille Hildeshemensi Ecclesiæ per vim et injuste ablata repetiturus esset, Monasteriensem quoque Ecclesiam Belgicis calamitatibus involveret. Quid senior Dux de Joanne Wilhelmo plane statuerit, in hoc acerbi luctus initio, adhuc satis clare non constat. Dicitur tamen illum in aulam vocaturum: plerique ex Consiliariis varie de hisce mecum locuti fuerunt, arbitrati posse Joannem Wilhelmum illius Ecclesiæ administrationi adhuc pluribus annis præesse, sed an eadem sit patris voluntas, hactenus comprobatum satis non existit.

« Quantum vero ad hujus Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ salutem atque conservationem attinet, cum iste Rñus in suscepta functione se non permansurum testetur, multis cum ipso ex præscripto eorum, quæ in mandatis acceperam egi. An autem per futuri Coadjutoris constitutionem, futuris malis succurri possit, ille nihil certi, cum ex sua voluntate omnia ea non penderent, constituit, sed cuncta clementissimæ voluntati atque deliberationi S. D. N. remisit, seque de singulis maturius cogitaturum atque deliberaturum recepit: ac interea in Westphaliam regressus, quid hactenus statuerit, necdum indicavit. Intelligo ex statutis Ecclesiæ, atque etiam istius Domini promissione et juramento non licere, Coadjutorem assumere, nisi ipsius Capituli voluntate atque consensu accedente, qui sane cum inter ipsum et Capitulum non conveniat, difficilius hodie subsequetur. Cum Capitulo autem ea de re nihil hactenus egi, cum neque a S. D. N. neque ab Coloniensi, ut agerem, hactenus mandatum fuerit. Quæcumque autem agenda opportuna videbuntur, ubi cognovero, ea qua debeo sedulitate exequar.

« In iis quæ eximio Dño Elgardo Theologo et Alexandro Trivio agenda commissa fuere, ea quæ potui præstiti, neque dubito cuncta ipsorum literis C. V. jam abunde innotuisse. Christus Jesus Illñam et Rñam C. Vram Ecclesiæ suæ publicæque utilitati quam diutissime conservet. Datum Coloniæ Agrippinæ 7. Maji anno reparatæ salutis 1575.

Illñæ et Rñæ Celsitudinis V.

Deditiss. et obsequentiss. Servitor
G. Groppers.

XXXVIII. — Maximi prorsus momenti sunt, quæ Elgardus de difficillima Ecclesiarum Mer-

seburgensis, Naumburgensis, Misnensis atque Erfordiensis conditione refert. [*]

[*] Germania Vol. 40. fol. 72.

Illmo ac Rmo Dño, D. Ptolomæo Gallio Nuvocomensi S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Sipuntino, etc. Domino singulari pietate colen̄.

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine Colendissime.

« Superioris mensis Aprilis die 21. de Ecclesiis Halberstadensi et Magdeburgensi prolixas et duplicatas scripsi, quas confido V. C. bene accepisse. Interea de iis Ecclesiis nihil mihi calamo dignum innotuit. Sequentibus diebus cum Dñis Visitatoribus Illmi Archiepiscopi Moguntini monasteria ruralia (dum causa civitatis Dudenstatensis pendet, ut aliquoties scripsi) visitare cœpi, qua de re opportunitate prima ad V. C. scribam. Cum autem animadverterem Suffraganeum Moguntinum propter consecrationem Episcopi Herbipolensis tardare reditum, deliberare mecum ipse cœpi de Ecclesiis Merspurgensi, Naumburgensi et Misnensi. Inventis igitur tutioribus rationibus (quas longum esset commemorare) die 7. hujus mensis Maji iter denuo sum ingressus, et celeri itinere sequenti die veni in oppidum vel civitatem quandam, quæ non multarum horarum itinere distat a Naumburgo, in qua viros aliquot (quorum antea nomina annotata habebam) inveni, ex quibus unius aut alterius diei conversatione hæc didici.

« Anno 1564. cum Rmus D. Michael Episcopus Merspurgensis esset e tabernaculo mortis hujus evocatus ad vitam, Dux Saxoniæ duos habens filios, institit apud Capitulum Merspurgense, ut seniorem filium suum postularet. Cum Capitulum renueret et operam Cæsareæ Majestatis imploraret, misit Imperator commissarios, mandans Duci, ut electionem liberam permitteret: Dux arte commissariorum (quinam fuerint non mihi constat) actiones protraxit, et fatigavit ita ut infecta electione discederent. Tunc seriter Dux apud Capitulum institit, tandemque postulationem pro filio obtinuit.

« Eodem anno die 4. Septembris mortuo Rmo Dño Julio Pflugio Epō Naumborgensi, apud hoc Capitulum Dux Saxoniæ similiter pro eodem filio suo institit. Erant in Capitulo Canonici catholici D. Petrus Neumark Dr. Juris Decanus, Conradus Bredebach Dr. Juris, Joannes Bernardus Gabeleus et Georgius Carlwitz. Reliqui aut hæresi seducti, aut neutrales erant. Ut autem renitentes in suam sententiam Dux pertraheret, et cogeret, misit in civitatem Naumburgensem milites. Unde post duorum mensium molestias Capitulum periculo cessit: consenserunt omnes in postulationem, dempto D. Conrado Bredebach, quem audio ob religionis Catholicæ constantiam et Ecclesiæ libertatem conservandam usque in hunc diem persecutiones metuere, nec tuto satis iis locis versari posse. Cæterum intra eundem annum, qui rapuerat pro filio ecclesias, ei eripitur filius.

« Sublato igitur seniori filio, qui obtrusus fuerat ad postulationem, vacavit uterque Episcopatus. Cum autem alteri filio annos 16. plus minus nato (quem audio valetudinarium perpetuo esse) fortasse non auderet raptas Christo sponsas copulare, ne in illo quoque flagellaretur acrius: ac proinde modum coram hominibus honestum retinendi Episcopatus non inveniret, dixit se sine perturbatione pacis et periculo suarum ditionum non posse ferre iis in locis externos Episcopos, qui fortasse eligerentur, vel aliunde postularentur. Itaque molestationibus et minis utrinsque Episcopatus provisionem ad 20. annos obtinuit: eo, ut quidam putant, consilio, ut interea Catholici omnes emoriantur; sed existimandum ea potius providentia, ut si plures ipsum contingat recipere filios (quoniam effœta nondum est conjux) his prospexerit, ne ditiones hæreditarias dividi sit necesse.

« Huc enim plerique in Germania seducti ab hæreticis Principes spectant: siquidem sentiunt neque sibi neque suis sufficere posse, quantumvis rapiant. Porro Dux Saxoniæ Naumburgensibus promiserat sese ipsos nullis exactionibus gravaturum, nisi vel Turcicum vel simile Imperio subsidium esset conferendum. Experiuntur diversum subditi: exiguntur enim ex solius cerevisiæ ratione ab ea civitate annue 20,000 florenorum.

« Merspurgenses Canonici quos cognoscere potui hi sunt: primus Petrus Neumark Dr. Juris, totus decrepitus, sensibus plane debilitatus, Catholicus, sed vino deditus, est Decanus Naumburgensis; 2. Gunterus Binnen, Præpositus Cathedralis, sine fide catholica, sine uxore; 3. Andreas Holtzendorff habet secundam uxorem; 4. Arbogastus, Licentiatus, uxoratus, non est nobilis; 5. duo consanguinei nominati Commerstat, ambo uxorati; 6. Henricus Poster, uxoratus. 7. duo Doctores perpetui professores Lipsiæ, hæretici sunt, uxorati.

« Naumburgenses Canonici: primus Petrus Neumark Decanus, de quo jam dictum est; 2. Conradus Bredebach catholicus, et dicitur valde bonus, maluit exulare quam in illegitimos tractatus consentire, est Decanus in Zeitz, ubi sedes vel habitatio est Episcoporum Naumburgensium; 3. Joannes Bernardus Gabeleus, catholicus (cujus parens vir nobilis fere solus iis locis creditur secularis fuisse catholicus; ante paucos dies in Dño obdormivit) est Canonicus Moguntinus, et sacerdos doctus, bonus, libris addictus, solitarius libentius quam ut rebus gerendis operam conferat; 4. Georgius Carlwitz, idem est Canonicus Misnensis, Halberstatensis et Magdeburgensis (ubi jam dicitur residere) sincerus catholicus creditur, virilis aetatis, ut cum-

que doctus, Romæ apud Illm̃um Card. Tridentinum septem annis fuit. Ultimus Epũs Misnensis Catholicus fuit hujus cognatus: habet et cognatum Christophorum Carlwitz, qui est eques Imperialis, nomine Cæsareæ Majestatis versatur in regimine Pragensi. Hic utitur sæpe opera dicti Georgii Carlwitz, quia rebus gerendis non ineptus est. 5. Joannes Hauwitz Epũs modernus Misnensis: seductus ab hæreticis, de quo infra; 6. Gunterus Binner senior, et scholasticus; idem est Præpositus Merspurgensis, ut supra dixi sine uxore, neutralis potius quam hæresi addictus; 7. Quidam nobilis dictus Heintz, neutralis, sine uxore; 8. Jacobus Etzdorff, sine uxore, neutralis, videtur magis sentire cum Catholicis; 9. Quidam Metsch, et alius Greff nobiles, sine uxoribus, ab hæreticis seducti; 10. Henricus Poster, Georgius Maler, uxorati, seducti; 11. Duo Doctores perpetui professores Lipsiæ, uxorati, hæretici.

« In Merspurg et Naumburg nullus scitur civis Catholicus. Qui sub Rm̃is D. V. Michaele Merspurgensi et Julio Pflugio fuerunt Catholici, postea bannis et molestiis coacti sunt ad utriusque speciei communionem. Hi duo Episcopatus sunt sub Archiepiscopatu Magdeburgensi. In Merspurg, Naumburg et Zeitz (ubi dixi solitos residere Episcopos Naumburgenses) horæ Canonicæ servantur; Missa non permittitur.

« Cæterum ante annos 16 plus minus defuncto postremo Episcopo Misnensi Catholico a Carlwitz, tres erant Capitulares Catholici, Decanus Naumburgensis, de quo supra, Georgius Carlwitz de quo supra, et Joannes Hauwitz. Hi tres exclusis aliis non Catholicis electionem celebrarunt: ceciderunt vota super Jo: Hauwitz, tunc quidem Catholicum; habitat in oppido Wortzen ad Mollam fluvium; habebat duas civitates, unam Stolpen cum perpulcro castello, et alteram Bischoffswerden. Dux Saxoniæ institit, ut has civitates per commutationem aliorum bonorum obtineret; Episcopus cum renueret, cœpit a quodam nobili vexari. Imperator Duci Saxoniæ mandavit, ut hujus nobilis importunitatem reprimeret; Dux id egit, ut magis fovere quam avertere persecutiones Episcopi videretur. Tandem cum Episcopum in civitatem suam Dresdam pellexisset, arte et minis impulit, ut commutaret. Ita Dux dictas civitates obtinuit. Non multo post Dux eadem bona, quæ in commutationem dederat, repetiit, et alia assignavit, quæ fortasse non sunt multo inæqualis valoris, sed Ecclesiæ Misnensi minus commoda minusque tuta.

« Præterea cum Illm̃i quondam Duces Saxoniæ essent catholici a Summis Pontificibus privilegium ad collationem beneficiorum Ecclesiæ Misnensis in mensibus Apostolicis obtinuerunt; inde in hodiernum usque diem plus sibi putant licere, et pro nutu vel conferunt vel sibi ipsis vacantes Canonicatus retinent. Nam et Decanatum et Præposituram cathedralis Ecclesiæ Misnensis Dux Saxoniæ in suis habet manibus, censusque percipit. Audio tamen ipsum spiritualia bona distincta relinquere (ut etiam in Episcopatu Mersporgensi et Naumburgensi) et registris distinctis omnia recipit. Ad has jacturas ipse Episcopus Misnensis a fide et religione Catholica defecit, concionatores Augustanæ confessionis ascivit, uxorem duxit.

« Canonici Misnenses, quos investigare potui, duo sunt Catholici: primus Decanus Naumburgensis, de quo supra; 2. Georgius Carlwitz, de quo supra; deinde 3. Henricus Poster uxoratus, tamen sentit cum Catholicis, eoque vota ipsius inclinant; 4. Quidem Commenstat, uxoratus, seductus; 5. Duo perpetui professores, nunc hæretici Lipsiæ, uxorati. Creditur ex civibus omnino nullus Catholicus. Formidandum, ne Dux Saxoniæ hanc quoque Ecclesiam Misnensem (quæ quondam sub Archiepiscopatu Magdeburgensi, nunc est Sedi Apostolicæ immediate credita et subjecta) simulatque vacaverit, ad se pertrahat.

« Hæc Illm̃e Dñe cum cognovissem, et satis certo mihi constaret, me in dictis Episcopatibus neminem inventurum, qui fidelius mihi posset vel referre vellet, quamquam per paucas horas in ipsam civitatem Naumburgensem proficisci poteram, ab ingressu tamen illius et aliarum civitatum temperare malui justissimis ex causis, quas non existimo necessarium referre omnes. Hac rebus gerendis pro tenui meo judicio ratione utor, ut quamdiu est spes fructus, libenter pericula, damna, et difficultates meas Dño Jesu, cujus (licet indigni) causam tractamus, committo; quando autem nulla ulterior spes fructus superest, merito mihi, sed magis aliis, ne temere periclitentur, parco.

« Si autem S. D. N. vel V. C. præter hæc Christi gloriæ, ejusque Ecclesiæ serviri posse existimat, ego non tantum civitates, sed ipsum Ducem Saxoniæ, facta catholica obedientia monitus in nomine Dñi adiero.

« Quomodo porro S. D. N. pro sanctissima sua in Germaniam charitate dictas Ecclesias juvare possit, nemo est, qui viam frugiferam facile aperire posset. Dicam quod aliorum meaque minima sententia apparet.

« Primo si qui apud Cæsaream Majestatem sunt, suæ Majestati declararent, nulla æquitate feuda ac regalia Principum Imperii posse concedi, nisi Episcopatus utpote distinctos Imperii principatus suæ libertati relinquerent, ac restituerent. Tum ubi primum Dux Saxoniæ naturæ debitum persolveret, possent filio, vel cuivis hæredi ejus, Electoris regalia negari, donec libertatem Ecclesiasticis Principibus restitueret. Si id Caes. Majestas pro Christi gloria et Imperii nervis con-

servandis constanter facere vellet, valeret idem consilium pro Archiepiscopatu Magdeburgensi. Simulatque enim Joannes Georgius Marchio Brandeburgensis Princeps Elector, apud vivos esse desierit, succedet ipsi Joachimus Fredericus, filius, Administrator Magdeburgensis, uxoratus. Ad alium enim nullum Electoratus (ut ita dixerim) transire potest; nam Georgius Fredericus Brandeburgensis (qui in Onoltzbach seu Ansbach, quinque milliaribus a Norimberga habitat) sine spe hæredis manet, et diversæ lineæ est. Alius Marchio Brandeburgensis, prætensus Dux Prussiæ, nil hinc sperare potest, quamquam nec inde spes prolis. Necesse est ergo Administratorem Magdeburgensem vel ejus filium (unum habere creditur) fieri Electorem Brandeburgensem. Quantum tali casu Cæsareæ Majestatis auctoritas possit, ipsi Principes, qui aliena usurpant, non ignorant, dum æque nil metuunt, quam ne regalia, nisi facta restitutione, negentur. Nihil attinet exempla ascribere, res ex ratione cuivis sapienti patet.

«Secundo cum Capitulum Naumburgense Duci Saxoniæ ad 20 annos provisionem Ecclesiæ concesserit, sintque undecim dumtaxat anni elapsi, si qua vel per Cæsaream Majestatem vel alia ratione fieri posset, ut Coadjutor talis administrationis designaretur, cum pleno jure obtinendi Episcopatus simulatque 20. anni expirarint. Ad quod institutum non inidoneus esset D. Joannes Bern. Gabelens, vel D. Conradus Bredebach; quorum qualitates supra inter Canonicos Naumburgenses sunt expositæ. Sed metuo, ne metnant debilitati suæ a violentis horum temporum invasionibus.

«Atqui commodius fortasse Episcopo Misnensi Coadjutor assignari posset D. Georgius Carlwitz, de quo prolixe inter Canonicos Naumburgenses est dictum. Cum enim (ut ibidem est dictum) cognatum habeat Christophorum Caelwitz, qui in administratione Pragensi grandis est auctoritatis apud Cæsaream Majestatem, hoc negotium promovere posset; cum Dux Saxoniæ nil in hunc Episcopatum adhuc juris prætendat, aut attentarit, nisi quod Canonicatus varie suspendit, ut supra exposui. De ipsius autem D. Georgii Carlwitz persona latius apud Illustrissimum Card. Tridentinum inquiri posset, apud quem septennio (ut narravi) fuit. Hanc Ecclesiam existimo S. D. N. plurimum esse cordi, quum S. S. immediate sit commissa. Coadjutoria autem maturari deberet, et tractari sedulo per eos qui sunt apud Cæs. Majestatem.

« De hoc Georgio Caelwitz etiam cogitari potest, an Coadjutor Magdeburgensis (ubi Canonicus est) fieri posset; quod facilius videretue, si jam Coadjutor Misnensis esset designatus, ut Principis dignitatem præ se ferret. Sed et hæc res difficultates secum ferme infinitas trahit, fructum nescio qualem vel quantum promittat.

« Circa Ecclesiam Merspurgensem hæc via Coadjutoriæ non videtur habere locum, cum Capitulum illud neminem habeat Catholicum, nisi Decanum Naumburgensem, cujus personam inter Canonicos Merspurgenses ostendi regimini parum utilem et senio decrepitam.

«Tertio si ad medelam facit cognitio causæ morbi, hæ Ecclesiæ ad tantam defectionem corruere, non tam Ducis Saxoniæ injuria quam personarum penuria, quæ abvenit Episcoporum licet Catholicorum incuria: qui moniti a bonis viris, ut Canonicos Catholicos tempestive sibi assciscerent, ajebant, sed non faciebant. Commemoratur aliquoties dixisse Saxoniæ Dux Augustus, se nil Canonicis illarum Ecclesiarum detracturum, si facerent, quod Ecclesiæ filios deceret. Quamquam non est justa hæc spoliandi causa, fuit tamen grandis occasio. Itaque si per Cæs. Majestatem aut Ducem Bavariæ vel aliis viis Catholici et honesti nobiles Canonici paulatim in eas Ecclesias induci possent, spes non est nulla, cum adhuc nomina Capitulorum restent, nec convulsi sint Episcopatus aut alienata bona, aut privilegia sublata.

« Quarto quoniam cleri potissimum inscitia morumque malitia, populique peccatis retrocessimus, scientia et disciplina revertamur oportet. Itaque si illis Ecclesiis et locis de quibus postremis literis scripsi, vigilantissime prospiceretur, haud dubie in fines ulteriores conatus nostros proferret is, in cujus manu sumus, et nos et reducti fratres nostri. Gens quidem hæc septentrionalis, paulo asperior et incultior est minusque civilis, tractabilior dubio procul, placida, piaque futura, si in vicinis Ecclesiis pastorum vigilantem dilectionem, sanctamque conservationem sacerdotum cognosceret ac perspiceret.

«Eodem itinere, Illustrissime Domine, Erfordiam transii, ubi pridie et ipso die S. Ascensionis Domini hæsi. Catholici libere cultum Dei catholice exercent, haud secus quam in civitate Coloniensi, aut Trevirensi. Pridie Ascensionis consuetam ac solemnem stationem cum majori Litania in montem S. Petri fecerunt; concio habebatur catholica satis docta: existimo personas catholicas interfuisse 500. aut 600. plus minus; audio autem omnes ferme ejus civitatis Catholicos fuisse præsentes. Post concionem decentissimo ordine cum choro populus rediit ad templum B. Mariæ. Ipso festo Ascensionis ante et post meridiem a Catholicis nil de cultu Dei catholico est prætermissum. Clerus est plus satis deformatus; populus tantæ modestiæ est, et simplicis pietatis, ut demptis Trevirensibus et multis Coloniensibus vix viderim populum in Germania tam modestum et pium.

«Volui etiam audire concionem seductæ plebis

seu hæreticam; in qua concionator mihi placere non potuit, quia nimis aperta crassaque mendacia declamabat. Nihilominus misella plebecula ita se componebat ad falsatam pietatem, ut animorum et corporum demissionem non possem non mirari et commisereri. Ante biennium plurimas Augustæ, dissimulata persona, hæreticas audivi conciones: Concionatores isti huic non erant cæcitate dissimiles; sed plebem hæreticam aut verius ab hæreticis deceptam non vidi tam propinquam veræ pietati, quam eam concionem seu congregationem Erfordiensem. Sitiunt meo judicio veritatem plurimi potius quam sectas contentiosas ament. Quod si divina bonitate tandem aliquando annuente, viri necessarii mitterentur, haud dubie a fabulis aurem multi averterent. Est ampla civitas, et creditur non minus populosa quam Colonia Agrippina. Clerus non est admodum numerosus; poteram certius scire, sed tum non occurrebat, ut numerum inquirerem atque annotarem. Crediderim pridie Ascensionis Domini fere centum personas ecclesiasticas processioni interfuisse. Miranda inscrutabilia Dei judicia, quod cum ex Monasterio hujus civitatis contagiosissima ista pestis et pestilentissima contagio Lutherus iste prodierit; tantum tamen sua bonitate Christum Dominum catholicæ religionis semen tam multis annis conservasse. Dolenda e diverso res, non majorem donis dei adhibitam ac ne nunc quidem adhiberi curam.

«Rogavi pios et prudentes nonnullos Catholicos, quomodo amplissimam hanc civitatem in Christo juvari posse existimarent? Responderunt: primo si clerus, qui impudicitia, crapula, nocturnis vagationibus, et neglectissimo in choro cultu, scandalosissimus est, emendaretur. Rogavi, num Rmo Moguntino senatus Erfordiensis permissurus esset reformationem sui cleri? Responsum est: omnino, nam et Lutheranis intolerabilem esse cleri licentiam.

«Secundo juvari posse, si unus aut alter bonus et discretus concionator eo mitteretur, populum namque misellum, catholicum, non satis commode erudiri. Rogavi, num bonis viris sine novis motibus locus esse possit? Responsum est: utique, at initio non esse mittendos patres Soc. Jesu vel ob solius nominis ex novitate odium; sed per alios pios viros et discretos dictis patribus esse sternendam viam.

«De scholis inquisivi, ut juvari possent; certi nihil percipere potui, nisi si aliquot ad docendum idoneæ personæ catholicæ (quæ tamen initio de societate Jesu non essent) dari possent; sedula circumspectione ac vigilantia locum his obtineri posse. Audivi eo loci tres conciones catholicas, lectionem in schola unam, officiis chori interfui: mihi pro tanta loci celebritate ac necessitate non est usquam satisfactum.

« Ut ubique in Germania magna pastorum animique opus sit attentione, eo tamen advertendum maxime, ubi Catholici hæreticis potius quam hæretici Catholicis sunt permixti. Ita observavi Augustæ, Osnaburgi in Westphalia, Halberstadii ac nunc Erfordiæ; ubi major pars seducta est, tamen intermixti nonnulli iique pientissimi Catholici: quibus ni succurratur tempestive, metuendum ne decrescat numerus bonorum ac fidelium, et postea difficilior sit longe accessus ad revocandos seductos, de quibus ut Christo et Ecclesiæ lucrifiant, jam spes adhuc est non contemnenda.

« Si denuo jam a Rmo Moguntino efflagitavero quod sæpius factitatum est ante, ut officii memor citius rebus animabusque succurrat afflictis, respondebit deesse homines. Itaque S.D.N. et Illmis DD. Cardinalibus mature hæc pensanda relinquo. Me cum desiderio tam magna spes occupavit, ut adversarios veritatis scire nolim, quam late sit Christus Jesus brevi regnaturus, si pastores officio non desint suo.

« Hæc summatim et celeriter post reditum transcribere statueram, Illme Dne; sed quia duorum monasteriorum hic instituta erat visitatio, a qua videbar nulla ratione abesse posse: et cum privatis exhortationibus tum publicis concionibus diebus his Pentecostes fui occupatissimus, factum est, ut toto octiduo hæ literæ tardius quam volebam Moguntiam sint transmissæ. Post reditum ergo iterum et hactenus hic versor in Eisfeldia, mirorque non mediocriter Rmum Moguntinum me tam diu detinere, non quod causam ignorem, difficillime enim alium mittere potest; sed metuo, ne apud S.D.N. de me gignatur suspicio, quasi aliud agens, negligam aut tardius conficiam, quæ S. Sanctitas mandavit, tametsi hæc visitatio a S. Sanctitatis mandatis non est aliena.

« De ditione autem hac Eisfeldiæ, ejusque ratione tota, cum bonam ejus partem hinc inde peragrarem, prima opportunitate scribam quam potero explicatissime, cum jam minus vacet. Ad omnia, quæ Fuldæ, Aschaffenburgo et ex Eisfeldia plurima scripsi, nihil omnino adhuc responsi ex Urbe accepi; non libet dubitare plerasque literas meas ad manus V.C. pervenisse.

«Dominus Jesus S. D.N. et V.C. quam diutissime conservare, suaque sanctissima gratia et in orbem Christianum pientissima charitate V.C. esse dignetur, humillime oro. Datum in confinibus Turingiæ ex Reiffenstein Monasterio ordinis S. Bernardi in Eisfeldia 27. Maji a. 1575.

V. Celsitudinis

Humilissimus

Nicolaus Elgardus Arlunensis.

XXXIX. — Calamitosissima sunt etiam, quæ idem Elgardus eidem Cardinali Comensi de rebus Monasterii Hersfeldensis in ditione Land-

gravii Hassiæ, de Ecclesiis Halberstadiensi et Magdeburgensi, de afflictissimo rerum statu in ditione Eisfeldiana, quæ Archiepiscopo Moguntino subest, deque rebus Norimbergensium et Bambergiensium refert. (*)

(*) Germania Vol. 40. fol. 58.

Illme ac Rme Domine Dne Colendissime.

«Monasterium hoc Hersfeldense fundatum est ab S. Bonifacio, ut Fuldense. Similiter situm in valle habet in circuito colles, seu montes, agro cultos, in quibus sita sunt (aut fuerunt) monasteria iisdem fere nominibus, eodemque ferme numero, ut de Fuldensi est dictum et vocabantur Præpositur*æ*, per omnia ut de Fuldensi scripsi. Abbas hic est Princeps, et per se status Imperii; principatus totus cinctus ditionibus Wilhelmi Landgravii, qui habitat in civitate sua Hassiæ dicta Cassel. Hoc Monasterium cum suis Præposituris utraque jurisdictione et dignitate Principis floruit usque ad annum 1525; inde per bellum rusticorum omnia cœperunt vastari, ut dixi de Fuldensi. Ipsa civitas Hersfeldensis tota cum omni jure ad Rmum Abbatem spectabat; occasione belli rusticorum, Landgravius mediam civitatis partem occupavit. Qua de causa duos civitas Prefectos, unum nomine Abbatis, alterum nomine Landgravii habet. Temporis progressu injuria hæresum, incuria Prælatorum ecclesiæ Christi, universa, præsertim quoad religionem, civitas, castella, nonnullæ Præposituræ, pagi, villæ, omnes subditi in potestatem Landgravii et confessionem Augustanam abierunt. Abbas non habet vel in unum parochum potestatem ecclesiasticam. In mediam civitatis partem et alios nonnullos subditos agricolas jurisdictionem sæcularem exercet.

« Personæ hujus Monasterii non sunt solitæ esse necessario nobiles, ut Fuldenses. Antecessor hujus vocabatur Michaël, fuit Catholicus. Modernus vocatur Ludovicus, annos fortasse 40. natus; cœpit præesse monasterio anno 1571.; credo ipsum confirmationem suam Romæ impetrasse. In registratura juxta hanc notationem nominis et anni pervestigari poterit. Unum tantum habet consocium religiosum, (si diis placet) eundem non Catholicum, neque ad quicquam aptum. Habitus omnino sæcularis; cultus Dei Catholicus, per omnia nullus. Aedificia sacra omnia aut collapsa aut ruinam proximam minitantia. Habet consiliarios, ut Princeps, sed ad unum nullum vere Catholicum.

« Ipse Rmus Abbas haud dubie est Catholicus: sed in tanta desertione sine persona omni Catholica, ut crediderim aliquot annis ipsummet nec sacrosanctum altaris ministerium vidisse, nedum percepisse. Videat V. C. quam miseranda rerum facies: ut non tantum non suorum subditorum, sed nec propriæ animæ curam necessariam adhibere possit. Hæc omnia ex uno scaturiunt corrupto fonte. Siquidem dum Landgravii fuerunt Catholici, protectores hujus Monasterii fuerunt; dein cum Abbatibus et Capitulo concordata nescio qua occasione, pepigerunt, ne ullus Abbas vel etiam Capitularis sine consensu Landgravii recipi possit. Quo incommodo dum Antecessor hujus Abbatis, Michaël premeretur, et omni catholica ac idonea persona destitutus esset, nescio quo felici magis quam prudenti forsan consilio, hunc Ludovicum tunc sæcularem artium magistrum cum consensu Landgravii coadjutorem obtinuit; consenserat enim Landgravius priusquam constaret hunc Ludovicum esse Catholicum; tamen postea eum ita toleravit, quia et ipse Abbas nil manifeste molitur pro Catholica religione.

«Non vult hactenus ipse Rmus Abbas hæreticum cooptare in Coadjutorem, nec invenit consilium, quo Catholicum impetret.

«Habet supradictus Landgravius Wilhelmus filium spurium, in Gallia literis operam navantem: huic est assignata super Monasterio annua pensio aureorum 200. Videtur Landgravius id moliri, ut hoc Abbate extincto spurium suum in Abbatiam intrudat. Itaque a moderno Abbate Ludovico totus principatus Herfeldensis pendet. Si aperte Catholicum sibi asciscere conaretur, cum sine consensu Landgravii non possit, metuendum ne non tantum repulsam patiatur, sed ne et ipse omnino expellatur, aut indignissime tractetur; apud hos enim homines potior est jure, qui fortior est robore. Jam a S.D.N. sanctissimo zelo pendet, quomodo prudenter et utiliter huic calamitati afferenda medela. Nonnulli putabant hac via eundum, nempe ut S. Sanctitas personam idoneam proponeret et Cæs. Majestati scriberet, ut eam tamquam Statum et Imperii Principem S. M. protegeret.

«Reverendissimus Moguntinus ditionem hanc Eisfeldensem undique hæresibus septam reformare cœpit. Civitas in qua versor, adhuc tam est opinionis tenax suæ, ut videatur verbis non paritura. Sed si jam tranquilla, sedataque et obediens esset, tamen visitatores in oppidulis, vicis, pagis, villis reformationem imperfectam deserere tandem cogentur: nam parochi plerique aut hæretici sunt aut suspecti, aut conjugati, aut concubinarii, potatores, aut implacabiles rixatores. Multi etiam, multis his sordidi: qui omnes citius locum et in deterius religionem quam vitam mutant. Si visitentur, et non abjiciantur, se ipsis nequiores fiunt. Si depellantur, tam multi sunt, ut innumeræ parochiæ viduæ sint deserendæ. Possunt alioqui haud difficulter expelli, cum et ipsi plerisque in locis subditi istos præsertim sectarios et schismaticos, tamquam tenebriones, lurcones, et dissidiorum inter vicinos seminatores a finibus suis exterminatos velint optentque. Grandis Ecclesiæ miseria et afflictio; pastorum penuria.

Hæc ditio Eisfeldensis non admodum ampla est; sed V. C. mihi credat, si centum eoque plures sacerdotes honesti, vel mediocriter literis eruditi ad manum nobis essent, una septimana hic omnibus reformando, ejiciendoque inutiles, parochiæ designari possent. At cum centenarii loco ne unus quidem haberi queat, quæ erit reformandi ratio? Idem fere de omni loco Archiepiscopatus Moguntini; idem de oppidis et locis Fuldensibus desolatis, a sectariis et scismaticis concionatoribus occupatis. Pertransiens omnia video, sub cœlo remedium non invenio, nisi dentur parochi et boni concionatores Catholici.

« Illustrissimus Princeps Ericus Dux Brunschwicensis (quoniam tandem defuncta est uxor ipsius, soror Ducis Saxoniæ, hæretica Jezabella) qui aliquoties instructissimum equitatum pro rege Catholico in Germaniam inferiorem duxit, atque Catholicus ipse semper fuit, ditiones suas omnes jam ad fidem Catholicam reformare nititur. Mittit Ingolstadium in Bavaria, mittit Friburgum in Brisgovia: primo ecclesiasticos operarios habere nequit; secundo desunt itidem consiliarii, et ministri sæculares, quos omnes vult habere, si queat, Catholicos. Quatuor hinc tantum miliaribus abest, in civitate sua Monda, in confluenti Visurgis et Fuldæ fluviorum sita. Et locum et Principem videre opto, siquidem zelosum in fide Catholica esse audio: sed et ipsi desunt personæ.

« Quid multa, Illme Domine? certe multis in locis Germania Christi esset, et Ecclesiæ Catholicæ, nisi deesset sal terræ et lux mundi. Ut est præsens rerum status, consilium non video, nisi Dñus Deus det viros Apostolicos, qui de vico in vicum, de pago in pagum, de loco in locum prædicando et benefaciendo transeant. Pro venturis temporibus iterum iterumque, et instantissime urgendum apud omnes, ut Seminaria augeantur, multiplicentur, provehantur, stabiliantnrque. Viva profecto invidiosissimi Sathanæ sunt instrumenta ii homines, qui catholica Seminaria impediunt: et indignissimi christiano nomine, atque Christo haud dubie ingratissimi, qui cum possint, ad Seminaria non conferunt. Duderstadii in limitibus Saxoniæ 22. Martii 1575.

« Postea cogitare cœpi, qua ratione hinc Halberstadium et Magdeburgum transire possem, idque quam maxime occulte, ne me ipsum ingentibus periculis, et Capitulum Halberstadense implacabilibus inimicitiis convolverem. Tandem ratione locorum ac populorum, qui transeundi erant, in hanc veni sententiam: Die 11. Aprilis relictis certo loco cum uno famulo equis, sub peregrini specie cum alio famulo sylvam et montes Hercyneos (quos Hircanos vel Hiperboreos appellare liceret,) in hunc usque diem nive ac glacie tectos asperrimosque pedes incredibili difficultate et corpusculi hujus pene perfractione transii, Halberstadiumque tandem perveni. In primo congressu, cum D. Sifredi Nuntzeri animi candor mihi fieret, utcumque perspectus, rem aperui de personis aliis in instructione nominatis, quæsivi, quæ non omnes tales credebantur, ot expediret aperire omnia singulis. Ipse autem D. Sifredus Nuotzerus est syndicus Capituli et Ecclesiæ Cathedralis Halberstatensis. A quo cum de rerum qualitate quærerem, non parum tergiversatus est, aperire sententiam, tandem religiunis Catholicæ professione obstrictus cum obtestatione fidelis silentii hæc fere recensuit: Archiepiscopatus Magdeburgensis multo tempore fuit penes Marchionem Brandeburgensem, Ecclesia Halberstatensis ferme ab immemorabili tempore a Magdeburgensi Archiepiscopo est administrata, (cujus indicium ego ipse Magdeburgi in monumentis summi templi vidi,) quod cum successu temporis magis magisque Ecclesiam Halberstatensem gravaret, et Magdeburgensis Ecclesia videretur eo vergere, quo defecit, essetque Henricus Dux Brunsvicensis moderni Ducis Julii parens, Catholicus et potens vicinus existimavit Capitulum Halberstatense per postulationem alicujus de domo Brunsvicensi, sese cum utilitate Ecclesiæ posse a diuturna quasi servitute Magdeburgensi liberari. Sed cum prudenter præviderent fieri posse, ut mortuo Duce Henrico Catholico liberi et nepotes non essent forsan futuri similes, in Capitulatione postulationis caverunt, ac inseruerunt, sese aliter non postulare, quam sub beneplacito S. D. N. Quod si S. Sanctitas confirmationem postulationis denegaret, tum postulationem fore nullam; et Duces Brunsvicenses pacifice atque amice tamquam jus nullum habentes, quæsitum debere relinquere Capitulum et Ecclesiam Halberstatensem suæ libertati; atque sub hujus Capitulationis firmitate ipsi Duces Henricus et Julius reversales dederunt literas.

« Ad rerum autem ampliorem cognitionem, Illme Dñe, pauca adjicio, quæ multo libentius silentio præterire vellem; sed quoniam ita necessitas postulat, confido Dñum Deum has literas conservaturum, ne in iniquas manus incidant. Cum transii ditiones Ducis Julii, partim ab aliis, partim ab ipsius subditis cognovi, Ducem hunc esse varium. Sævus est in subditos et pene crudelis in eos, qui clementi justitia essent corripiendi. Multos gladio feriit: nonnullos credo juste; sed aliquos fortasse minus recte. Nonnullos subditos bonis etiam, ut audio, minus ordinate spoliat; unde multos subditorum sibi fecit infensissimos; non pauci hostes incendiarios sese declararunt. Ita ut ipse Dux, et multa ditionum suarum loca non sint satis tuta. Hinc instructos habet milites, qui vias obsident, præsertim in amplissima illa sylva Hercynia viatores observari atque examinari facit. Quæ etiam res mihi periculosa fuit ob

Breve Apostolicum et instructionem meam, quæ mecum portabam. Redeundo in media ea sylva in diversorio quodam in aliquot istorum militum incidi; sed conservavit me Dñus, ne me agnoscerent. Quos comprehendit reos, novis modis affligit; trahendis ac vehendis oneribus subjicit, ut magis suam utilitatem quam justitiam a reis exigere videatur. Est subditis, ut animadverti, exosus: non multis Principibus, ut audio, charus, quia varius et inconstans.

« Capitulares Halberstatenses, ut minimum media ex parte sunt Catholici, et satis, quantum scio, vita honesti. Qui non censentur Catholici, hoc tantum (quantum cognoscere potui) differunt, quod communicant sub utraque specie, alioqui omnia officia in ecclesia et choro præstant: Decano obediunt, conservationem Ecclesiæ promovent: nec æque quicquam mutatum hi vellent, quam solam communionem. Cultus Dei satis modeste, et integre servatur. In templo B. Mariæ die feriali honestas matronas sub sacrificio Missæ vidi. In Cathedrali Ecclesia Dominico die qualemcumque congregationem plebis Catholicæ conspexi, audientes primum sacrum, et expectantes concionem catholicam. Tota civitas Halberstatensis ad Capitulum seu Episcopum spectat. Senatus et cives satis obedientes sunt Capitulo, magis quam ante hæc tempora. Cum tota undique Germania funestis istis tumultibus fureret, hi cives quoque religionem mutarunt in ecclesiis parochialibus, sed nihil devastarunt; ipse enim altaria et reliqua vidi integra. Intelligunt nunc, utcumque sub ecclesiastico et Catholico Magistratu commodius posse vivere subditos, etiam non Catholicos.

« De Magdeburgensi brevius absolvo. In via cognovi illum Christianum Hobkorpff, qui in instructione mihi nominatus erat, non esse talem, cui persona et tractatio mea utiliter revelari posset: ob temporis autem brevitatem non potui devenire in cognitionem cujusquam personæ sincere catholicæ.

« Magdeburgum nihilominus profectus, summum templum a meridie clausum, æditũo aperiri mihi petii, multa cum eodem æditũo, ut rerum externarum studiosus, sum collocutus. Cognovi Fredericum Joachimum Joannis Georgii Brandeburgensis Marchionis filium esse Magdeburgensis Ecclesiæ Administratorem. Toti clero liberum est inire connubia. Nonnulli nobiles, et ignobiles matrimonium praetermittunt; alii contraxerunt. Ipse Decanus est idem et maritus. Beneficia pleraque ab Administratore per modum feudi conferuntur. Defuncto Canonico marito, viduaque cum liberis submota, alius instituitur vassallus. Cultus Dei est acephalus, sine capite, sine cauda. Missam aliquando et partim servant, partim mutilant; similiter matutinas, vesperas etc. Aliquid faciunt, ne sartoribus et sutoribus per omnia sint similes.

« In summo templo summum altare tantum in honore est. Canonici sibi quisque uxorculis novas exhedras immensæ majestatis constituunt; per plurimos gradus ascendunt; supra cathedram preconis verbi sublimitate eminent; coloribus et auro vario distinctæ nitent: Regibus et Imperatoribus satis, si non nimium esse posset. Nomina sua ac uxorcularum aureis characteribus in frontispiciis depingunt, ut si cui concionem audire non vacet, ex adverso lectitandis nominibus Canonicorum ac Canonicarum sese oblectet. His Deus, altaria Dei, Sancti Dei cedant, oportet. Ornamenta altarium, et quidquid ad cultum Dei pretiosum erat, reclusa sunt; expectantia forte beatam spem et diem liberationis suæ, ut de carcere educta Deo Patri, et Christo Jesu Dño, cui dicata sunt, iterum tempore suo serviant.

« Restant porro, Illustrissime Domine, duo particularia. Primo in itinere hoc percepi esse Halberstadii duos viros ecclesiasticos, unum Henricum Hessing Decanum Pauli, alterum Gregorium Pöttinger, qui duo correspondentem habent Romæ quendam Joannem Lupi: hi dicuntur ex pacto tam execrabilia beneficiorum mercimonia exercere, ut palam magno sint scandalo, et Sedem Apostolicam infamem et exosam faciant: quæcumque beneficia Halberstadii vel vicinis in locis vacare contingit, isti duo transcribunt, is Joannes Lupi in Curia ut vulpes fictis ac supposititiis nominibus (dolum S. D. N. faciens) impetrat, his renuntiat; hi in partibus gratias Romanas divendunt, ita ut nulli pene sine horum favore ad beneficium aliquod aspirare liceat. Oro quam humillime, V. C. dignetur alicui mandare, ut de isto Lupo inquiratur, et si re ut nomine talis Lupus deprehensus fuerit, digna castigatione emendetur, (ut in posterum non lupus sit, sed agnus) et alii isti duo exemplum fiant omnibus Simoniacis. Plus enim tales pestilentissimi Lupi haetenus Ecclesiam Christi scandalizant, et destruendo vastant, quam S. D. N. omni sua paterna solicitudine, et incomparabilibus sumptibus (ut taceam nostra pericula) restituere ac reparare potest.

« E diverso utilissimum ac pernecessarium esset, ut S. Sanctitas mandaret aliquibus DD. Cardinalibus, ut quæcumque beneficia, præsertim Halberstadii et in aliis Brunsvichiæ atque Saxoniæ locis vacare deinceps contigerit, nemini conferrentur, nisi prius in Collegio Germanico exploratum esset, an aliquis earum regionum vel etiam ex Westphalia (quæ vicina et ejusdem idiotismi est) idoneus inveniri posset; ut enim a Seminariis, ita a fideli beneficiorum distributione totius Ecclesiæ reformatio pendet etc. Duderstatii in Eisfeldia 21. die Aprilis an. 1575.

«Hanc ditionem Eisfeldiæ credo ab anno 750. hoc est a temporibus S. Bonifacii subditam Ecclesiæ Moguntinæ fuisse. Est enim templum quoddam in monte S. Salvatoris, (quem V. C. in descriptione tabellæ adjuncta scriptura versus Hassiam videre potest) in quo feria secunda Pentecostes cum Visitatoribus fui: vidimus ex antiquis monumentis, S. Bonifacium ibidem idolum quoddam, per quod Dæmon loquebatur, nomine Stauff, destruxisse, atque juxta eundem montem exercitum infidelium fudisse; inde, salvatus; Salvatoris montem vocavit. Quam sit ditio longa lataque, quos habeat confines Principes, quas item civitates Imperiales conterminas, omnia cum variis distinctionibus V. C. in tabella videt. Antiquissimum ejus oppidum Helgenstat dicunt incolæ a Dagoberto Rege (qui coætaneus S. Bonifacii fuit) initia sumpsisse, et Collegiatam ejus loci ecclesiam ab eodem fundatam volunt. Ante 100. eoque plures annos in bellico tumultu plerique pagi omnes hujus ditionis sunt deleti; postea multis in locis, quasi infra hominum memoriam pagi novi extructi.

« Cum vicina sit Saxonia, ubi Lutheranismus cœpit, cum primis hæresibus infici incœpit. In tumultu ac furore rusticorum omnia templa, præsertim monasteria cum omnibus ædificiis funditus sunt eversa. Erant quatuor monasteria virorum ac totidem virginum. Duo monasteria, unum virorum alterum virginum in hunc usque diem deleta manent. Ab eo tempore, nempe jam inde a 50. annis oppida ad hæreses magis magisque deflexerunt; Nobiles sibi suisque subjectis pagis concionatores hæreticos aperte asciverunt. In reliquos pagos aut hæretici aut schismatici conjugati sacerdotes irrepserunt, aut scandalosissimi etiam in Collegiatis ecclesiis clerici evaserunt: ut nusquam verius illud: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, usque ad unum.

«Virgines velatæ, quæ supererant, ad tria monasteria vel potius ad monasteriorum rudera reversæ, cum ruri habitent, ædificarunt domunculas, ut villas rusticanas sine circuitu, sine dormitorio communi, sine refectorio, sine clausura: breviter nulla habita priorum seu antiquorum fundamentorum ratione, ædificarunt ut virgines, iis certe in rebus, fatuæ. Templa usque ad hanc visitationem semilacera, semitecta, undique sordibus et squalore fœtida, ut nec dii gentium, si oculos haberent, ea habitare, vel intueri dignarentur. Quando defecerunt personæ, ex quovis ordine alias collegerunt, aut verius, quæ ex uno monasterio fugerunt, ad aliud se receperunt, ut in singulis monasteriis sint partim Cistertienses, partim Benedictinæ. Juniores nondum velatæ, quotquot invenimus, cito describi possunt: nihil penitus sciunt dignum monialibus: regulas, statuta adeo non servant, ut nec habeant; etsi habent, pleræque legere, nedum intelligere etiam germanice non possent. Loco Præpositorum habent vel senio confractum militem, vel fatigatum aulicum, quem præfectum vel œconomum vocant, vel si optime habent, monachum apostatam, ut sine habitu, ita sine vita clericali, qui moniales, templa, rem domesticam, in summa omnia regunt sine ordine, omnia ordinant sine regimine.

«Itidem tria virorum monasteria habitantur, per omnia ad amussim jam dictis similia, nisi quod sexu ab illis differunt: templa ruinosa, sine cultu, ex diversis ordinibus sine ordine, sine regula: alii fugiunt, alii transfugiunt, alii refugiunt etc. Quem rerum ordinem cum per omnia viderem, dixi aliquoties: vidi Moniales, non moniales, Monachos non monachos, religiosos non religiosos, catholicos parum catholicos, in monasteriis non monasteriis, agentes nil facientes, degentes mirabiliter viventes. Ex Geroda Monasterio Benedictino in Eisfeldia die 18. Junii an. 1575.

« Est etiam in Instructione aliquid de Norimberga; ipse hinc Norimbergam profectus sum (ut cum corrispondentibus DD. Fuggerorum de mittendis literis securius transigerem). Quantum Statum Norimbergensem et Bambergensem dijudicare possum, existimo (salvo S. D. N. venerando mandato) hoc tempore cum nullo homine hic ea de re tractandum; Episcopus enim et quotquot Bambergæ sunt, vix quod in proximo pago proprio deformatum est, reformare cogitant. Quid ergo de Norimberga, libera et potenti Republica ad insaniam usque hactenus Lutherana, et nunc bona ex parte Calvinistica? Cum ergo nihil hoc tempore sit spei juvandi, satius est silere, quia si minimum quid undecumque ipsis innotesceret, statim miras tragedias (ut solent ad ictum culicis) excitarent, et facile negotium facesserent Episcopo, tanquam praxim aliquam (ut loqui consueverunt) occultam molitus est. Quod autem ad mercatores Italos et Hispanos, qui dicuntur non posse audire Sacrum, nescio consilium, nisi quod qui vere pii sunt, quatuor horarum spacio possent nonnunquam proficisci Forchemium, (quæ est civitas Episcopi Bambergensis, ferme tota catholica) ubi quotidie Sacra fiunt. Circa festum Paschæ nonnulli ex iisdem mercatoribus Bambergæ, ut intellexi, catholice communicant. Si tamen his non obstantibus Sua Sanctitas aliud mandet, ego Episcopo, vel cuivis rem aperuero; quod non existimo me tuto facere posse, donec V. C. mihi ad hæc respondeat.

Bambergæ die Martis pridie exaltationis S. Crucis 13. Septembris Anno 1575.

V. C.

Humillimus

Nicolaus Elgardus.

XL. — Deflenda omnino sunt, quæ Alexan-

der Trivius de Ecclesia Mindensi, Verdensi, Bremensi, Lubecensi et Hamburgensi scribit. Hæc enim vastatæ et dirutæ a protestantibus Germaniæ Septentrionalis Principibus in suam potestatem redactæ fuerant, abolito fere omni avitæ fidei vestigio. (*)

(*) Mantissa document. N. 5.

XLI. — Nullius ex Germaniæ Præsulibus in exequendis, quæ per legatos extra ordinem Pontifex mandaverat, studium extitit majus, quam quod Moguntinus præ se tulit. Hic enim plurimum in sua Diœcesi lustranda Nicolai Elgardi opera usus est, qui avita fide in ditione Eisfeldiana restituenda optime de Ecclesia est meritus, ut idem Moguntinus Archiepiscopus Gregorio scripsit. (*)

(*) Germania Vol. 26. fol. 1.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo clementissimo.

« Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula, Beatissime Pater et Domine Domine clementissime. Cum pium animum V. S. et ex paternis scriptis antea ad me datis, et ex relatu Nuntii Apostolici D. Caspari Gropperi, qui nunc in Germania inferiori agit, intellexerim, quo petiit, ut Dei Ecclesias meæ curæ commissas visitari et reformari curarem, ego ne operi tam pio, imo nostris temporibus summopere necessario (id quod et frequenter mihi fuit in animo) defuisse videar, misi in eam partem meæ Diœcesis, quæ a consueta mea residentia remotior est, Eisfeldia appellata, ante menses aliquot viros eruditione, authoritate, vitæque probitate conspicuos, qui tam pium et sanctum institutum exordirentur, et ad Dei Opt. Max. gloriam perversorum dogmatum extirpationem, et cleri populique reformationem ad optatum finem perducerent: in primis autem in ordine ecclesiastico, (qui reliquis omnibus inculpatam vitam, tanquam facem præbere et præferre deberet) ut scilicet eos, qui aliena labe infecti sunt, ab erroribus reducant, aut qui turpi et pernicioso concubinatu maculati, avocent, et obstinatos salubrem doctrinam et instructionem recipere non volentes, loco dimoverent, quod Deo propitio in ea regione satis fœliciter auspicati sumus. Sed ecce quod jam dudum timebamus, in optime cœpto opere accidit. Nam ut parum prodest zizania ex agro evellere, et sentes vepresve extirpare, nisi postmodum diligentius ager seratur et excolatur; ita hæc res fœlicem successum optatumque finem consequi nequit, nisi viros habeamus doctos, pios et industrios, quos discolis amotis et rejectis sufficiamus.

« Licet enim multos multis in locis magnis sumptibus et alnerimus hactenus et plures adhuc, quod S. V. putamus non ignotum, alamus, quorum alii jam strenue in vinea Domini laborant, alii propediem et ipsi idem stadium sunt ingressuri, alii adhuc liberalibus disciplinis incumbentes, ut parvuli ad superiorum vestigia consequendo nituntur. Tanta tamen nostræ Diœcesis est amplitudo et hominum et Ecclesiarum frequentia, ut ad messem tam prægnantem nullo modo sufficiant.

« Itaque V. S. obnixe rogo, ut huic extremæ necessitati paterne succurrere, et aliquot operarios ex Italia linguæ Germanicæ peritos, et aliis dotibus ad tantam amplissimam messem instructos, submittere dignetur, qui una cum meis flavescentem hanc segetem demetant, et in Jesu Christi horrea convehendam curent. Spero itaque V. S. pro amore illo in Deum Opt. Max. et pro benevolentia in nostram Germaniam (cui V. S. unice prodesse velle, multis argumentis dilucide cognovimus) huic meo pio desiderio non defuturam, sed auxilium sicut Vestra Sanctitas pie obtulit, allaturam. Interim Deus Opt. trinus et unus V. S. quam diutissime nobis servet incolumem. Ego quacunque re potero in referenda gratia, uti debeo, memor paratusque existam, S. V. me meumque Archiepiscopatum humillime commendans. Datæ ex oppido nostro Aschaffenburgensi 12. Februarii anno 1575.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Devotissimus et fidelissimus filius

Daniel Archiepiscopus Moguntinus.

En alteras ejusdem Præsulis eadem de re litteras. (*)

(*) Germania Vol. 26. fol. 1.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nomine Decimotertio Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

« Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula, Beatissime Pater et Domine Domine clementissime. Interea dum omni studio Ecclesiæ nostræ (veluti superiori mense V. S. perscripsi) reformandæ et ab erroribus repurgandæ occupor, non exiguæ in dies exoriuntur difficultates, quæ mihi meisque deputatis Visitatoribus plus satis negotii facessere cœptant, quoniam ut est Provincia Ecclesiæ nostræ per Germaniam late dispersa, multisque aliorum Provinciis vicina, ita Provinciales nostri falsas religionum opiniones, quibus jam multo tempore a vicinis infecti sunt, eximi ægre admodum patiuntur. Accedunt quotidiana commercia cum vicinis necessario expedienda, sanguinis et affinitatum conjunctiones; inter quæ ipsa seductorum pervigil calliditas nihil non tentare molitur, adeo ut multi ex meis subditis falsa veri verbi Dei imagine seducti, quidvis potius velle subire videantur, quam omni ex parte laudabiles ac divinos Ecclesiæ Canones amplecti. Præcipue vero quosdam ita ignavo amore utrius-

que speciei in sancta Eucharistia imbutos experior, ut priusquam utramque dimittant, parati sint potius bona fortunæ negligere, aut a nostra se obedientia subtrahere. Nos tamen, quantum in nobis est eos paterne monendo, adhortando, instruendo, et pro nostra authoritate ac jure sæpius agendo, hactenus distinuimus, eorumque animos flectere, emollire, et ab erroribus avocare, omni industria nisuque conamur, neque desistemus, donec ad fœlicem optatumque finem, Deo adjuvante, hoc pium institutum perduxerimus.

« His negotiis toto dum invigilamus pectore, advenit ad nos Doctor Nicolaus Elgardus, qui S. V. nobis attulit litteras, ut gratissimas ita consolationis plenissimas; ex quibus pia et sancta V. S. desideria erga universalem Ecclesiam, et præcipue eam, quæ nostræ fidei est commissa, dilucide cognovimus. Et nos quoque in hac sincera et paterna petitione, instructione et adhortatione, re dispecta et deliberata ad singula D. Nicolao animum nostrum aperuimus, quodque dictis V. S. parere et consiliis obtemperare, uti par est, velimus, declaravimus; et ut Sanctitatem V. de singulis certiorem faceret et informaret, commisimus. At vero dum multa de statu Provinciæ Eisfeldiæ, ubi jam visitatio ab aliquot mensibus cœpta est, cum Doctore Nicolao conferremus difficultates, et pericula, quæ evenire possent, recenseremus, ac penuriam operariorum intueremur, tantum placuit nobis in rebus sibi commissis Doctoris Nicolai in proponendo prudentia et maturitas, in tractandis rebus religionis eruditio et exercitatio conjuncta cum morum suavitate et Germanica eloquentia, ut ab eo peteremus, an negotia a Vestra Sanctitate sibi commissa admitterent, ut in animis sedandis et juvandis ad aliquot septimanas saltem hoc sacro tempore in eadem Provincia suam conferret operam. Qui cum responderet, se arbitrari ea, quæ apud Reverendissimum Herbipolensem et Bambergensem a V. S. haberet in commissis, nonnihil differri posse, ad nostram petitionem pro singulari zelo et charitate, qua fulget in proximum, in Eisfeldiam profectus est, ut ibidem aliis meis operariis (pro talento sibi concesso) succurrat et opituletur, quo errantes et misere seducti illi Provinciales ad verum ovile Catholicæ Ecclesiæ reducantur.

« Quod ne V. S. ægre ferre, sed clementer approbare velit, donec ab eadem alii idonei cooperarii, viri videntes, in messem Domini mihi submittantur, plurimum rogo. Interim Deus Opt. Max. V. S. quam diutissime nobis servet incolumem. Ego quacumque re potero, in referenda gratia, uti debeo, memor paratusque existam, V. S. me meumque Archiepiscopatum humillime commendans. Datum ex oppido nostro Aschaffenburgensi secunda Martii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Devotissimus et fidelissimus filius
Daniel Archiepiscopus Moguntinus.

Idem Moguntinus Pontifici grates agit de duobus alumnis ad se missis ex Collegio Germanico de Urbe: ab eodemque petit, ut alios quamplurimos sacerdotes, si minus Germanicos in eodem Collegio educatos, Italos saltem linguæ Germanicæ gnaros mittat, qui suam Diœcesim peragrantes Catholicam fidem novatorum machinationibus valde periclitantem servent atque restituant: illud etiam expostulat, quod Pontificis sapientiam in seligendis viris, qui eo difficillimo tempore in Germaniam mitterentur, satis demonstrat, ut Nicolaum Elgardum sua auctoritate veluti visitatorem generalem provinciæ Eisfeldensis, vel etiam charactere Episcopali insignitum suum alterum Coadjutorem constituat. [*]

[*] Germania Vol 90. fol 12.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nominis Decimotertio Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post debita obsequia et Sacrorum pedum oscula.

« Beatissime Pater. Quotiescumque egregia, eaque plurima B. V. in me beneficia non absque grata memoria repeto, nulla magis me juvant, quam ea quæ ad conatus meos instaurandi reformandique Ecclesiam Dei in mea diœcesi promovendos istinc ad me proficiscuntur. Nam nihil hactenus animum meum inferiorem reddidit, et a felici successu optatoque fine tantum detinuit ac remoratum est, quam quod facile cernerem me non satis ad susceptum negotium instructum. Nunc vero cum Sanctitas Vestra et consilio et reipsa suppetias mihi ferat, est quod et audentior cœpto insistere cogitem, et de futuro successu bene sperem.

« Quos itaque ad me alumnos duos ex Collegio Germanico plena commendatione S. V. mittit, equidem mihi pergrati sunt: non dubito, quin ad eam rem, quam paro, Ecclesiæ meæ et utilissimam et uberrimam operam sint navaturi: tractandi vicissim a me, uti eorum virtus atque præstantia meretur. Quare Sanctitati Vestræ pro ista paterna in me dilectione Ecclesiamque meam propensione incredibili gratias habeo, quantas debeo, quantasque possum quam maximas. Daturus vicissim sedulo operam, ne S. V. tanti in me animi beneficiorumque mihi præstitorum unquam pœniteat, vel ea male collocata, intelligat. Doctor Nicolaus Elgardus operam suam peregregiam et studium enixum instaurandæ religionis jam satis superque in Eisfeldia mihi probavit: heri ad prosequenda reliqua negotia a Sanctitate Vestra sibi commis-

sa, ita a me est dimissus, ut infra mensis spacium se iterum ad prosequendum negotium reformationis in Eisfeldiam recipiat, donec Sanctitatis Vestræ deliberatam voluntatem certius et plenius cognoverit. Cæterum quia in illa parte diœceseos meæ, ubi is antehac degit, pernecessaria admodum est perpetua præsentia viri alicujus rerum experientia, doctrina, atque morum sanctimonia clari, qui ibidem non solum inspectorem eorum agat, quæ ad corrigendos mores et perpurgandam doctrinam pertinent, verum meas quoque vices propter loci distantiam in Pontificalibus officiis peragat. Quare cum eundem Elgardum ad id munus adprime idoneum putem, etiam atque etiam quam humillime rogo, ut S. V. literis suis tanquam visitatorem generalem istius provinciæ, aut potius dignitate Episcopali insignitum eum mihi alterum Suffraganeum subordinare paterne dignetur. Quod quidem Sanctitatem Vestram tanto libentius facturam confido, quod prædecessores mei semper duobus Suffraganeis propter amplitudinem et disjunctionem diœceseos gratia tamen Apostolicæ Sedis sint usi; etiam tum, cum non tanta urgeret necessitas ut nunc. Quin postremus qui Erfordiæ suam sedem habere solitus est, ut cæteri qui illam partem meæ diœceseos procurarunt tempore meæ administrationis, ante paucos annos in homanis esse desiit. Quare ea res cum non tam utilis, quam plane necessaria Ecclesiæ meæ futura est, tum ego ad cumulum priorum beneficiorum, eam collocandam jure duxero.

« Celebrandæ Synodo diœcesanæ et Seminario erigendo omnem curam et sollicitudinem quatenus vires meæ et temporis ratio ferent, libenter impendam. Nunc vero Deum Opt. Max. ardentibus precibus oro, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ Sanctæ diu incolumem atque superstitem conservare dignetur: meam quoque vicissim operam, devotionem et observantiam erga eandem, si quibus unquam argumentis potero, libentissime declarabo. Dat. ex arce mea Steinheim die vicesima mensis Septemb. anno 1575.

Sanctissimæ Paternitatis Vestræ

Devotiss. et fideliss. filius

DANIEL ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS.

XLII. — Gregorius rei catholicæ studiosissimo ac solertissimo Præsuli laudes tribuit, ejusque de Elgardo consilium probavit, et deinde eum hortatur, ut quantocyus synodum diœcesanam cogat et Seminaria erigat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 308. fol. 315.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem. Ex binis literis Fraternitatis T., alteris datis duodecima Februarii, alteris secunda Martii cognovimus, quanto studio conetur sathanas eos, quos semel a Christo abduxit, retinere; quanto item conatu studeat Fraternitas Tua illos ex interitu eripere atque ad veram vitam, quæ Christus est, revocare. Facit ille, ut solet, tu vero, ut par est, pastorem optimum et Christi gloriæ ejusque gregis salutis cupidum. Quod scribis, te ad extirpandam zizaniam summopere indigere ministris fidelibus ac Dei timore et sapientia præditis, postulasque eos a Nobis, nihil est, quod tantopere cupiamus, quam multos tales in Germaniam mittere: hancque unam rationem esse judicamus, homines simplices ac nimium credulos Christo recuperandi, si quemadmodum pseudochristianorum fraude et falsa verbi Dei interpretatione aversi sunt, sic a veris Christianis dedoceantur ea, quæ male didicerunt, atque ab omni doctrinæ et morum pravitate avocentur. Curamus Nos quidem multos ad hanc rem institui in Collegio Germanico, sed paucos admodum maturos habemus. Interim quod hoc tempore possumus, decrevimus ad te mittere ex eis duos, qui multum in sanctis tum doctrinis, tum moribus profecerunt, brevi Doctorum ac magistrorum gradum consequentur, proficiscenturque. De Nicolao Elgardu Eisfeldiam a te misso, probamus consilium tuum illumque tuæ optimæ voluntati inservire, est Nobis gratissimum, speramusque eum multum profuturum. De synodo diœcesana habenda alias scripsimus Fraternitati Tuæ: non dubitamus, te id vehementer cupere; est enim res, ut vides, pernecessaria maximeque salutaris: sed arbitramur aliquid gravius obstitisse, quominus posses in ea re nostro tuoque desiderio satisfacere, hortamur, ut omnes difficultates perrumpas. Seminaria, quæ fieri decrevit Concilium Tridentinum, nihil est, quod commendemus Fraternitati Tuæ; præsertim cum sciamus, curare te multos multis in locis pie catholiceque institui atque erudiri tuis magnis sumptibus. Facies Deo gratissimum, si curaveris ea, quæ diximus, Seminaria quam frequentissima esse. Interim tuam istam tam insignem pietatem et labores omnes offerimus Deo, tibique ab eo precamur majorem in dies gratiam omnemque fœlicitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xiii. Maji 1575. Pontificatus Nostri anno tertio.

Alteris litteris eumdem de rebus in Conventu Ratisbonensi ab eo præclare gestis maxime collaudat; deque Elgardo quod cupiverat, brevi voluntati ejus se satisfacturum promittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 132. fol. 88.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Charos esse Fraternitati Tuæ eos juvenes, quos ex Collegio Germanico ad te misimus, quod quidem ex iis literis cognovimus, quas ad Nos dedisti vigesima Septembris, gratissimum Nobis est. Quod po-

stulas de Nicolao Elgardo, laudamus magnopere consilium tuum in hoc potissimum viro deligendo, cujus opera utaris ad ea, quæ Christi sunt. Faciemus igitur eum, vel Suffraganeum tuum, vel si quid aliud muneris a Nobis ei mandari volueris, de quo tamen poteris cum ipso agere, et quod melius judicabitis, statuere. Sed quia valde indigemus ejus opera apud Episcopum Bambergensem, quo etiam eum antea miseramus ad curanda ea, quæ magnopere spectant ad Dei gloriam, necesse est, ut se eo statim conferat, perficiatque ea, quæ inchoata reliquit: interim non erit gravis Fraternitati Tuæ hæc brevis mora; statim enim ad te revertetur, liberumque erit vobis, quod melius esse existimabitis, decernere, ac Nobis significare. Quæ in Conventu Ratisbonensi a Fraternitate Tua sunt gesta, tantum Nobis in Domino gaudium attulerunt, quantum potuerunt afferre labores hominis pro Christi gloria vigilantissimi, suasque actiones ad eam ipsam gloriam, Catholicæque fidei et Ecclesiæ dignitatem attentissime dirigentis. In quo ut præclare respondisti nostræ summæ expectationi, sic actiones et labores tuos omnes offerimus Divinæ bonitati, proque iis Fraternitati Tuæ omnia summa precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XLIII. — Episcopus quoque Spirensis promptissimum se præstitit ad paterna Pontificis consilia ac monita sectanda: de qua re ipsius ad Bartholomæum a Portia litteræ fidem faciunt. (¹)

(¹) Germania Vol. 89. fol 609.

Reverendissimo Domino Bartholomæo Comiti Purlitiarum Prothonotario et Nuncio Apostolico, et Domino et Amico Charissimo.

« Reverende et generose Domine Comes, amice charissime. Ex literis Dominationis Vestræ 27. die hujus mensis Martii ad me honorifice et amanter perscriptis plane intellexi, quam chara eidem sit salus mea, atque etiam in mandatis rite expediendis quanta ejusdem industria, dum me importuna, iniqua et adversa valetudine hoc præsertim tempore affligi perturbarique dolet, nec non permodeste fert, quod hac de causa ad speratam et utrinque optatam collocutionem, quæ sane non minus mihi, quam Dominationi Vestræ jucundissima, deque rebus inter nos seorsum et pluribus verbis tractandis commodissima fuisset, una convenire non potuimus. Quia vero divinæ voluntati nos in adversis parere decet, præsentem hujus morbi fortunam æquiori animo ferre, atque eventum et alteram sortem ejusdem clementiæ in spe et patientia committere debeo. Quod si Dominatio Vestra me vel in pristina firmitate prius offendisset, vel hic me detinens morbus hactenus ita se remisisset, ut citra afflictæ valetudinis jacturam me cælo, Rhenoque huic, malo hoc præsertim tempore maxime infesto committere ullo pacto potuissem, id equidem haud gravatim, sed lubentissime fecissem, et non minori cum honorificentia atque benevolentia, Vestra Dominatio quam reliqui Principes, quos eadem accessit, fecerunt, eandem præsentem præsens de rebus singulis, quas nomine Beatissimi Patris et Domini nostri Summi Pontificis in mandatis habuit, et nunc summatim ad me fideliter perscripsit, non modo attentus avideque audissem, sed et debita pietate, ac pluribus officiis, quam nunc factum est, vel fieri potuit, amanter complexus fuissem. Id vero quia ex prædictis causis præter utriusque votum aliter nunc accidit, excusatum me ut habeat Dominatio Vestra atque etiam apud Summum Pontificem Beatissimum Patrem Dominum nostrum, quod rem, ut mandata fuit, non coram, sed scriptis inter nos agere et invicem communicare coacti sumus, commode excuset, valde rogo et obsecro. Est autem gratissimum mihi, quod Vestra Dominatio suam inter nos alio tempore et loco de his aliisque rebus conveniendi ac colloquendi propensam voluntatem aperat, atque humanissime pollicetur, idque ut cum salute utrisque citius fiat, peropto, et oblatam primam occasionem non excludam, sed ipse persequar.

« Venio nunc ad capita literarum Vestræ Dominationis ad me datarum, ut vicissim intelligat, quid meæ sit sententiæ et voluntatis.

« Primum igitur, et quod attinet ad Monasterium Minoritarum Gaudentium etc. hic Spiræ situm, sic adhuc sentio, nulli, qui causam hanc recte considerat, dubium fore, quin petita concessio Catholicæ Ecclesiæ et Religioni, si schola et Seminarium tam pietatis quam morum et honestæ disciplinæ ibidem instituatur, magnum sit allatura emolumentum et incrementum. Hac ergo de causa Dominationem Vestram iterum atque iterum rogo, ut hoc tam pium, tamque salutare negotium apud Summum Pontificem fideliter urgere atque promovere velit, qua Bñia sua Paternitas suo consensu hoc nostrum studium approbare et confirmare dignetur. Hoc enim facto nulli ego parcam labori meo, donec instauretur eo loci tale Seminarium atque schola, de qua bene sperare, et fructum accessionemque non vulgarem Religionis nostræ Christianæ et Catholicæ sentire possimus. Erit tamen hujus rei principium meo judicio paulatim tentandum, et cum prudentia successive provehendum, constituendumque, ne cives Spirenses subita rei novitate commoti nostrum studium et propositum tumultuosius interturbent. Quod malum, quo minus timendum sit, non inconsultum esse putarim, si Sanctissimus Clementissimum Dominum Nostrum Imperatorem medio tempore hac de re certiorem faceret, qui Senatui Spirensi pro sua authoritate commode scriberet, cum-

que serio hortaretur, ne huic rei se immiscerent, et tam ipsi quieti essent. quam suos cives in offitio continerent, ne quid turbulentius facere auderent. Id vero quando commode fieri possit, ego occasionem considerabo, eamque tam ipsi Sanctissimo Domino nostro quam Cæsareæ Majestati interea temporis humillime perscribam.

« Secundo, quas causas translationis Ecclesiæ Landaviensis in transmissa supplicatione mea enumeravi, iisdem adhuc insisto, nec alias praeterea alligare necesse est. Quamvis enim non displicet mihi sententia eorum, qui putant satius esse, ut inter hæreticos Ecclesiæ Catholicæ conserventur, a quibus reduci in viam eo magis et commodius possint; tamen attenta horum locorum et temporum qualitate nemo sanioris judicii est, qui non videat, metuendum esse, ne vel civitas ipsa, vel Principes vicini, qui bonis ecclesiasticis vehementer sunt nimis intenti, tandem hanc ipsam Ecclesiam de improviso invadant, et sibi bona ejusdem applicent, quam in finibus meæ diœcesis sitam, et adversariis undique cinctam difficilius tueri possum. Quare causam non video, cur translatio illa sit improbanda, vel differenda, cum nihilominus ex iisdem Clericis illic œconomum, qui census et proventus Ecclesiæ in vicinis locis colligat, ordinare et sustentare necesse sit, isque simul sacra ibidem Catholice peragere possit, et ita non defuturus sit pastor vel dux illis, ne, qui ab erroribus in viam se reduci cupientes, seque convertere volentes impediantur vel negligantur.

« Quæ porro Dominatio Vestra tertio loco de visitatione et Synodis meæ diœcesis, item de Anabaptistarum expulsione, seu exterminatione, de Sacerdotum quoque conjugio inhibendo et comprimendo, concubinatu etiam eorum coherccendo, aliisque abusibus tollendis pie scribit, ac fideliter exhortatur, circa ea hactenus, uti spero meum feci offitium, faciamque posthac sedulo, quantum horum temporum et locorum ratio permittit, permisit, et deinceps permissura est, daboque operam, ut omnes intelligant me officio meo, quantum in me est, nusquam defuisse, et me nihil magis optare, quam afflicti præsentis status ecclesiastici sanctam Deoque gratam reformationem tandem institui atque obtineri posse, quam hactenus multitudo malignantium remorata est, et pios atque catholicos animos in suo honestissimo proposito atque studio interturbavit et detinuit.

« Quod ad quartam epistolæ partem attinet, doleo me quibusdam, qui ipsam causam non recte intelligunt, minusque dextre considerant, suspectum fieri, quia vicinorum quorundam Principum familiaritatem non evito, nec absque periculo meæ diœcesis evitare possum, si illam et subditos meos hoc perturbato tempore salvos esse volo; quando quidem totus meus Episcopatus ita est dispositus, undique ab iisdem vicinis cinctus, et in sæcularibus immixtus, ut alius his locis in majori periculo non sit, et ob id meum hoc factum a bonis et intelligentibus non reprehendendum, sed potius laudandum speraverim. Quod si secus accidit, fit mihi innocenti injuria, qui me Catholicum semper professus sum, ac profiteor, idque non ex verbis tantum meis, sed etiam factis clarum esse confido, nec unquam venit, neque veniet in mentem mihi, ab Ecclesia Catholica dissentire vel deficere, uti dilecto meo Domino Rectori scholæ Jesuitarum ad longum eundem meum animum declaravi, ad quam declarationem brevitatis causa me refero, et in eadem persisto, nec dubito, eam juxta mandatum meum Vestræ Dominationi fideliter relatam esse. Quare Dominatio Vestra non tam ipsa me ab hujusmodi suspitione liberabit, sed et ubicumque necesse est, sic etiam apud omnes bonos innocentiam ac necessariam discretionem meam excusabit.

« Postremo quæ Dominatio Vestra mihi de Imperiali oppido Weil sollicite scribit, ac petit, plane mihi curæ fore recipio, ut ecclesiæ ibidem de pio concionatore et præstanti viro Catholico provideatur, cujus ductu verus Dei cultus et syncera Catholica Religio conservetur atque propagetur.

« Rogo autem Dominationem Vestram etiam atque etiam, ut me, meamque Ecclesiam Sanctissimo Domino Nostro data occasione humillime commendet, meam moram in rescribendo non ægre ferat, meumque offitium tenue, et exiguam tractationem boni nunc consulat, et potius animi mei propensam voluntatem interim spectet, donec occasio se offerat, ut Dominatione Vestra coram compellare, meamque, eidem benevolentiam melius declarare possim, quam salvam et incolumem a Domino Deo nostro conservari precor et opto.

Datæ Spiræ in palatio meo XXVIII. die Martii anno MDLXXV.

Divina clementia Marguardus Episcopus Spirensis, et Præpositus Weissenburgensis, Imperialis Cameræ Judex, etc. etc.

Vestræ Dominationis

Addictissimus

MARGUARDUS EPISCOPUS SPIRENSIS.

XLIV. — Quapropter Gregorius ei in omnibus se adfuturum fore spondet: Sodalesque Societatis Jesu valde commendat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 16. f. 12.

Venerabili Fratri Marguardo Episcopo Spirensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Statueramus, ut alias scripsimus Fraternitati Tuæ, neminem accipere in Collegium Germanicum, nisi esset militari, aut certe non multo inferiori nobilitate; idque multis, gravissimisque de causis.

Nunc autem Tuæ Fraternitati deesse non possumus. Quoniam igitur scribis ex iis, quos recipi cupis, nullum talem esse, mittes non amplius duos, eosque quam poteris honestiore loco natos, neque admodum pueros, neque rerum grammaticarum rudes, sed ita instructos, ut jam ad scientias percipiendas idonei sint. Est etiam quod Nos vicissim postulemus a Tua Fraternitate, idque facimus, quantum possumus, ut scilicet Jesuitas quam commendatissimos habeas eosque tuearis; accepimus enim agi de iis ejiciendis, quasi non sint in vetere concordia comprehensi. Quod quidem consilium cujusnam hominis sit, adhuc ignoramus, illud certo scimus non nisi a Sathana auctore esse posse. Sunt enim servi fideles Jesu Christi, quodque te perspexisse persuasum habemus in ejus causa tuenda, inque vitæ sanctitate et doctrinæ sinceritate colenda et retinenda, aliosque ad salutem vocandos, sanctaque doctrina et moribus instruendos paratissimi ac diligentissimi, nec unquam defessi; quod ipsum quoque confirmat presens motus: neque enim potest Dæmon pati eos, quos tam sibi adversos esse intelligit. Nos igitur, ut omni ope tuearis, quantum possumus, rogamus ac sic confirmamus fore id non Nobis tantum, sed Deo etiam gratissimum. Longiores essemus, nisi tuam pietatem, et animarum salutis zelum perspectissimum haberemus, quem zelum ut in hac potissimum causa ostendas, neque a te distrahi patiaris eos, quorum opera tuam solicitudinem multis in rebus allevari posse intelligis, iterum Fraternitatem Tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Julii MDLXXV. Pont. Nostri anno quarto.

Jesuitas Canonicis quoque Ecclesiæ Spirensis quam commendatissimos esse voluit Pontifex, eosque monet, ut contra nefarios hæreticorum conatus, qui Jesuitas non ita pridem exsulare jusserant, sibi fovendos tuendosque existiment. [*]

[*] Seg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 17. fol. 13.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Spirensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus, isthic agi de Jesuitis ejiciendis, quod dicatur, eos minime comprehensos esse in veteri concordia. Non dubitamus, id facinus vestræ pietati indignum videri, atque omnino improbari, vosque præclare intelligere, nullum esse aliud consilium Sathanæ in iis ejiciendis, nisi ut adimat Deo optimos isthic operarios et servos fideles, nihil aliud laborantes, nisi ut quantum possint, maximum fructum referant Domino. Rogamus, ut eos quam commendatissimos habeatis, vestraque ope protegatis, Sathanæque machinis obsistatis. Aderit Deus suæ causæ, vestramque virtutem cumulabit præmiis sempiternis. Nos certe vestri hujus facti semper memores erimus, omnibusque in rebus ostendemus, illud Nobis gratissimum fuisse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die xxx. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Quod se libentissime facturos Canonici pro veteri in benemeritissimos patres Ignatianos observantia et studio, Pontifici promittunt. [*]

[*] Germania Vol. 33. fol. 276.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater. Sanctitatis Vestræ literas plenas apostolicæ benevolentiæ et consolationis accepimus, eoque quo Romanæ Ecclesiæ fideles filios decet obedientiæ affectu tanquam paternæ sollicitudinis et dilectionis testimonium suscepimus, volumus et perpendimus solerti investigatione indagantes, num quid superesset, quod excitata a Sanctitate Vestra diligentia nostra in causa Societatis Jesu posset amplius.

« Non enim dubium est, quod ad Apostolicæ Sedis tanquam ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium perlatum esse plurimum gaudemus, hostes fidei, qui decorem domus Domini oderunt, in Societatis Jesu socios Christi vineæ cultores quævis pro suo ingenio passim per Germaniam malitiose machinari, et nuper per Senatum Spirensem, qui cum tota fere Civitate Catholicæ religioni quantum potest adversatur, pernicioso exemplo extremare tentare præsumpsisse, infami illa et seditiosa protestatione, qua publice edita illos ab inita quondam inter nos et civitatem concordia et immunitate excludere attentarunt; adeo ut nos urgere non sint veriti, ut quos ad Ecclesiæ nostræ utilitatem accersivimus, cum dispendio et dedecore dimitteremus, quo amotis ovilis Christi defensoribus tandem aliquando desideratum illis ostium pateret. Sed non defuit nobis Divinum auxilium, quod his calamitosissimis temporibus subinde sumus experti, qui etiamnum freti ut ante biennium in eadem causa Senatui Spirensi restitimus, ita modo aperto marte nos oppugnantibus superiores nos evasisse speramus. Quando jam effectum est per Reverendissimum in Christo patrem Dominum Marquardum Episcopum nostrum, ut Sacra Cæsarea Majestas Imperiali scientia et auctoritate Senatus Spirensis audaces conatus improbaverit, et ab illis supersedere, Societatisque Jesu homines non secus quam alios defendere mandaverit, vel si quid se præter fas ab illis et nobis perpeti putarit, ad ordinariam viam in concordiæ formula a majoribus nostris præscriptam et a singulis Clericis et civibus juratam remiserit. Quo fit, ut jam confidamus fore, ut malignantium ora obticeantur, nefariæque manus contineantur et Societatis Jesu homines juxta instituti sui rationem in vinea hac nostra inculta cum fructu uberiori laborare permittantur.

Quod si autem in posterum (quod Deus avertat) hostes se iterum in nos movere contingat, dabimus pro virili nostra operam, ut tam Sanctitas Vestra, quam tota Christi Ecclesia intelligat, nihil eorum quæ per nos fieri potuerunt in hac Christi Domini nostri causa fuisse prætermissum. Quod desiderium, ut in nobis Deus adaugeat, effectuque felici coronet, ad sui nominis gloriam immortalem cœlestem bonitatem obtestamur.

« Sanctitas autem Vestra pro suo in nos paterno affectu apostolicaque commonitione, cui parere semper sumus parati, quantas possumus gratias agimus et habemus. Simul etiam Sanctitatem Vestram humiliter et cum reverenti pedum osculo rogamus, ut Ecclesiam hanc nostram Spirensem, nosque Sanctitatis Vestræ filios obedientissimos sub apostolica benedictione et protectione conservare et fovere dignetur. Nos quod decet Christum Ecclesiæ suæ sponsum principemque pastorum orabimus, ut Sanctitatem Vestram suum in terris Vicarium his afflictissimis temporibus prosperare dignetur. Datum Spiræ die Lunæ 5. mensis Septembris, anno salutis nostræ 1575.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi filii

DECANUS ET CAPITULUM MAJORIS ECCLESIÆ SPIRENSIS.

Eadem Spirensis etiam Episcopus se præstiturum Gregorio profitetur, additque amplissimum Patrum Ignatianorum elogium; eique agit gratias de adolescentibus in Collegium Germanicum de Urbe receptis. [*]

[*] Germania Vol. 39, fol. 380.

Sanctissime in Christo Pater.

« Post humillimam mei commendationem, et devota pedum oscula beatorum, Domine clementissime. Posteaquam Sanctitas Vestra me per literas suas, de duobus saltem, iisque honesto loco prognatis, mediocriterque ingenuis literis imbutis adolescentibus in Collegium Germanicum recipiendis, clementissime certiorem reddidit: Pro tanta Sanctitatis Vestræ benevolentia imprimis maximas quas possum ago gratias, nec non ex animo Ecclesiæ meæ gratulor, quod aliquando inde prodituri sint, qui et doctrinæ synceritate populum ad salutem æternam erudire, et literarum scientia, morumque integritate alios informare poterunt. Ideoque curabo ut quales Sanctitas Vestra postulat, tales, quamprimum fieri potest, isthuc mittantur. Quod deinde Sanctitas Vestra a me requirit, ut Jesuitas quam commendatissimos habeam, atque defendam: noverit Sanctitas Vestra me illos, ab eo tempore, quo primum in Ecclesiam meam recepti fuerunt, non solum ob vitæ sanctitatem, quam conspicui sunt, verum etiam eximiam literarum peritiam singulari semper favore prosecutum esse. Et quando quidem hactenus res ipsa ostendit, quam sint fideles, diligentesque religionis catholicæ propugnatores, quamque in instituenda juventute industrii et solertes, facere non possum, quin ipsos summopere et admirer, et magis ac magis tueri pergam. Id quod Sanctitati Vestræ vicissim humillime significare debui, Eidem, Sedique Apostolicæ me meamque Ecclesiam officiosissime commendans. Datæ ex Castro meo Udenheim vi. Septembris anno MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et obedientissimus

Capellanus

MARQUARDUS EPISCOPUS SPIRENSIS.

XLV. — Hinc etiam vigilantissimus Præsul sedulam navabat operam locis sacris recuperandis et conservandis, quos vel hæretici injuria occupaverant, vel fraude ac vi in suam potestatem redigere studerent. Quamobrem Pontificem supplex adiit, ut ob graves illas causas, quas in suis litteris exponit, sibi det facultatem Ecclesiam Collegiatam oppidi Landaviensis, hæreticis referti in urbem Udenheimensem una cum ejus Capitulo ac redditibus transferendi. Etenim valde erat timendum, ne Ecclesia ista ab hæreticis raperetur. [*]

[*] Germania Vol. 39, fol. 331.

Sanctissimo in Christo Patri ac Dño Dño Gregorio divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Papæ hujus nominis XIII., Domino meo clementissimo.

« Sanctissime ac beatissime Pater, post humilimam mei, Ecclesiæque meæ commendationem et devota pedum oscula beatorum, Domine clementissime. Quanquam hactenus, dum, licet indignus, divina vocatione, et Sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito, Episcopatus Spirensis gubernaculis præsedi, in hoc sedulo incubuerim, ut Ecclesiæ collegiatæ in nostra diœcesi constitutæ, ita administrarentur, ne cultus Dei et rerum temporalium cura et conservatio in illis detrimentum caperet his difficillimis temporibus: nihilominus efficere non potui, quominus Ecclesia collegiata oppidi Landaviensis (quod licet si jurisdictionis nostræ spiritualis, imperiali tamen immunitate gaudet et insolescit) olim per fœlicis recordationis Sixtum IIII. Summum Pontificem ex Monasterio Steigensi ordinis D. Augustini in collegiatam Ecclesiam novem Canonicatibus et sex Vicariis perpetuis, ibi eodem tempore constitutis transmutata, divini cultus administratione et temporalibus censuum emolumentis, propter hæreticorum ibi omnia propemodum occupantium, et in hoc quod reliquum est inhiantium audacem insolentiam, et exercituum crebro illic transeuntium omnisque obviam diripientium impressionem, ita sit attrita, ut vix lacera quædam vestigia supersint, quibus nunc etiam (cum magno animi mei dolore) animadverto extrema quasi pericula im-

pendere, partim ob duas aut tres ad summum dictæ Ecclesiæ residuos Canonicos et unum Vicarium, qui ibi corruptis moribus Ecclesiam Dei potius contumeliis exponunt, quam ædificent, cultumque Dei negligunt, proventus dissipant, et quæ Ecclesiæ communia sunt, in privatos usus perdite convertunt, vel alienando quæstus sæculares (quod vereor) faciunt, ædificia prorsus interire permittunt, partim quoque propter Principes sæculares vicinos diœcesin meam undique circumdantes, ipsos denique oppidi rectores et populum hæretico furore æstuantem, et in Ecclesiasticam prædam ubique paratos. Quos etiamsi non metuerem, ne prædicti Canonici, qui disciplinam Ecclesiasticam oderunt, pro conservatione sua accerserent, et in hæreditatem Domini immitterent, (quod sæpenumero tamen pertimescere debemus) ipsi tamen pro se, ut alibi subinde usu venit, quandoque possent, a malevolis instigati et allecti, hæc qualiacumque Ecclesiæ illios residua bona invadere; quo fieret, ut occasio mihi per illa divinum cultum et religionem Catholicam conservandi adimiretur, et adversariis quasi armis nostris contra Ecclesiam qualescunque vires accrescunt.

« Quæ quotidie ante oculos meos obversantia pericula, me in eam cogitationem adduxerunt, ut cum consilio Capituli mei, et imprimis Vestræ Sanctitatis consensu, bonum et utile Ecclesiæ huic Spirensi existimaverim, Ecclesiam illam beatæ Mariæ in Landaw, cum suis Sanctorum reliquiis, personis ad frugem redire desiderantibus, ornamentis, clinodiis, libris, instrumentis, insigniis, collegialibus atque privilegiis. rebusque aliis, tam ad Ecclesiam quam ipsas personas legitime pertinentibus, alium in locum convenientiorem (sub eodem titulo patrocinii) transferre, videlicet in Ecclesiam parochialem, in Sancti Nazarii honorem consecratam, oppidi Udenheimensis, consituto ibi Præposito, viro pio et docto, qui cum sex Vicariis, ad cultum Dei ibi quotidie peragendum destinatis, et aliis etiam in vicinia parochiis præesse possit, applicatis ad proventus parochiales residuis illis perexiguis bonis Ecclesiæ Landaviensis, quorum instrumenta authentica per Vicariom meum nuper maturo consilio, antequam distrahentur, ad manus meas accepi, Decano male sibi conscio se absentante; bonorum autem summa hæc est, in pecuniis 490. fl. in præsentiis 390. fl. Domus promiscue duodecim, ruinam pluraque machinantes, quarum duas Lutherani Concionatores occupant, uti etiam ab aliquot jam annis, prædecessore meo frustra insolentiæ renitente, suggestum in ipsa Ecclesia per vim usurpare non sunt veriti. Frumenti annui, modii sive Maldra 188. Speltæ modii 66. Avenæ modii 51. Vini et olei decimæ paucæ. Ex quibus sua etiam portio Lutheranorum concionatoribus, injuria temporum et oportunitate civium cedit. Atque hæc fere annuorum redituum summa est, ex qua, junctis proventibus parochialis Ecclesiæ, ubi de honesta sustentatione supradictis Præposito et Vicariis prospectum fuerit, residuum conferam in usum Seminarii per me et Capitulum meum aliqua ex parte jam inchoati. Ratio porro cur in hoc oppidum potius, quam in aliud placeat translationem hanc fieri, præter alias hæc est: Quod a civitate Spirensi vix mille passus distet, et ob id toti ditioni meæ, a prædecessorum meorum temporibus, percommoda residentiæ sedes fuerit, dignaque ut etiam propter adventantes ad me advenas et hospites, celebriorem cultus Dei et Sacerdotum apparatum habeat, qui tam incolas quam externos verbi Dei prædicatione, et honestæ vitæ exemplo ædificent.

« Quapropter Beatissime Pater, cum hæc translatio tam ob has commemoratas, quam alias causas, Ecclesiæ meæ et Catholicæ Religioni profutura non parum existimetur: officii mei ratio efflagitet, ut quod majores nostri Deo dedicarunt, nequaquam permittam in manus hostiles pervenire: neque decere judicem, cultum Dei per incolas Landavienses, tam diu neglectum atque contemptum in squalore atque situ jacere, ad Sanctitatis Vestræ pedes, Apostolicæque Sedis Vestræ auctoritatem et benevolentiam humiliter accedens, etiam atque etiam supplicando roga, et obtestor, ut huic translationi Collegiatæ ecclesiæ Beatæ Mariæ ex Landaw, in oppidum residentiæ nostræ Udenheim, clementer, apostolica auctoritate annuere et consentire dignetur: allatura haud dubie, cum Ecclesiæ meæ Spirensi, tum Catholicæ religioni (cui scio Sanctitatem Vestram esse his locis Germaniæ conservandæ studiosissimam) non parvum emolumentum, ad honorem Beatissimæ Virginis, genitricis Dei et Domini nostri, et imprimis Dei Optimi Maximi. Qui ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ diu servet incolumem, et pro singulari hac in Ecclesiam meam benevolentia, immortalibus bonis cumulet, meis licet indignis precibus sedulo contendam, Sanctitati Vestræ me, meamque Ecclesiam debita ad officia humillime commendans. Datæ ex Castro meo Udenheim VI. Septembris anno MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et obedientissimus
Capellanus
MARQUARDUS EPISCOPUS SPIRENSIS.

XLVI. — Providus solersque Bambergensium Episcopus haud ultimas partes ex Germaniæ Præsulibus agebat in re Catholica provehenda. Is enim Trivium atque Elgardum summa voluntate et exultanti animo excepit, spoponditque se paternis ac sapientissimis Summi

Pontificis consiliis pro viribus obsecundaturum. Quin etiam, litteris observantissimis ad Pontificem datis, promisit, omnem se operam daturum, ut quamplures scholæ ac Seminaria ad juventutem erudiendam instituerentur, et quam primum, quod si temporum conditio permitteret, Sacerdotes Societatis Jesu Bambergam accersirentur. (*)

(*) Germania Vol 26. fol. 62.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Dño Nostro Clementiño.

Post oscula beatissimorum pedum, humillimam et propitissimam subjectionem.

« Sanctissime Pater ac Domine, Domine clementissime, omnium Christi fidelium veneratione et observatione colendissime. Præterito mense Augustu hujus instantis anni septuagesimi quinti Venerabili vero Domino Alexandro Trivio Canonico Bonnensi, Sanctitatis Vestræ Nuncio dignissimo substitutus Venerabilis quoque Dominus Nicolaus Elgardus Sacræ Theologiæ Doctor et Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ apud Sanctum Mauritium Augustæ Vindelicorum venit ad nos, et a Sanctitate Vestra nobis oblatis et in hunc effectum scriptis litteris Apostolicis (ut nos, admonente illo, quæ in Diœcesi Bambergensi Sathanæ fraude et hominum malitia essent invecta emandaremus et boni pastoris munus adimpleremus) fideliter et diligenter exposuit, quantopere Sanctitas Vestra de Germaniæ salute nunc aliquot annis in maximis erroribus versantis et a genuina majorum suorum probitate degenerantis, præcipue vero de incolumitate Ecclesiæ nostræ Bambergensis, utpote eidem peculiariter et immediate commissæ, esset sollecita; quodque pro cura et sollecitudine sua universali vellet, ut quæ forsan in Diœcesi et Episcopatu ejusdem desiderarentur, omni studio et diligentia conquireremus et conquisita ad verum, pium et Catholicum usum transferremus. Qua quidem in re, vel maxime esse necessarium asserebat, ut Juventutis scholæ, quæ sibi admodum frigere videbantur, rursus juxta Sacrosancti Tridentini Concilii decreta, vel restaurarentur, vel ubi et quibus in locis opus esset, novæ erigerentur. Quas ut Ecclesiæ Catholicæ singularem aliquem fructum adferrent, aliter et commodius constitui non posse, quam per Patres de Societate Jesu, multis rationibus et argumentis ostendebat, utque Jesuitas Seminario sive Collegio alicui instituendo præficeremus, omnino suadebat. Quas sane literas Apostolicas cum debita et summa animi veneratione deosculando accepimus et dictum Doctorem Elgardum, hominem disertum et magna prudentia, pietate et eruditione præditum humanissime excepimus et libenter, officiose submisse audivimus. Nobis vero, Sanctissime Pater, ab eo tempore, quo Dei Optimi Maximi providentia Sanctitas Vestra ad Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ gubernacula est collocata, et in pastorem universi Dominici gregis constituta, nihil aliud in mente fuit, quam ut semper id, quod res ipsa fuit pie et honestissime de Sanctitatis Vestræ consiliis, conatibus et actionibus, utpote a divino proficiscentibus spiritu cogitaremus et sentiremus, nobisque plane persuaderemus, fore ut Sanctitate Vestra domum Dei gubernante et familiam Jesu Christi, quæ est Ecclesia Catholica, sanguine ejus prætioso redempta, dispensante, Germania in varia nunc errorum et hæresium portenta divulsa, commodius esset habitura. Quod quidem nostrum judicium nunc magis confirmatur, cum liceat coram intueri, divina auxiliante gratia per Sanctitatis Vestræ vigilantiam et curam majores accessiones ad Catholicam religionem fieri, et multis in locis hæreticorum opiniones vilescere et labefactari. Quod autem, ut pia quoque, et quam præsentis sæculi status postularet, reformatio in Diœcesi Bambergensi susciperetur, Sanctitas Vestra suis literis, et misso nuncio, me Episcopum et nos Decanum et Capitulum interpellare et officii commonefacere dignata est, humillimas agimus gratias, et id non leve argumentum amoris et paternæ benevolentiæ erga nos et Ecclesiam nostram esse putamus. Quare de nobis ita statuat S. V. nihil magis nobis hactenus in votis fuisse, quam efficere, ut eadem re ipsa intelligere et scire posset, me Episcopum fidelis, vigilantis et vere boni Catholici pastoris munus implere studuisse, nosque Decanum et Capitulum, ejusmodi tam pios et honestos conatus sedulo adjuvasse, et quidem non sine magna et molestia et difficultate. Est enim Episcopatus Bambergensis non solum undequaque Principibus Lutheranis, utpote Ducibus Saxoniæ, Electore Palatino ad Rhenum, Marchione Brandeburgensi, et Republica Norimbergensi cinctus; sed nos in ditionibus ipsorum, et vicissim ipsi in nostro territorio per quam plurimos subditos, possessiones et bona habemus inviceem commixta: Est et nobilitas, sedes, domicilia et subditos in eodem possidens, valde potens et a Catholica religione una cum familiis et dictis subditis suis prursus aliena et Sacro Romano Imperio tamquam status et membrum peculiare immediate subjecta ac sub pacificatione de religione Imperii decretis propter superiorum temporum iniquitatem sancita, comprehensa; mihi vero Episcopo nulla alia ratione nisi quorundam bonorum feudalium obligata. His et hoc accessit, quod non ita pridem antequam ego Episcopus huic meæ Bambergensi Ecclesiæ Deo Optimo Maximo et Sede Apostolica ita disponente et volente præficerer, Alastor patriæ Marchio Brandeburgensis omnes ejus Civitates, oppida,

castella et pagos, nulla quidam data causa, hostiliter invasit et hostiliter devastavit, Catholicos concionatores ex omnibus parochiis, et denique ex ipsa urbe Bamberga totum Clerum ejecit, et his Lutheranos doctores substituit, qui populo et subditis aliam et diversam a Catholica religione fidem et doctrinam instillarunt. Quantæ igitur sollicitudinis et curæ fuerit in tanta omnium rerum pertorbatione, indurato hujusmodi morbo, ne irritaretur potios quam mitigaretur, commodum invenire et adhibere remedium, facile existimari potest. Sed per gratiam et misericordiam Dei, cui omnia accepta ferimus, res miror in eum est adducta statum, quod et propter varia et multiplicia impedimenta non omnia in integrum restitui potuerunt, omnes tamen nostræ diœcesis parochiæ vicissim habent pios et Catholicos concionatores, qui seductum populum et errantes oviculas fideliter et Catholice hactenus informarunt, et adhuc informant et ad Christi ovile reducere laborant, ita ut nunc divina favente gratia, numerus eorum, qui partim inter tumultus bellicos, in Catholica fide constanter permanserunt, partim a piis et Catholicis Doctoribus rerum admoniti, iterum ad sanam mentem redierunt, major sit, quam ab initio a quoquam cogitari vel prævideri potuit. Experimurque quotidie, si cum ea moderatione, qua hactenus usi sumus, Catholicæ religionis negotium urgere pergemus, fore, ut etiam reliqui erroneis adhuc imbuti opinionibus, illas exuant, et ex lupi infernas faucibus extracti, Christo et ejus Ecclesiæ Catholicæ lucrifiant. Ad scholas vero quod attinet, illis, quas in sæpedicta diœcesi nostra Bambergensi habemus, præfici dodum curavimus, non solum ludimagistros Catholicos, sed omnino effecimus, quoque ut juventus nunc in litterarum et veræ ac Catholicæ pietatis studiis, multo diligentius et fidelius, quam antea factum fuit, erudiatur. Et statim post promulgationem Sac. Tridentini Conc. in eam incubuimus curam ut in erigendo Seminario aliquo celebriori S. V. hanc quoque charitatis et pietatis operam, et obedientiæ studium debitum probaremus. Cujus rei perfectio, eum præter voluntatem nostram, usque in hoc præsens tempus dilata sit, sane magna et gravissima habuimus obstacula et impedimenta. Nam durante antedicto bello Marchionico ita fuit exhaustus et devastatus Episcopatus Bambergensis, ut eo paululum sopito, non solum nihil esset facultatum, et pecuniarum reliquum, sed ingens etiam æs alienum pro aliqua restauratione conflatum, pro cujus dissolutione multa castella, oppida et præfecturas nos et antecessores nostri creditoribus nostris oppignorare et eum omnibus et singulis fructibus et emolumentis assignare, et subditis gravissima onera imponere necesse habuimus, quod æs alienum, etsi nec nunc quidem omnino solutum sit, sed multa centena millia florenorum adhuc dissolvenda restant; nihilominus tamen sedulo enitemur, ne vel hac in parte officio nostro defuisse videamur, sed ut in usum Ecclesiæ Bambergensis, et innocentis joventutis collegium literarum, piis, eruditis et Catholicis professoribus, aliisque rebus necessariis, pro tenuitate facultatum Diœcesis nostræ instructum in civitate Bamberga brevi appareat. Quod autem ad patres Societatis Jeso attinet; etsi diligentiam et fructum, quem præstant juventuti, audimus a plurimis, præcipue vero ab ipso Elgardo Sanctitatis Vestræ nuncio magnopere commendari, et fortasse juventuti magis idonei, et meliores præceptores inveniri non possont: movemur tamen conditione, fortuna et statu diœcesis nostræ superius alligato, ut existimemus (hoc quidem tempore, quo non solum vicini nostri Lutherani, sed et nobiles et subditi nostri, ipsos nescio quas ob calumnias de ipsis præter veritatem in his regionibus sparsas extreme oderunt, et quibusvis aliis potius quam Jesuitis suos liberos erudiendos committere velint) satis commode recipi non posse. Quia vero Tridentinum Concilium assumptionem professorum non ad certum ordinem restringit, sed simpliciter vult, pro facultate cujusque diœcesis ab Episcopis Seminaria erigi et constitui. Ideo huc adsciscemus quanto citius fieri potest, plures viros pios, doctos et Catholicos, ut tandem quæ ex usu juventotis esset, schola celebrior in civitate Bambergensi, ad exempla Salisburgensis, Aistatensis, et Friburgensis Gymnasiorum, quæ absque Jesuitis reguntur, erigeretur et aperiretur, donec tandem horum temporum exulceratione paululum lenita, in illa Jesuitis quoque possit esse tutus locus. Cum igitur ea sit ratio et is status Episcopatus Bambergensis sæpedicti, ut in eo hoc quidem tempore Jesuitæ propter defectum et inopiam discipulorum ipsis tradendorum adeo magnum fructum facere non possint: plane nobis persuasimus, Sanctitatem Vestram cunctationem istam nostram in recipiendis Jesuitis æquo ac clementi animo laturam, et nos excusatos habituram: si non quod volumus et magis expedire videtur, sed quod potest fieri, et tamen Catholicæ religionis propagationi profotorum est, procuramus. Quamprimum autem (quod Deum Optimum Maximum ardentibus et assiduis precibus oramus et brevi futurum speramus) tempora apparebunt paulo meliora, dabimus operam et plane efficiemus, ut cæterorum Catholicorum Principum et Statuum, qui Jesuitas habent, exempla imitati esse videamur. Interim Sanctitati Vestræ nos et Ecclesiam nostram misere devastatam post oscula beatissimorum pedum quam humillime commendamus, et Deum Optimum Maximum rogamus, ut illam ad gloriæ et Eccle-

siæ suæ catholicæ exaltationem et conservationem, cunctarum heresium et vitiorum extirpationem quam diutissime tueatur incolumem, et ad id sua sancta vota, pia desideria, consilia, actiones et conatus omnes fortunat et secundet. Datæ Bambergæ pridie Nonarum Novembris, Anno a Christo ex Maria semper Virgine nato MDLXXV.

Sanctitati Vestræ

Deditissimi et subjectissimi
Vitus Episcopus Bambergensis
mpp^{ria}.
Johannes Fuchsius Senior
nomine ejusdem decani et capituli.

Pontifex tanta hujus Præsulis animi alacritate exhilaratus eumdem merito laudat, atque excitat ad ea, quæ sibi proposuerat, quæque catholicæ fidei maxime conducerent, illico facienda. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. IV. ep. 135 fol. 90.

Venerabili Fratri Episcopo Bambergensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex pluribus literis dilecti filii Nicolai Elgardi, quem ad Fraternitatem Tuam misimus, certiores facti sumus, quam libenter eum videris, quam libenter audieris, quam cupide amplexus fueris, quæ is nostro nomine apud te egit de Seminario constituendo, deque corrigendis iis, quæ apud nonnullos sunt depravata. Vix narrare possumus, quantam hæc Nobis lætitiam attulerint. Sed quia necesse fuit, antequam ista peragerentur, quæ summa cum animarum salute, et Christi gloria suscepta erant, Elgardum sese nostro mandato Ratisbonam conferre, remittimus nunc eum ad Fraternitatem Tuam, nec quidquam est, quod tantopere cupiamus, quam videre ea perfecta esse, quæ fuerunt sanctissime suscepta; nihil enim aliud quærimus, nisi Dei gloriam, et tuum, tuæque Ecclesiæ bonum, quod etiam Fraternitati Tuæ summopere cordi esse certum habemus. Hoc autem nulla alia meliori ac certiori via assequi possumus, quam si novellas isthic plantas consitas, ac morum sanctitate, et doctrinæ synceritate excultas; veteres autem multis partibus amputatas, fructumque bonis arboribus dignum ferentes audiamus. Quæ quidem adeo Nobis cordi sunt, ut sæpius cogitaverimus harum rerum causa proprium hinc Nuncium mittere, idque fecissemus, nisi perspectam habuissemus insignem Elgardi ipsius probitatem et pietatem, persuasumque haberemus, non minus illum Fraternitati Tuæ charum esse, quam alium quemvis in majore dignitate constitutum; neque vero de Ecclesia ista solliciti sumus communi tantum illa omnium Ecclesiarum cura, quam Nobis imposuit Deus, sed præcipuo quodam jure, et ratione. Est enim, ut scis, immediate subjecta Sedi Apostolicæ, quo etiam magis cavendum est, ne aliquorum perversitates, et scandala omnia pervertant et perdant; hoc Tuam Fraternitatem nunquam permissuram esse confidimus. Cætera ex Elgardo ipso cognosces, omnemque ei fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XLVII. — Episcopum quoque Herbipolensis Ecclesiæ peculiarem in modum Gregorius monet de ecclesiastica disciplina, prædecessorum suorum incuria collapsa, in Diœcesi sua restituenda. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 129 fol. 86

Venerabili Fratri Episcopo Herbipolensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepimus, esse isthic vehementer corruptam apud nonnullos Clericos Ecclesiasticam disciplinam; gravissime vero quosdam laborare concubinarum infamia. Quod si ita est, dolemus, non antea provisum fuisse: facile autem arbitramur, aliquid Fraternitati Tuæ obstitisse; sed pervincendæ sunt omnes difficultates, Divinæque voluntati omni conatu inserviendum, nec quidquam magis pertimescendum, quam ejusdem Dei offensio atque indignatio. Incumbet igitur Fraternitas Tua toto pectore in ea, quæ depravata sunt, corrigenda: summam etiam curam geret Seminariorum, scholarumque et parochialium Ecclesiarum; providebitque ut sit, unde Parochi commode sustentari valeant. Curabit etiam, ut officiis iis præsertim, a quibus vulgus in iis, quæ ad Religionem pertinent, pendet, præfecti sint viri Catholici, amoveanturque qui ex hoc numero non sunt; vides enim pro tua prudentia, quantum in hoc momenti sit ad Dei gloriam, ad Religionis synceritatem, ad animarum salutem. Illud quoque ad Divinum cultum pertinere magnopere judicamus, ut Canonici, præsertim qui dignitates obtinent, sint Sacerdotes. Hoc libenter scribimus ad Fraternitatem Tuam, quia existimamus, ea tibi pro tua pietate probari, neque dubitamus, recta atque honesta omnia summopere tibi cordi esse. Expectamus vehementer literas Fraternitatis Tuæ, ex quibus cognoscamus, quid in his rebus actum sit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Sed et Canonicos hujus Ecclesiæ Cathedralis gravibus verbis adhortatur, ut Episcopo in ea re aggredienda ac perficienda consilio et opera adsint. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 130 fol. 87.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Herbipolensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Quibus potissimum in rebus versetur vestrum munus, debeaturque vestrum tum consilium, tum opera vestro Episcopo, nemo vobis melius intelligit, quæ autem recta, aut honesta sunt, ea summopere velle, atque ad ea curanda et conficienda paratissimos

esse, persuasum habemus. Tria autem hoc tempore vobis proponimus, in quibus vestra opera maxime debetur vestro Episcopo: Ecclesiasticæ nimirum disciplinæ apud nonnullos clericos cum cæteris criminibus, tum vero concubinarum infamia fœdatæ et corruptæ restitutio, et Seminariorum scholarumque constitutio; cura item ut sit, unde Parochi honeste sustentari queant. In his percupimus, ut velitis vestro Episcopo adesse et consilio et opera, eumque, si forte (quod non arbitramur) lentior esset, urgere; meminisseque quid Nobis de eo polliciti fueritis, tum cum confirmationem postulastis. Judicamus, satis esse rem ipsam vobis indicasse; nihil autem opus esse ostendere, quam sit necessaria, quamque Deo accepta: vos enim id pro vestra prudentia præclare intelligitis; cohortatione vero idcirco Nobis utendum non est, quia vos vestra sponte hæc atque alia, quæ pertinent ad Dei laudem, divinique cultus puritatem et dignitatem summopere velle certum habemus. Expectamus vehementer vestras litteras, ex quibus cognoscamus, vos ea fecisse, quæ incredibiliter cupimus pro Dei gloria atque animarum salute. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XLVIII. — Nihil igitur mirum, Gregorium adeo afflictis perturbatisque Ecclesiæ Germanicæ rebus, cum optimi pastores desiderarentur, ægre admodum tulisse, quod solertissimus Coloniensis Archiepiscopus consilium se Archiepiscopato abdicandi iniverit; eumque suavissimis verbis, ne id ante faceret, quam sibi optimum successorem designaverit, cohortatum esse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. III ep. 174 f. 201

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis dilecti filii Gasparis Gropperii Nuncii nostri cognovimus ea, quæ cum ipso communicari voluisti, de isto Archiepiscopatu deponendo. Graviter doluimus, quia in tua præstanti virtute et probitate, ac Dei gloriæ zelo mirifice acquiescebamus, tuamque vigilantiam, atque operam plurimum isti Ecclesiæ ad res tum divinas, tum humanas prodesse judicabamus: talem autem pastorem habere, ut lætandum magnopere est, sic adepto carere maxime est dolendum. Sed quando te id jam certis de causis constitutum ac deliberatum habere perspeximus, non putavimus remorandum. Laudamus autem Fraternitatem Tuam, quod tam libere, tamque ingenue consilium suum aperuerit, quodque in Ecclesiam istam eo animo sit, quo maxime volumus, optimo scilicet, et optimi in ea successoris conspiciendi cupidissimo: in quo ut tuo, nostroque summo desiderio satisfaciamus, ipsi quoque nitemur quantum poterimus, nec quidquam antiquius habebimus istius Ecclesiæ nobilissimæ utilitate ac tranquillitate; unde etiam pendere intelligimus omnium tum superioris, tum inferioris Germaniæ provinciarum salutem. Sed vehementer cupimus a tua prudentia adjuvari: nihil enim sine tuo consilio, atque opera satis explicatum habere possumus. Itaque percupimus, ut quemadmodum instituisti, sic pergas libere tuam Nobis sententiam per Nuncium nostrum aperire, et quid opis te afferre posse intelligas, ut optimus successor detur, et quam facili te Capitulo usurum speres ad tua optima, et pietatis plena consilia exequenda: quid Nos sive cum Capitulo ipso universe, sive cum singularibus ejus personis, sive cum Principibus, qui apud illos valeant auctoritate et gratia commode agere posse existimes; præsertim vero certiores Nos facias, opportunum ne esse ducas, ut quod alias quoque factum est, nostra auctoritate utamur in dando Coadjutore, antequam Ecclesiam istam deponas; daremus enim hominem maxime idoneum, tibique acceptissimum, et quidem eum ipsum, quem tibi placere dilectus filius Nicolaus Elgardus ait, ex tuo sermone conjecisse: is enim tum sua potentia Ecclesiam istam præclare tueretur et regeret; tum hanc ipsam successionem a te ipso accipere se existimare, eoque nomine tibi perpetuo obligatus esset: verisimile autem, factum hoc apud omnes ratum ac firmum futurum; nec quemquam se nostræ, tuæque auctoritati oppositurum, ubi nos consentientes, et conjunctos videret; præsertim si etiam accederet charissimorum filiorum nostrorum Maximiliani Imperatoris electi, et Philippi Regis Catholici voluntas, quæ certe non deesset. His igitur de rebus aperte et singillatim tuum responsum expectabimus, priusquam aliquid agere aggrediamur, vicissimque postulamus, ut de Ecclesia ista dimittenda nihil tentes, nisi prius Nos omnibus de rebus certiores feceris, ut scilicet possimus communi consilio omnia parata habere, quæ Nos possunt ad optatum finem perducere. Hæc autem optimi successoris curatio talis, ac tanta est, ut nihil sit, in quo possis versari majore apud Deum cum mercede, apud bonos omnes gloria, apud Nos gratia: quanto enim dolore ex tuo discessu afficimur, non minore ex hoc facto consolatione afficiemur. Illud etiam magnopere postulamus, ut dum Ecclesiam retines, conferas omnem curam ad eos mores, quos corruptos esse intelligis, sanandos, et ad Ecclesiasticam disciplinam reducendos: ut maneant post tuum discessum vestigia rerum summa a te cum prudentia, et pietate gestarum non leviter notata, sed ad memoriæ diuturnitatem fixa: quibus etiam vestigiis successor sibi incedendum esse intelligat. Quamcunque vero aliam deposito Archiepiscopatu

vitæ rationem suscipiendam statues, quoniam perspectam habemus magnitudinem animi tui, synceram voluntatem, singularem virtutem, et nobilitatem, habebis Nos paratissimos ad ea omnia, quæ te cupere intelligemus, atque ad omnia tibi commoda et honores comparandos. Hæc atque alia Fraternitati Tuæ explanabit nostro mandato Gropperius noster; neque enim possumus omnia his literis comprehendere; ei igitur summam fidem habebis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Eumdem tamen Antistitem monet, ne permittat, hæreticos Aquisgrani contra veteres illius civitatis leges in Senatum cooptari et recipi. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 183. f. 290.

Venerabili Fratri Salentino Episcopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quæ recta atque utilia, et tum publice, tum privatim salutaria sunt, ea ut excogitare sapientiæ est, sic ut dementiæ ab aliis cogitata et decreta repudiare. Hoc nunc fieri Aquisgrani graviter dolemus: accepimus enim legem ejus Civitatis optimam, Deoque acceptissimam, in primisque ipsi Civitati salutarem, semperque hactenus retentam, de hæreticis in commune consilium minime accipiendis hoc tempore violari, eosque una cum Catholicis in consilio esse. Quo quidem nihil potest fieri exitiosius. Etenim cum consilium sit unum quoddam quasi corpus, qui possunt esse unius, ejusdemque corporis duo capita tam inter se pugnantia, quam Christus, qui Catholicorum caput est, et Sathan, qui hæreticorum? Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? quæ pars fideli cum infideli? Qui vero de fide, et de religione, hoc est de re omnium maxima et plane divina a Nobis dissident odiis capitalissimis atque intestinis, quique se ipsos ab Ecclesia Catholica, in qua unum Christi corpus sumus, per summam perfidiam absciderunt, ecqua alia poterunt nobiscum pace et societate conjungi? Deus est, qui habitare facit unanimes in domo; hæretici vero neque habitant in domo Dei, hoc est in Ecclesia sancta, cumque ipsi inter se mirifice dissideant, in uno tamen Christo, inque ejus membris, et matre nostra Catholica Ecclesia impugnanda consentiunt. Verissima est sententia Cypriani docentis, nihil posse esse Catholicis cum hæreticis commune: cohærere, inquit, et conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Cum autem oporteat omnis recti consilii atque actionis fundamentum esse Christum; hæretici vero, qui appellantur Christiani, quique frequenter habeant Christum in ore, faciant sibi alium quendam Christum suæ ipsorum impietati accommodatum, planeque diversum ab eo, quem veri Christiani agnoscunt et volunt; quæ potest esse his cum illis consilii, magistratus, aut ullius juris communio? Quid quod in Republica administranda, inque rebus decernendis et regendis maxime opus est sapientia? quæ si in hæreticis ulla est, carnis tantum sapientia est (spiritu enim sapientes esse non possint, qui suas ipsorum animas interimant) sapientia autem carnis inimica est Deo. Hæc te non dubitamus præclare intelligere, proque pietate nobiscum dolere, Aquisgranos tam misere decipi, neque hæc, quæ perspicua sunt, videre. Hortamur igitur Fraternitatem Tuam per eumdem ipsum Christum, cujus causa in hoc negocio maxima agitur, perque filiorum nostrorum salutem, quæ Nobis æque ac nostra cordi esse debet, ut quantum vales, nitaris auctoritate, gratia, opera Catholicos illos a tam pernicioso incœpto deterreas, efficiasque, ut legem optimam et saluberrimam retineant, hæreticosque eos, quos incauti in consilium acceperunt, rejiciant. Confidimus, te hæc diligentissime curaturum, tuaque opera et Dei auxilio omnia ita successura, ut maxime cupimus, atque ab eodem Deo precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XLIX. — Neque minori cum auctoritate Gregorius Principes sæculares de Ecclesiæ negotiis alloquitur. Qua de re pauca tantum exempla adducemus: itaque Carolum Archiducem Austriæ monet, ut Episcopo Petinensi solvendas decimas curet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 63. fol. 16.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Decimas non humano aliquo instituto aut lege, sed divino jure Ecclesiis deberi: nemini unquam Catholicorum dubium fuit, quo magis dolemus jus hoc tam sanctum a nonnullis violatum esse; villæque Scoplachi decimas superioribus Episcopis amplius quadringentos annos persolutas, venerabili fratri Episcopo Petinensi ademptas esse. Huic malo Nobilitatem Tuam providere et posse et velle certo scimus: erit Nobis gratissimum, si effeceris non solum, ut Episcopo libera in posterum decimarum hujusmodi exactio sit, sed etiam, ut quæ hactenus ablata sunt, ei restituantur: hoc tantopere Nobis cordi est, quantopere debet esse pietatis Divinæque legis, sanctarumque Ecclesiarum juris conservandi ratio; quæ etiam omnia Tuæ Nobilitati summopere cordi esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Septemb. MDLXXV. Pontificatus Nri anno quarto.

Eidem autem gratulatur, quod hæresiarchas nonnullos ex ditione sua exulare jusserit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 250. f. 339

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis Vir salutem et Apostolicam benedictionem. Dici non potest, quantam Nobis voluptatem attulerint literæ venerabilis fratris Episcopi Parentii, quibus scribebat, facile te ejus postulationi satisfecisse in duobus hæresiarchis ex illa diœcesi ejiciendis, eorumque discessu teterrimam illius sectæ hominum sentinam exhaustam fuisse. Attulit, charissime fili, hoc tuum factum ingentem utrique Ecclesiæ tum militanti, tum triumphanti lætitiam: nec dubitamus, illud tum in hac vita, tum in illa sempiterna, et beatissima a bonis omnibus, ab Angelis et Sanctis Dei, a Jesu Christo nostro Advocato, Catholicæque Ecclesiæ suæ sponso offerri Divinæ Majestati; eamque id summopere probare, præmiaque immortalia, et multo majora, quam ut ea cogitatione capere possimus tuæ pietati reposita habere. Quid enim Catholicis omnibus gratius facere potuisti, quam eos, qui in sinu matris eam viperarum instar dilaniabant, abigere? quid bonis utilius, quam ex eorum medio certissimam pestem amovere? quid Angelis et Sanctis Dei jucundius, quam homines omnis puritatis et sanctitatis hostes perpetuos ejicere? quid denique Deo acceptius, quam Sanctam Ecclesiam Christi Domini, ejusdem Dei nostri sanguine constitutam, illa in regione a nequissimorum hominum furore et rabie liberare? Restat ut idem etiam aliis in locis tuæ diœcesis facias. Reddet, crede fili, idem Deus, cujus causa agitur, omnia Tuæ Nobilitati facilia atque expedita, eritque tuum hoc præclarum factum cæteris etiam Principibus ad imitandum propositum, universumque hujus tam gloriosi facinoris præmium ad tuum potissimum meritum redundabit. Et quamquam quæ tua est pietas, non dubitamus, te desiderio ardere, nihilque nostra cohortatione indigere; tamen non possumus deesse nostro muneri commendandi Nobilitati Tuæ ea, quæ ad Dei gloriam atque ad animarum salutem pertinere intelligimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Ferdinandum etiam alterum Austriæ Archiducem graviter admonet, ut e sua provincia clericorum concubinas expellat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 66 fol. 46.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis Vir salutem etc. Quo turpius est impurissimæ veneri ac libidinibus inservire; eo est hoc vitium omnibus fugiendum magis: in Clericis vero ac Sacerdotibus intollerabile plane est. Sunt enim proprio quodam jure Domino consecrati, inque ejus sortem electi ad sacra mysteria peragenda ac tractanda et populo distribuenda: in quo oporteret esse similes Angelorum, id, quod castitas maxime præstare potest. Quod si ad omnes Catholicos, inquit Paulus, an nescitis, quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti et membra Christi? quanta puritate esse oportet ipsos Sacerdotes, quid ergo? tollunt membra Christi, et faciunt membra meretricis. Siquidem qui adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur. Quo quidem nihil potest dici horribilius tam turpiter inquinato corpore cordeque sulphureo igne accenso ad sacrosanctum Christi altare accedere, sanctissimamque Eucharistiam conficere atque attrectare. Prohibuerunt Sancti Patres, ne Clerici cum mulieribus habitarent, ut omnem scilicet illis peccandi facilitatem adimerent, aut certe ne quem cæterorum suspicioni ac sermonibus locum darent, et tollerabimus hujusmodi homines concubinis addictos, cumque eis senescentes? Hoc scelus longe lateque per Germaniam diffusum esse et ipsi accepimus et Nobilitas Tua non ignorat. Et quamquam difficile est illud ex universa illa regione exterminare, tamen iis in locis, quæ Catholicis Principibus parent, non existimamus difficile id factu esse. Verum quia periculosum est, ne si hujusmodi concubinas istinc statim ejeceris, sese conferant ad loca confinia Archiepiscopi Salisburgensis et Ducis Bavariæ, hortamur ac rogamus Nobilitatem Tuam, ut velis primum tecum statuere ejiciendas omnino esse, inque eo serviendum Deo tuamque pietatem et zelum illi probandum, tum hoc consilium aperias Archiepiscopo et Duci. Hoc illis etiam vehementer probatum iri, idemque eos suis in locis facturos confidimus: sic enim conjunctim loca ista purgabitis, tamque tetrum et fœtidum malum inde ejicietis, idque ut quantocius faciatis, quantum possumus, etiam atque etiam rogamus. Erit hoc Deo acceptissimum, vestris provinciis utilissimum, Nobis ultra quam dici possit, optatissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Septemb. MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

L. — Verum cumvero id maxime Gregorio erat curæ, id unum præ cæteris studebat, qua nempe fieri ratione posset, ut collapsa in Germania Regularium disciplina in pristinum statum restitueretur. Id negotii dederat Feliciano Ninguardæ ex Ordine S. Dominici, eumque Visitatorem generalem constituerat. Cæsar etiam in id incumbebat, et crebros ea de re sermones cum Feliciano habebat. Veruntamen cum is superiori anno (ut narravimus §. 30.) decretum edidisset, quo cavebatur, ut in posterum in ditionum suarum cœnobia et præcipue in Vindobonensia aditus pateret dumtaxat Germanis, vel Germanicum idioma callentibus, remotis alieni-

genis sive Italicæ sive cæterarum nationum, tantum abfuit, ut nec Ninguardæ precibus, nec Pontificis petitionibus ad illud abrogandum induceretur, ut etiam xix. Kal. Februarias hujus anni in sua sententia confirmaretur. Ninguarda, facultate sibi facta a Pontifice, voluntati Cæsaris aliqua in re satisfaciens, sequentem libellum exhibuit, quo Maximiliano, quæ contra ecclesiasticam disciplinam in eo decreto continerentur, aperte exposuit, eumque adprecatus est, ut velit ea ratione rem agi, qua sine canonum violatione et disciplinæ ecclesiasticæ jactura ejus voluntati satisfiat. (*)

(*) Germania Vol. 32. fol. 101.

Invictissimo Principi et Dño Dño Maximiliano Secundo Rom. Imperatori et Dño Nostro Clementissimo.

Sacratissime Cæsar, et Domine, Domine Clementissime.

« Etsi ad S. C. Majestatis V. decretum horum trium monasteriorum nomine universim responsum est; quia hæc commissio tamen mihi datur, necessarium duxi singillatim respondere, humiliter orans S. C. M. V. ut quæ a me vetustissimo ac studiosissimo cliente suo scribuntur, bene interpretari, ac sereno vultu legere dignetur, cupio enim S. C. Majestati V. obsequi, quantum exiguæ vires meæ patiuntur, et facultas temporum permittit.

« In feriis Paschalibus anni proxime elapsi S. C. Majestas V. mandaverat mihi, ut amotis fratribus Italis ex hoc nostro monasterio Viennensi, Germanos nativos eorum loco introducerem: quod ego ut obsequerer S. C. Majestati V. ac temporum necessitati consulerem, pro viribus feceram; verum cum non essem tunc temporis nactus tot, quot necessarii videbantur ad curandum cultum divinum, necesse duxeram duos alios fratres Italos hic relinquere, tam ut in muneribus templi obeundis juvarent, quam etiam Domtum et aliorum Italorum causa, qui non pauci ad templum nostrum veniunt, et ad audienda sacra et ad confessiones faciendas similesque necessitates spirituales, propter quas et alias multas rationes in medium a me tunc allatas, cum nihil aliud subsecutum esset, S. C. Majestatem V. animum ab hoc proposito jam retulisse existimarem, præsertim quod mihi postea mandata fieri jussit visitandi omnia monasteria Ordinum Mendicantium per Bohemiam et Moraviam: cui visitationi reliquum æstatis impendi et partem hyemis, cumque Brunæ essem, in festo Sancti Thomæ Apostoli clementissimis literis S. C. Majestatis V. per proprium tabellarium evocatus, huc illico concessi.

« Quam primum vero adveni et intellexi a M. D. Doctore Jo. Baptista Webero Cancellario me propterea a S. C. Majestate V. tam propere accersitum, ut fratres peregrinos natione ac lingua sine mora hinc dimittere et de Germanis nativis prospicere debeam, nolui expectare decretum, sed perspecta et explorata voluntate S. C. M. V. illico prospexi, et quiete dimissis fratribus externis, qui aderant, alium fratrem Germanum nativum, quem mecum adduxeram, hic assignavi, ut modo assignati fratres in hoc nostro monasterio omnes sint Germani, excepto professore theologo Universitatis: unde decreto nihil opus erat pro hoc nostro monasterio, præsertim cum in eo magnum studium hactenus posuerim, si quos nancisci possem nativos aut linguæ peritos, quorum opera non hic tantum, sed etiam in aliis monasteriis uterer: cujus animi mei ac laboris testes non paucos in Bohemia et Moravia invenire est, præcipue autem Rñum Archiepiscopum Pragensem et Magnificum Dñum Subcamerarium Moraviæ, utque in posterum major sit numerus et commoditas pro communi harum regionum utilitate fratrum nativorum, Novitios ubique ad habitum suscepi, qui literis ac moribus bene instituti posteaquam fuerint, monasteria in melius restituere, publicæ animarum saluti consulere, et patriæ non ingratum laborem impendere poterunt.

« Quod autem S. C. Majestas V. jubet, ut ex aliis etiam duobus monasteriis Augustinianorum et Minoritarum omnes fratres externos amoveam, pro debito officii, quod mihi S. Sanctitas imposuerit visitandi omnia monasteria ordinum Mendicantium in his partibus existentia, quam humillime respondeo, verum quidem esse, ita mihi mandatum a S. Sanctitate, ut prædicta monasteria diligenter visitem, excessus corrigam, mores reformem, et fratres juxta delicta puniam, at non ut amoveam, nisi in quibus causas justas invenerim: quare etiam atque etiam rogatam volo S. C. Majestatem V. ut vel tantisper supersedere, quoad Generales illorum admoneantur, ut in prima supplicatione petitur, vel si mora ferri non potest, non mihi, sed Povincialibus prædictorum duorum monasteriorum hoc negotium committere dignetur; nam si compellar hoc attentare, nedum ad effectum adducere, in apertum me et ordinem meum sempiterni odii ac malevolentiæ periculum conjecero, quod quam diligenter evitandum mihi et ordini meo sit, faciet judicium S. C. Majestas V., quam proinde confido in hoc re nullam mihi necessitatem impositurum, quod pro certo habeam S. C. Majestatem V. pro sua innata mansuetudine ac studio erga concordiam publicam et communis vitæ tranquillitatem, et mihi et ordini meo non male, sed bene consultum velle: si qua tamen in re illis auxilio esse possum, quibuscumque modis laborem non recuso.

« Quod S. C. Majestas V. indicatum commemorat, facili negocio fratres Germanos nativos posse reperiri et haberi, modo hæc provincia Austriæ Germaniæ superiori conjungatur et in-

corporetur: si ita placeat S. C. Majestati V. difficile factu non erit, sed (ut de ordine meo loquar) hoc certe nescio quam votis succedet; præterquam quod enim tanta locorum est distantia, ut rarissime Provincialis hæc monasteria visitare, et ægre regere possit; huc etiam accedit provinciam Germaniæ superioris loco amplam et late constitutam ita fratrum penuria laborare, ut vix habeat quibus propriis monasteriis succurratur, nec dicerem nisi mihi bene cognita esset, immo in aliquibus monasteriis habet etiam fratres et Priores externos, et aliqua quoque deseruit, ut qui secus sentiunt, fortasse interius non penetrarint. Fuerunt olim Austria, Stiria et Corinthia jussu Generalium ordinis interdum sub cura Provincialis Bohemiæ, aliquando sub Germania superiori, sub qua etiam ultimo erant, sed cum Provincialis raro visitaret, ad tantam libertatem omnia reciderant, ut monasteria non Priores, sed tyrannos haberent, qui rebelles facti Provincialem prospicere volentem minis ac terrore arcebant, et ita vivebant, ut pejus non possent, pro libidine omnia facientes, et honorem commodumque ordinis negligentes nullos Novitios suscipiebant, qui postea succederent. Quod malum animadvertens Sanctissimus Imperator Ferdinandus felicissimæ recordationis, genitor S. C. Majestatis V. et prospiciens, quæ ruina religioni esset consecutura, ni mature succurreretur, mandavit Provinciali Germaniæ superioris ut ocyus provideret, a quo cum nulla fieret provisio ob penuriam fratrum, loci distantiam, et alias causas non paucas, scripsit anno 1553. ad Generalem totius ordinis, ut ipse prospicere necessitati præsenti vellet, quo tempore Provincialis ipse Germaniæ superioris Generali prædictis de causis hæc omnia monasteria jam renuntiaverat, unde anno 1554. Rev. Pr. Antoninus Grosuptus bo. mem. et ego fuimus huc ab eodem Generali nostro missi, et clementissime non solum a Sanctissimo Genitore suo, sed etiam a S. C. Majestate V. suscepti, a quo tempore, si quæ hactenus facta sunt scandala, doleo vicem publicam, et causam religionis, sed qui occasionem scandalis fecerunt, pœnas dare et acriter puniri ad exemplum debebant. Quæ omnia si recte subducantur, et consilio judicioque expendantur, in præsentiarum vix melior occurret via et ratio commodior, quam si hæc provinciæ Austriæ, Stiriæ et Carinthiæ suum Provincialem habeant, et in monasteriis in quibus opus est, de melioribus fratribus provideatur, ut per tempus licet, ac Novitii ubique ad habitum suscipiantur Germani nativi, in Italiamque ad bonorum morum ac literarum studia mittantur, ne si hic in vocatione nondum stabiliti et confirmati diutius manserint, per Diaboli satellites, quorum multi in dies prodeunt, et christianæ religioni insidiantur, a bono proposito abducti et subdolis decepti, retro respiciant, habitumque deserant: ita enim spero fore, ut brevi hæc monasteria omnia in veterem pristinumque statum restituenda sint; nam et Germania superior in Italiam suos Novitios mittit, quibus post confectum studiorum suorum cursum redeuntibus alii semper succedunt, ut ita monasteria non mediocriter fulciantur, ne inclinent. Quod si hic quoque ita factitatum esset, ut non solum erat mens Pii Quinti sanctissimæ memoriæ, sed etiam moderni Pontificis Maximi est, non ita modo laboraretur: utut se res habet, si adhuc fiat, intra paucos annos monasteria hæc aliquam speciem religiosi status recipient, cum publica omnium utilitate, quam inde proventuram non dubito. Quod autem de ordine meo propono, idem de cæteris dici potest; sed illis relinquo negocium. Hæc sunt, quæ S. C. Majestati V. mihi scribenda occurrere, quam humillime oro, ut ea ita suscipiat, quemadmodum a sincero optimoque animo profecta sunt. Deus autem Opt. Max. S. C. Majestatem V. nobis quam diutissime salvam et florentem servet. Ex monasterio Prædicatorum die xxi. Januarii 1575.

Sac. Cæs. Majestatis Vestræ

Minimus Capellanus

Fr. Felicianus Ninguarda.

LI. — Dolendum quidem est, quod Cæsar, Princeps alias Religioni addictissimus, non satis sibi caverit ab dolosis administrorum suorum consiliis: quod et satis ostendit altera lex pridie Nonas Februarias promulgata. Est enim ista lex sane iniqua et perniciosa, et singulis Cœnobiorum Sedis Metropolitanæ subjectorum Præsidibus inscripta. (*)

(*) Germania Vol. 22. fol. 100.

« Sac. Cæs. Majestatis nostri Clementissimi Domini jussu Præsidentibus et Consiliariis Monasteriorum clementer indicandum, S. Cæs. Majestatem relationem ipsorum propter hic morantium fratrum Italicæ nationis discessum clementer intellexisse.

« Super his est S.C. Majestatis clemens mandatum, ut tres ipsorum constituantur, quibus S. C. Majestas tres alios adjunget Osbaldum Odt inferioris Austriæ Taxatorem, Laurentium Ostermayr, et Florianum Grieskircher, qui ita uno die cum adjuncto mandato in quodlibet monasterium hic veniant, et antemissa præsentatione mandatorum in illis omnia Clenodia, vestes sacras, cruces, calices, monstrantias, et alia id genus, itidem omnia privilegia, urbaria, literas statutorum et juris conscribant, et omnia demptis uno aut altero quotidiano simplici ornatu sacro, in tuto aliquo cubiculo includant et obsignent.

« Secundo a fratribus ordinum distinctam informationem petant omnium monasterii redituum, prædiorum et bonorum, item pecuniarum

et debitorum, sic etiam quod oppignoratum et liberum est, et ad majorem cautelam Procuratores, Cellerios, aliosque monasteriorum famulos interrogent, et illa omnia ordine conscribant, sique juxta efficaciam scriptarum cautionum aliquid deficeret, fratres ordinum de eo dent rationem.

« Et quoniam verendum, ne fratres ordinum, præsertim Provinciales et Guardiani propter decretum, ut hinc discedere habeant, quantam potuerunt, sibi pecuniam accumulaverint, hoc animo, ut eam in Italiam deferant, Commissarii cujuslibet loci fratrum ordinum arcas, scrinia, et reconditoria illis præsentibus aperire, ac si quid pecuniæ, Clenodiorum aut argenti inventum fuerit, id quoque inscribere, et in custodiam accipere, sin nihil repertum, fratres ordinum et eorum curatores interrogare, quo fieri possit, ut tam paucis fratribus existentibus ac pauca contribuentibus ex tam amplis proventibus nihil omnino redundarit, et sic quam diligentissime subducere rationes, ne quid monasteriis detrimenti eveniat, quæ cum peregerint S. C. Majestatem vel in ejus absentia Archiducem informare debent.

Decretum per Imperatorem 4. Februarii anno etc. 1575.

Haud absimiles sunt litteræ, quas Consiliarii Cæsaris nomine ad singulos cœnobiorum Prælatos dederunt. Exemplo sint, quæ Fratrum ordinis Prædicatorum Vindobonensium Prælato scriptæ fuerunt. [*]

[*] Germania Vol 32, fol. 103.

Venerabili Nostro Dilecto, Religioso N. Priori et Conventui Viennensi Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus etc.

« Venerandi, dilecti Religiosi. Postquam nunciis nostrorum Consiliariorum et Commissariis mandatum dedimus, omnia monasterii Clenodia, similiter privilegia, statuta, urbaria et epistolares cautiones inventandi, et in custodiam usque ad nostrum ulterius responsum accipiendi; sic etiam omnia ad id pertinentia, fundos, bona et census: item debita, pignora, et quæ his similia esse possunt, tum etiam necessaria in pecuniis et aliis ordine conscribendi et simul retinendi. Nostrum itaque clemens et verum mandatum est, ut vos huic nostræ ordinationi obedienter et ex animo satisfaciatis, nostris Commissariis usquequaque reseretis, ipsos in uno et omnibus sincere certiores reddatis, et sub nostra inclementia et pœna nihil reticeatis. His nostra seria opinio exequitur. Datum in nostra civitate Viennensi 4. Febr. anno 1575.; nostrorum regnorum Romani 13., Hungarici 12., et Bohemici 26.

MAXIMILIANUS.

Ad mandatum Sacræ Cæs. Majestatis proprium

Wolff Unverzagt.

LII. — Felicianus Cæsari difficultates, quibus lex de alienigenis ex religiosis Germaniæ familiis removendis erat obnoxia, iterum perhumaniter ob oculos ponit. [*]

[*] Germania Vol. 32. fol. 116.

Invictissimo Principi et Domino, Dño Maximiliano Secundo, Romanorum Imperatori Electo, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ etc. Domino meo Clementissimo.

Invictissime Princeps, Cæsar semper Auguste, Domine Dñe Clementissime.

« Non dubito, quin Sacra Cæsarea Majestas Vestra agnoverit animi mei promptitudinem, quæ semper fuit cum in causa monasteriorum, tum etiam in aliis rebus omnibus complacendi, juxta bonam mentem ac voluntatem Suæ Sanctitatis; nam cum intelligerem placere Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ, ut monasteriis Viennensibus de fratribus nativis Germanis provideretur, et externi dimitterentur, illico sine cunctatione antequam ullum fieret decretum, monasterio nostro ordinis Prædicatorum ita prospexi, ut Sacra Cæsarea Majestas Vestra desiderare videbatur. Quod ad alia duo monasteria Sancti Augustini et Sanctæ Crucis pertinebat, excusaveram me, quod etsi haberem mandatum visitandi, et excessus corrigendi, non tamen haberem auctoritatem dimittendi fratres illos, quod etiam eo minus libenter facerem, ne mihi et ordini meo odium aliorum ordinum compararem, quod in hujusmodi rebus facile concitari solet, quod meum consilium tunc Sacra C. Majestas Vestra etiam probavit: nec tamen interea defui, quin statim in Urbem scripserim et Suam Sanctitatem ea de re monuerim, a qua recentibus literis responsum, et commissionem accepi, ut omnino primo quoque tempore etiam illis duobus monasteriis pro Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ voluntate provideam, ad quod Generales ipsi ordinum quoque suam mihi auctoritatem dederunt, ut modo libere et absque ulla odii offensionisque suspicione prospicere liceat. Quare jam accersivi Viennam per literas pro monasterio Sancti Augustini quendam patrem Slesitam ejusdem ordinis, qui Pivoniæ Prior erat, ut Priorem Viennæ agat, cui adjungam tres alios, unum Tyrolensem, alterum ex Comitatu Goriciæ, ac tertium Austriacum novitium. Pro monasterio Sanctæ Crucis mitto quendam patrem provectæ jam ætatis, quem in quodam monasterio monialium in his Carinthiæ partibus reperi agentem confessorem ac concionatorem, et is non solum monasterio præesse, sed etiam concionari poterit, et nunc temporis habebit secum in monasterio duos juvenes fratres, unum Styriacum, et alterum Bavarum, cum alii fratres Germani ejus ordinis modo præ manibus non sint. Committo autem in utroque monasterio, ut cum primum hi advenerint, fratres externi omnes dimit-

tantur, et ita satisfit piæ voluntati Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ, quam mihi persuadeo, pro sua innata clementia de mea qualicumque diligentia ita contentam fore, et in reditu meo ex hac visitatione Stiriæ et Carinthiæ Viennæ omnia melius confirmabo, ac si opus visum fuerit, Vienna Pragam concedam ad Sacram Cæsaream Majestatem Vestram, sed ita me provisurum spero ex Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ sententia, ut fortasse nulla sit futura necessitas adventus mei. Quod ad unionem spectat monasteriorum Viennensium cum Provincia Germaniæ superioris seorsum de unoquoque loquar. Pro nostris monasteriis Austriæ ordinis Prædicatorum jam obtinui unionem ex Urbe, quam hac hebdomada missurus sum ad Provincialem nostrum Germaniæ superioris, quem antea monui, ut vel ipse veniat, vel aliquem loco suo mittat, quod non solum monasterii nostri Viennensis, sed aliorum etiam, quæ in Austria habemus, possessionem et curam capiat. Monasterium Viennense Sancti Augustini jam antea est unitum cum monasteriis Bavariæ, hoc tantum deest, quod ob penuriam fratrum Germanorum, Provincialis non est germanus, idcirco Generalis hujus ordinis per literas mihi commisit, ut ipsi gratificarem aliquem patrem Germanum sui ordinis aptum et idoneum ad hoc munus, quod cum statim Provincialem creabit et instituet. Ordo monasterii Viennensis Sanctæ Crucis in Germania superiori nullum habet monasterium præterquam Ratisbonæ, ubi etiam unus solus frater degit, proinde Generalis ipse scripsit ad me, quod si Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ ita videbitur, conjunget et uniet hoc monasterium Viennense cum provincia Germaniæ inferioris. His me Sacræ Cæsareæ Majestati Vestræ humillime commendo, quam Deus Optimus Maximus diutissime salvam ac florentem servet. Datum Frisaci die 8. Aprilis anni 1575.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ

Humillimus Capellanus

Fr. Felicianus.

Idem quo facilius Cæsaris animum ad hanc legem abrogandam flecteret, Carolum Archiducem Austriæ convenit, exoratque, ut hanc caussam tam justam, tamque piam in se recipiat, atque apud Maximilianum fratrem agere tuerique velit. [*]

[*] Germanis Vol 32. fol. 120.

Serenissimo Principi ac Domino, Dño Carolo Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comiti Tyrolis, Goriciæ etc. Domino meo Colendissimo.

Serenissime Princeps et Domine, Domine Clementissime.

« Ne desim promissioni, quam feci in discessu meo Serenitati Vestræ scribendi interdum de successu hujus Visitationis, et simul ut necessitati commissionum, quas recentes ex Urbe accepi, satisfaciam, prætermittere hoc tempore non possum, quin omni animi humilitate et exiguorum officiorum meorum demissione ad Serenitatem Vestram præsentes literas breviter scribam, quam etiam atque etiam oro, ut inter gravissimas occupationes et curas eas æqui bonique consulere dignetur. Quod ad negotium visitationis pertinet, sciat Serenitas Vestra me Leubnæ monasterium nostrum ordinis Prædicatorum, Grætii tria monasteria Prædicatorum, Minorum Sancti Francisci de observantia ac Monialium Sancti Dominici, Voitspergæ monasterium Carmelitarum, Lankovicii monasterium Franciscanorum de observantia et Judenburgæ tria monasteria Sancti Augustini, Minorum Franciscanorum regularis observantiæ, ac Monialium Sanctæ Claræ, jam visitasse et ubique debitas cautiones adhibuisse, ac necessarias provisiones fecisse, nisi quod in monasterio Judenburgensi Sancti Augustini a decem et octo annis, et in monasteriis tam Judenburgensi quam Lankoviensi Minorum Franciscanorum de observantia a duobus annis nulli fratres amplius inhabitant, quod mihi certe piaculum videtur, ut monasteria Franciscanorum Calepoditarum, quæ sunt optime ædificata ac constituta, ita deserantur, ac cultus divinus in illis negligatur: nam monasterium Judenburgense Sancti Augustini, cum nemo esset, qui tam longo temporis spatio fabricæ necessitatibus occurreret, fere totum decidit, et ruinam fecit, nisi quod templum adhuc integrum et pulchrum est: sed de his et aliis plura, cum ad Serenitatem Vestram rediero, coram explicabo et consultabo, qua ratione providendum videatur. Nunc sum hic Frisaci, et ubi visitationem hujus monasterii nostri Prædicatorum perfecero, Villacum concedam: inde ad alia monasteria visitanda paulatim pergam.

« Non dubito, quin Serenitas Vestra meminisse eorum adhuc debeat, quæ coram de monasteriis Vienneosibus exposui. Quod cum me Sacra Cæsarea Majestas ante diem Christi Natalem ex Moravia Viennam evocasset et injunxisset, ut sine mora ex monasteriis Viennensibus ordinum Mendicantium omnes fratres externos et alienigenas dimitterem, ac Germanos nativos introducerem: cum monasterio nostro Prædicatorum ita prospectum jam esset, de aliis duobus cœpi me excusare, tum quia hujusmodi commissionem ex Urbe non haberem, tum etiam ne mihi odium aliorum ordinum ea ex re compararem, et rogare Sacram Cæsaream Majestatem, ut tantisper supersedere dignaretur, donec in Urbem scriberem, quæ pro summa clementia sua petitioni benignissime annuit. Proinde literis statim exaratis Suam Sanctitatem monui, a qua modo responsum hac ipsa hebdomada accepi, ut illis duobus etiam monasteriis pro Sacræ Cæsareæ Majestatis voluntate ac sententia primo quoque

tempore provideam, quod ego nunc liberius ac libentius facio, de qua re longiores literas ad Sacram Cæsaream Majestatem do, quarum exemplum Serenitati Vestræ mitto, ut inde planius seriem totius negotii accipiat, quomodo sim prospecturus et piæ menti Sacræ Cæsareæ Majestatis satisfacturus. Interea autem supplex peto a Serenitate Vestra, ut quemadmodum hactenus fecit, ita pergere dignetur supradicta monasteria Viennensia defendere ac tueri, ne quid ex subitis motibus jacturæ accipiant, in quo Suæ Sanctitati, quæ Serenitatis Vestræ fidei et constantiæ erga Religionem Catholicam plurimum tribuit, rem faciet gratissimam, et Ordinum ipsorum dignitati consulet, qui Deum Optimum Maximum præcari pro diuturna ac felici vita Serenitatis Vestræ nunquam desinent. His me Serenitati Vestræ humillime commendo, cui Christus longævum ac felicem vitæ cursum propitius concedat.

Frisaci die 9. Aprilis 1575.

Serenitatis Vestræ

Humillimus Capellanus

Fr. Felicianus.

LIII. — Ut autem Carolus promptissimo erat animo ad fovendas Regularium res: ita Pontifici gratias egit, quod religiosas SS. Dominici et Francisci mulierum familias in sua ditione degentes visitationi Ordinariorum subjecerit. [*]

[*] Germania Vol 28. fol 21.

Beatissime in Christo Pater ac Domine,

Domine Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem Vestram et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Immortales habeo Sanctitati Vestræ gratias, quod postulatis meis de mulierum Dominicani ac Franciscani ordinis monasteriis Ordinariorum visitationi ac curæ subjiciendis, benigne annuerit ac mihi super eo litteras suas Apostolicas transmiserit, quas his diebus a Nuncio ejus Comite Porcia, viro cum ornatissimo, tum mihi probatissimo, ea qua debui reverentia accepi, certa fiducia fretus, Deum optimum maximum hanc Sanctitatis Vestræ paternam concessionem uberrimo fructu prosequuturum. Porro litteras ipsas Ordinariis sine mora insinuabo, ac eos simul obnixe cohortabor, ut Sanctitatis Vestræ piis desideriis usquequaque satisfaciant. Et quoniam ingenui est, cui plurimum debet, ei adhuc plus debere velle, (egoque nunc aliud quoddam negocium, non minoris quam hoc fuit momenti, ad dictum Comitem perscripserim, amauter illum requirens, ut mihi idipsum itidem a Sanctitate Vestra confectum impetrare velit) humiliter et obnixe eandem Sanctitatem Vestram precor ac obsecro, ut mihi id ad honorem et gloriam Dei, nec non ad singulare commodum ac emolumentum horum meorum fidelium subditorum, pariter gratiose concedere dignetur. Quæ ego omnia Sanctitati Vestræ omnibus temporibus, omnibus filialibus obsequiis rependere conabor. Et Deum præcabor, ut illam ad multos annos fœliciter conservet. Datæ in civitate mea Graz decima septima die Januarii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ etc., Comes Tyrolis etc.

Carolus.

Idem magnopere Pontifici commendat Paulum Nursinum Ord. S. Francisci, ob ejus in visitandis sui ordinis monasteriis acta, eaque ut probare dignetur, illum adprecatur. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 29.

Beatissime in Christo Pater ac Domine,

Domine Colendissime.

« Post officiosissimam meam commendationem filialis observantiæ perpetuum incrementum. Quum hortatu meo frater Paulus Nursinus Ordinis Minoritarum Sancti Francisci Commissarius generalis huc deputatus, Monasteriis sui Ordinis in meis provinciis Styria, Carinthia et Carniola constitutis, proprium et singularem Provincialem pro authoritate sibi a majoribus tradita præfecerit, ut is eo melius et efficacius minorique cum expensa Monasteriorum ipsorum ac fratrum in eis degentium, commodo et utilitati invigilare possit; idcirco Sanctitatem Vestram humiliter oro, non solum ut eam rem scriptis ad me suis litteris paterne ratam ac gratam habere, sed etiam clementer assentire dignetur, ut dicto Provinciali Monasteria ipsius Ordinis in civitatibus meis Goriciensi ac Tergestina deinceps quoque subdita ac subjecta esse intelligantur. Qua re Sanctitas Vestra gloriam et honorem Dei nec non Ordinis ipsius utilitatem summopere promovebit, et mihi etiam gratissimum fecerit, quod ego Sanctitati Vestræ humillimis meis obsequiis ubique rependere conabor, Deum orans, ut Sanctitatem Vestram ad multos annos fœlicem ac incolumem conservet et tueatur. Datæ Viennæ decima septima die Junii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Obsequentissimus filius

Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.

Carolus.

LIV. — Ferdinandus item, alter Archidux Austriæ et Cæsaris frater, eamdem ut Carolus operam impendit in Regularibus ad sanctioris vitæ instituta revocandis. Qua in re usus est spectatissimo ac perdocto viro Francisco Sporeno ex ordine S. Francisci, quem hac de caussa Romam miserat, ut Pontifex eundem ad hoc sanctissimum opus perficiendum opportunis fa-

cultatibus muniret. Gregorius peramanter Sporenum complexus, tanti Principis sollicitudine laudata, Ferdinandum per eundem hortatus est, ut ad litteras inter Cœnobitas promovendas duo Seminaria, alterum Monachorum, alterum Mendicantium fratrum Friburgi in Brisgovia instituenda curaret, Sporenumque in perficiendo hocce opere adjuvaret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 200. f. 210.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quod jampridem suscepimus pro Dei gloria, quodque eadem cogitatione in dies magis magisque conamur de Catholica Religione et syncero Dei cultu in Germania partim restituendo, partim confirmando, atque augendo, hac sine optimorum virorum, servorumque Christi fidelium opera Nos assequi non posse semper intelleximus: itaque non cessavimus eos, quos idoneos cognovimus, alios alio mittere. In his maxime opportunam judicavimus operam dilecti filii Francisci Sporeni Ordinis Franciscani propter spectatam ejus integritatem, Christique gloriæ et animarum salutis desiderium, inque his curandis fidem et diligentiam singularem: quod idem confidimus, Nobilitatem Tuam de eo judicare, longoque usu compertum habere, hominemque et causam ipsam pro tua præstanti pietate vehementer probare. Inter cætera cogitavimus duo Seminaria, alterum Monachorum, alterum Mendicantium instituere ad erudiendos optima disciplina eos, quos alio mittere oportebit. Maxime autem opportunum judicavimus Friburgum, propterea quæ ibi vigent Catholica studia literarum, propterque duo Monasteria, quibus nihil potest alibi commodius inveniri: de his ex Sporeno ipso cognosces. Speramus, hoc nostrum consilium a Tua Nobilitate adjutum iri in curando, ut illorum Monasteriorum fructus ad hæc, quæ diximus, Seminaria perveniant. Mandavimus etiam eidem Sporeno, ut sese conferat Basileam et Curiam; provideatque quantum poterit, scandalis ac damnis, quæ ex Clericorum depravatione illis in locis permagna sunt, disciplinamque Ecclesiasticam restituat. Gratissimum Nobis facies, si Sporeno literas dederis, ejusque labori nostræque curæ, ubi opus erit, faveris tam gravi in re, tam Deo grata, tam illis populis salutari, tam Tuæ Nobilitati hac opera adhibenda ad laudem insigni. Hæc aliaque fusius ex Sporeno intelliges, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

LV. — Ferdinandus, cui Pontificis erga Sporenum benevolentia gratissima accidit, ei promittit, se consiliis sibi per eum impertitis religiosissime obtemperaturum. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 40.

Beatissime in Christo Pater ac Domine,
Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, et pedum oscula beatorum. Magna certe animi quadam lætitia affectus sum, postquam ex Religiosi devoti nobis dilecti fratris Sporeni, Lectoris Monasterii Oenipontani hic apud Sanctam Crucem, relatione promptam illam Sanctitatis Vestræ in me paternam benignitatem, nec non in omnibus tam propensam gratificandi voluntatem intellexi. Propterea, etsi antea Sanctitati Vestræ Sanctæque Sedi isti Apostolicæ obligatissimus sim, tamen plane nunc fateri cogor, me Sanctitati Vestræ omnia reverenter debere.

« Quantum autem ad dilectum majorem filium meum, et Episcopatum Monasteriensem attinet; prælibato fratri Sporeno in mandatis dedi, ut hujus negotii rationes, et in quibus jam versetur terminis, quidque ego jam fieri cupiam meo nomine, ea qua decet submissione, ad Sanctitatem Vestram quam diffusissime perscriberet. Cujus quidem litteras, ut Sanctitas Vestra benigno et paterno animo legat, eisque fidem indubiam adhibeat, ita etiam, solito more, negotium hoc sibi commendatum habeat, omni sane humillitate rogo.

« Porro quod Sanctitas Vestra supramemorato fratri Sporeno, visitationes aliquas instituendas hic, clementer injunxerit, per me autem non leves ob causas hucusque steterit, quo minus ipse Sporenus hujusmodi Sanctitatis Vestræ jussa debita obedientia executioni mandaverit. Interim quoque a Sanctitate V. responsum de negotio Tridentino expectaverit hactenus, Vestram Sanctitatem humillime oro, ne ea id ipsius negligentiæ attribuere velit; præsertim vero, cum nihilominus proximis hisce elapsis diebus Monasterium Montis Sancti Gregorii in Valle Oeni, non procul abhinc distans, ad singularem meum beneplacitum summa cum dexteritate per visitationem reformaverit, adeo, ut ego et aliud quoddam Monasterium, huic nostræ civitati Oenipontanæ et Residentiæ contiguum, per eum reformatum iri, in primis libenter viderem. Quo autem id facilius et majori cum fructu fieri queat, Sanctitatem Vestram iterum submisse rogatam velim, ut ea sæpius dicto Sporeno in hoc plenarium Breve, plenariam in se continens potestatem, dictum Monasterium Wilthan nuncupatum, prout necessitas postulabit, in melius reformandi corrigendique benigne expedire atque elargiri dignetur. Id de Beatitudine Vestra et Sancta illa Sede Apostolica ego, mutuis omnis filialis observantiæ obsequiis, quacumque offerente sese occasione, promereri diligentissime studebo. Et denique Sanctitati Vestræ reverenter quam commendatissimus esse

cupio. Datæ Oeniponte nona die mensis Julii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quiuto.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Quam hic Princeps monitis Pontificis inflammatus fuerit ad fovenda Regularium studia, eorum præsertim apud quos monastica disciplina adhuc vigebat et florebat, luculentissime ostendunt ejus litteræ. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 47.

Beatissime in Christo Pater ac Domine
Domine Clementissime.

« Post humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Vestræ Sanctitati humillime significo, in celebri quodam hujus meæ Tyrolensis Provinciæ, non amplius dimidio diei itinere abhinc distante pago, vulgo Swatz vocato, monasterium quoddam sub divi Martini nomine, situm, in eoque complures Moniales, et uti memini, circa viginti professas, summæ vitæ sanctimoniæ divinoque cultui, et ejusmodi morum innocentiæ deditas, et exemplaris esse vitæ, ut non solum multis laicis, non infimæ sortis, viris suas filias earum informationi tradendi, sed etiam aliis complurimis virginibus illarum ordinem assumendi voluntatem et occasionem præbeant in dies maximam. Eas tamen Moniales tam exiguis annuis proventibus esse præditas, ut ægre se amplius in hac temporum difficultate, subindeque annonæ caritate accrescente absque auxilio et contributione aliorum sustentare, nedum alias Virgines in ordinem suscipere possint; non enim earum proventus annui quingentorum florenorum summam excedunt, cujus tamen non exigua pars in alendo sacerdote laico, et persona annuos exigente redditus, aliaque secularia negotia prædictum Monasterium concernentia procurante, et quibusdam aliis personis laicis agriculturæ et servitio quotidiano deputatis insumenda venit.

« E diverso aliud antiquum est monasterium in civitate mea Halla, nec ipsum longe ab hinc positum, cujus moniales ante complurimos jam annos, omnes vita defunctæ, et proventus per specialem ad hoc deputatum secularem œconomum exacti hactenus, et eorum rationes Cameræ meæ ab illo redditæ sunt, et adhuc redduntur, et quamvis sæpius illud restaurare, et alias moniales defunctis sufficere tentatum est, ea res tamen nullum unquam partim propter nimis tenues annuos redditus, partim vero propter alias subinde emergentes difficultates, fœlicem progressum sortiri potuit. Cum itaque mododictum monasterium Hallense, nullo commodo modo vel ratione restaurari ac in pristinum statum propter præmissas et alias rationabiles nunc tamen omittendas causas, reduci; illud vero Swatzense vix amplius sine subsidio in posterum in sua dignitate conservari, nedum propter superius annui redditus allegatam exiguitatem augeri possit, non inconsultum modo dicto Swatzensi monasterio fore putarem, si sæpe memorati Hallensis monasterii proventus et redditus annui ei, ad ejusdem uberiorem sustentationem et divini cultus incrementum annecterentur, ac incorporarentur; eoque magis quod assumpta informatione, clare intelligam, olim matronam quandam Perlinam nomine, ordinem ac habitum Swatzensium monialium induisse ac postea impetrata licentia se præfatam Hallam contulisse, ibique præmissum monasterium aliquo modo juvasse, reservatis quibusdam sibi conditionibus, in quibus non obscura videri potest, Hallensis monasterii fructus per præfatam matronam ac monialem ei assignatos, jure ipso ad Swatzense pertinere, eique nunc denuo restitui ac uniri debere. Quæ quidem unio et incorporatio, ut suum optatum sortiri queat effectum, Sanctitatem Vestram, ea qua possum humilitate rogo, ut illa ex paterna sua clementia, in eam benigne consentire Breveque desuper expedire dignetur, ne quod hactenus factum est, Hallense vacuum monasterium suis non gaudeat proventibus, eo quod laicæ personæ ob inopiam spiritualium eos administrent et dispergant; Swatzenses vero piæ virgines necessariis careant. In eo præstatura est Deo Opt. Max. opus sane acceptissimum, Monialibus ipsis piissimum, mihi vero clementissimum, omni cum filiali observantia, a me quavis occasione de Sanctitate Vestra humillime promerendum. Datæ Oeniponte quinta die mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Tanto autem desiderio afficiebatur votis Pontificis obsequendi, ut suo etiam decreto curaverit effici, quod Gregorius statuerat, ut utrumque Seminarium ad erudiendos scilicet Monachos et Regulares in sacris litteris instituerentur. [*]

[*] Germania Vol. 20. fol. 15.

« Serenissimus Archidux Austriæ Ferdinandus, Dominus noster clementissimus, haud immemor est, quantum sub prima die, præteriti mensis Augusti apud Suam Serenitatem Reverendus Pater Franciscus Sporenus, Sanctissimi Domini Nostri Commissarius, nomine Suæ Sanctitatis institerit, ut duo Seminaria in civitate Friburgo Brisgoviæ, ad quæ duo illa monasteria apud omnes Sanctos et Oberried in prædicta civitate sita destinentur, adolescentulorum suo sese tempore ordini Mendicantium dedicandorum erigerentur, et quale responsum Sua Serenitas, quod illa in id consentire certis de causis non posset, eo quod Sua Serenitas et Cardinalis Episcopus Constantiensis tanquam Ordinarius

decreverint, in illud ipsum monasterium apud omnium Sanctorum juniores Monachos, qui alias præfati Friburgi hinc inde apud laicos victum habent, nec certis distinguuntur disciplinis vel legibus transponere, tunc temporis prælibato Sporeno dederit.

« Cum vero nunc ex relatione Sporeni ipsius, qui nuperrime Friburgi fuit, et rei qualitatem tanquam Commissarius penitius investigavit, tantum intelligat, in ipso monasterio apud omnium Sanctorum unicum solummodo hoc tempore Religiosum, qui rei familiaris administrationi sufficienter et cum laude præsit, ejusque monasterii annuos redditus in florenos usque mille se extendere, et eos maxime in frumentis et vino, parum in nummis paratis consistere, ita ut commode conveniens adolescentulorum numerus sustentari aliquis queat; ac Sporenum ipsum una cum Suæ Sanctitatis Nuncio, Reverendo Domino Bartholomæo Purlitiarum Comite accurate prævidisse, quod duo in eo distincta tamen Seminaria, unum nimirum pauperum adolescentium, qui ipsius monasterii proventibus, et aliud Novitiorum Monachorum, ad studia perficienda per suos Prælatos Friburgum mittendorum, qui etiam contributione Prælatorum suorum ali et sustentari, atque ab Academiæ professoribus ab ipsa in hoc specialiter destinandis, qui se id libentissime et sedulo facturos ultro polliciti sunt, institui commode queant, etiam Sua Serenitas rebus sic sese habentibus, humillimo Suæ Sanctitatis gratificandi studio inducta, in hoc consensura est. Quem quidem Suæ Serenitatis consensum ipse pater Sporenus Suæ Sanctitati devotissime referre, et apud eandem, ut cum Ordinario ipso Romæ agat, quo Prælatos sibi subjectos ad ejusmodi contributionem, qua illorum Novitii separatim in supra allegato specialiter in hoc distincto Seminario ali possint, benigne commonefacere, cohortari, et ut negotium hoc suum optatum consequatur finem, operam et auxilium suum exhibere velit, instare poterit.

« Hæc quidem ad supradicti patris Sporeni Suæ Serenitati intimatam de novo circa sæpenominatum monasterium omnium Sanctorum humilem informationem responderi jussit.

Actum Oeniponte quinta die Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Decretum per Serenissimum Dominum
Archiducem Ferdinandum.
Christophorus Eanecs.

LVI. — Bartholomæus quoque a Portia Pontificis nomine ad Regularium mores reformandos, studiaque litterarum promovenda plurimum laboris contulit. Patres Cistercienses inclyti monasterii Salemensis in Brisgovia cohortatus est, ut apud quos regularis disciplina semper viguisset, penes sese vestigiis majorum inhærentes et cum lætioribus virtutum fructibus studia etiam sacrarum litterarum excolerentur. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 231.

Admodum Reverendo Domino Abbati, cæterisque Reverendis Patribus Monasterii Salem.

« Vix ullis verbis consequi possem, quantopere me exhilaraverint responsa, quæ mihi quarto abhinc die prompto animo et hilari vultu tradidistis: in hac enim temporum calamitate, in hac disciplinæ inclinatione sanctissimos illos veterum Patrum ritus magna ex parte hic retineri, tum vobis perhonorificum, tum Reipublicæ Christianæ saluberrimum est. Gaudeo, Regulam Divi Benedicti divinis præceptis et consiliis refertam perpetuo a vobis legi, semperque in manibus versari; lætor quod, ex illius præscripto sit delinquenti impositum supplicium; magna denique voluptate jucunditateque perfundor, quod in divinis persolvendis laudibus diligentes et assidui sitis: hoc tamen optandum est, ne ex hac consuetudine, vel extrinseca quadam obedientia alioqui non improbanda fiant, sed ex eodem spiritu, ex eadem in Deum mentis conversione, qua a præstantissimis et Deo charis viris olim sancita fuere, nunc quoque proveniant, qua in re frequentes Seniorum admonitiones, piæque collationes plurimum proficere, maximoque usui esse possunt.

« Si quid autem ad optima familiæ vestræ instituta addendum sit, id videtur esse Oratio, ad quam omnes hora constituta in unum locum convenire teneantur; quæ enim in Rempublicam Christianam invecta sunt mala, ea potissimum orationis defectu provenisse, gravissimi viri arbitrantur. Habere unumquemque vestrum tempus orationi præfixum non dubito, sed quando plurimum in eo posuere Patres, ut simul multi orent, ac in fervore meditationis exardescant, et quasi ligna majorem emittant flammam, si multa simul ad ignem apponantur, quam si singula separatim accendantur; vos nomine Sanctissimi Domini Nostri hortor, ut uno omnium consensu horam decernatis, qua post præces tempori congruas singuli in meditatione defixi pro unitate Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ et pro hæreticorum conversione Deum optimum maximum humiliter rogent, ad quod vos adeo et Reverendissimus Pater Generalis in postrema visitatione, et difficillima tempora, in quæ incidimus, et discrimina Christianæ Reipublicæ imminentia impellere videntur, ut superfluum censeam ea in medium afferre, quæ de orationis uberrimis fructibus passim a sanctissimis Patribus tradita sunt.

« Quod vero ad rem literariam spectat, quæ habentur lectiones, tenuiores mihi visæ sunt, quam tam celebre, tantum monasterium deceat: quapropter esset optime consultum, si insignem aliquem virum conduceretis cum onere legendi sacras literas, perpetuoque explicandi, quousque

in cœnobio aliqui tantum proficerent, ut alios iisdem rebus gravissimis instruere possent, et ita fieret, ut qui nunc doctrinam intra hujus cœnobii septa desiderari non immerito affirmant, nihil præterea auderent requirere. Consilium hoc Pontificis Maximi nomine (sicut et superius) exhibitum, ne dum utile, sed omnino etiam necessarium judicabitis, si ad ordinis vestri dignitatem, in quo scientiam rerum divinarum excellere majores vestri præclarum putarunt, si ad cœnobii celebritatem, in quo insignes viri olim vixerunt, si ad regionem, quam hæretici de disciplina monastica, et de fide Catholica obloquentes, et maledicentiæ materiam ex his potissimum locis callide et malitiose perquirentes, undique ferme cingunt, si denique ad ea, quæ vobis maxime conveniunt, respiciatis, iis scilicet hominibus, qui in hac una cogitatione defixi esse debent, ut de Deo semper loquantur, ad ejusdem nominis gloriam omnia studia et curas, omnesque operationes et consilia perpetuo dirigant. Ad hoc vos majorum exemplo excitari debere suadet, quam vobis reliquerunt, non usque adeo male instructa, sed satis numerosa et elegans bibliotheca; ad hoc demum vos disertissimis verbis impulit decimo abhinc anno Generalis Reverendissimus Ordinis Abbas Claravallensis, idemque postea ob eximias suas virtutes, dum in visitatione esset; in Cardinalium Collegium cooptatus: sanxit enim, ut claustri Præsides (ejusdemmet verbis utor) ad studendum negligentes corrigant: videbat siquidem vir ille non minus pietate, quam doctrina præfulgens nihil tam ordini, coenobio, Monachis, regioni, temporique convenire, quam ut doctrina esset adjuncta bonis moribus, quos vix posse diu retineri, nisi lectione sacrorum librorum quodammodo fulciantur, certissima experientia nos docet. Scio, Monachorum proprium esse, deflere peccata, et sese ab hominum consortio et conspectu subducere et abdicare; at quando facta est remissio luctus, lacrimisque intermissio data, quo pacto sibi ipsis magis prospicere, cæterisque utilius inservire possint his præsertim temporibus, quam si cum pietate rerum divinarum scientiam conjungere studuerint, non video. Qui enim jam in felici Ecclesiæ tranquillitate sese speluncis abdiderunt, ii si in turbulentissima hæc de religione dissidia reservati continuo e latebris exiliissent, eaque arma induissent, quibus tot perstrepentes hereticos prosternere possent; omitto pericula ociosis monachis impendentia, quando cum iis mihi res est, quos non a malis institutis avocare, sed ad meliora excitare debeo. Huic autem decreto si addatur vel præceptum, vel consilium ejusdem Illustrissimi Cardinalis, ut mittantur singulis annis duo bonæ spei adolescentes aut ad Collegium ordinis Lutetiæ, aut ad generale aliquod gymnasium, citius et uberius ad id perveniemus, quod maxime ad Dei gloriam et salutem animarum (quandoque ad parochias monasterio subjectas sæpe mittantur Monachi) desideramus.

« Novitiorum exercitia mihi sane probantur, sed quia contemptus ille rerum humanarum, propriæque voluntatis abnegatio, et similia ad perfectionem spectantia sunt mirum in modum necessaria, eaque meditatione maxime in animas hominum infunduntur, videant Patres, num expediat eos sæpe mentem iis meditationibus exercere, quas seniori viro gravissimo narrare et patefacere teneantur; sic enim fit, ut animus in divinis considerationibus per aliquod spatium detentus, in iisdem semper versetur et cogitet, quomodo insigne aliquid, et non vulgare possit in dies perscrutari et in medium afferre, et hoc pacto ex optimis Novitiis optimi evadent Monachi.

« Quod Procuratores negotiorum et rei familiaris curæ addicti, quantum fieri potest, choorum frequentent, est nedum laudabile, sed apprime necessarium; quanto enim magis distrahuntur, tanto crebrius sese colligere debent, et ab his, quæ animum a rerum divinarum contemplatione misere abducunt, subtrahere, ut spiritualibus cogitationibus perfruantur: id vero nullo suadente, aut urgente facile præstabunt, si animo sæpe volverint, quid sibi velit Monasterio se, id est solitariæ vitæ addixisse, tam sanctum institutum arripuisse, mundana omnia abjecisse, se denique totos Deo Optimo Maximo devovisse, ita ut facile cognoscant longe abhorrere a Monachorum officio, degere extra claustrum, versari inter laicos, temporaliaque negotia tractare; quod se tamen iis se actionibus immiscere coguntur, ita sese gerant, ut intelligant omnes, illos non sua sponte, et voluntate negotia a munere suo aliena attrectare, sed obedientia coactos, et necessitate talibus oneribus succumbere, maximumque præseferant desiderium, ut curis omnibus, quæ Cœnobitæ propria non sunt, depositis, aut abjectis, ad claustrum, cellam, chorum, preces, jejunia, et obsecrationes propria religiosorum hominum studia, et loca se conferant: tunc enim præclare agitur cum Monacho, cum totum illud tempus sibi interire existimat, quod in lectionem, meditationem, et spiritualem profectum haud insumpserit; quamobrem maxime optandum est, ut hoc sæpius a majoribus (quemadmodum conjectura assequor) repetitum mandatum rigide et summa cum religione observetur, veluti in his hominibus constitutum, in quibus et propria jactura periculosa, et exemplum perniciosum est, cum multorum oculos in se habeant conjectos.

« Admonendi sunt præterea Superiores, ne facile Monachis faciant exeundi potestatem, cum ex multis veterum monumentis cognoscere possimus, ob unamquamque tametsi brevissimam

distractionem sæpe Deo deditos homines in maximum discrimen adduci, ad quod multum respexisse videntur postremi istius cœnobii visitatores, quorum prioris verba sunt hæc: Non detur facultas exeundi a monasterio, nisi forte rarissime contingat aliqua urgens necessitas: posterioris illa: Non exeant sine urgenti necessitate, non ad nundinas, non ad pagorum festa, non ad Ecclesiarum dedicationes. Quapropter Reverendum Patrem, et alios ad quos spectat hujuscemodo facultatem concedere nomine Pontificis Maximi hortor, ne remissiores sint, quam par est, in hujus capitis executione, si cui vero datur, ut ad sacrum faciendum exeat, non usque adeo laudabile videtur, quod solus proficiscatur, sæpe enim cum æditnis rusticis hominibus, sæpe cum mulieribus, quibus multis in locis ecclesiasticæ supellectilis curam pessimo exemplo committi, non sine aliqua indignatione animadverti, sermones habendi sunt iis, qui eodemmet tempore ad sacra celebranda parantur, quod minime decere nullus est qui nesciat. Ob id cogitent Patres, num expediat decernere, ut Monacho extra monasterium celebraturo socius semper adjungatur.

« Ne vero in posterum mulieres nobiles, et Comitissæ ad Conventualia loca admittantur, satis esse videtur, si vos admoneam a Pio V. Pontifice Maximo cautum esse, ne mulieres qualescunque sub excommunicationis pœna monasteria permittantur ingredi, permittentemque munere, quod tum obtinet, privari voluit; ad hæc soli Pontifici reservatam esse facultatem absolvendi ab hujusmodi excommunicatione, quam incurrit et quæ ingreditur, et is per quem ingressus patet. Hæc autem ut in monasteriis monialium huic cœnobio subjectis observentur, dabit omnem operam Reverendus Pater Abbas, cujus præcipuæ partes sunt illa sæpe visitare, et ad normam a sacro Concilio Tridentino præscriptam in omnibus dirigere.

« Hæc habui, Patres optimi, quæ Sanctissimi Domini Nostri nomine vobis explicarem, paucula illa quidem si cum tot, tantisque sanctis vestris ritibus conferantur, sed quæ, si a vobis observentur, sunt mirum in modum profutura, utpote quæ personis, loco, regioni, et tempori sunt maxime accommodata: monet vos ad hæc præstanda Pontifex Maximus atque is Pontifex, quo nullus post hominum memoriam Germaniam magis adamavit, quo nullus magis studuit, ut religio in Germania jam diu inclinata, et propemodum jacens opera potissimum sua reviviscat: Ipsummet nunc vobis hæc, quæ ipsius indignus minister refert atque commemorat, dicere existimate, simulque flagitate, ut hæc loca, in quibus jam diu divinæ pietatis et fidei splendor micuit, ex iisdemque postea cum paulatim defervescerent virtutes, homines impietate et malitia imbuti calumniandi et maledicendi occasiones arripuerunt, nunc demum pristinæ devotionis et charitatis memores ad antiqua omnia instituta sanctissime colenda revertantur, ut ex quorum intermissione tanta est Catholicæ religioni adjuncta jactura, eorumdem restitutio præterita damna resarcire; quod si vos potissimum in vestro monasterio facere decreveritis, erit quod cæteri cum maximo vestro honore, et animarum salute hinc exemplum sumant. Hortantur ad hæc ordinis vestri Superiores, in quorum verbis ea quodammodo contineri animadvertistis, quæ a me fuerunt proposita; suadet demum, ne dum vestris, sed quæ alte singulari Dei beneficio animis vestris insedet pietas, cujus si ea vis est, ut homines ad proficiendum de virtute in virtutem cogat, ad exhortationes Gregorii XIII. avide suscipiendas vos procul dubio impellet, quando easdem amplecti nihil aliud est, quam in disciplina monastica magna ex parte summa cum laude retenta magis magisque confirmari, propriusque accedere ad cœlestem illam vitam angelorum, quam in terris majores vestri sanctissimo hoc instituto æmulari sapientissime visi sunt, quamque vobis ego tum celebris istius, et de Republica Christiana optime meriti ordinis, vestrumque omnium studiosissimus auspicare, et a Deo Optimo Maximo ex animo precor. Datum in Monasterio Salem XXVII. Octobris MDLXXV.

Quas cohortationes illi spectatissimi religiosi viri gratissimo animo susceperunt, ut eorum litteræ testificantur. [*] [*] Germania Vol. 39. fol. 478.

Reverendissimo et Illustrissimo Domino Domino Bartholomæo Comiti Purlitiarum Prothonotario et Nuncio Apostolico.

Post humilium precum suarum oblationem utriusque hominis sanitatem.

« Reverendissime et Illustrissime Domine. Magno gaudio gavisus sum, quando Reverendissimam Dominationem Vestram ad meum monasterium advenisse, meumque præsentiam unice desiderare fratrum meorum litteris intellexi, unde et postpositis negotiis his quibus tum detinebar, mox ad monasterium me contuli, tametsi neque de persona Reverendissimæ Dominationis Vestræ, neque de negotio per eam apud me meumque conventum tractando, ne tantillum quidem mihi constaret vel saltem augurari liceret. Deinde quum Reverendissimam Dominationem Vestram oculis contemplari, excipere et alloqui, eamque me vicissim alloquentem audire contingeret, magis mihi auctum est gaudium meum, propterea quod aspectus ipse et nimis familiare colloquium nil mihi nisi omnia bona præsagire videbantur, quæ etiam mihi meisque modo uberrime et salubriter evenerunt. Postquam enim Reverendissima Dominatio Vestra adventus sui causam mihi meisque fratribus

intimavit, et oblato Brevi Apostolico latius nobis aperuit et indicavit, se a Sanctissimo Domino Nostro Papa esse missum, et a Sua Sanctitate in mandatis habere de his, quæ pertinent ad Dei gloriam, Catholicæque Religionis dignitatem, nobiscum loqui et tractare, quod videlicet Sanctitati Suæ nihil adeo placeret, quam ut Religionis nitor in suo vigore conservaretur, vel si quid de ejus splendore per hujus temporis malitiam collapsum esset, restitueretur, quodque Sua Sanctitas salutem et pacem Germaniæ nostræ summe et unice desideret, et quærere ac promovere satagat, ut videlicet hi, qui ab Ecclesia Catholica sunt avulsi, ad eam redeant, et qui hactenus in ea perseverarunt, a sua statione minime discedant, sed magis ac magis omnibus Christianæ militiæ exercitiis sese strenuos exhibeant, etc. effari satis nequeo, quanta cordis mei alacritate ego talia perceperim, quantaque rursus animi mei submissione, et mittentis præeminentiam et missi dignitatem mecum reputaverim, indignum certe me judico, ad quem Summos in terra Christi Vicarius scribere, et cum quo de tam altis et maximis rebus loqui et tractare dignetur.

« Postea vero quando Reverendissima Dominatio Vestra ex nostris responsionibus, ad sua nobis præscripta Capita sive Interrogatoria datis et depositis, de statu monasterii nostri certior facta, eum sibi in omnibus istis summe placere asseruit, et non parum collaudare dignata est, maxima cordis nostri lætitia replemur, quod talia apud nos adhuc inveniri et videri, et a tali de nobis dici et prædicari merentur, de quibus tamen omnibus nos nil omnino gloriamur, sed omnia Deo adscribimus, de cujus munere venit, quicquid sumus et boni facimus, quem et suppliciter rogamus, ut non tam in corporis salute, quam in his et omni bono opere nos conservare et confortare dignetur.

« Et ut Reverendissima Dominatio Vestra nil eorum omitteret, quæ a Sua Sanctitate in mandatis acceperat, quæque ad divinum cultum augendum, et salutem animarum promovendam necessaria et salutaria videbantur, quum præter eas, quas in Ordine et hoc nostro monasterio, ceremonias, disciplinas, observationes, et pias exercitationes habemus et hactenus exercuimus, etiam alia quædam pietatis, devotionis, et religionis studia et exercitia in scriptis nobis tradidit, et ad ea assumenda et usurpanda nomine Suæ Sanctitatis pie consuluit et paterne admonuit: Nos illa omnia grato animo accipientes, quum regularibus nostris institutis in nullo prorsus discrepent aut adversentur, non gravamur in nostrum monasterium et conventum inducere, et de cetero, quantum fieri potest, observare et usurpare. Et quia inter ea Orationes peculiares, ad quas certa hora in die convenire debeamus, principem locum teneant, nos licet horis Canonicis, diurnis et nocturnis ac etiam brevioribus Deiparæ Virginis Mariæ, et officiis defunctorum, sed et Missarum celebrationibus, et ad eas præparationibus, tum etiam non paucis aliis Ordinis nostri ceremoniis tantum temporis tribuere oporteat, ut parum vacare contingat, ne tamen sancte et optime monentis voluntatem surda aure præteriisse videamur, deligemus et ordinabimus certum aliquod temporis spacium, quo hujusmodi Orationes, Divini muneris ope, pro incolumi statu Catholicæ Ecclesiæ, et hæreticorum conversione persolvere valeamus.

« Consilium autem de re literaria et lectione sacrarum literarum ut placuit jam dudum, ita etiam summopere nobis nunc placet, atque ego ipse postquam a fratribus in Abbatem sum electus, hactenus semper sedulam navavi operam, ut aliquem egregium virum, moribus et eruditione, sacræque Theologiæ professione præstantem mihi cooptarem, neque de cetero a proposito desistam, donec talem nactus fuero.

« De reliquis capitibus, piisque saluberrimis consiliis acceptandis et observandis dabo operam, ut quantum fieri potest, nihil in me vel meis desideretur, et divina gratia opitulante curabo, ut omnia nostra ad laudem et gloriam Dei, et animarum salutem instituantur.

« Quibus omnibus sic absolutis, nil amplius superesse putamus, quam quod maxime decet et perhonorificum apparet, videlicet, quod gratias quas possumus humilimas agimus Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio Papæ hujus nominis decimo tertio, Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo, pro Suæ Sanctitatis paterna et vigili cura atque sollicitudine, qua nos indignos tam clementissime considerare et adhortari dignata est, cui offerimus nos cum omni humilitate ad oscula pedum beatorum; et cum semper Sanctæ Sedi Apostolicæ fuerimus observantissimi, etiam nunc et in futurum, ad præstandam voluntariam obedientiam Sanctitati ipsius pollicemur in omnibus his, in quibus eidem ratione universalis subjectionis obedire tenemur et debemus; Nosmet ipsos nostrumque monasterium in ejusdem Sanctitatis paternam et piissimam considerationem et protectionem commendantes, et Deum Optimum Maximum humiliter deprecantes, ut Suam Sanctitatem in multos annos salvam, suæque Catholicæ Ecclesiæ et Reipublicæ christianæ, ac nobis infimis clientibus incolumem conservare dignetur.

« Agimus et habemus maximas gratias Reverendissimæ et Illustrissimæ Dominationi Vestræ, quod nostri causa tot et tantos labores in se suscepit, et per hos dies pro nobis sustinuit, quodque se in omnibus erga me meumque con-

ventum tam familiarem et benevolam exhibuit, et ad omnia pietatis opera et Religionis studia tam paterne adhortata est, quæ videlicet omnia, si Reverendissimæ Dominationi Vestræ in aliquo recompensare possemus, nostris voluntariis obsequiis et officiis non deessemus. Commendamus denique nos et nostrum monasterium etiam Reverendissimæ Dominationi Vestræ humiliter precantes, ut coram Sanctissimo Domino nostro piam nostri rationem habere, nostrique in bono memor esse, et præcipue nunc meam confirmationem eum meo meique monasterii commodo et utilitate promovere dignetur. Omnipotens Deus Reverendissimam Dominationem Vestram diu salvam et incolumem conservet, et tandem ad gaudia æterna perducat.

Rmæ et Illmæ Dominationis Vestræ

Humiles et deditissimi

F. Mattheus Abbas Electus in Salem.

F. Wendelinus Einart Prior in Salem.

LVII. — Archiepiscopus etiam Coloniensis peropportuno huic penes Regulares reformationis operi valde indulsit: idque maxime juvit. Ipse enim monasteria utriusque sexus, ubi disciplina monastica vel omnino collapsa vel labefacta erat, vel per se vel per suos delegatos sæpius invisit. Qui tamen cum vereretur quidquam inconsulto Romano Pontifice aggredi, ab eo petiit, ut sibi facultatem faceret varios abusus extirpandi, qui in celeberrimum ac nobilissimum Canonissarum instituti oppidi Essendiensis irrepserant, disciplinamque regularem pessumdederant. (*)

(*) Colonia Vol. 1. fol. 9.

Beatissimo Patri et Domino, Domino Gregorio ejus nominis decimo tertio sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine, Domine clementissime. Post devota pedum oscula beatorum, Sanctitati Vestræ me, meamque Diœcesim debita cum obedientia subjicio. Cum ob causas urgentissimas, quas Sanctitas Vestra ex adjectis articulis intelliget, nihil arbitrarer magis necessarium, quam Visitationem ordinariam, quæ tantopere in decretis novissimi Concilii Tridentini commendatur, in Ecclesia Essendiensi instituere: misi ante aliquot menses meum illuc Suffraganeum et Consiliarios, ut omnem ejus Ecclesiæ statum plenius propriusque introspicerent. Qui cum eo pervenissent, non solum ad negotium tam pium quam utile non sunt admissi, sed etiam cum ignominia, adeoque cum minis quamprimum inde recedere coacti fuerunt. Abierunt dein dies aliquot, ipsa Abbatissa moritur: subsecutum est factum indignius multo. Præfixa enim celerrime electionis die, Canonici et Canonissæ ante electionis diem convenerunt, deque persona eligenda cum illustri ac devota nobis dilecta Elizabetha ex Comitibus in Sein (cujus residentiæ, quam jussu nostro instituerat, a reliquis virginibus duabus usque in illud tempus magnopere reluctatum erat) ita pepigerunt: ut ipsa non aliter nec prius, neque ad Capitulum, neque ad eligendum cum aliis admitteretur, quam si promitteret, se velle tum suum, tum aliorum vota, si quæ de sua persona fieri contingerent, una in Decanissam transfundere, nihil unquam contra eam electionem nec facere, nec tentare, omni denique juri, si quod Sanctitas Vestra super Coadjutoria ejus Ecclesiæ ei vel concessisset, vel concessura esset, in totum renunciare. Quæ cum nihil de Sanctitatis Vestræ facta sibi provisione Apostolica sciret, nec suspicaretur, ne rejiceretur ex Ecclesia, persuasa est a suis, ut pactum, cujus illa turpitudinem ignoravit, iniret, utque stipulatum, ita promitteret: sic communis omnium electio facta est de ea, quæ jam olim a Catholica Religione dicitur descivisse, ab iis hominibus, de quorum eligendi judicio ac voluntatis synceritate aliter sentiendum non est, quam in prædictis articulis sunt expressi et depicti, qui ut suo more vivere possunt, neque a nobis corrigi, visitationem nostram indignis modis a se rejecerant. Cum itaque intelligerem, de ea re decretum electionis splendidum et religiosum Sanctitati Vestræ sine dubio vel jam oblatum esse vel oblatum iri, adeoque quandam Catholicæ fidei professionem ab electa coram quodam directore, nullam ejus rei potestatem habente, inutiliter factam, ab eoque quandam absolutionem impartitam: significare volui Sanctitati Vestræ meis literis rem omnem, ut ab eadem intelligerem, quæ de ea electione eidem placerent. Quando ergo Sanctitas Vestra jamdudum statuit motu proprio, ut esset irrita et invalida omnis electio, si quam contingeret fieri, antequam prædicta Elizabetha vel ad Coadjutoriæ administrationem, vel cessante Coadjutoria ad Abbatissatum pervenisset: noluitque Sanctitas Vestra ullam personam ad eam dignitatem per quamcunque viam venire, præter eam, quæ a se provisa esset, Sanctitatem Vestram humillime rogo, id decernat, statuat ac mandet, quod illi pro sua erga Ecclesiam Dei cura ac sollicitudine, ad tollendos vitiosos quosque ingressus videbitur expedire.

« Audio itidem, ejusdem Ecclesiæ Capitulum, privilegia quædam Exemptionum, quæ jactant, quæ tamen nec meis, nec majorum aliquot meorum temporibus in usu fuerunt, egoque et prædecessores mei Jurisdictionem ibi ordinariam exercuerunt, Sanctitati Vestræ confirmanda offerri curasse. Quæ cum Exemptiones ac Indulta omnia adversus sacrosanctum Concilium Tridentinum pugnantia, illudque impedientia, ex speciali bulla Pii Quarti in eodem Concilio edita, in universum sint sublata e medio: adeoque

eorum confirmatio alia de causa non postulatur, quam ut quæ oportebat esse quam constrictissima. Laxiora sint vitiorum scelerumque et libidinum in statu Ecclesiastico frena, ac scandalosæ vivendi rationes impunitæ: Sanctitas Vestra etiam me tacente ordinabit ita, uti videbit rei Ecclesiasticæ, Concilii decretis, salutique animarum congruere et conducere. Quod tamen etiam a Sanctitate Vestra ob jus Diœcesis meæ adstruendum, quod hujusmodi Exemptionibus haud leviter læditur, etiam atque etiam humillime rogo; idque ego omni studio, diligentia et debito obsequio erga Sanctitatem Vestram semper promereri gnaviter studebo, novit Deus, qui Sanctitatem Vestram Ecclesiæ Romanæ et Catholicæ vigilantissimum et optimum Pastorem diu superstitem et incolumem custodiat et conservet. Datum Francofurti ad Mœnum decimoquinto Septembris anno 1575.

S. V.

Devotissimus filius
Salentinus Electus et Confirmatus
Ecclesiæ Coloniensis
Salentin
mppria.

Idem Archiepiscopus supplici hoc libello rationes attulit, quibus adductus visitationem canonicam apud hasce religiosas mulieres urgendam esse existimaverit. [*]

[*] Colonia Vol. 1. f. 9.

«Annotatio nonnullorum capitum, ex quibus liquide constat, quam justis de causis D. Rmus Coloniensis in Civitate et Ecclesia Essendiensi necessario faciendam indixerit visitationem.

« Imprimis verum, quod anno 1564. Senatus et Cives in dicta Civitate, ejecto vero et Catholico Pastore in parochiali Ecclesia Sanctæ Gertrudis (quæ parochia Capitulo Canonicorum est incorporata) quendam Henricum Kempensem hæreticum Concionatorem intruserunt, qui sua hæretica et perversa doctrina totum ibidem populum adeo misere seduxit et infecit, ut fere omnes a Catholica Religione defecerint ac Lutheri, Calvini et aliorum hæreticorum damnatam hæresim sint amplexi.

« In qua damnata hæresi in decimum usque annum per diversorum hæreticorum Concionatores (invicem tamen sibi non constantes, sed diametro pugnantes) confirmati perseverarunt de præsenti.

« Item verum, quod hujusmodi damnata hæresis successu temporis, non solum oppidanos Essendienses, verum etiam parochias in pagis et villis per totum districtum Essendiensem invasit, et plerosque omnes infecit.

« Item verum, quod omnia beneficia Ecclesiastica et Vicariæ, quæ juris patronatus existunt, et a tempore hujusmodi defectionis in religione, tam in parochialibus, quam etiam Collegiata Ecclesia vacarunt, et numero ultra 12. sunt, nemini rursum sunt collata, et vacant de præsenti, quorum fructus et obventiones partim in subsidium hæreticorum Concionatorum, partim etiam in alios seculares damnabiles, et sibi beneplacitos usus convertuntur, et quod pejus est, ipsa bona cum proprietate alienantur, distrahuntur, et a nonnullis Laicis tamquam propria possidentur.

« Item verum, quod in terra Monasteriensi, et in quibusdam aliis locis et ditionibus domina Abbatissa et Capitulum habent multa et varia bona, prædia, fundos et agros magni prætii ad Ecclesiam Essendiensem pleno jure spectantes, de quibus se certi Nobiles et Laici intromittunt, absque eo, quod dicta domina Abbatissa at Capitulum in vim juramenti de conservandis bonis se opponant, et jura ac bona inventa defendant.

« Item verum, quod in perpetuum præjudicium dictæ Ecclesiæ certa bona et prædia per indebitam annuationem, etiam contra naturam bonorum alienata.

« Item verum, quod Capitulum Canonissarum contineat præbendas 52., quas omnes tres personæ tantum possident, et fructus inter se participant, absque eo, quod chorum visitent, divina persolvant, vel Catholicæ sint Religionis, nunquam enim aliter quam sub utraque specie communicant, et sacrifitium Missæ contemnunt.

« Item verum, quod Capitulum Canonicorum contineat præbendas 20., et nunc pro tempore resident duodecim, et licet credatur, quod pro majori parte sint Catholici, tamen nonnulli aliquoties sub utraque specie communicarunt, nonnulli etiam publici sunt fornicarii et fere omnes in vita, in habitu, in conversatione, et divinis peragendis offitiis ita sunt seculares, dissoluti et leves, quod potius scandalo, quam exemplo sint.

« His accedit, quod dicta Ecclesia habeat singularem et præciosum thesaurum Reliquiarum, gemmis, auro et argento splendite insignitum, qui anno millesimo quinquagesimo quadragesimo tertio tempore belli in Archivium deportatus fuit, ubi ab eo tempore cum omnibus juribus, privilegiis, literis et sigillis Ecclesiæ reconditus detinetur, absque eo, quod aliquis in toto Capitulo supersit, (excepta domina Abbatissa) qui hujus thesauri et jurium Ecclesiæ notitiam habeat, vel in triginta annis ad ocularem inspectionem pervenerit, idque propter dissensionem dominæ Abbatissæ et Capituli, quod nemo alteri confidat, et factiones alant. Unde non dubium est, multa vetustate corrupta interiisse, vel perditioni esse proxima.

« Ex quibus, aliisque quam plurimis facile colligi potest, in quo statu Ecclesia Essendiensis, alioquin insignis versetur, et nisi per visitationem succurratur, funditus perire necesse sit.

LVIII. — Elgardus etiam multa Patribus Fuldensibus Ordin. S. Benedicti sapientissime mandavit: consiliisque suis pios Præsidis hujus monasterii conatus in hisce Monachis ad primævam Ordinis disciplinam revocandis quantopere adjuverit, testes sint ejus litteræ ea de re Cardinali Comensi datæ. [*]

[*] Germania Vol 40. fol 31

Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Patri ac Domino D. Ptolomæo Gallio Novocomensi S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Sipontino etc. Domino clementissimo.

« Illustrissime ac Reverendissime Domine, Dñe Colendissime. Postremas ad Vestram Celsitudinem 27. die Februarii Aschaffenburgo dedi duplicatas, ex quibus ea, quæ apud Rñum Moguntinum tractata erant, cognovistis. Secundo post qui erat primus Martii, inde discendens, quinto ejusdem mensis perveni in Eisfeldiam Heiligenstadium, sexto huc in Duderstadium, quæ civitas suo Archipræsuli Moguntino recalcitrat, ut postremis literis indicavi: in quibus etiam hinc de rebus Fuldensibus me scripturum prima opportunitate ajebam. Quibus de rebus pauca quædam altius repetenda sunt, ut ex præteritis et præsentibus futurorum facilius ratio iniri possit.

« Itaque circa annum Domini 744. a Romano Pontifice in Germaniam est missus quidam Bonifacius, (postea inter Sanctos relatus) qui primus, ut chronographi referunt, Moguntinus Archiepiscopus est factus. Is igitur S. Bonifacius ex his partibus, quæ inferiorem Germaniam spectant, Christi fidem aut nondum receptam propagavit, aut exulantem revocavit, et eo loco ubi nunc est Principatus Fuldensis præter alia amplissimum monasterium erexit, quod in valle situm est, ut Romæ templum S. Mariæ rotundum: habetque in circuitu fertiles et agro excultos colles, in eum fere modum sitos, ut Vaticanus, Aventinus, Esquilinus.

« In his collibus præcipue (tum etiam ultra eosdem) sita sunt monasteria virorum, dicta 1. Monasterium S. Mariæ; 2. Monasterium S. Petri; 3. Monasterium S. Johannis; 4. Monasterium S. Michaelis; 5. Monasterium Novum; 6. Holtzhirchen versus Herbipolim. Virginum Monasteria 1. Blankenau, 2. Zell, 3. Tulba, 4. Rhör: hoc ultimum cum censibus suis non est amplius in potestate Catholicorum. Sunt præterea in Principatu Fuldensi duæ ecclesiæ Collegiatæ, sed tenues.

« Præcipua hæc monasteria in collibus sita ab ipso S. Bonifacio condita: reliqua a succedentibus Abbatibus fundata creduntur. Quæ monasteria sub unius Abbatis Fuldensis cura semper fuere, et ex conventu principalis Monasterii Fuldensis assumpti sunt ad alia monasteria Præpositi; unde ea omnia vocantur Præposituræ, præter principale in valle, quod est Abbatia. Omnes tamen in universum Religiosi et Religiosæ vixerunt sub instituto S. Benedicti, sub quo floruerunt usque ad annum 1525. tum enim furore tumultuum rusticorum ruere cœperunt: postea injuria hæresum, incuria Prælatorum personæ diffluxerunt, ædificia pleraque usque ad hunc Abbatem solo æquata jacent: nihilominus Capitulares Monasterii Fuldensis cum Abbatibus inter sese Præposituras hujusmodi semper diviserunt, uni unam, alteri duas, nonnullis tres tribuentes, census colligit expenditque quisque suos: divinus cultus semper et ubique jacet.

« Porro constat ex memoria hominum, ipsum principale Monasterium Fuldense fuisse conventum clausum, ita ut sexui fœmineo nec templum ingredi fas fuerit: Conventuales fuisse cuculla tectos, ut statuæ sepulchrorum satis recentium indicant: post Abbatem erant officia nonnulla conventualia, utpote Decani, Ostiarii, Custodis etc. Item in eadem ecclesia licet claustrali fuerunt fundata quædam beneficia simplicia sæcularia, (veluti vicariæ) quorum possessores tenebantur cum Religiosis decantare in communi choro divina. Hi ergo ut clerici sæculares albis vestibus (quas superpellicea vocant) in choro utebantur, et Religiosi tantum pro ratione regulæ S. Benedicti cuculla velabantur.

« Accedit infra memoriam hominum, (quantum potui cognoscere) ut Legatus quidam Cardinalis Fuldam transiret, a quo petitum fuit, ut propter conformitatem chori, Religiosis quoque liceret uti veste alba, (quam vocant superpelliceum) quod per Legatum dicitur concessum: postea deposita est cuculla, tandem sublatis repagulis omnia claustra sunt patefacta, templum est pervium, conventus nullus, supradicta officia Decanatus, Ostiariatus etc. conversa sunt in Prælaturas: omnes privatas habitant domus ut Canonici: partim ex olim conventualibus bonis, partim ex supradictis Præpositurarum censibus familias tales quales alunt: ipsi statutum fecerunt, nescitur quam sit antiquum, ut nulli nisi nobiles, quorum jam præter Abbatem quatuor sunt, recipiantur, et supradictis Præposituris præficiantur. Habent tamen juxta se etiam quatuor aut quinque non nobiles, qui sunt quasi reliquorum collapsorum monasteriorum reliquiæ, et vocantur religiosi ignobiles Cappellani.

« Nullum est vestigium religionis monasticæ, nisi quod tam nobiles quam ignobiles, vix ut clerici sæculares vestiti, scapulare humeris injiciunt; atque omnia hæc licere sibi putant vigore supradictæ dispensationis, cujus copiam nondum habere potui; laboro ut habeam, et V. C. transmittam.

« Itaque principale monasterium jam non est monasterium, et reliqua monasteria non sunt

reliqua. Hinc modernus Rm̃us Abbas et Illm̃us Princeps intelligens tantam rerum confusionem non esse tolerandam, summa sollicitudine angitur, quomodo remedium adhibere possit.

« Unde æstate superiore inter alia consilia unum ad V. C. perscriptum fuit, ut S. Sanctitas juberet Breve aliquod vel Brevia scribi ad Reverendissimum Abbatem, et ad ipsos quoque Capitulares, hortando amplius eos ad unitatem, significando quod Sua Sanctitas ex paterna inclinatione eorum honori et saluti maxime consultum velit, si juvandi modos ipsimet Capitulares aperiant, unde mandet ut Rm̃us Abbas, et ipsi Capitulares S. Sanct. scribant, quot sint numero Religiosi, quot nobiles, quot ignobiles: quomodo vivant, privatim an in communi, et his similia. Ita futurum sperabatur, ut ipsimet Capitulares aliqua ex parte se ipsos emandarent.

« Atqui nescio, an non satis explicatæ res fuerint ad V. C. perscriptæ: Breve unum tantum datum fuit ad Rm̃um Abbatem, et hoc utcumque asperis verbis vocantur monachi dissoluti, sine disciplina, criminosi, et scandalosi etc. Quod quidem Breve Rm̃o Abbati fuit pergratum, utpote verum, sed non est visum consultum Capitularibus ipsum legendum præbere; cumque literæ R. D. Gaspari Gropperi mentionem Brevis illius faecerent, nec eas Capitulo exhibere visum est.

« Itaque post maturam deliberationem, ita cum Capitularibus agere coactus sum, ac si nullam haberem commissionem, sed quasi ex generalibus mandatis tantum investigarem, an ipsimet putarent aliqua reformatione opus, et qualem eam esse oportere existimarent.

« Cæterum cum jam ante prædecessores eorum et ipsi quoque aliquando consultarint, an Principatus Fuldensis posset alicui Episcopatui incorporari, ut ipsi ex Religiosis fierent Canonici: vel an ipse Principatus Fuldensis posset fieri novus Episcopatus, ut eorum monasterium fieret ecclesia Cathedralis, priusquam advenissem ego, Rm̃us Abbas ut mentes eorum cognosceret, et reformationem necessariam prudenti consilio juvaret, Capitularibus tria consideranda proposuerat. Primo (ut dictum est) an posset fieri incorporatio. Secundo an potius in Episcopatum mutatio. Tertio an rectius in pristinum statum religiosum reformatio.

« Ad quæ cum Capitulares nondum respondissent, rogatus sum, ut ipse sententiam meam dicerem. Post deliberationem cum bonis viris habitam ostendi paucis, incorporationem sub deliberationem non cadere, quod talis Principatus non sit extinguendus. Ad secundum, quia huc Capitulares videbantur inclinari, prolixe ac multis rationibus (quæ brevitatis causa lõc inseri non possunt) ostendi, quare hoc tempore nec deberet, nec posset fieri novus Episcopatus. Attamen cum Moguntina et Herbipolensis dioeceses sint amplissimæ, ac per hoc Principatus Fuldensis in spiritualibus multum negligatur, posse fortasse cogitari, an expedire videatur, ut Rm̃us Abbas Fuldensis ampliorem haberet jurisdictionem ecclesiasticam, ut per Archidiaconos vel officiales clerum suum ubique reformaret ac dirigeret. Quoniam enim totus Principatus ejus suis terminis conjunctus est, facilius forsan in officio continentur subditi utriusque ordinis, si Princeps utramque jurisdictionem (quantum satis esse videretur) haberet conjunctam.

« Ad tertium obiter conclusi de bona reformatione cogitandum, et quantum res ipsa pateretur ad vetus institutum quam proxime accedendum. Quod quo pacto fieri oporteret, ipsum Rm̃um Abbatem et Capitulares melius dictare posse.

« Hæc biduo ac triduo prolixe et scripto et Germanice tractavi et exhibui; cum Capitulares omnes sint sacerdotes, tamen nec verbo, nec scripto latine cum ipsis commode agi potest. Hoc autem scriptum Germanicum non est mihi visum necessarium, quod ad vos mittatur: ad hæc deest mihi scriba, ut ipse solus tam multa non possim multoties exscribere. Quod quidem scriptum Germanicum cum legissent, non displicuit ipsis duo priora esse rejecta: sed de tertio voluerunt, ut ego ipse iterum meam dicerem sententiam, quomodo putarem reformationem instituendam. Iterum ergo ne alicubi deessem, triduo ut antea in scriptum Germanicum sententiam redigi. Hujus scripti Germanici exemplar V. C. transmitto, facile Illm̃us Madrucius jubebit verti latine, quocum his literis collato exactius intelligetis, quid cum bonorum virorum consilio (salvo vestro judicio meliore) opinatus sim fieri posse: non quod ita fieri oporteat, sed rogatus quid mihi occurreret dixi.

« Summa vero illius scripti est, propemodum per omnia ad regulam S. Benedicti esse reducendos Capitulares, nisi quod non videntur ad cucullam astringendi, propter loci hujus et odiosissimi temporis difficultatem, quæ in mediis jactantur hæreticorum insultibus.

« Quod scriptum cum esset exhibitum, Rm̃o Abbati plane placuit, ut tali aut simili modo quippiam fieret. Capitulares putabantur responsuri, sed mihi ad rem nihil responderunt: perparum enim sciunt, et perexiguum est, quod recte vivunt; hinc ad reformationes omnes trepidant, nec consueta deserere, nec ratione verisimili defendere possunt.

« At Rm̃o Abbati privatim responderunt, sese talem vitæ modum invenisse, et quando professi sunt religionem, vivisse, ad plura sese nolle astringi. Item novitates esse vitandas, et receptas consuetudines majorum ac statuta servanda. Si quid autem reformatione egeat, id

rectius fieri posse per ipsum Rñum Abbatem tamquam caput, et Capitulares tamquam membra, nec opus esse, nec conveniens, ut externæ seu alienæ personæ sese rebus eorum immisceant.

« Igitur eo tantum usque profecimus, ut paulo plus suam inordinatam vitam erubescant, dum identidem ipsis inculcatur, quidnam professio exigat.

« Item dum metuunt ab aliis reformari, aliquid amplius deferunt suo Rño Principi; et paulatim amplius contribuunt, ut alantur in scholis adolescentes, qui religionem postea profiteantur, sed ad perfectum adduci nondum possunt.

« Si Vestra Celsitudo nunc requirit, quid mihi et iis cum quibus consilia communico ulterius faciendum videatur, dicam obedienter et libenter, dummodo ita excipiatur, non ut definitiva sententia, sed ut mea et mera apparentia: Primo causa hæc (ut et similes aliæ) non est deserenda, aliquid enim semper prodest: si morbus non omnino tollitur, multum est, si ne ingravescat, cavetur. Aspere autem nostri homines tractandi non sunt, quia in potestate nostra non sunt: exasperati resiliunt ad seditiosos cives, ad effrenos nobiles: ita neque ipsos lucramur, ut alios multos amittimus, juxta illud: qui nimium emungit, elicit sanguinem. Licet autem lenitas tarde proficiat, tamen semper pergit, semper Deo juvante proficit, donec eodem dante, perficit.

« Quocirca Sua Sanctitas posset jubere scribi denuo Breve unum ad ipsum Rñum Abbatem, et alterum ad ipsos Capitulares, quod S. Sanctitas intellexerit, Nicolaum Elgardum apud ipsos fuisse, talia atque talia cum ipsis tractasse et quidem S. Sanctitati non displicere, sed ex ipsis S. Sanctitatem audire velle, quid in tali capitulatione fieri posse, vel fieri non posse, ipsi existiment, causasque assignent, quare quodque fieri nequeat; Suam Sanctitatem nihil importabile velle cuiquam imponi. Si ipsi tam laxum vivendi modum vovere ac profiteri intenderint, viderint, an hoc contra Concilium Tridentinum excuset apud Deum; tantum non impediant, verum etiam adjuvent, ut qui in posterum sunt recipiendi ad professionem, melius institutum S. Benedicti intelligant et circumspectius vota emittant.

« Nec dicant sese non velle a statutis majorum recedere; hoc non esse recedere, sed ad vera statuta redire: neque etiam dicant se non velle posteris jugum imponere, quod ipsi non portaverint, nec portare velint; nemini enim imponitur, nisi volenti: statuta enim fiunt absolute, qui ea vult subire, promittit, qui non vult servare, non cogitur promittere, et similia, quæ Vestra Celsitudo melius dictabit, quam ut narratione mea sit opus. Summa esse posset: Si non putant hac via reformandum esse, reddant causas rationabiles difficultatis, ostendantque viam aliam, qua fieri posse ipsimet existiment; necesse enim esse, coram Deo et hominibus, ut aliquo modo aliter res illius antiquissimæ Ecclesiæ ordinentur: eum modum vel ipsi proponant, vel ab aliis petant.

« Secundo abs re non esset, si cum talibus placidis Brevibus ipsemet Nuncius Apostolicus cum majore authoritate ipsos adiret, et aliquandiu benigne latius ea tractaret, ostendendo quod sicut S. Bonifacius ex hoc loco quasi totam Germaniam in fide Christi renovavit, ita denuo hinc exordium reformationis præcipuum illucescat: et cum eorum Rñus Abbas Primas dicatur et sit totius ordinis S. Benedicti per Germaniam et Galliam: absurdum esse, si ultimi sint in servanda regula, qui nomine sunt primi, et similia. Requiritur enim tempus conversationis; quando subito omnia effunduntur, non capiuntur, et citius rejiciuntur quam intelliguntur.

« Si hæ viæ hoc tempore Vestræ Celsitudini nondum probantur, tertia esse posset, monendus scilicet Rñus D. Abbas, ut quod libenter facturus est, tempestive aliquot ingenuos nobiles reciperet, quos in Collegiis Patrum Societatis Jesu educari faceret, qui successu temporis Romæ in Collegio Germanico possent erudiri maxime in pietate, ut recepti in ecclesiam Fuldensem ipsimet desiderarent in sanctitate et justitia vestigia Patrum suorum renovare. Quorum postquam tres aut quatuor fierent Capitulares per semetipsos ea a S. D. N. et suo Rño Abbate peterent, quæ nunc aliis ne quidem persuaderi possunt.

« In summa quicquid Sua Sanctitas paterne et benigne hic desiderat, ipse Rñus Fuldensis prius magisque affectat; sed non ignorat cum Capitularibus agendum et prudentissime et lenissime: aliter enim talis morbus in talibus hominibus non curatur. Demum Illñe Domine, existimo Vestram Celsitudinem tales habere secretarios, qui nihil harum rerum loquantur apud eos, per quos ad Capitulares Fuldenses possint pervenire. Si enim Capitularibus constaret, tam multa particularia me scribere, proditionis loco haberent, nec cuiquam in posterum confiderent: tam enim sunt infirmi, ut omnia sinistre interpretentur. Ipse autem Rñus Abbas nihil habet particulare vel secretum, quod non in sinu Suæ Sanctitatis et Vestræ Celsitudinis secure deponeret. Et hæc de rebus Fuldensibus hactenus.

« De civitate Duderstadio, in qua jam versor, nihil scribo, quia hoc triduo dum affui, non potui certo quid rerum sit percipere, nisi quod mihi res videtur periculosissima. Faxit Dominus Jesus, ut omen meum sit vanum. Videtur Deus

clausisse oculos, et execæcasse cor populi hujus, ut percutiat eos plaga grandi.

« Cum die 6. hujus huc advenissem, heri 8. Rev. D. Suffraganeus Moguntinus hinc ad Rhenum concessit; remansit hic quidem nobilis Canonicus Metropolitanæ ecclesiæ Moguntinæ, vir bonus et modestus, et quidem utriusque juris Doctor, optimus et Catholicissimus, qui sunt Rmi Archipræsulis Moguntini in hoc negotio Commissarii. Cum his versor, et perseverabo Deo volente usque ad Pascha, nisi aliunde mutandum sit consilium. Obtulimus Senatoribus hujus loci meam operam, ut hoc sacro tempore ipsis verbum Dei prædicarem: nondum responderunt, sed credo non responsuros vel recusaturos. Nesciunt quid faciunt: an ita ut satis excusati, Deus judicabit: misereor quantum possum super turbam, quoniam miserabilis est.

« Nunciatum est nobis ut certissimum, Ducem Saxoniæ superioribus diebus in civitate sua Dresda novem insignes viros ob Calvinismum capite truncasse, inter quos fuit unus vir apud Germanicos nominatissimus, Doctor Craco, et alius Peucerus, gener Philippi Melanthonis. Credo vos jam superioribus temporibus audivisse totam Saxoniam ad Calvinismum inclinari; Dux quidem vehementer eam hæresim aversatur, ac detestatur. Mandato ejus theologi Saxonici novam confessionem de veritate Eucharistiæ cum anathematismis contrariæ doctrinæ Calvinisticæ ante paucos menses ediderant, sed colubri instar se doctrinamque suam torquentes, dum nulla ratione Papistæ (ut loquuntur) videri volunt, necessario doctrinam Calvinisticam, quam videntur aversari, effutiunt. Anxius Dux dum nec hos, nec illos intelligit, rem nova confessione bene gestam putat.

« Mihi non sit dubium futurum brevi, ut Calvinismus violenter in Germania Lutheranismum opprimat. Et quamquam animadvertunt non pauci, nec homines infimi ex Calvinismo Alcoranismum gigni, tamen ita est aggravatum cor populi hujus, ut cum apertissimo exitio progredi ad imaque labi, quam cum pœnitentia erroris regredi, et certa veritatis confessione ad salutem resurgere malint.

« Nihilominus tam multi sunt, qui hæc dono Dei intelligunt, et quos Deus sub tam profundo et alto Prælatorum somno sibi in Germania conservavit, ut si mille sacerdotes charitate fervidi (qui Christum Jesum ejusque oves magis quam temporales sordes quærerent) nobis ad manum essent, laborandi in vinea Domini occasionis et loci abunde satis assignari posset.

« Oramus igitur Dominum Jesum benedictum, ut quos ipse solus bonitate sua conservavit, iisdem mysteriorum suorum ministros excitet. et qui aberrarunt in precio sanguinis sui ad idem ovile revocet, atque Sanctissimum Dominum nostrum et Vestram Celsitudinem totumque Sanctæ Sedis Apostolicæ Senatum sub gravissimis his Christiani populi sarcinis recreare, confortare, in finem dirigere, æternaque remuneratione donare dignetur. Duderstadii in limitibus Brunschwichiæ et Saxoniæ die 9. Martii Anno 1575.

Vestræ Celsitudinis

Humillimus

Nicolaus Elgardus Arlunensis.

LIX. — Eidem negotio incubuit ipse hujus monasterii Abbas, qui Pontificem certiorem fecit de multis incommodis, quibus ecclesiastica ditionis suæ negotia impediebantur; eumque exoravit, ut iisdem consulere vellet. In magnas præsertim difficultates incidebat integra decretorum SS. Concilii Tridentini observantia: cujus rei in causa erat jurisdictio ecclesiastica Principatus Fuldensis inter Præsules Moguntinum et Herbipolensem, atque Abbatem divisa. [*] [*] Germania Vol. 25. fol. 16.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio, ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post beatissimorum pedum oscula humillimaque mei et meorum obsequiorum commendationem.

« Beatissime Pater. Cum intellexissem unice Sanctitatem Vestram desiderare, ut sacrosancti Tridentini Concilii decreta in meo Principatu executioni mandentur: nihil quoad ejus fieri potuit intermittendum duxi, quo ejusdem desiderio plane sancto fieret satis. Verum dum negotium aggredior, in ipso quasi limine ejusmodi occurrerunt difficultates, ut iis non submotis aut omnino non, aut ægre admodum procedi posse existimarem. Quarum quidem difficultatum una est, quod ditio ac Principatus, cui Dei et Apostolicæ Sedis gratia præsum, nullam certam hoc tempore habeat ecclesiasticam jurisdictionem. Quamvis nihil ex antiquis literis hoc constet, sic hanc rem superioribus temporibus distributam, ut tripartita hæc jurisdictio esset: cujus pars una ad Abbates Fuldenses meos Prædecessores piæ memoriæ pertineret, reliquæ inter Moguntinum Metropolitanum et Herbipolensem Episcopum essent distributæ; sic tamen hæresis malorum fons omnia turbavit, sic Episcopi suis iisque vicinioribus locis tuendis occupati fuerunt, sic nemo fere ut in re perturbata ac pene desperata huic ditioni prospiciendæ curam impendit, ut jam quid cui Episcopo juris competat, aut ignoretur, aut in dubium vocetur, aut certe cum maximo animarum damno negligatur. Hinc nihil sit, ut nobiles Vasalli mei, quorum fere hæresi occupati sunt animi, cum hanc animadvertunt cunctationem, ipsi sibi jus ecclesiasticum usurpent, parochos non latenter, sed pa-

lam hæreticos constituant, aliaque faciant, quæ integritati catholicæ fidei et animarum saluti quam maxime adversantur. Quam rem cum magno animi mei cum dolore videam quotidie, tum id magis affligit, quod cum succurrere cupiam in omnibus et possim Dei et S. V. auxiliis fretus, in multis una hac re impediar, ne non cognitis terminis cujusque jurisdictionis, falcem meam mittam in messem Episcoporum. Quod cum sciant nobiles illi mei, me ordinis hierarchici, quem ipsi turbant, cupidissimum esse, etiam quando ex iis locis hæreticos concionatores abegi, quæ loca meæ jurisdictionis existimabam, communicato inter se consilio ita ad me scripserunt, ut viderem quousque se mea jurisdictio Ecclesiastica extendat, rati et quidem non male, hunc scrupulum efficacissimum fore ad me ab incœpto deterrendum. Ex hac deinde jurisdictionis confusione aliud sequitur incommodum, quod tale est, Beatissime Pater: Hactenus hæresibus omnia occupantibus, festi Sanctorum in cœlis degentium dies aut fuerunt neglecti, aut contempti culti, cui ego rei cum sicut debeo, remedium adhibere volui, invenio alia festa Moguntinam Ecclesiam, alia Herbipolensem observare, ex quo mihi duplex oritur difficultas: prima, quod nesciam, quæ mei Principatus loca Herbipolensem, quæ Moguntinam Ecclesiam sequi debeant; altera, quod etiamsi in quibusdam locis id sciri forte possit aliquo modo, diversitas tamen illa festorum in locis plane conjunctis et deformitatem pariat et offendiculum generet rudibus, quosdam etiam alieniores faciat a catholica religione, qui cum videant, in vicinorum locorum altero festum diem celebrari, in altero minime, hinc statim colligunt, ergo et Catholicos in religione dissidere, quod argumentum, utut leve apud peritos, mirum quantum valeat apud simplices et hæreticorum clamoribus imbutos animos.

« Accedit hisce tertium ex eadem fonte impedimentum. Sunt in meo Principatu non pauci, qui matrimonia contraxerunt, a quibus vel sanguinis conjunctione vel affinitate spirituali prohibebantur, idque vel ignorantia vel hæreticorum persuasione fecerunt, hisce cum persuaderi non possit, ut sponte sua ea matrimonia dissolvant; timent enim suam liberorumque infamiam: tum illud quod unum restabit remedium, ut ordinarii Judicis vel expectent sententiam, vel petant dispensationem, hoc etiam sublatum aut vehementer impeditum: sublatum quidem, cum quæ personæ ad quod consistorium remittendæ sint, ignoretur, ob dictam jurisdictionis perturbationem: impeditum, cum ii de quibus verisimili ratione aliqua colligi posset fortassis, quod ad forum ecclesiasticum Monguntinæ aut Herbipolensis Ecclesiæ pertineant, propter locorum distantiam et personarum paupertatem eo non recurrant.

« Denique Bme Pater, plurima beneficia sæcularia, tam simplicia, quam curata in hac ditione a piis hominibus olim fundata, dotata et instituta sunt, et aliquorum quidem jura, consignationes redituum, aliaque ad ea pertinentia usque adeo temporum injuria interciderunt, ut nec de collatore, nec de proventibus, nec de oneribus quicquam certi constare possit: aliquorum proventus tam exigui sacerdotibus, qui onera supportent, alendis non sufficiant; aliquorum collatio, dum vel nobiles laici eam sibi vendicant, vel clerici extra meam ditionem constituti, dubia est; aliquorum possessores intrusi, iique hæretici, vel aliqua alia de causa minus idonei: quo fit ut nisi satis mature huic rei consulatur, piæ voluntates decedentium depereant, indigni in ecclesiastica bona involent, hostes Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia et in ejus sinu foveantur.

« Quæ cum ita sint, Beatissime Pater, tum medium, quod mihi occurrit, humili ac simplici animo et affectu, quo filius obediens amantissimo patri debet, manifesto, quod quidem illud unum esse videtur, si duæ illæ partes quæ a vicinis Episcopis administrari debent, vel alteri illorum committantur, vel ei, qui tertiam partem ab antiquo administrat, hæ quoque administrandæ tradantur. In hac re quod ad meam personam attinet, utique sentio, Beatissime Pater, quoniam non honos, sed onus sit futurum, si præter eam partem, quam administro, plus laboris mihi adjiceretur, malimque propterea Episcoporum alteri duas illas, quas modo divisas habent, unitas tradi, dummodo ab eo cura adhibeatur, ut nobilium in ecclesiasticam libertatem et jurisdictionem irruptio comprimatur, hæretici concionatores pellantur, boni catholici substituantur, aliaque fiant, quæ sine multorum odio, diligenti cura, sumptu et labore fieri non possunt. Cum autem Ecclesiarum vicinarum Episcopi suis peramplis diœcesibus occupati minus ad meos subditos attendere possint, cum talis status rerum in mea ditione, ut nisi assidua cura adhibeatur, non solum jurisdictio ecclesiastica intercidat, sed et fides pereat et salus animarum negligatur: si ita jusserit S. T. obedienter, quod majores mei in parte ditionis suæ fecerunt, ut omnia administrarent, quæ non erant ordinis Episcopalis, id ego in toto Principatu suscipiam, nec tantum apud me valebit cura, labor, sumptus, quorumdam etiam imprudentium sinistra interpretatio, quantum desiderium salutis animarum: id solum cuperem, si hoc sic utile judicaretur, me hunc laborem suscipere, Episcopi intelligerent, non meæ hoc esse petitionis, sed voluntatis Sanctitatis Tuæ. Quamvis autem ego, qui utriusque Episcopi personam novi, nihil dubitem, quin ipsi per se hanc oneris sublevationem libentissimis animis sint audituri; erunt tamen fortassis cum ipsis nonnulli, qui

aliud spectantes, id nolint, quos ego vitavi, quo minus antequam de hac re ad Sanctitatem Tuam perscriberem, de ea cum ipsis Episcopis communicarem.

« Sanctitatem igitur Vestram rebus hisce intellectis id facturam, quod ad sanctæ fidei propagationem et animarum salutem optimum paterno prudentissimoque consilio judicabit, non diffido: eique ecclesiam meam, quam commendatissimam esse exopto: Deumque Opt. Max. precor, ut eandem ad universalis Ecclesiæ utilitatem quam diutissime servet incolumem.

Datæ Fuldæ 19. Septembris anno 1575.

Vestræ Sanctitatis

Obedientissimus filius

BALTHASAR ABBAS ECCLESIÆ FULDENSIS.

LX. — Gregorius sane nihil optabat magis, quam ut tot tantisque incommodis, quæ necessario e tripartita hac jurisdictione sequerentur, sapienti ratione aditum præcluderet. Qua de re hæc ad Abbatem scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 131. fol 90.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Non possumus satis laudare pietatem tuam, et Christi gloriæ zelum, qui sese omni ex parte ostendit in iis litteris, quas ad Nos dedisti decima septima Septembris. Offerimus istam tuam voluntatem tuo isto loco et munere dignissimam Deo omnipotenti, precamurque tibi pro ea omnem fœlicitatem. Quod Nobis consulis de iis locis, in quibus tantopere animæ periclitantur, totque mala accidunt, quot scribis, neque potest facile provideri ab Archiepiscopo Moguntino, aut ab Episcopo Herbipolensi tam longe disjunctis. Scribimus ad eos, ut eorum sententiam exploremus, sed ita scribimus, ut non possint suspicari, te quidquam ad Nos scripsisse; quos etiam monemus, ut nostrum consilium de ea curatione tibi tribuenda nemini aperiant. Expectabimus eorum responsum. Oramus Deum benedictum, ut te semper sua gratia confirmet, tibi largiatur, ut possis ea perficere, quæ tantopere cupis ad ipsius laudem, atque ad animarum ejus sanguine redemptarum salutem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eadem fere habent litteræ Præsulibus Moguntino et Herbipolensi scriptæ, quibus insinuat, ut jurisdictio ecclesiastica in universo Fuldensi Principatu per Abbatem exerceatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 132. fol. 90.

Venerabili Fratri Danieli Archiepiscopo Moguntino S. R. I. Principi Electori

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepimus, in ditione dilecti filii Abbatis Fuldensis esse nonnulla Ecclesiæ tuæ loca longe isthinc distantia, inque iis multa accidere secus, quam oporteat, hæreticorumque in eis res in dies magis ac magis invalescere, animarum curam deseri, Sanctum Dei cultum fœdari ac perverti; Tuam vero Fraternitatem longissimo intervallo disjunctam non posse pro sua pietate his malis providere; cogitabamus, aliquam in his rebus curationem Abbati tribuere, quod tamen sine ulla tuæ jurisdictionis jactura, aut imminutione fieret, ejusque operam adhibere in iis rebus, quibus prospicere Fraternitati Tuæ neque facile, neque commodum esset. Hoc tametsi gratum tibi futurum esse existimabamus; tamen nihil voluimus, te inscio atque inconsulto decernere. Rescribes igitur quæ tua sit sententia, quodque te facturum confidimus, majorem multo animarum salutis et Dei gloriæ, quam cujusvis alterius rei rationem duces, nostramque hanc cogitationem nemini aperies. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXI. — Præterea Herbipolensi Episcopo significat, sibi valde ejus rationem probari, quod qui generis splendore careant, insigniora monasteria, quæ viris tantum nobilibus antea patebant, iis etiam per eum nunc pateant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 278. f. 234.

Venerabili Fratri Julio Episcopo Herbipolensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Laudamus summopere studium Fraternitatis Tuæ et zelum, quem in tuis literis cernimus Catholicæ Religionis, sanctæque disciplinæ, tum ubi incolumis est, retinendæ, tum ubi est delapsa, restituendæ: summa et propria est hæc optimi pastoris curatio. Quid cogitaverint illi, qui in monasterium id, de quo scribis, neminem voluerunt admittere nisi nobilem, ipsi viderint: Nos certe cum Apostolo cognoscimus generis nobilitatem ipsam per se nullius apud Deum precii esse, innumerosque hominum existimatione ignobiles esse apud Deum nobilissimos, longeque ab eo anteponi iis, qui vocantur nobiles: itaque libentissime dabimus literas eas, quas postulas eamque quam scribis, consuetudinem abrogabimus; ac si quid præterea erit, in quo tuæ optimæ voluntati satisfacere possimus in iis, quæ ad sanctam Religionem et Dei gloriam pertinent, habebis Nos paratissimos. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Eundem hortatur, ut Vicarios Ordinis Cisterciensis suæ diœceseos in monasteriis visitandis omnimodo adjumentorum genere prosequatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 315. f. 250.

Venerabili Fratri Episcopo Herbipolensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam

benedictionem. Ut nihil est, quod Nobis magis cordi sit, quam sanctam in quoque ordine vivendi disciplinam servari, atque ubi depravata est, restitui, sic magnopere eorum studium commendamus, qui in hac præclara, et Christianæ Reipublicæ pernecessaria curatione versantur, quod quidem facere accepimus dilectum filium Magistrum Generalem Ordinis Cisterciensis. Multa enim illum constituisse anno præterito, vivo adhuc superiore Episcopo in iis tum virorum, tum mulierum sui ordinis monasteriis, quæ in isto tuo Episcopatu sunt. Verum et illa omnia, et quæ etiam erunt in nostris literis super ipsius ordinis reformatione, frustra erunt provisa et constituta, nisi Tuæ quoque Fraternitatis opera accesserit, in quo eo te paratiorem futurum confidimus, quo tuam pietatem, et Christi gloriæ zelum perspectiorem habemus. Censemus igitur, magnopere opus esse, ut tuis Magistratibus, eorumque ministris prohibeas, ne quid impedimenti faciant, quominus ipsius ordinis Vicarii sua jurisdictione, et facultate sive ordinaria sive a Nobis eis tributa libere utantur in ipsis locis et personis corrigendis, nostrisque et Generalis, aliorumque Visitatorum institutis exequendis; quin potius quoties eorum auxilium, et brachium sæculare postulaverint ad eorum, qui recusaverint, contumaciam retundendam illis præsto sint. Illud in primis cavendum, ne Monachi et Moniales a quoquam etiam si sit ex tuis Consiliariis, impediantur, quominus ex Sanctæ Sedis Apostolicæ, et ipsius ordinis Cisterciensis, sacrique Concilii Tridentini decretis possint Abbates atque Abbatissas libere eligere, ubi monasteria ipsa vacaverint. Hæc te pro tua præstanti pietate, et Sanctæ Religionis studio libenter curaturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Maji MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXII. — Gregorius in Concilio Tridentino tuendo tantam curam præstitit, ut Magistro Ordinis B. Mariæ Theutonicorum, qui instituti sui privilegia sarta tectaque Pontificis confirmatione esse cupiverat, scripserit se ei quidem gratificari velle in iis, quæ Concilio Tridentino minime adversarentur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 10. f. 7.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico Ordinis Theutonicorum Magistro

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Diu multumque cogitavimus, qua ratione Tuæ Nobilitati gratificari possemus in confirmandis privilegiis Ordini tuo a superioribus Pontificibus concessis; id enim postulabas in iis literis, quas octava Decembris ad Nos dederas dilecto filio Leonardo. Et quamquam tunc rescripsimus Nos libenter facturos; tamen nihil umquam faciendum cogitavimus adversus sacrum Concilium Tridentinum; multa autem in iis privilegiis ab hujus Concilii decretis aliena esse comperimus, quæ excipere vellemus, non placuit Leonardo hac nostra gratia uti. Volumus hoc significare Nobilitati Tuæ, ut et nostram tibi gratificandi, et ab ipsius Concilii decretis minime discedendi voluntatem cognosceres; id enim neque Ordini tuo neque Nobis expediret. Cæteris in rebus nostram erga te tuaque omnia paternam voluntatem perspicies. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXIII. — Gratissima erat Gregorio angelica vita Sanctimonialium Ord. S. Francisci Monachii, quas ei religiosissimæ Ducissæ Bavariæ magnopere commendaverant. Quare precibus harum nobilium mulierum permotus, iis facultatem impertitus est Sanctissimam Eucharistiam in sua ecclesia ita asservandi, ut ab ipsis et a populo videri adorarique posset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 18. fol. 14.

Dilectis in Christo Filiis Nobilibus Mulieribus Jacobæ et Annæ Bavariæ Ducissis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilectæ in Christo filiæ Nobiles mulieres salutem etc. Nihil est, quod magis curemus quam Tridentini, cæterorum sacrorum Conciliorum decreta quam diligentissime servari, et simul vestris postulatis, quantum quidem possumus, satisfacere cupimus: itaque cogitavimus, qua ratione utcunque assequi possemus in eo, quod concedi postulatis duobus monasteriis Monialium Tertii Ordinis Sancti Francisci, quæ sunt in ista Civitate Monachiensi. Res ita temperari poterit, si interior templi paries communis altera ex parte populo, ex altera autem Monialium sacello perforetur, inque fenestrella ornate atque apto constructa reponatur Sacrosancta Eucharistia, ita ut in decenti custodia et tabernaculo collocata possit, cum opus fuerit, utrinque spectari. Construatur autem ea fenestra tum alte a terra, ut neque ullus sit populo, et Monialibus inter se prospectus, neque sacerdos cum eo accessit, ut sæpe opus est ad tabernaculum aperiendum Moniales ipsas videre possit. Sic enim et sacratissimæ Eucharistiæ præsentia ac prospectu Moniales perfruentur, seque ipsas, ut scribitis, ad devotionem excitabunt, neque Clerici Eucharistiæ ipsius, ut oportet, tractandæ causa monasterii claustra ingredientur. Hæc igitur utroque in monasterio ita fieri Apostolica auctoritate concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Neque hic erit abs re inserere supplicem libellum Ducissarum Bavariæ, qui earum pietatis testimonium luculentissimum præbeat. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 20.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Benignissime.

« Obedientissimarum filiarum humilitatem pedumque beatissimorum oscula devota. Quem Sanctitas Vestra in omnibus rebus ad Bavariam pertinentibus paternum amorem suum favoremque præstitit, eum modo in hac causa, quæ et juri propemodum suo et religionis quoque pietatisque incremento non incerto nititur, maxime desideramus. Sunt in hac Civitate Monachiensi duo sacratarum Virginum claustra tertii S. Francisci Ordinis, quarum modestia, pietas et innocentia non nobis solum, sed universæ etiam Civitati adeo cognita perfectaque est, ut Sanctitati Vestræ recte affirmare audeamus, nihil neque in Ordinis hujus observantia, neque ullo alio quod vel ad religionem catholicam vel ad mores vitamque condecentem spectet, excogitari posse, in quo non harum Virginum studium et voluntas cumulatissime respondeat omnibus. Apud illas ex Episcopi Frisiogensis concessione, ipsiusque sui Ordinis Commissarii permissu, per sedecim jam annos Sacrosanctum Corpus Domini ad ipsarum pietatem fervoremque et divinas contemplationes excitandas, in claustris suis summa cum reverentia et perpetui luminis (quæ nostra fuit pietas) famulatu repositum conservatumque est. Quæ certe res uti non indigna videtur tantæ congregationi, sic Virginum istarum maximum ad pietatem et devotionem ardorem atque studium magnopere hucusque conservavit et auxit; ita enim natura comparatum est, Pater Beatissime, ut quæ præsentia cernimus, ea ipsa magis inhæreant animo adeoque sensus nostros moveant fortius, (quod vel in servulis compertum est, ubi eorum adsunt Domini) sic ut nullatenus dubitandum sit, hoc tanto tamque efficaci omnis pietatis atque devotionis alimento sublato, fructum quoque illum, qui ex ipsa Venerabilis Sacramenti præsentia totquo sanctissimis exercitiis peti certo poterit, non parum aufferri et imminui; præsertim cum visitandi quotidiani Sacri vel eo minor sit occasio, quod ad id non nisi per plateas et publicam viam pertingere queant. Hunc jam ante permissum Sanctissimi Sacramenti reponendi morem, Franciscani Ordinis Præpositus Generalis aufferre contendit, sacri procul dubio Tridentini Concilii monitis adductus. Quia vero nec honoratiorem, neque majoris momenti occasionem habemus, qua devotis istis Virginibus suffragemur: oramus Sanctitatem Vestram humillimo studio, ut pro paterno suo in nos familiasquo nostras amore ac benevolentia, authoritate sua apostolica elargiri benigne velit, ut præfatæ Moniales in posterum quoque, sicuti ab annis multis jam consueverunt, in constituto et idoneo cibario, atquo per octavam Corporis Christi, in monstrantia altari imposita, Dominici Corporis habeant reponendi asservandique potestatem. Sic enim fiet, ut earum erga Deum devotio, et erga Sedem Apostolicam debita obedientia in dies magis magisque augeatur: et nos ipsi, quod Virginibus istis ab hac Sacrosancta Sede benigne concessum indultumque fuerit, eo accipiemus animo, ac si nostris personis atque familiis feratur: Deum immortalem humillime deprecantes, ut Sanctitatem Vestram in præsidium et consolationem Ecclesiæ catholicæ diutissime fœlicem et incolumem conservet, cui nos subinde ad devotissima beatissimorum pedum oscula reverenter commendamus. Datæ Monachii die xv. Junii anno Christi MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimæ filiæ

JACOBA COMITISSA PALATINA RHENI UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCISSA, NATA MARCHIONISSA BADENSIS.

ANNA COMITISSA PALATINA RHENI, UTRIUSQUE BAVARIÆ DUCISSA, NATA REGINA UNGARIÆ AC BOHEMIÆ, ARCHIDUCISSA AUSTRIÆ.

LXIV. — Adeo Gregorius etiam nobilium mulierum fovendæ pietati erat addictus, ut suavissimis verbis, iisque fastigium christianæ perfectionis complectentibus, Ducissam Leuchtembergensem doceat et solctur. [*]

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Metildi Lantgraviæ Leucthembergiæ

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 269 f. 252.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis dilecti filii Feliciani Ninguardi summa cum voluptate cognovimus de tua, filiique tui Georgii Ludovici pietate et charitate; qoo nomine vos uti filios optimos amplectimur, vobisqua eam, quam ascribimus, salotem et benedictionem a Domino Deo precamur. Pergite, ut facitis, omnium sanctitate et pietate ad cœlestem illam patriam, unde nunc misere exulamus, contendere, perque bona opera, ut monet Apostolus, certam vestram vocationem facere, semper Deum præsentem cogitare, vestrasque omnes cogitationes atque actiones ad Sanctissimæ ejus legis præcepta conformare, deque virtute in virtutem ire. Hæc quia vos facere existimamus, non tam hortamur, quam vobis gratulamor, Deoque bonorum omnium largitori gratias agimus. Vestræ res semper erunt Nobis commendatissimæ, nostramque paternam erga vos charitatem declarabimus omnibus in rebus, in quibus nostram auctoritatem vobis prodesse posse intelligemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima sexta Apr. MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXV. — Plura sunt in Gregorii gestis, quæ ipsum cum Pontificis dignitate veluti optimi parentis animum conjunxisse demonstrant. Testis esse potest Albertus Bavariæ Dux. Is enim plurimas Pontifici agit gratias, quod filium Erne-

stum Romæ institutionis causa commorantem paterno prope affectu complectatur, atque ut loco sui absentis veluti alter pater filio esse velit, etiam atque etiam rogat. [*]

[*] Germania Vol. 29 fol. 34.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem pedumque beatissimorum oscula devota. Et amantissimæ Sanctitatis Vestræ litteræ XI. Decembris datæ, et ea quæ ab Oratore meo subinde ad me perscribuntur, ingentem Sanctitatis Vestræ non solum in filium Ernestum et me, adeoque meos omnes, sed etiam in universam meam familiam benignitatem mirifice testantur. Video enim quanto conatu S. Vestra in eam suam curam, quam pro ipsa filii salute semel suscepit, incumbat: video, inquam, quod laborum atque sollicitudinis libenter subeat, ut ad perfectionem, quam communi voto filio præfiximus, aliquando perveniatur. Quæ omnia quandoquidem summa sunt, non possunt me non ad perpetuam cum erga Deum Opt. Max. tum ipsam etiam Sanctitatem Vestram pietatem atque gratitudinem excitare; sed et agnosco libenter, quid vicissim debeam, operamque dabo, ne, quod ad hæc reddere ulla ratione potero, apud me unquam desideretur: ac o utinam talis perseveret filius, qualem prædicant S. Vestræ literæ optima de illo spe atque opinione plenissimæ; quod quidem facile summum esset futurum et absolutum meum gaudium. Ut vero hoc perpetuum mihi fiat, ut Sanctitatis Vestræ propensissimæ voluntati, atque meæ quoque expectationi recte satisfiat, non parum ad id conferet, si Sanctitas Vestra salutaribus suis admonitionibus sæpius utatur, si filii actiones ad fidelissimorum magistrorum, Oratoris nimirum atque Comitis explicationes interdum examinet et inspiciat, si denique graviora, quæ incidant authoritate sua ad me referri jusserit. Sic etenim cum de cura et observatione perpetua nihil circa sese remitti perspexerit filius, sublata demum iri confidam impedimenta, quæ a vera perfectione ipsum alioquin abducunt et impediunt fortasse, in hac præsertim ætatis atque judicii imbecillitate. Et certe ambo isti sunt, Orator atque Comes, quorum si apud filium valere jusserit Sanctitas Vestra authoritatem, plurimum adferre judicabimus ad cohibenda, quæ ex hisce ejus annis enasci poterunt, virtutum obstacula. Mihi equidem ab utroque satisfactum est hucusque, sicut divinitus eos conjunctos existimem, quorum voluntates atque judicia ad veram et absolutam filii salutem atque dignitatem tam egregie concurrunt. Quod si vero Sanctitati Vestræ videbuntur aliquando remissius agere cessareque ab officio, aut timere aliquo modo circa filii gubernationem, eos ut excitare velit, et si opus esse judicaverit, apud filium authoritatem suam serio interponere humiliter rogo. Quæ porro a Sanctitate Vestra de Saxone Principe Electore jam iterum admonuit, iis, credo, satisfactum esse poterit per ea, quæ præsenti Sanctitatis Vestræ Nuncio voce scriptisque explicavi, in quibus utique curandis atque efficiendis apud me nihil unquam deerit, si modo non excludant salutaria ista consilia, quæ penes ipsum sunt Principem impedimenta, sæculi nimirum, terribilis idoli, amore et verecundia; sed dabit forte Deus fœlicem aliquam ejus lucrandi occasionem. Quam tamen an videre possimus ante publicum conventum, non facile dixerim, cum raro admodum eveniant aliæ privatæ congrediendi causæ.

« De mea autem sacra ad Urbem profectione, quod S. Vestra excusationem admisit, valde mihi gratulor, ægre certe detinear ab ista mea et salutandæ venerandæque Vestræ Sanctitatis et Urbis, imo potius orbis in ea nunc confluentis, visendi cupiditate. Filio quoque Guilielmo graves sunt, non solum ex incertæ valetudinis periculo, sed aliis quoque ejus rebus rationes atque causæ, quæ a simili devotione illum omnino abstrahunt. Utrique sane jucundissimum accideret merito, Sanctitatis Vestræ voluntati acquiescere, ea maxime in re, cujus forte per omnem vitam nulla recurret alia commoditas; quod tamen citra periculum ingentesque difficultates institui non potest, in eo Sanctitas Vestra clementer et benigne a voluntate sua discedet, aliamque cogitabit rationem, qua sacri hujus Jubilæi fructus ad me, familiamque meam pervenire queat. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram diu servet florentem et beatissimam, cui me meosque omnes reverenter commendo et offero. Monachii IV. die Februarii anno MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.
p. m. ppřiam.

Gregorius Duci pollicetur, se omnino patris munia erga Ernestum libentissime suscepturum; juvenisque virtutes ad patris solatium recenset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 270. f. 359.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quoties tuas literas legimus, toties nostrum in Christo gaudium renovatur; quia perspicimus omnia in eis referta syncera pietate et divinæ gloriæ zelo, ac talia qualia par est, expectari a Principe optimo, Catholicæque Ecclesiæ filio charissimo. Quod in Ernesto cupias summopere esse omnes virtutes, quodque in iis nihil humanum spectes, sed omnia ad Dei laudem dirigas, præclare facis: quod autem eum Nobis commendes, nihil est, nihil enim nostra de eo cura cedit tuæ solicitudini; neque patiemur,

Nobilitatem Tuam fraudari sua in Nobis spe et fide, agemusque ut et Ernestus ipse, et Orator tuus et Comes, universaque familia intelligant omnia a Nobis diligentissime observari, neque ullum prætermittemus Ernestum, ubi res feret, monendi atque, ut postulas, instituendi locum. De monasterio Sanctæ Crucis gratissima fuit Nobis opera Nobilitatis Tuæ. Severinum Fuggarum tuum libenter vidimus, quoque magis indigebis ejus opera, eo magis laudamus animi tui æquitatem in eo dimittendo, illiusque pietatem in his sacris templis sancti Jobelæi causa visendis. Quod filium non miseris, accipimus excusationem tuam, teque omnia prudenter facere judicamus, tuumque veniendi desiderium pro re ipsa amplectimur; cætera ex Severino ipso cognosces. Datum apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Paucis post mensibus Ernestus suasu quorumdam juvenum, qui ex ejus comitatu erant, Neapolim, inconsultis Pontifice et iis, quibus pater instituendum commiserat, Roma clam aufugit; nihilo tamen minus simul ac per cubicularium quemdam a Pontifice in Urbem revocatus fuit, in Gregorii complexus rediit, et lacrymans mobilitatem levitatemque juvenilem incusans, paterne ac liberaliter a Gregorio excipitur, qui Alberto, quæ de filio acciderunt, per litteras referens veniam Ernesto a patre deprecatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 50. fol. 31.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Facile arbitramur ad Nobilitatem Tuam pervenisse rumorem aliquem earum rerum, quæ nuper domi Ernesti nati tui acciderunt: quarum rerum causa Nobis penitus ignaris, nec salutatis Roma abiit. Verum ea levissima sunt, et fere nullius momenti; qualiacumque tamen sint, volumus, ea te ex Nobis scire; itaque mittimus certum hominem ad Nuntium nostrum Porciam, ut ad te veniat, omniaque syncere exponat, exitusque ipsius certiorem faciat: Ernestum scilicet nostro hortatu constitisse; statim enim misimus unum ex cubiculariis nostris, qui eum consequeretur: redibit autem, ut speramus, obedientior multo quam ante. In quo proposito ut perseveret, providendum erit nonnullis rebus, quas ex eodem ipso Nuntio nostro cognosces, cui omnem fidem tribues. Interea volumus Nobilitatem Tuam bono animo esse, optimumque exitum sperare, ac sic credere nostram de Ernesto solicitudinem nihil de tuo desiderio atque amori cedere. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Augusti MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXVI. — Non defuere invidi ac malevoli homines idque ex commento ipsius quidem Ernesti, qui ejus fugam nimiæ severitati, qua cum eo Franciscus Toletus e Societate Jesu uteretur, tribuendam esse falso dictitarent. Franciscus enim ipsi a confessionibus erat; cumque sacras litteras edocebat. Quare cum Albertus apud Gregorium hac de re conquestus amice fuisset, Pontifex de filii errore Albertum solatur, atque Toletum a calumniis eidem illatis vindicat purgatque, addito perpulchro virtutum ejus elogio. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IV. ep. 109. fol 71.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem. Accepimus binas uno tempore literas Nobilitatis Tuæ, alteram de fida tribuenda Consiliariis suis, alteram tua ipsius manu scriptam de Ernesto filio. Sic erede, Nos tecum pari et forte etiam in majore dolore fuisse. Revocavimus eum Romam omni studio et diligentia, neque id assequi poteramus, nisi aliqua in re ejus postulatis satisfaceremus: itaque eum recuperavimus, in portumque reduximus. Sic autem confirmamus, post discessum illius, cujus societate amplius uti noluit, nullum in eo ne tenuissimum quidem indicium exstitisse pravæ alicujus aut actionis aut voluntatis; postquam autem vidit se abs te accersiri, statuit sibi demisse prompteque obediendum esse. Voluit tamen prius nonnulla ad te perscribere, quæ forte non improbabis; Nobis quidem certe non molesta fuit hæc brevis mora; tum propter hyemis vim et frigora tempestatesque immoderatas, tum quia in tam recenti memoria præteritarum rerum existimabamus, multo melius esse eum expectare quoad Bononiam iremus, quod quidem Deo concedente brevi facturi sumus, nobiscumque ire, cumque eo pervenissemus nostra cum benedictione ad te pergere. Hoc si forte non probatur Nobilitati Tuæ, visque Ernestum sine ulla mora discedere, et ipse obtemperabit, et Nos ut quamprimum id faciat curabimus, inque tua voluntate acquiescemus; neque enim aliud cupimus, quam id agi, quod Tuæ Nobilitati gratius atque honorificentius esse existimamus; in quo satis habemus, nostrum tibi consilium indicasse; ceterum liberum tibi est, quod melius esse putes, eligere. Hoc autem Ernesti animo et summa tibi obtemperandi voluntate perspecta, nihil est, quod ullam ei vim adhibeamus; quam etiam longissime a te abesse oportere judicamus; eaque in natum tuum revertentem, suumque crimen agnoscentem et confitentem, tibique ad genua accidentem humanitate et charitate uti, quam scis in Evangelio descriptam esse, filiumque omni cum animi teneritate amplecti, sicque devincire, et totum lucrari, neque te Deo implacabiliorem reddere; ille enim, ubi ad eum convertimur et ingemiscimus, oblivi-

scitur statim nostra crimina. Est autem quod gravissime queramur de impia fraude eorum, qui apud te ausi sunt detrahere de Francisco Toleto Jesuita, falsissimaque de eo perscribere, maximeque cupimus, te istam pravam opinionem, quam de optimo viro et illorum mendaciis concepisti, deponere, ne particeps et reus fies illorum criminis, oporteatque te una cum illis ante tribunal Christi in extremo illo et horribili judicio rationem reddere gravissimæ infamiæ servo suo irrogatæ. Opponimus autem illorum levitati et mendaciis nostrum testimonium, omnique cum veritate confirmamus, hunc hominem esse illum quidem omnium, qui nunc sunt, sine ulla controversia doctissimum; Nos autem multo majorem ei laudem tribuere integritatis atque innocentiæ, quam doctrinæ. Utimur jam quadriennio hoc concionatore in nostro Palatio, eumque audimus ipsi quam diligentissime: utimur etiam ejus opera in rebus gravissimis sacræ Pœnitentiariæ, nec quidquam fere gravius incidit, quod ad animarum salutem pertineat, in quo non hujus consilium adhibeatur. Hunc igitur voluimus nato tuo quotidie ex sacris libris interpretari: quod quidem ille propter eas, quas diximus, occupationes tum publicas tum privatas magno suo cum incommodo et labore fecit quoad potuit. Ipsum vero Ernesto auctorem unquam fuisse, aut ullam ei occasionem dedisse alicujus sive actionis sive cogitationis minus rectæ, honestæ et sanctæ; tam longe abest a veritate, quam qui ista calumniantur, absunt ab omni probitate. Sed non est discipulus supra magistrum, neque servus major domino suo: fuit autem semper hæc sors servorum Dei, ut essent omnibus profanorum hominum maledictis expositi, quæ ne Christus quidem Deus et Dominus noster effugit. Verum illi omnia ferunt patientissime, inque Christi sui memoria præceptorumque ejus assidua meditatione et promissionum spe acquiescunt; seque in ipsa detractatione et calumnia beatos ducunt. Nihil autem potest esse a Toleto factum, dictum, scriptum, unde isti forte calumniandi causam ceperint, nisi summa cum sinceritate atque integritate, optimaque voluntate, longissimeque ab omni ambitione remota. Nos hujus hominis virtutem et vitam experti sumus, perfectissimeque cognoscimus, et quod scimus, testamur. Iterum igitur hortamur Nobilitatem Tuam, ut istam opinionem deponas, Nobisque qui nihil falsi aut temere affirmaremus credas, esse hunc virum optimum, et verum servum Dei, Christianoque orbi utilissimum. Cætera ex Consiliariis tuis, quos ad nos misisti cognoscas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Idem iterato præstitit alteris litteris, quibus Albertum præmonuit, ne in Ernestum, Ecclesiasticæ militiæ nuper adscriptum atque duos Episcopatus obtinentem, severius, uti statuerat, animadverteret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 121. fol. 82.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Redit ad Nobilitatem Tuam Ernestus filius, Nosque acceptis tuis literis, ut id faceret quam primum, curavimus, neque in eo quidquam negotii habuimus; vidimus enim eum paratissimo animo esse ad obediendum paternæ voluntati, quo etiam nomine convenit te eum excipere omni cum humanitate et benignitate, præteritique lapsus oblivisci, ac sic cogitare illum postea omni cum modestia vixisse, dignamque suo tum ortu tum gradu vitam duxisse, inque hac voluntate omni cum lenitate retinendum et confirmandum esse, consolandumque eum dolorem, quem de præteritis rebus accepit, obtinere autem ipsum duos Episcopatus: itaque longe alia ratione cum eo agendum esse, quam ageretur cum laico, conservandamque esse ei, atque adeo augendam apud omnes existimationis dignitatem. Hæc si feceris, gratissimum Nobis feceris; nihil enim Nobis magis cordi est, neque possumus tibi quenquam arctius commendare, quam facimus hunc juvenem, de quo maximam spem concepimus. De Toleto satis jam scripsimus Nobilitati Tuæ, nostrumque ei testimonium tribuimus: atque ut cætera omnia essent paria, hoc certe interest inter Nos et illos, qui secus scripserunt, quod Nos de rebus a Nobis compertis scribimus: illi autem suam conjecturam afferunt, qua falso adducti sunt ad suspicandum, aliquid in Toleto culpæ fuisse, quem certo scimus, nullam Ernesti gubernandi curam sibi vendicasse, nec quidquam relaxasse, neque se aliis anteposuisse, neque eos in contemptum adduxisse; testis est Deus, ipseque judicabit inter illos et servum suum. Te vero semper unice amavimus, amabimus ut filium charissimum et sanctæ Ecclesiæ Catholicæque Religionis decus; cupimusque te ab omni animi molestia liberum videre; id fiet, si præteritarum rerum memoria deposita natum quam humanissime amplecteris; quod ut facias etiam atque etiam rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Albertus Pontifici comiter promittit se omnia, quæ ad Ernestum pertineant, voluntati ejus condonaturum; verumtamen in querimoniis contra Franciscum Toletum, falso licet et immerito perseverat. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 48.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ at-

que Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima. Non potuerunt equidem mihi non summam adferre consolationem, quæ a Sanctitate Vestra perscribuntur de filio Ernesto ad saniorem mentem reducto atque paternam meam voluntatem aliquanto rectius composito. Neque etiam difficile hic est judicare, quanta eam in rem solicitudine, quantaque cura incubuerit Sanctitas Vestra, cujus dolorem, quod ea communi esset mecum affecta erga illum charitate, ita nunquam postposui meo, ut majorem etiam illum existimaverim. Quamobrem noo solum ex filii meliore animo, sed etiam, multoque magis ex ea hilaritate, quam Sanctitas Vestra inde sibi accipit, lætandum mihi esse video. Atque ejus quidem longiorem in Urbe moram, quod eam ex Sanctitatis Vestræ voluntate esse sentio, non ita difficiliter admitterem, si non perurgerent gravissimæ rationes, ne mutem facile propositum illud meum. Quo enim proprius ad officium accedere videtur filius, mentemque induere humiliorem, eo magis enitendum arbitror, ne pravorum quorundam hominum consiliis atque machinationibus cum graviori suo periculo amplius exponatur; atque hic non sunt apud me tanti honores isti ejus omnes, quibus ex repentino suo discessu metuit, quanta sunt ea discrimina multa, quæ diutius in Urbe hærenti non obscure insidiantur, nec fortasse inconsultius cedet, si qualiscunque tandem sit illa ex commissi erroris pœnitudine, ingressaque inculpatioris vitæ ratione comparata opinio, eam relinquat in Urbe integram potius, quam spem illam de se novam recenti aliqua temeritate iterum evertat. Deinde quoque in tantis S. V. occupationibus facile potest evenire, quod Bononiensem profectionem longius differat quam filio sit tutum ac expediens. Quod itaque Sanctitas Vestra benignissimo suo judicio plane mihi liberum statuit, si eadem primo quoque tempore sic fieri jusserit, gratissimum omnium habeo, nimirum ut filius cum ea quam præ se ferre videtur pietate ac reverentia quamprimum sese huc recipiat, in quem et ex Vestræ Sanctitatis clementissima cohortatione et ex paterna mea affectione id agam libenter, quod ad pietatis meæ declarationem, atque salutis et dignitatis ejus augmentum pertinere nemo non judicaverit. Non deerit illi vestis, non convivium ex Evangelio, si quod ibidem patri contigit, vere possim et ego mihi gratulari, inventum esse, qui perierat, filium.

« Porro quod ad Toletum spectat, animus mihi non est, ea quæ S. Vestra in ejus commendationem gravissime sane pronunciat, suo movere loco, nec etiam invitus fateor, pergrave mihi accidisse, ut aliam de illo ingrederer opinionem, quam quæ ejus viri esset propria. Nec enim me latuit summa doctrina et eloquentia, ac ingens vitæ testimooium, quæ hic quoque de ipso perferebantur. Unde etiam quia in spem veneram, talem ex ipsius schola proditurum fore discipulum, qualis ipse prædicaretur magister, alienum magis esse debuit contrarium potius evenisse. Sane si ex gubernatione ac informatione metienda veniunt, quæ apud discentem acciderunt, non injuria quis mirabitur Ernestum filium tantum audaciæ atque improbitatis, quantum toto isto urbanæ conversationis tempore collegerit, sub eo demum moderatore exercuisse, quem ad virtutem et continentiam imitandum unice sibi propositum habere debebat. Ipsa quoque S. V. credo, perspectum habet, tum demum erupisse in Ernesto, quos priorum moderatorum vigilantissima fides continuerat furores, cum is suavius accepisset a Toleto frenum, eque sua illa adepta libertate in pejus subinde prorueret. Nec tamen ego negarim, optimam esse potuisse Toleto mentem ad filii infirmitates persanandas; sed fuissent magis tuta remedia, si quod sui erat muneris, suæque professionis, sacra solummodo tractasset studia, nec se iis, quæ ad externam petulantis jovenis gubernationem spectabant, amotis inque contemptum adductis quorum hoc fuit officii atque fidei, intrusisset; aut etiam si omnino aliquid in eo quoque præstare animus erat, Vestræque Sanctitatis jussis addere, securior fuisset medicina, ex meis præscriptis, ad indolem eam suis limitibus continendam accommodatis atque ex ipsius Toleti vitæ institutique rationibus petita potius, quam ex inconsulta et periculosa ista indulgentia. Et hæc fere sunt, Beatissime Pater, quæ ad Toletum non pertinuisse judicavi, de quibus plura cognovi ex fama rumoribusque Urbis ob inversam filii gubernationem obstupefactæ, quam ex ipsis meis hominibus; nunquam enim de eo mihi attulerunt ii, quibus concredita erat Ernesti salus, nisi quod videbant ad præsens ejus discrimen nimium indulgeri et permitti. Ut autem hoc facerent non solum mandatorum meorum reverentia, sed fidei quoque et conscientiæ vis eos adegit. In quibos quod ad Toleti injuriam sponte esset compositum, aut citra veritatem et officium diceretur, ego nunquam vidi, sicuti procul dubio Sanctitati Vestræ multis argumentis probatiores sunt, quam ut eo nomine laborare vel possint vel etiam debeant. Quapropter et ego majorem in modum humiliter rogo, ne prægravet ipsos apud S. V. quod mandatorum meorum perpetuo memores, ex officio fideque bonorum virorum tacenda non existimarunt, quæcumque filii salutem impedire velle videbantur. Valeat S. V. diutissime incolumis, me-

que meosque quam benignissime facit, amare favereque non cesset. Datum Monachii III. die Decembris MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Albertus Dux Bavariæ etc.
p. m. ppriam.

LXVII. — Ab his privatis officiis, in quibus etiam Ecclesiæ bonum, ut ex dictis patet, Gregorius spectasse dicendus est, ad sollicitudinem Ecclesiarum redeamus. Cum igitur Hungariæ Episcopos de eorum officio admonendos censuerit, hæc ad Episcopum Agriensem scripsit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 172. f. 293.

Venerabili Fratri Episcopo Agriensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis a Tua Fraternitate litteras, aliorum etiam venerabilium fratrum nomine scriptas dilectus filius Franciscus Diotalevius; ex quibus facile cognovimus, qua voluntate atque animo verseris in isto pastorali munere; quamquam prolixe pollicearis omnem diligentiam atque operam in ista Ecclesia tuenda. Sic agere par est servum Christi, cogitantem speculatorem sese ejus gregi datum ea conditione, ut quidquid sua culpa aut negligentia ab aliis peccatum fuerit, sibi omnium illorum pendendæ sint: quin etiam ubi nullam agnoscit antecedentem suam aut culpam aut negligentiam, nisi omnem conatum intenderit in lapsis erigendis, in saucis atque ægris animo curandis, eorum sanguinem de manu sua requisiturus sit Deus. Quanta autem prudentia et sapientia Episcopum præditum esse oporteat in ipsis animorum morbis dignoscendis, in propriis cuique remediis adhibendis, in videndo quem expediat publice, quem privatim, quem aspere, quem leniter increpare, quanta charitate uti debeat in animis, ab omni terrenarum rerum cura abstrahendis, atque ad Deum vocandis, præclare intelligere te persuasum habemus. Est igitur, quod Fraternitatem Tuam amemus Deumque oremus, ut quæ ejus munere intelligis, atque ejus gloriæ causa vis, sua quoque ope efficere valeas. In primis autem vigila ad hæreticorum pestem arcendam; quia nihil potest fieri hoc veneno exitiosius. Diotalevium, quem misisti, quemque hic manere vis, libenter vidimus, libentissimeque eum de tuis tuæque Ecclesiæ rebus audiemus; quæque opportuna esse intelligemus, per eum Tuæ Fraternitati aperiemus. Si quid autem erit, in quo judices nostra auctoritate atque opera posse tuam optimam voluntatem adjuvari, cupimus fieri certiores, habebis eam paratissimam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXVIII. — Cives Buduenses in Illyria suo Episcopo, cujus sedes Antiberi in Dalmatia sita est, multis injuriis ob decimarum exactionem illatis, nefario ausu mortem fuerant minitati. Verum non ita multo post perpetrata facinora execrantes veniam humillime a Pontifice petierunt. Quorum crimen Gregorius gravissimis persecutus verbis, cum iis quod resipuissent, gratulatur, atque eos a censuris ecclesiasticis, in quas inciderant, absolvit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 115. f. 75.

Dilectis Filiis Judicibus, Procuratoribus, Consilio et Populo Buduæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Lectis literis datis XV. Septembris, et gravissime doluimus et una etiam lætati sumus. Doluimus tum vestra crimina in decimis negandis, inque Episcopo vestro lapidatione a vobis ejiciendo, tum eas calamitates, quibus vos postea semper pressos fuisse scribitis. Lætati autem sumus vestra criminum confessione, et dolore, quia scilicet arbitramur vos non pœnam dolere, id quod faciunt etiam Dei inimici, quique in inferno cruciantur, sed crimina ipsa gravissima: qui quidem dolor est divinæ charitatis et gratiæ. In quo laudamus bonitatem Dei, qui oblitus tantorum scelerum suam nobis misericordiam impertit, eumque dolorem tribuit, quem vos vestra sponte numquam suscipere potuissetis. Lætamur igitur, vos a divina bonitate minime destitutos esse criminaque vestra agnoscere, fateri, detestari, eisque vestrarum calamitatum causam verissime assignari memores verborum illorum: Si dereliquerint filii mei legem meam et in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas profanaverint et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Quod si in sacris libris sæpe legitur, unius hominis peccato plecti universam multitudinem, qua vos pœna digni estis, qui universi tam graviter deliquistis? Sed gravissima omnium esset pœna non resipiscere, neque plagis meliorem fieri. Agimus igitur gratias Divinæ bonitati, quod istas vobis calamitates immisit, non ut contereret, sed ut corrigeret. Quoniam igitur vestra crimina agnoscitis, et suppliciter veniam nostramque et Apostolicam benedictionem postulatis, libentissime eam impertimus: sed facite ut quoniam fuerunt publica, publicis quoque trium dierum per vestram civitatem processionibus divinam misericordiam imploretis; psalmumque illum canatis: Miserere mei Deus. Quibus processionibus peractis confisi Dei misericordia et precibus, ac meritis beatissimæ Mariæ semper Virginis, Beati Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum Apostolica auctoritate et potestate Nobis indignissimis a Deo tributa absolvimus vos ab omni censura, interdicto, excommunicatione, in quam hactenus inci-

distis, benedicimusque vobis, vestræque civitati et locis omnibus, precamurque vobis a Domino Deo nostro spiritualium gratiarum temporaliumque bonorum omnium affluentissimam copiam. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris VI. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXIX. — Stephanus Bathorius ad rem catholicam in ditione sua promovendam a Pontifice petiit, ut ibi Episcopus quidam Suffraganeus constituatur, et Ecclesiæ Transilvaniæ præficiatur; quo in egregio consilio P. Gregorius eum confirmat, suadetque, velit etiam, quod in magnum animarum bonum cedet, Jesuitas accersire. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 319. f. 322.

Dilecto Filio Nobili Viro Stephano Bathorio Transilvaniæ Vaivodæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex tuis literis, quas attulit dilectus filius Fabius Bochnensis Præpositus, magna cum voluptate recognovimus antea Nobis perspectam pietatem tuam, Catholicæque Ecclesiæ et Christi gloriæ zelum, qui quidem ut Tuæ Nobilitati communis est cum omnibus, sic æquum est, ut quanto privatis excellis dignitate et potestate, tanto etiam excellas charitate, eoque cupidius atque arctius amplectaris eam, quam tibi elargitur Dei benignitas sui nominis et gloriæ amplificandæ facultatem. Etenim a tenuibus et privatis hominibus, qui nihil aliud præstare possunt, voluntate atque animo contenti sumus, a Principibus ac potentibus præstantem animum, paratam operam, summam vigilantiam, summos labores, summa pro Christo omnia expectare debemus. Hæc in te esse, partim re ipsa percepimus, partim ex præsentibus rebus in optimam futurarum spem venimus. Maxime vero idoneum rerum Christi istic constituendarum initium esse judicamus, Jesuitas advocare, propter inexhaustam illorum in iis rebus, quæ ad pietatem pertinent, operam, in quo tuum consilium summopere laudamus. In primis autem necessarium est Episcopos Ecclesiis restituere; sunt enim pastores, quibus non possunt oves sine certissimo interitu diutius carere, neque sine illis Ecclesiæ consistere; hæc te pro tua prudentia intelligere, pro pietate autem velle non dubitamus. Restat, ut statuas, omnes difficultates tibi superandas esse; aderit tuæ causæ, tuisque conatibus Deus, dissipabitque omnes machinas Sathanæ, tu modo enitere, summamque ab omnibus bonis laudem, a Deo mercedem promereri contende. Cætera ex Fabio ipso cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Ad quod opus aggrediendum ut majorem Stephanus alacritatem afferat, Gregorius ipsius fratrem impellit, ut qua valet apud Stephanum auctoritate et gratia, ea ad illud ei persuadendum utatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 333. f. 330.

Dilecto Filio Nobili Viro Christophoro Bathorio Varadini Gubernatori

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quo perspectiorem habemus singularem pietatem tuam, et Christi gloriæ zelum, eo te ardentius in Domino amamus, eoque libentius tuam operam postulamus in iis, quæ Tuæ Nobilitati maxime cordi esse intelligimus. Quo in statu sint res Catholicæ Religionis in ditione Stephani fratris tui, certo scimus, neminem te melius intelligere; ut autem in optimo sint, neminem magis velle; qua maxima ratione iis consuli possit, neminem melius videre. Nos quantum conjicere possumus, nihil salutarius judicamus, quam si Ecclesiis Episcopi, hoc est ovibus pastores restituantur, Jesuitæque advocentur; illi enim erunt gubernatores prudentes, hi Catholicæ doctrinæ, Sanctorum Sacramentorum, morumque optimorum ministri fideles ac vigilantissimi; utraque de re ad Stephanum ipsum scribimus. Rogamus quantum possumus, Nobilitatem Tuam, ut quantum apud eum vales auctoritate et gratia, id totum in hoc opus conferas, summamque a Deo Optimo Maximo mercedem, ab Ecclesia Catholica laudem, a Nobis gratiam inire studeas. Insignis pietas tua longiorem exhortationem non desiderat: satis est rem ipsam indicasse. Omnia planius cognosces ex dilecto filio Fabio Bochnensi Præposito, cui fidem te habiturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

At vero Stephanus pia Pontificis vota quodammodo anteierat, ab eoque petierat, ut suffraganeus quidam Episcopus Ecclesiis Transilvaniæ præficeretur. (*)

(*) Polonia Vol. 10. fol. 115.

Stephanus Bathori Dei gratia Regni Transilvaniæ Vaivoda, et Siculorum Comes etc. Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. divina providentia Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, post oscula pedum, servitiorum filialisque observantiæ humilem commendationem.

« Beatissime in Christo Pater, et Domine nobis colendissime, sæpius antea cum litteris, tum nuntiis nostris de animo sincero nostro, quo ergo catholicam, atque adeo Romanam Ecclesiam ducimur, testati sumus, quem quidem etiam re ipsa, quantum temporis ratio, hujusque regni nostri status patitur, aliqua ex parte declaravimus, in diesque declarare conabimur, modo is ope et benigna voluntate Sanctitatis Vestræ adjuvetur. Ad promovendam et restituen-

dam veram religionem, illud in primis necessarium esse existimamus, ut videlicet aliquis Suffraganeus, ætate gravis, moribus et doctrina probatus, auctoritate Beatitudinis Vestræ in hoc regno constituatur. Cum enim superiorum temporum injuria sacerdotes passim diffugerint, nec facile a longinquis regionibus, ubi sedes jam fixerunt, avelli se patiantur, fit, ut summa ministrorum penuria premamur: atque etiamsi non desint, qui sint parati sacros ordines suscipere; nemo tamen hic habetur, a quo promoveantur. Nos autem ad Suffraganei munus magis idoneum aut sufficientem in hoc regno, honorabili viro Joanne Marocio Archidiacono Comitatus Crasensis non reperimus, ac proinde eum tanquam dignam personam nominavimus. Restat jam, ut illam dignitatem Beatitudinis Vestræ voluntate, concesso diplomate, consequatur. Polliciti equidem ei sumus prolixe de Sanctitatis Vestræ clementia, modo eam dignitatem assumat. Quamobrem Sanctitatem Vestram devote obnixeque rogamus, dignetur huic Joanni Marocio, candidato nostro, ea de re diploma seu bullam mittere, attributo ei aliquo titulo muneris honestandi causa. Hæc benignitas Sanctitatis Vestræ et renasciturae Ecclesiæ vehementer profuerit, et nos ad promovendam religionem etiam atque etiam accendet. Quod reliquum est, sacros pedes Sanctitatis Vestræ deosculati, humiliter nos Sanctitati Vestræ commendamus, quam longo etiam tempore orbi christiano superesse ex animo cupimus. Datum Albæ Juliæ XXVIII. Martii MDLXXV.

Ejusdem Beatitudinis Vestræ

Devotus servitor et filius
STEPHANUS BATHORY VAIVODA
TRANSILVANIÆ.

Sed Gregorius sapienter animadvertens ab Ecclesiæ disciplina valde abhorrere, quod in provincia, ubi nullus adhuc Episcopus existit, Suffraganeus ei constituatur: Principi iterum suadet vel Episcopatus erigendos esse vel saltem unum in opportuniori Ecclesia. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III. ep. 270. f. 333.

Dilecto Filio Nobili Viro Stephano Bathorio Transilvaniæ Vaivodæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Laudamus summopere studium tuum Catholicæ Religionis tuendæ atque amplificandæ, idque tua singulari virtute dignissimum judicamus. De Suffraganeo non videmus, qua ratione possimus tuæ postulationi satisfacere; neque enim potest ibi Suffraganeus constitui, ubi nullus est Episcopus, cui suffragetur. Cupimus Nos quidem Ecclesiis omnibus, quæ istic sunt, suos Episcopos præfici, singularumque Ecclesiarum oves a suis pastoribus gubernari et pasci. Id si minus hoc tempore fieri potest, certe pro Suffraganeo, quem postulas, melius multo est aliquem Episcopum ei Ecclesiæ, quam opportuniorem judicaveris præfici, cum iis fructibus hoc instanti, qui ei oneri suscipiendo maxime congruunt, essetque hac ratione et tuæ optimæ voluntati et nostro desiderio aliqua ex parte satisfactum, si quem Nobis ad hanc curam idoneum proposueris, libentissime eum præficiemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto. »

LXX. — Episcopus Curiensis in Helvetia per finitimos oppiduli Salensis cives, qui neoterica dogmata sectabantur, gravia damna perpessus, ad Pontificem Ecclesiæ suæ vulnera exponendi causa confugit; ab eoque ad Salensium injurias repellendas opem imploravit. Tanta autem sollicitudine studiosissimus hic Præsul premebatur, ut Jubilæi tempore tum de rebus Ecclesiæ suæ per se cum Pontifice acturus, tum indulgentiarum munera sibi comparaturus, itineri Romam versus sese committeret. Cum autem virium imbecillitate et corporis ægritudine ad suos reverti coactus esset, per litteras de hoc Pontificem certiorem fecit. [*]

[*] Germania Vol 20. fol. 15.

Beatissime in Christo Pater Domine Domine Clementissime.

« Post humillima beatorum pedum oscula. Sacer annus Jubilæus me hujus sacrosancti officii, prout omnes Christianos, vehementer admonuit, sacrarum indulgentiarum participationem quærere: præterea et alia plurima Ecclesiæ meæ negocia, quæ eidem incumbunt, me adduxerant, ut coram Beatitudine Vestra pro officii mei ratione personaliter me sisterem, eidemque debita offerrem, ac tanquam primario pastori ejusdem afflictæ Ecclesiæ meæ vulnera detegerem, damnaque et gravia præjudicia, quæ quotidie multifariis modis patitur, humillime aperirem; etenim talis apud eam grassatur adversariorum ferocitas, ut nisi maturo tempore et consilio præveniatur, quasi irreparabilem minetur ruinam. Quocirca animo et intentione ea omnia exequendi itineri me commisi et Tridentum usque perveni; sed cum membrorum meorum debilitate conficerer, a Doctoribus medicis et aliis, qui omnino sano judicio suspicabantur, tantam longinquitatem, citra vitæ meæ discrimen aut maximam difficultatem, superari non posse, persuasus, viam iterum versus domum præter meam intentionem arripere coactus sum; interim tamen humillime rogans, quatenus Beatitudo Vestra Ecclesiæ meæ causam, quam Dei gratia propediem manifestius et uberius per scripta declarabo, et Beatitudo Vestra a Rmo ac Illmo Domino Cardinale de Emps clementissime intelliget, commendatam habere dignetur, modumque opportunum tali rei exulceratæ medendi invenire velit. Cujus Beatitudini me atque Ecclesiam meam humillime commendo.

Datum in civitate Tridentina die XXVIII. Martii MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus Sacellanus

BEATUS EPISCOPUS CURIENSIS.

Gregorius injurias ei a Salensibus illatas dolet, eum streme facere jubet, et solatur promittens se ad eum tuendum nihil, quod in rem sit, omissurum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 270. f. 333.

Venerabili Fratri Beato Episcopo Curiensi

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis frater salutem etc. Laudamus summopere desiderium, et conatum tuum huc veniendi sanctissimi Jubilæi causa: laudamus item tuum prudens consilium Medicis obtemperandi, qui judicarunt te salva salute pervenire non posse: cupimus te sanum ac salvum esse; sic enim Ecclesiæ tuæ res postulant. Jubilæum autem ipsum concedimus Fraternitati Tuæ etiam absenti, dummodo quinque diebus sive continuis, sive intermissis visites quoque die quatuor Ecclesias, quas tibi ipse delegeris, inque eis pro Catholicæ Ecclesiæ incolumitate et tranquillitate, pro hæresum extirpatione, pro Christi hostium eversione, pro Catholicorum Principum salute, atque ad Sanctam Matrem Ecclesiam tuendam, nomenque Christi propagandum conjunctione oraveris. Dolemus, te a Salensibus graviter vexari, sic enim erat in literis scriptis ad dilectum filium nostrum Cardinalem Altaemps, sed una etiam gaudemus tuam pietatem et virtutem tantopere elucere, teque fortissimum Christo militem præbere: gratiasque ei agimus, quod istam tibi voluntatem largitus sit, quodque tam præclaram facultatem obtulerit maxima præmia promerendi: perinde enim est, ut ait Magnus Basilius, nolle virum bonum et fortem ulla calamitate aut molestia affici, atque nolle bonum athletam habere, qui cum certet; ubi enim perspiceretur ejus virtus? aut quam referret coronam sine adversario et pugna. Neque enim deerit Tuæ Fraternitati nostra auctoritas; scribimus enim ad Pagos Helvetiorum Catholicorum, ne te ulla injuria affici sinant, omnemque a te molestiam dimoveant, tibique auctoritate, atque opera auxilio sint: speramusque nostras literas, quas cum his alligatas mittimus, vehementer profuturas. Interim, charissime frater, perge, ut facis, forti animo adversa omnia sustinere, nec quidquam humanum time, semperque Deum, qui te isthic suo gregi pastorem præfecit, præ oculis habe, nihilque te tuoque munere indignum committe, Deumque ipsum tui laboris et pugnæ spectatorem cogita, adjutoremque futurum confide, alacriterque ad ea præmia contende, quæ ille præparata habet bonæ voluntati, ubi quid impedimenti affert Sathana, hominumque ejus ministrorum nequitia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Quod statim præstitit litteris ad Catholicos Helvetios datis. [*]

[*] Reg. Gregorii VIII. Ann. II ep. 271. f. 331.

Dilectis Filiis Sculteis, Lantamannis et Senatui quinque Pagorum Helvetiorum Catholicorum vid. Lucernæ, Uraniæ, Subsilvaniæ, Svitii et Tugii Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti Filii Salutem et Apostolicam benedictionem. Dolemus graviter venerabilem fratrem Episcopum Curiensem tam acerbe a Salensibus vexari, intollerabilia tributa exigi, plebem concitari, omnia ad vim et rapinas spectari; una spes Episcopo et Nobis, qui fratris nostri perinde ac nostra calamitate angimur, reposita est in vestra pietate et virtute. Agite igitur, charissimi filii, per vestram, perque Dei gloriam, perque istud, quod vobis vestra virtute et meritis peperistis clarissimum nomen ecclesiasticæ libertatis Defensorum, defendite Ecclesiam illam, impurissimorumque Sathanæ ministrorum audaciam compescite, planeque ab illa Ecclesia amovere, vosque Deo gratissimum, ac vestra virtute dignissimum facere existimate. Nos certe hoc facto tantopere vobis devinctos habebitis, quam si nostræ huic Urbi ac Nobis ipsis summo in discrimine subvenissetis. Longiores non sumus, quia satis esse intelligimus, periculum ipsum vobis proponi, vestram autem pietatem et virtutem ad ea, quæ recta, Deoque accepta, ejusque Ecclesiæ salutaria sunt, nulla cohortatione indigere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

LXXI. — Res Poloniæ quam miserrime prostratæ jacerent ac prope perditæ, familiaris cujusdem Canonici Cracoviensis ad Præpositum Wladislaviensem epistola apprime demonstrat. [*]

[*] Polonia Vol. 12. f. 1.

Reverendo Domino Mathiæ Drzewiezki, Præposito Wladislaviensi, Canonico Cracoviensi etc. Domino Confratri et amico suo observantissimo ad proprias manus.

Rev. Domine frater et amice observantissime salutem plurimam in Domino.

« Arbitrabar Dominationem Vestram Reverendam esse prope Viennam, cum nobis allatæ sunt ejus litteræ, que declarabant eandem adhuc Romæ esse, ac per æstivum tempus ibi velle subsistere. Porro Dominationi Vestræ Reverendæ ut mihi fuit desideratus ad nos reditus, ita mihi procul dubio esset jucundissimus; sed quia hæc voluntatem mutavit suam, sit sane: Deus optimus hoc propositum prosperare dignetur.

« A Stezyca nihil boni, turbantur omnia. Convenit illuc varia hominum multitudo nostrorum ut cæterorum, nempe Hayducorum, Marthausorum, Knechtorum etc. inter omnes autem nullus est ordo, magna confusio: non desunt

quidem, qui bonum ordinem faciant, sed ii desunt qui pareant. In Senatoribus porro et Equitibus maxima est de Rege dissensio, longeque diversa studia: quod hi Piastum expectant vel Moschum, illi vero Cæsarem. Sint alii, qui Regis adventum vel saltem ipsius legatos Bellegardum et Bibrachum expectandos censent, quorum primas obtinet Archiepiscopus. Lithuani Moschum detestantur pejus Diabolo: Cæsarem optant. Prussi per litteras declaraverunt Regem se habere, et ideo in alterius electionem non consistere. Inter tot et tantas hominum dissidentes sententias quid fuit, qualisve fuerit exitus audiemus; verum non desunt, qui ita sentiunt, conventum hunc infectis rebus (quod absit) et animis nostrorum magis invicem exacerbatis, dissolvendum. Turca interim invigilat, expectans aut nostrorum divisionem aut naturalis hostis sui electionem. Legati exterorum Principum sunt Stezyciæ: Cæsaris Dudicius plures brevi expectantur, Legatus Regis Svetiæ, Ducis Ferriæ, Ducis Prussiæ, Ducis Curlandiæ; duo isti declarabant Principes suos, licet non vocatos, ad Electionem Regis pertinere. Nuntius Moschicus acceptis litteris discessit. Plura non habeo quæ scribam. Valeat Dominatio V. Reverenda quam optime.

Cracoviæ die 4. Junii 1575.

Dominationi Vestræ Rūdæ

Confrater obsequentissimus

R. Mętowski.

Henricus Rex nempe non desistebat inanibus pollicitationibus Polonos a novi Regis electione abducere: quod consecutus fortasse fuisset, si ei, ad sibi devinciendos dissentientes inter se Polonorum animos auri argentique nummorum copia præsto fuisset. Quamobrem per Ramboglicttum extraordinarium oratorem suum Pontificem convenit, exoratque, ut e suo ærario ducenta scutatorum millia, sive decies centena millia monetæ gallicæ, subsidio ei mittat ad Poloniam pacandam. Ad Regis preces ejus matris Catharinæ Medicæ auctoritas accedebat. Illud vero Henricus studuit maxime, ut Clerum sibi conciliaret: itaque Nuntius Apostolicus nulli labori, nulli curæ pepercit, quo illud regnum in Henrici potestate maneret. Henricus autem tantum ejus studium in sua re augenda premio afficiendum ratus, vehementer Gregorium efflagitavit, ut eum in Cardinalium Collegium cooptaret. [*] Attamen omnes Henrici sibi Poloniæ regnum servandi conatus irriti evaserunt.

[*] Mantissa documentor. N. 6.

LXXII.—Moscovitarum Autocrator, qui Poloniæ thronum vel sibi vel uni ex filiis suis semper valde concupiverat, idque sub specie firmissimæ cum Polonis amicitiæ consecuturum facile in animum induxerat: mutata subito voluntate, armata manu regnum Polonicum parat invadere. Cum Livoniam totam insulasque adjacentes igni ferroque jam sibi propemodum subjecisset, Dux Curlandiæ Ducem Prussiæ advocat, ut una cum suis copiis Moscorum audaciæ et crudelitati resistat. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 29

Salutem et officiorum nostrorum quantum a nobis præstari potest commendationem.

« Illũe Princeps, Dñe affinis et Frater Carissime. Nos pro mutua amicitia et vicinitatis nostræ conjunctione celare D. V. non possumus, horrendos nobis hoc momento a fide dignis afferri nuncios, quomodo Moscus cum sociis suis auxiliaribus ad ultimam Januarii viginti millibus insulam Wilzam, circa tres arces ipothecatas, quas Equites Svetici pro pignoris pretio Regi Daniæ tradiderunt, deprecationibus, incendiis, cædibus et hominum pecorumque miseranda abductione, vastet et populetur; quodque in singulos dies triginta millia suorum cum tormentis et alio apparatu bellico expectet ad explendum serio animi sui propositum, atque ad aggrediendam occupandamque ditionem Oselliensem. Quando ergo ex illis facilis est conjectura, quid hostis ille sanguinarius in animo habeat, et quam parum vicinorum Principum amicitias et vires curet, qui non modo Svetica, sed et ad coronam haoc ex pactis pertinentia loca, quin et ea quæ se protectioni Regis Daniæ subjecerunt (qui confœderatus ejus est) hostili more infestare et occupare pergit. Idcirco hæc Dominationi Vestræ vicinitatis causa significanda esse duximus, cujus Ducatus pars una cum nostria ditionibus ab Osellia non procul absunt, ut Dominatio Vestra ipsiusque subditi impedimenti hoc periculo sibi adversus astuta hostis illius consilia mature consulere possint. Deus Optimus dignetur ad gloriam nominis sui et conservationem exigui gregis Christianorum, qui in afflicto hoc loco adhuc superest, hostis illius tyrannidem clementer avertere, cujus protectioni D. V. una cum conjuge commendamus. Datum Mitto octava Februarii MDLXXV.

Dominationis Vestræ

Gotardus in Livoniæ Curlandiæ et

Semigalliæ Dux.

« Præcipue vero Dominationi Vestræ magno quidem animi nostri dolore non possumus non nunciare, quod posteaquam hæ litteræ nostræ retardatæ fuerunt, nobis iterum tristissimum afferri nuncium, hostem non modo insulam Oselliam et Vicam jam depopulatum esse et igne longe lateque vastasse, sed et citra Parnaviam juxta Salis Lamselium et Treiden non procul a Riga omne genus tirannidis exercere, ut metendum sit, (quod Deus avertat) ne ad has quoque regiones oculos adjiciat; de quibus nos Dominationi Vestræ in hac festinatione neque omnia, neque tantum scribere possumus, quantum periculi hæc res denunciare videatur. Deus Omnipotens misericors nobis esse dignetur, cujus protectio-

ni nos iterum Dominationem Vestram commendamus.

Datum ut supra xII. Februarii.

LXXIII. — Novus etiam Turcarum Imperator eadem moliri videbatur. Cum vero Poloni, qui Henrico Valesio adversabantur, rebus suis, antequam ille quidquam aggrederetur, consuluissent, magna cum astutia novam Regis electionem urgebat. En quæ Taranowskius, qui Constantinopolim ad veterem amicitiam pacisque fœdera inter Poloniam et Sublimem Portam renovanda missus fuerat, ea de re Archiepiscopo Gnesnensi retulit. [*]

[*] Polonia Vol.10. f.1.

« Reverendissime Domine. Itineris difficultate ac insolita victus caritate impeditus Constantinopolim citius pervenire non potui, quam die xIII. Decembris; tamen arbitror moram hanc nihil detrimenti secum afferre. Soltan Selim Rex Turcarum quindecima Decembris vitæ suæ diem clausit extremum, sed nihilominus mors ejus occulta fuit usque ad vigesimam Decembris, et interim ex Catalia Soltan Murat filius ejus accersitus est. Quod interregnum Turcicum præter hominum opinionem tranquillum pacatumque fuit, consilio Machometi Bassæ; qui post mortem Imperatoris sui de ipsius valetudine a medicis desperata, famam spargebat in vulgus, et ne aliqui orirentur tumultus, per plateas omnes militum custodias disposuit. Deinde Soltan Murat Rex novus, mari Schideram io una triremi appulit, uno miliari distantem Constantinopoli, et loce crastina sub auroram, insciis omnibus Constantinopolim ingressus est, præter Bassas et Janizarorum Ducem, qui summo mane, cum decem et ultra equis adornatis obviam euntes deduxerant in urbem; ubi in primis ad templum Divi Job descendit, ac ibidem salutatus a Bassis, certius nuncium de morte patris exquisivit, et consequenter de fratrum suorum incolumitate; quos ubi superstites et sospites intellexit, mox ad aulam Regiam Ducem Janizarorum destinavit; nec prius templo pedem efferre voluit, quam de suffocatis quinque fratribus nuncium audivisset: ac tum demum publica vox emissa est, et in turribus ac templis palam, et simul proclamata fuerunt mors senioris et adventus novi Regis. Tamen paulo ante per omnes vicos propter sedictionem aliquam omnia plena erant Janizarorum, et eum pueris illis interfectis ad eum Dux Janizarorum rediisset, etiam aulici patris ejus ipsi absque suorum comitatu obviam Regi processerunt, et illinc ab uno templo ad alterum divertens, ad Regium Palatium recta perrexit; eadem hora qua Palatium subiit, cadavera patris et fratrum exportari jussit in templo S. Sophiæ, neque illa ulterius est comitatus, quam ad portam; sed ipsi Bassæ corpus mortui Regis usque ad ipsius tumulum detulerunt. Initio sui imperii atrocem se exhibuit, nec paucos ex primoribus elanculum suffocari mandavit.

« Tertio post ejus adventum die Janizarii moliebantur inter se conspirationem, quod absque consensu et notitia ipsorum regni gubernacula suscepisset; quibus consilio suo celeri Rex, et Bassa Machomet obstiterunt; simul ab eis perquirentes, quidnam a Sua Majestate poscerent; ipsi vero quinque conditiones Regi obtulere. Prima ut quemlibet ipsorum a maximo ad minimum liberali donativo afficeret. Altera ut stipendia ipsorum augeret. Tertia quamprimum ipsorum filii adolescerent semper inter Janizaros ascriberentur. Quarta ut eorum majorem numerum constitueret. Quinta ut si quis ipsorum in bello fuerit mutilatus, vel enormiter læsus, non teneatur quamdiu supervixerit ad bellum proficisci, certamque sustentationem et provisionem habeat. Itaque Rex non difficile his omnibus præbuit assensum, et ad numerum priorem duo adjunxit millia; ita ut nunc siot sedecim millia Janizarorum, cum antea quatuordecim essent.

« Donativum ipsis liberale præbuit, ita quod singuli etiam infimi Janizarorum 75. taleros acceperint. Stipendia quoque ipsorum aucta. Filios eorundem assumere inter Janizaros receptum. Similiter mutilatis corpore certa provisio adsignata, et sic facile sunt omnes pacificati. Rursus quarto die post ingressum ejus in urbem omnes Bassæ, Præfecti, Spachi et Czaussi petierunt quoque a Rege donationem, et stipendiorum augmentum; et statim omnibus juxta merita et officium cujusque munera data; ita quod unicuique Spachiorum, id est, Nobilium, centum taleri cesserint. In summa hac una septimana post imperium a Rege novo susceptum, in omnes patris defuncti famulos et militem stipendiarium pro muneribus distributa sunt æris jam parati quinquagies centena millia nummorum aureorum: quibus confectis mox etiam ad arma sumenda, bellumque terra et mari gerendum expeditos esse jussit; sed ignoratur quorsus eas velit convertere vires; quidam suspicantur in Hungariam, aliqui ad insulam Corcyram, nonnulli ad uos in Poloniam; alii vero opinantur in terram Cosulbascensem; nemini tamen adhuc exploratum est, quo suum istum furorem impetumque convertet. Oportet itaque vobis, ut isthic quoque diligenter caveatis. In hoc enim Principe fervet juvenilis ætas, et in studium gerendorum bellorum exardescit, et per omnia territoria militem conscribi facit, ut pro anno sequenti copias terra marique habeat paratas: triremes apparari, pluresque celeriter confici jussit, utpote Princeps juvenis, et qui odium contra Christianos capitale præsefert.

« Nuncio Christianorum Imperatoris per Internuncium Bassam fœderis confirmationem ad

octennium pollicitus; sed super eo nullas dedit literas. Nulli adhuc Legatorum sui copiam alloquendi fecit. Ego primam audientiam XXVIII. Decembris a Bassa habui, et munera obtuli; qui se et suam operam benigne mihi offert, celeremque expeditionem pollicetur; verumtamen circa fœdus et amicitiam nihil certi securique promittit, multas inveniens rationes conservandæ et stabiliendæ amicitiæ contrarias, et præcipuam habet considerationem frequentis Tartarorum (qui nuncupatur Nyzowsczi) deprædationis, tum quia nonnulli ex Polonis Joanni Valachiæ Duci suppetias tulere, thesaurosque per uxorem ejus in Poloniam delatos distraxere; sed ego sufficienter utrique criminationi respondere sum conatus, ita quod adjuvante Deo hunc animum hominis exacerbatum spero mitiorem fore; nec tamen volo, quenquam ob meam apud hunc Regem præsentiam nimis esse securum.

« Quinta die Januarii Rex cum suis omnibus extra Constantinopolim in campo equis insidentes colloquium habuerunt; ubi quidam insignis Bassa Regi consuluit, omnem suam potentiam contra Poloniæ Regnum verteret, quod intra quindecim septimanarum spatium se facile devastaturum et suo Regi subacturum recipiebat; eo quod nullæ apud nos arces vel civitates munitæ extarent, quæ diebus aliquot potentiam Turcicam sustinere possent; sed hoc alii Bassæ dissuadebant, resque in deliberatione Regis pendet, quoad ego coram ipso Rege comparebo.

« Cum Legato Regis Christianissimi juxta mandata vestra de omnibus libere confero, et secreto invicem convenire solemus; et ab eo quæsivi, an recepisset aliquid litterarum a Majestate Regia; dixit in Octobri se recepisse litteras Lugduno missas, quibus de Suæ Majestatis in Gallias adventu scribitur, atque committitur ut apud Regem Turcarum procuret amicitiam Regno Poloniæ, prohiberique Tartaris, ne in Poloniam facerent incursiones, ac in eisdem scriptum esse, Regem primo quoque tempore in Poloniam redire velle.

« Ego primam audientiam apud Regem Turcarum habebo, utinam feliciter, ita quod hanc ipsorum exacerbationem in bonum nostrorum Deus perducat. Proposui quoque contra Tartaros querelam, quod non provocati, nec ulla injuria lacessiti nobis damna intulerint, non exigua; ejusque nos plenam habere notitiam, ex mandato Regis et Machometi Bassæ id factum esse; quod omnino inficiebatur Machomet Bassa, et juramento confirmabat hoc et ipsi et Regi fuisse ignotum; quin etiam ubi primum Rex illa resciverat (inquit) sine mora misisse Diaferum Czausium ad Ducem Tartarorum, ne hoc anno Polonis molestiam inferat et filium suum pro eo, quod jam patrarat, corriperet.

« Conquerebar etiam contra Valachiæ Palatinum, quod per suam ditionem Tartaros a nobis cum præda redeuntes transmisisset. Respondit mihi Bassa tunc temporis difficile id a Palatino Valachiæ prohiberi potuisse; attamen in posterum se ipsi prohibiturum, ne amplius transitum Tartaris permittat, si Rex Turcarum voluerit nobiscum pristinam retinere amicitiam. Datum Constantinopoli VI. Januarii anno MDLXXV.

Andreas Taranowski Legatus
Regni Poloniæ.

Mahumet Bassa, primus Tyranni Turcarum administrator, Podoliæ Palatino aperte suadet, quod si Poloni velint sibi cum Sublimi Porta fœdus constare, illum sibi regem eligant, quem suo Domino amicum futurum cognoscant. [*] [*] Polonia Vol. 10. f. 97.

« Illustrissime Gloriosissimeque Magnanimorum Jesum Comitantium Princeps, et singularis Christianæ plebis moderator, ad quem omnes supplices confluunt, incrementum actionum tuarum omnium beatissimum, exitusque felicissimos mutuaque et perpetua familiaritate et sanctissimo fœdere digna vota laudesque ardentissimas offerentes.

« Significamus amicissime, quod venit ad Portam excelsam Cæsaris nostri potentissimi Zultan Zelim nuper divinitus ex hoc mundo evocati vir Ill. et Mag. Andreas Taranowski, qui ideo tantum moræ apud nos fecit, quoniam Cæsar potentissimus post mortem patris sui Zultan Zelim divinitus nobis datus fuisset, liberamque facultatem discedendi legato vestro dedisset. Legatus libello supplici nomine vestro Cæsarem potentissimum salutavit, quo petivit, ut articulos pacis antiquæ renovare et confirmare dignaretur. Quem libellum supplicem ego Cæsari potentissimo Domino nostro clementissimo exhibui exposuique. Ad quam supplicationem vestram Cæsar potentissimus pacem a Cæsare piæ memoriæ confirmatam in litteris suis notavit, quam nos firmam semper esse cupimus; si vos violatores non existeretis, animumque servandi habueritis. Sed cum Legatum hunc non ad præsentem, sed mortuum Cæsarem fuisse missum, vos quoque Regem non habeatis, re ipsa vobis constet, si ex benevolis et amicis potentissimi aut vero ex vobis ipsis aut Regem Svecorum ad dignitatem Regiam elegeritis, tandem articulos a Cæsare mortuo piæ memoriæ datos Cæsar potentissimus confirmabit. Cæterum considerate, quod si ex benevolis et amicis Cæsaris potentissimi Regem vobis acceperitis, cum articuli pacis manebunt, tum vero Respublica ex parte utraque in tranquillitate erit. Quod autem ad Czapczakleyum attinet, notum omnibus est, locum illum latronibus prædonibusque Russiæ, ex quibuslibet facinorosis esse obvium et quasi latebras, et quicquid patratum istinc fuerit, id totum transfertur ad Polonos, omnisque querela fit de Polonis. Quod cum Cæsarea Celsitudo intellexis-

set, mandavit arcem illic ædificari, ne latronibus illic locus sit, Respublicaque in pace manere possit; ex arce autem nihil incommodi Polonia habitura est, quinimo infinitas habebit utilitates. Nihil igitur est quod de ea cogitent; solum æqui et constantes estote, ex amicisque et benevolis Cæsareæ Celsitudinis aut aliquem vestrum regimini regni præficite. Cavete autem ne ex adversariis Cæsaris potentissimi, qui ab initio contrariantur, eligatis. Nam (quod procul sit) si citra voluntatem Cæsareæ Celsitudinis Regem elegeritis, scitis finis quo tendat. Nostra summa cura est, ut Respublica in tranquillitate manens preces ardentissimas pro Cæsaris potentissimi incolumitate diuturna fundat. Datæ Constantinopoli die prima Aprilis secundum lunæ cursum, juxta dierum vero numerum die 13. Martii anno Mahumethi 982. Christi 1575.

Elatiori animo Imperator ipse Turcarum Senatui et Ordinibus Poloniæ mandat, ut neminem regem sibi dent, nisi quem intelligant cum eo amicitia esse conjunctum. Ex quibus illis proponit aut Svecorum Regem, aut Palatinum Sendomiriensem, aut denique Stephanum Bathorium Transilvaniæ Principem et Sublimæ Portæ feudatarium eligendum. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 137.

Illustrissimi Generosissimique Magnanimorum Jesum comitantium proceres, et singulares christianæ plebis incliti regni Poloniæ Lithuaniæque Principes, salutem et benevolentiam singularem.

« Tempore nostri potentissimi patris, qui ex voluntate Magni Dei suum diem obiit, Legatus vester Andreas Taranowski vir generosus venit, et quum vellet ad vos redire, supplicem exhibuit nobis libellum, ut a patre nostro pactum fœdus, et ejus articulos confirmare, renovareque dignaremur, et Arcem Czapczatheia nominatam, non ædificare, sed omitti potius curaremus. Qualem temporibus præteritis prædecessores nostri nempe cæsarea ex prosapia Cæsaris exeuntes, quam et quantam benevolentiam, singularem amorem, vicinitatem pacificam, et clementiam optatissimam in Regnum et vestram nationem declararunt, vos optimi estis testes; et quam fœderatissime pacificeque usque ad tempus patris nostri clementissimi vixere. Quæ pacem et fœdus, ejusque articulos prædictus noster parens renovaverat et confirmaverat, et litteras ad confirmationem harum scriptas per Achmed charissimum ad vos miserat. Tantummodo in finibus et terminis Regni vestri existentes domini et officiales, nostro Imperio Transilvaniæ, Moldaviæ Transalpinæque non noceant, et contra pacem nihil committant; vos et Regnum vestrum nihil damni est habiturum, nostras benevolas litteras ad hujus testimonium dedimus. Regnum Imperiumque vestrum recto regimine et pacifice quemadmodum antea, sic et nunc regite et gubernate; curam adhibete summam, ut omnia pacifice concorditerque gerantur apud vos, ad electionem Regiæ Majestatis Vestræ usque, tantummodo (ut diximus) nostro Imperio, Transilvaniæ, Moldaviæ, Transalpinæque, et horum regnorum Vayovodiis provinciis et incolis non noceatis, Nos antiquum fœdus et pacem non solvemus. Hoc tamen videtote, ut cum nostris hostibus et inimicis naturalibus nihil commercii et amicitiæ habeatis, si vultis nobiscum in antiquo fœdere et mutua pace manere; ex nostris inimicis et hostibus neminem in Regiam dignitatem evehatis. Nostri amici Regis Serenissimi vestri soror est conjux Serenissimi Regis Svecorum; aut hunc igitur Svecorum prudentissimum, aut ex vobis aliquem Regni dignitate dignum, aut Voivodam Transilvaniæ Stephanum Bathori de Hovolio Regiam in dignitatem evehite; istos etenim vicinitate et familiaritate nostra dignos arbitramur; sic vigilate, videtoteque, ut in litteris nostris continentiæ non negligantur. Datum Constantinopoli anno Machumedi 982. 1. Aprilis, Christi autem 1575.

LXXIV. — Archiepiscopus Gnesnensis, ut tot tantisque calamitatibus, quibus Polonia tum civium dissentione, tum externi hostis metu premebatur, consuleret, a. d. xi. Kal. Aug. generalem omnium Ordinum conventum in diem tertiam Octobris Varsoviam indixit, in quo de tempore regis eligendi statueretur ac deliberaretur. [*]

[*] Polonia Vol. 15. fol. 416.

« Jacobus Uchanski Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus et Regni Poloniæ Primas etc. Universis et singulis Reverendissimis, Magnificis, Generosis, Nobilibus Dominis, Archiepiscopo, Episcopis, Palatinis, Castellanis, tam Regni quam Curiæ Officialibus, Capitaneis, Burgrabiis, aliisque omnibus terrestribus et castrensibus officialibus illorumque Locatenentibus, et quibuscunque Præfectis, tum universæ Equestris ordinis nobilitati, ubicumque per loca, dominia et ditiones Regni Poloniæ ac ejusdem dominiorum quomodolibet constitutis Dominis amicis, fratribus carissimis et honorandis salutem et cum totius boni incremento felicitatem. Significamus, quod perpendentes quantis periculis expositæ sint rationes Regni istius ex dissoluta rebus infectis proxima convocatione Steziczensi; requisiti etiam et admoniti a nonnullis prudentibus et Remp. amantibus Senatoribus, officialibus et nobilitate Regni ex variis per diversa loca Regni congregationibus et conventibus particularibus nuper habitis, animadvertentesque nisi imminentibus periculis ex nostri officii debito prospiceremus et publicam convocationem mature indiceremus, ordines Regni sibi hac in parte (quod tum per litteras tum internuncios suos protestati sunt) necessario consulturos et ad alia remedia confugituros fuisse; præcaventesque ne rationibus Reipublicæ hoc nomine

deesse videamur, sed potius omnibus periculis commode obviari, et conventibus tam frequentibus et disparibus, tamque Reipublicæ perniciosis via præcludi possit, cupientesque omnes in Rep. dissensiones animorum et consiliorum varietates ad unitatem, concordiam, integritatem, fraternam mutuam charitatem et publicam universæ Reipublicæ tranquillitatem perducere, ne secus quam unanimiter et mutuis concordibus consiliis communis patriæ vulneribus remedia adhibeantur, quo celerius et maturius fieri potuit, jam ex hoc tempore generalem publicam convocationem universis et singulis omnium Regni provinciarum, dominiorum, ditionum et terrarum ad Regni corpus pertinentium, nullis penitus exceptis, cujuscumque status et conditionis hominibus incolis, hisce nostris universalibus litteris ad tertiam diem mensis Octobris in anno præsenti Varsoviæ in loco consueto, in quo et priores convocationes edici et agi solebant, in Dei nomine indicimus et constituimus; ab omnibus et singulis universorum Regni dominiorum Senatoribus petentes, eosque hortantes, ut in suis propriis personis omnes, Nobilitas vero Equestris ordinis juxta receptam usitatam consuetudinem ex Palatinatibus singulis per nuncios suos viros probos, honestos, graves, salutem et incolumitatem Reip. amantes (nullis difficultatibus et impedimentis sese excusantes) pro die et loco supradictis conveniant, cum, si alias unquam, certe hoc tempore Reipublicæ Regni istius rationes id vehementer exposcunt et requirunt, ut nullis laboribus, molestiis, aut sumptibus parcentes, unanimi et diligenti ratione tot et tantis Reipublicæ periculis in commune consulatur. In qua quidem convocatione, loco et tempore suprascriptis assignata, simul convenientes, omnibus iis cum Dei adjutorio compositis, pacatis et complanatis, quæ ex re, usu, commodo et tranquillitate Reipublicæ statuemus, impedimento hactenus fuisse videbantur mutuis concordibusque consiliis, quod Reipublicæ maxime expediat unanimiter Deo auxiliante statuetur et decernetur, unde facile appareat nihil nos a majoribus nostris degenerasse, qui gravissima quæque imminentia Regno pericula integra fide, unanimi voluntate, studio, opera, labore et diligentia superabant et propulsabant.

« Et ut ad præsentis convocationis rationes, quominus suum debitum sortiatur effectum, in hoc difficiliori Reipublicæ statu vel ex nonnullorum Senatorum morte, vel rebus quibuscunque aliis impedimenti, difficultatis aut ambiguitatis relinquatur locus, nos conventus particulares in omnibus Palatinatibus Regni, terrarumque et ditionum omnium ad Poloniæ Regnum pertinentium locis ad id ex antiqua consuetudine designatis ad quintam diem Septembris anni præsentis edicimus et constituimus, relinquentes nihilominus Magnificorum Dominorum Palatinorum, vel Primariorum Castellanorum judicio et arbitrio, si forte vel gravi et ardua necessitatis occasione, vel ordinis Equestris petitionibus exigentes alius edicendi particularis conventus dies commodior et opportunior videretur, de eo (ut sese dederit occasio) statuendi. Porro si quid ejusmodi non fuerit, quod mutandorum particularium conventuum diem graviori ex aliqua causa non requireret, ad designatam id fieri diem summopere cupimus, ne vel ex ejusmodi immutato ordine inter longinquitates et diversitates locorum, ubi ii conventus erunt celebrandi, quippiam difficultatis suboriri possit.

« In conventibus autem illis particularibus Palatinatuum omnium, ubi ad Varsoviensem convocationem Nuntii eligentur, maxima, qua poterit fide et diligentia curari optamus, ne quid hujusmodi in medium proferri a quoquam patiatur, quod vel dissensionibus occasionem præbere, vel præsentis temporis negotia interturbare possit; sed reliqua omnia commodiori et oportuniori tempori propter bonam pacis relinquantur, et id quod est præcipuum omnium, ad felicem optatum finem perducatur.

« Ea vero omnia, ut ad indubitatam omnium notitiam commodius deveniant, præsentes litteras in manus Magnificorum Dominorum Palatinorum sive primariorum Castellanorum Regni mittimus, postulantes et requirentes, ut hasce universalium litteras per civitates et oppida Palatinatuum suorum per publicos præcones proclamari, demumque actis Castrensibus ingrossari, et exinde transcribi et publicari curent et mandent. Quod est reliquum, nos solito amori et benevolentiæ Dominationum V. studiose commendamus. Datum ex Skwrerniewicze 22. Julii 1575.

Alteris litteris, quas Poloni universales dicunt, ad novi regis electionem in diem septimam Novembris generalia comitia tandem convocavit. [*] [*] Polonia Vol. 10 fol. 486.

« Jacobus Uchanski Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus, et Regni Poloniæ Primas, ac primus Princeps, Universis et singulis Dominis Senatoribus regni spiritualibus et sæcularibus in Polonia et Lithuania, ac etiam omnibus ex ordine Equestri aliisque cujusvis conditionis hominibus libertatem eligendi Regis Poloniæ ex jure communi habentibus gratiam divinam precamur, fraterno omnium amori nos ipsos commendantes.

« Qualis ex conventu Steziczensi fuerit noster discessus divina fortassis indignatione omnes recenti memoria tenetis; ex quo, ut perturbata Reipublicæ negotia ad meliorem aliquem et feliciorem deducerentur effectum, sollicito Dominorum Senatorum Regni hortatu significamus Dominationibus Vestris per litteras nostras tempus et locum pro conventu Convocationis in

hanc urbem Varsoviensem, in qua de eo, quod multis malis perculsæ Reipublicæ nostræ maxime expediret, nimirum de tempore ac loco eligendi Regis juxta privilegium Regni, deque aliis Reipublicæ necessitatibus mutua cum ordine Equestri consilia haberemus. Cum itaque huc cœlesti favore annuente convenimus, officii nostri magnæque ac repentinæ necessitatis Reipublicæ consideratione habita, in eo sedulo ac diligenter per Dominos Equestris ordinis Nuncios admoniti, ut secundum nostrum officium Senatorium quanto celerius, hoc est ante hyemem, tempus et locum electionis indiceremus; præmissis inter nos colloquiis in eo unanimiter omnes convenimus, ut electionis tempus pro feria secunda ante festum Divi Martini ad septimam Novembris præfigeremus; quemadmodum jam in Dei nomine præfigimus atque designamus, ubi dante Deo Regem, qui nobis in periculis externis atque domesticis præsidio esse possit, eligemus. Quod autem locum attinet libenter hac in re desideriis Dominorum Lithuanorum satisfecissemus, ut inter Livense et Vangrovense oppida, tanquam in loco ipsis viciniori designassemus, quando de tempore electionis pro initio præsentis mensis Octobris convenire potuissemus; sed quia gravibus ex causis tempus electionis ad septimam Novembris differri oportuit, propterea locum huic electioni sub Varsovia designavimus, ac designamus, ut omnes ad electionem pertinentes tempore obnoxio tempestatibus aliquas haberent commoditates, jamque mandavimus tabernaculum contectum, sub quo pro tractatibus invicem habendis conveniremus, extrueretur in campo sub ea fluminis parte, in qua sita est civitas, in loco sicciori et magis opportuno. Quod si Palatinatus (ut fortassis accidere potest) particularium conventuum celebratione opus haberent, ante ipsa Comitia generalia, Domini Palatini, vel in absentia majores Castellani tenebuntur quamprimum ejusmodi conventos ordini Equestri indicere, in quibus inter alias Reipublicæ necessitates etiam de communis ærarii penuria, juxta frequentem Domini Thesaurarii denunciationem, tractandum est, quibus et eum Principem, quem electuri sumus excipere, aliaque Reipublicæ necessaria expedire, ipsiusque Majestatem Regiam providere possimus, cum proventus Regni ad ærarium non perveniant, et alii tam per olim piæ memoriæ Regem nuper in Domino defunctum, quam etiam per eum, qui discessit, distributi sint.

« Quæ omnia ot V. rum Dominationum omnium notitiæ, quarum interest, litteris nostris intimaremus, nobis Domini Senatores faciendum demandarunt. Nos itaque tempus et locum electionis futuræ præfatæ vobis omnibus, quorum interest, significamus, ne quispiam conquerendi habeat ansam, quod cum ad electionem pertineret accitus vocatusque non esset; rogantes et monentes, ut pro eo tempore Dominationes V. ad prædictum negocium transigendum se pro officio suo sistant, ubi Deo adjuvante actus hic tam gravis et celebris ita transigetur, ut inde laus inprimis Dei omnipotentis, et his orbatis dominiis consolatio crescat et augeatur, quod piis assiduisque precibus a sua divina Majestate efflagitemus oportet. Datum Varsoviæ in generali conventione, quarta mensis Octobris anno 1575.

LXXV. — Episcopi extemplo rem totam Gregorio referunt; eique rationes exponunt, quibus regni Ordines ad novum eligendum regem impellerentur. (*)

(*) Polonia Vol. 10. fol. 491.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio divina providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Domine clementissime, post oscula pedum beatorum.

« Non arbitramur latere Sanctitatem Vestram, cum anno superiore in rerum quasi omnium summam perturbationem conjecti essemus, discessu a nobis inopinato in regnum Galliarum Serenissimi Principis et Domini Domini Henrici regis Christianissimi; qua quidem in perturbatione perdifficile erat aut subitis illis rebus non magnopere permoveri, aut alioqui modum ullum tenere consulendi de rebus communibus, in tam diversis hominum voluntatibus atque sententiis; ea nos tamen per Dei gratiam consilia secutos esse, quæ et nostram quidem gentisque adeo nostræ veterem quandam atque perpetuam erga Serenissimos reges nostros studii et observantiæ singularis laudem nobis conservarent, et cum summa præterea Regiæ Majestatis dignitate maxime conjuncta esse viderentur. Etenim de consensu omnium ordinum misimus e vestigio litteras Nunciosque nostros ad Serenissimam Regiam Majestatem, ut memor Majestas ejus et officii sui et jurisjurandi, quo se nobis recentissimo illo tempore devinxerat, ne pateretur diutius rempublicam nostram, regnumque suum propter absentiam suam periclitari, quin potius, quos abitione illa sua insperata afflictos in extremi discriminis metum atque expectationem conjecerat, eos reditu suo vellet rursus quam primum recreare. Et quoniam salus regni, quæ in summis tunc temporis periculis versabatur, diutius pati regis absentiam non posse videbatur, diem duodecimam Maji proxime superioris præstitueramus, atque a Majestate illius summis quibus poteramus precibus contenderamus, vellet Majestas ejus, misertа rerum nostrarum, ad eam hic adesse, et deliberationem nobiscum de republica suscipere. Eam enim esse rationem rerum communium, ut nisi eo tem-

pore Majestas illius hic adesset, necessario ad novam novi regis electionem descendere jam tunc cogeremus. Quæ quidem omnia mense Septembri anni superioris agebantur. Ac impleverat nos quidem Majestas illius per eosdem illos Internuncios nostros, non incerta, quanquam non in diem certum præfixa, spe de reditu suo in regnum hoc nostrum; verum ea spes tota ita in dies post reditum Internunciorum nostrorum extennebatur, ut cum dies illa duodecima Maji advenisset, nec Regiam ipsam Majestatem præsentem, nec quemquam Internunciorum aut Oratorum suorum, per totum illud tempus quo duravit conventus ille noster Stensicensis, haberemus. Itaque etsi omnium quidem judicio legitimum tempus adesse jam videbatur novi regis, propter incumbentium in rempublicam periculorum rationes, eligendi, tamen quod nihil dum ejusmodi reipublicæ evenerat, ex quo in aliquod jam tum præsens periculum conjecta fuisse videretur, obtentum est, etsi ægre admodum et summo cum labore ad testificandam etiam atque etiam constantiam nostram in tuenda, quoad maxime licitum esset, dignitate Regiæ Majestatis, ut electio ipsa, ad quam studia majoris fere partis hominum inclinabant, etiam tunc differetur, et conventus ille, qui erat electioni constitutus, infectis rebus omnibus solveretur. Quæ res quidem etsi nobis fortassis privatim constantiæ et moderationis alicujus laudem nonnullam attulit, tot tamen et tantis malis rempublicam ipsam involuit, ut et finitimæ quidem regni partes hostium impressionibus magnopere interea accisæ sint, et nos reliqui in magna rerum omnium perturbatione versari hac usque videamur. Nam et Moscorum quidem Princeps, oblitus biennalium promissarum induciarum, irruptione in Livoniam facta, Pernoviam, emporium illius provinciæ nobilissimum et opportunissimum, quod nostro præsidio tenebatur, cum aliquot castellis circumvicinis vi occupavit, et universam illam provinciam terrore armorum suorum complevit; et Turcarum ipse Imperator cum non ita pridem inducias nobiscum certas pepigisset, ad exitum usque electionis novi regis, ad quam electionem ipse nos quoque, tum per se, tum per Bassas suos magnopere incitabat, et nominatim quos a nobis reges creari vellet præscribebat; his tamen induciis rejectis, immissa nuper in fines regni nostri validissima, et Turcis ipsis permixta manu Tartarorum, magnis direptionibus oram illam vastavit. Qui quidem exercitus etsi subitaneo nostro milite, virtute privatorum quorundam Senatorum collecto repressus, et cæsis aliquot hostium millibus fusus fugatusque sit per Dei gratiam, afferuntur tamen nuncii horribiles de parato atque expedito novo Turcarum Scytarumque exercitu, qui nobis regnoque nostro novam impressionem, novamque vim minari videatur. Habere enim in animo Turcarum Imperatorem recens designatum initia principatus hujus sui a nostræ potissimum gentis, quod absit, inimicitiis atque bello auspicari, et in nobis, quod Deus omen avertat, fortunam belli experiri. Hos fructus nunc, Beatissime Pater, percipimus toties prolatæ electionis, duros imprimis et peracerbos, dum magis quodammodo nostram constantiam, Regiæque Majestatis dignitatem, quam salutem et incolumitatem reipublicæ et patriæ nostræ tueri studemus; quibus etiam acerbiora profecto expectare necesse habemus, nisi primo quoque tempore omni cura et studio interposito, regno de rege, reipublicæ de principe, nobis denique membris de capite, et de duce ac auctore prospicimus, qui ductu auspicioque suo his tantis imminentibus periculis quamprimum obviam ire, et consiliis nostris, nec sine capite sat firmis, nec sine ductu sat certis, moderari ad salutem reipublicæ posse videatur. Itaque his tantis reipublicæ necessitatibus adducti, et hominum assiduis efflagitationibus, atque adeo jam etiam convitiis coacti et impulsi, cum pericula ipsa non tam expectatione aut nunciis intelligeremus, quam cervicibus ipsis nostris, ac sensu ipso dolorum ac calamitatum præsentium jam exciperemus, indicto hoc tempore Varsoviensi hoc conventu, cum aliter salus et incolumitas reipublicæ repræsentari nulla ratione posse videretur, diem jam futuræ regis electionis septimam Novembris proximi Varsoviæ communi consilio designavimus, ut ne quid amplius ex diuturniore regis absentia, cui plus etiam fortassis quam reipublicæ expediret, indultum esse hactenus a nobis videtur, respublica ipsa detrimenti capiat. Quæ quidem omnia ad ipsam etiam Sanctitatem Vestram referre voluimus, tum ut ipsa non ignara consiliorum nostrorum factum hoc nostrum in optimam partem interpretari velit, tum etiam pro officio communis patris et pastoris regnorum omnium perficiat auctoritate sua apud Christianissimum regem ipsum, ne hoc, quod summis reipublicæ nostræ necessitatibus tandem expressum est, aliorsum accipiat, neve aliunde profectum fuisse existimet. Non enim aut odio cujusquam in ea re, aut, quod absit, contemptui servitum aut indultum est, cum apud nos omnium regum nomen et fuerit semper, et sit etiamnum sacrosanctum; sed quicquid ejus factum est, necessario factum est, non solum pro fide nostra erga rempublicam, cui diutius deesse opem nostram imploranti nequaquam potuimus, sed etiam ratione eorum periculorum, quæ semel cœpta, quotidie magis ac magis videntur imminere, ita quidem, ut nisi etiam ante brumam proximam de rege nobis prospexerimus, actum esse de universo regno videatur; de regno dici-

mus, cui cum nemo alioqui Principum Christianorum salutem et incolumitatem debeat invidere, propter assiduas barbarorum incursiones excipiendas, et arcendas a singulis reliquorum dominiorum Christianorum, tum vero maxime Christianissimus ipse Galliarum rex omnia fausta et felicia cupere deberet, propter singulare illud erga Majestatem ejus studium, quod quidem universa hæc respublica abunde declaravit, cum Majestatem ejus nondum ullius regni dignitate auctam, cæteris omnibus illustrissimi nominis competitoribus prælatam, regem suum declaratam, regio primum honore affecit, atque in eo præ ceteris omnibus regnis Christianis principatum ad Majestatis illius gratiam in perpetuum occupandam appetivit.

« Quamobrem, ut in hoc facto nostro, si opus sit, Sanctitas Vestra, quæ æquum et communem omnium regnorum pastorem gerit, æquum se et benignum nobis præbere apud Serenissimum ipsum Galliarum regem velit, ab illa supplices petimus et quæsumus, quantum maxime possumus; nihil enim nobis acerbius evenire posse videretur, quam si quis id quod a nobis maximis reipublicæ nostræ necessitatibus expressum est, aut temere, aut vero per contemptum, quod absit, cujuspiam susceptum esse existimare velit. Commendamus nos regnumque hoc nostrum protectioni paternæ Sanctitatis Vestræ, quam diu bene valere cupimus. Datum Varsoviæ in congregatione Statuum et Ordinum regni Poloniæ generali die v. mensis Octobris anno Domini MDLXXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Capellani obsequentissimi

JACOBUS UCHANSKI ARCHIEP. GNESNENSIS. – FRANCISCUS CRASINSKY EPISC. CRACOVIENSIS. – PETRUS MISKOWSKY EPISCOPUS PLOCENSIS. – ALBERTUS STAROZREBSKI EPISCOPUS CHELMENSIS. PETRUS DUNIN VOLSCHI REGNI POLONIÆ PROCANCELLARIUS.

LXXVI. — Inter illius regni competitores extiterunt in primis Maximilianus Cæsar, Joannes III. Rex Svecorum, Alphonsus Dux Ferrariensis et Joannes Basilius Magnus Moschorum Dux. Maximiliano favebant Archiepiscopus Gnesnensis et Episcopi fere omnes, ac reliquus totus ferme Clerus et plerique Nobiles. Acriter inter partes est disceptatum; sed Cæsar discessit victor, regnumque accepit. Cujus Legati hujusmodi sponsiones, quæ pacta conventa audiunt, quæque forent in magnam Polonorum utilitatem cessuræ, tulerunt. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 588.

« Articuli pactorum conventorum inter Illustrissimum Senatum, et Amplissimos Status, et Ordines inclyti Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ ab una, et Reverendissimum in Christo Patrem, et Magnificos Dominos Martinum Episcopum Vratislaviensem et Principem, ac superioris et inferioris Silesiæ Supremum Capitaneum, Andream Duditz, et Mattheum de Logaw Swidnicensem et Jaurensem Capitaneum, Serenissimi et Potentissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, nunc vero electi Poloniæ Regis et Magni Ducis Lithuaniæ, ad eosdem Status et Ordines Regni missos Oratores.

« Posteaquam ita placuit Deo omnipotenti, (cujus voluntate et arbitrio Reges regnant et populi dominantur) ut in Regem Poloniæ et Magnum Ducem Lithuaniæ creatus et electus sit Serenissimus et Potentissimus Princeps et Dominus Dominus Maximilianus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, in ejusque Majestatis electione fuerint certa pacta et conditiones tam ab Oratoribus ipsius Majestatis, quam etiam ab Ordinibus Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ proposita, ex unanimi utriusque partis consensu declaratio, elucidatio, conclusio hujusmodi conditionum et articulorum in eum modum, qui sequitur, est consequuta.

1. Ac primum quidem si Serenissimus Princeps et Dominus Maximilianus Rex Poloniæ et Magnus Lithuaniæ Dux renunciatus nobis imperare, tum etiam Rex et Dominus noster esse vult, omnia privilegia, jura, leges, consuetudines, exemptiones, immunitates, tam in universo totius Regni Ordinum et Magni Ducatus Lithuaniæ corpore, quam in singulis ejus membris integre conservet, ac si qua in parte Reipublicæ visum fuerit, augeat omni tempore et loco, quando ea de re ab Ordinibus Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ rogatus et requisitus fuerit; et præsertim si in conventu futuræ suæ coronationis ea de re ab Ordinibus Regni fuerit postulatus et rogatus, ut ea omnia quæ ad augendas libertates Regni pertinere videbuntur, suscipere, tenere et confirmare teneatur et sit astrictus. Articulos item augendæ libertatis Reipublicæ in electione Serenissimi Regis Henrici factos et constitutos et ab ipsius Majestate confirmatos, ut ipsius Majestas in omnibus punctis et clausulis suscipiat, teneat et confirmet. Quam conditionem Domini Oratores susceperunt et facto pro ipsius Majestate promiserunt, id ipsius Majestatem expleturam esse.

2. Distributiones aut collationes dignitatum, officiorum, functionum tam ecclesiasticorum quam sæcularium juxta Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ Constitutiones nulli unquam extraneo, sed indigenæ Polono aut Lithuano conferet; indigenam intelligens non eum qui advena existens possessionem sibi quomodocumque acquisierit; sed qui Polonus aut Lithuanus genere sit, et juxta Regni leges ad dignitates capiendas aptus et idoneus esse judicetur.

3. Controversias de Prussia et Livonia cum

Sacro Romano Imperio, (quamvis nullas se habere judicet Regnum Poloniæ) tamen amicitiæ et amoris mutui conservandi causa non renuunt Ordines, ut ejus ipsius Majestas in perpetuum sopiat; quod ea ratione ipsius Majestas per Oratores suos futurum se recepit, ut primo quoque tempore eam rem sincera fide et omni conatu (sine tamen ullo præjudicio Regni) ad effectum deducat, ut nullo unquam tempore amplius de eis rebus controversia exoriatur.

4. Existimat Illustrissima domus Austriæ aliquod jus se habere in Ducatum Masoviæ; hoc quantum debeant existimare Ordines, non satis probe intelligunt; attamen ut ea de re quoque silentium fiat perpetuom, constitutom est, ut ipsius Majestas jura et privilegia (si qua habere se prætendit ad proprietatem Ducatus ipsius) Regno concedat, et in conventu coronationis ea in Archivium Regni inferat, et solemnem in eo conventu suo et Austriæ totius familiæ nomine ejus Ducatus renuntiationem faciat, et literis diplomatibusque datis id in perpetuum sopiat; quam rem reliqui quoque Austriæ Principes ratam et gratam habere debent.

5. Narvica navigatio quantum dominii Regno afferat, et quam occasionem Regno præbeat, et dominium maris Balthici Regno Poloniæ proprium videatur diminui, ipsius Majestas bene perspicit; ob eamque rem cum Serenissimo Rege Daniæ ac civitatibus maritimis cupit per opportunum negocium hoc componere, et 70. Germaniæ civitatum societatem restituere; quam rem cum Ordines videant apprime esse utilem, optant ut id Majestas Regia quamprimum perficiat, et cum Serenissimo Regiæ Daniæ, tum etiam cum civitatibus maritimis et 70. Germaniæ civitatibus aliisque id genus concludat, ne hujusmodi navigatio Regno sit damnosa; quam ad rem Serenissimum Regem Sveciæ existimant Ordines magnum adjumentum adferre posse.

6. Barensem Ducatum et Rosanensis Principatus negotia una cum proventibus Neapolitanis recepit Majestas Regia per Dominos Oratores se apud Serenissimum Regem Catholicum primo quoque tempore effecturum esse, ne de his omnibus ulla difficultas aut tergiversatio fiat, quo minus his omnibus Serenissima Infans Anna, et qui ad eam rem jus habent, integre potiantur.

7. Agnoscunt iidem Ordines quæ et quantæ utilitates Regno Poloniæ et Magno Ducatui Lithuaniæ accrescere possunt ex amicitia et fœdere Serenissimi Regis Hispaniarum consecuto, propterea libenti animo accipiunt id, quod ipsius Majestas efficere cupit, ut hoc fœdus perficiatur. His autem mediis existimant Ordines rem recte confici posse, ut Majestas Regia apud Serenissimum Hispaniarum Regem obtineat, ut in conventum proximum coronationis suæ ipsius Catholica Majestas Oratores suos plenis mandatis in Regnum Poloniæ ableget, qui rationes et modos, tum etiam conditiones fœderis paciscendi secum afferant; et id demum faciant, quod ex re et utilitate Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ fore judicabitur. Si vero id commode ita cito effici non potest, tum Majestas Regia ad prima Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ Comitia hoc perficiat.

8. Pacta et fœdera cum Hungariæ et Bohemiæ Regnis et dominiis ipsius Majestatis accipiunt Ordines, et quid ex istis emolumenti provenire debeat, in futuro coronationis conventu tractatio institui debet.

9. Amicitiam perpetuam et fœdus cum Sacro Romano Imperio, quam ipsius Majestas procurare debet una cum auxiliis contra quosvis hostes, accipiunt Ordines, et cum videant Regnum Poloniæ et Magnum Ducatum Lithuaniæ a barbaris hostibus undique septum esse, non modo ex re et utilitate sua, verum etiam Imperii sive potius universæ Christianitatis esse judicant, ut ab Imperii Ordinibus constituatur auxilium firmum et certum Regno Poloniæ et Magno Ducatui Lithuaniæ; sic enim securiora et Imperii et ipsius Majestatis erunt dominia, ubi commoditas præcludetur barbaris hostibus ea invadendi; maxime com videant Regnum Poloniæ et Magnum Ducatum Lithuaniæ totius Christianitatis esse quasi quædam propugnacula, quæ propter bonum Reipublicæ Christianæ fortibus præsidiis muniri expediat; proinde conclusum est, ut auxilia ab Oratoribus Illustrissimorum Electorum Imperii hic in genere promissa (quæ deinceps præstari debeant) in primo conventu Imperii qui futurus est, procurante Majestate Regia declarentur. Interim autem, ut Majestas Regia ingruente quovis bello, ad omnes item necessitates et pericula avertenda, pecuniæ summam pro decem millibus Equitum Polonorum conscribendis quamprimum Reipublicæ det; sive quinque millia Germanorum Equitum comparata ad fines Regni mittat, quod in arbitrio Reipublicæ esse debet id accipere et facere, quod magis ex re et utilitate ipsius fore videbitur.

10. Confœderationem et societatem contra hostem cum Regibus Daniæ, Sveciæ, Moscorum Principe accipiunt Ordines, cavent tamen, ne in sociale bellum contra Turcas et alios quosvis hostes eos ipsius Majestas inducat, neque de bello suscipiendo quicquam statuat, insciis, inconsultis, et non consentientibus ad hoc Ordinibus omnibus in conventu generali regni.

11. Commercia, negociationes cum Regnis, et dominiis, ac Sacro Romanorum Imperio ut magis ac magis promoveantur cum iis commodis et emolumentis, quæ maxime necessaria Reipublicæ fore videbuntur.

12. Quoniam Illustrissima Austriæ familia

Turcarum Imperatorem habeat quasi hæreditarium hostem; propterea verentur Ordines, ne, in novo Majestatis Regiæ successu commotus, bellum contra Regnum moliatur; expedire autem et Majestati Regiæ et Regno judicant, ut cum eo pax diuturnis pactis et fœderibus firmata servetur, eamque Serenissimus Rex per Oratores suos ad Imperatorem ablegandos stabiliat. Si vero pax justis et honestis conditionibus obtineri non potest, ut Majestas Regia omnibus viribus, opibus, facultatibus tam suis quam amicorum et viciniorum Regnorum auxiliis firmissime defendat, et bellum a Polonia longe depellat; tum etiam a Moscis et Tartaris et aliis quibusvis hostibus Regnum Poloniæ et Magnum Ducatum Lithuaniæ defendat.

13. Si forte in Hungaria bellandum fuerit, non utetur Polonico aut Lithuanico milite Sua Majestas, nisi forte, si qui voluntarii milites esse voluerint certis stipendiis, liceat illis in bellum ubi volent proficisci.

14. Ad tutandos fines Regni quatuor arces finitimas ex judicio et arbitratu Reipublicæ certis et commodis locis ipsius Majestas ædificare absque mora et procrastinatione ulla debebit; siquidem eam rem non modo Regno Poloniæ, verum etiam toti Christianitati fore utilissimam Ordines judicant. Factura autem id est Majestas Regia sumptibus suis, et non solum novarum arcium ædificationem, verum etiam collapsarum et destructarum restaurationem suscipiendam sibi esse putabit.

15. Academiam Cracoviensem et ejus Doctores novis stipendiis et ornamentis, viris doctissimis etiam ex Italia vel Germania accitis augebit, ut ea sit veluti seminarium Reipublicæ, ex quo viri ad Rempublicam regendam sapientissimi prodeant; id vero, ut quam primum Majestas Regia faciat, Ordines petunt.

16. Qui apti erunt ex Polonia et Lithuania aulicis et bellicis ministeriis et officiis præficiantur; tum in aulis Serenissimorum Austriacorum Principum, tum in eorum Regnis et dominiis.

17. Duos articulos in priori legatione propositos de centum nobilibus adolescentibus Polonis et Lithuanis in exteris Academiis sustentandis, et de libera exportatione vini ex Hungaria, quod ipsius Majestas optionem dat, ut si id ex utilitate Reipublicæ majori videatur esse, pro his conditionibus aut illarum loco, primo anno numeret ipsius Majestas trecenta millia florenorum, utpote post electionem in duorum mensium spacio centena, et deinde intra anni spacium decentena millia; secundo anno centena millia; postea componere vult ipsius Majestas cum Republica, ut id fiat quod ex usu et necessitate et communi consilio visum fuerit: consentiunt et approbant Ordines, ut hoc ita fiat, quod est posterius declaratum. Siquidem eo tempore pecuniæ in præsidium contra Regni hostes et milites Polonos et Lithuanos, qui in finitimis Regni partibus sustentandi erunt, tum in extructionem et restaurationem arcium utiliores esse censeantur; ubi vero pecunia nominata in hujusmodi casus conversa fuerit, post biennium deinceps ipsius Majestas conditiones superius oblatas facto implebit, vel cum Republica constituet, ut fiat id, quod ex usu Regni fore judicabitur.

18. Debita omnia Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ Livoniæque, et alia liquida per defunctum olim piæ memoriæ Regem Serenissimum Sigismundum Augustum contracta, quorum ipsimet Senatores et Status Regni rationes suæ Majestati indicabunt, ac in scriptis in conventu coronationis proferent, in decursu unius anni Majestas Regia pecuniis suis persolvet.

19. Militibus etiam stipendia tam in Regno, quam in Magno Ducatu Lithuaniæ ac Livonia debita persolvere tenebitur; aulicis etiam Serenissimi olim Sigismundi Augusti, quibus stipendia persoluta non sunt, in decursu duorum mensium Majestas Regia persolvet.

20. Et quoniam Respublica nostra hoc interregni tempore sine Rege, sine lege vivens non modo externis, verum etiam internis malis non mediocriter est attrita; judicant Ordines ex usu Reipublicæ esse, ut Majestas Regia animos hominum dissensionibus irritatos ad concordiam reducat, et odia discordiasque clementi paternoque animo componat, ita ut subditos habeat unum et idem sentientes et unanimi fide ac obsequio ipsius Majestatem colentes.

21. Hæc et alia Regis justi et clementis officia ut eo commodius expleat, in Regno ipsius Majestas habitare, nec ex eo discedere debet; si vero discessu brevi e Regno opus habeat, (quod tamen toto hoc biennio non faciet) tum id ad omnes Regni Ordines in conventu publico referat, sine quorum scitu, voluntate, consensu e Regno discedere non debet; præterea duos in Polonia annos, unum vero in Lithuania manendo consumat. Nunc vero quam citissime intra unius etiam anni spatium, si poterit, ipsius Majestas in Lithuaniam quam celeriter se conferat, ut provinciæ afflictæ opem ferat ejusque rebus subveniat.

22. Commissarios, ut ipsius Majestas quam primum designet, qui injurias ex finium controversia Regnicolis illatas componant, et damna ex Hungaria, Silesia, Marchia, Pomerania facta resarciant.

23. In negotiis domesticis, in publicis etiam privatisque expeditionibus Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ titulo alio non utetur Serenissimus Rex præter titulum regibus Poloniæ usitatum, videlicet: Maximilianus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ Livoniæque etc. volunt enim Ordines, ut libertas et auctoritas

Regni in sua integritate et firmitate permaneat, nec alieni aut Imperio aut Regno videatur esse adjuncta.

24. Proventus Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ non in alium, quam in privatum Majestatis Regiæ usum converti debent: sumptus etiam et impensæ non in alium quam regibus Poloniæ usitatum morem et usum aulamque ex Polonis et Lithuanis congregatam fieri debent, ne extraordinariis impensis Regnum gravetur.

25. Jura in Regno Poloniæ et Magno Ducatu Lithuaniæ ad obtinenda et comparanda tam in suos quam extraneorum usus castra, civitates, oppida, vellas et alia id genus a nemine prorsus ipsius Majestas acquirere debet; acquisita vero, nullius valoris et ponderis sint. Extranei item (citra consensum publicum) nulla bona in Regno et Magno Ducatu Lithuaniæ comparent; emptio et venditio hujusmodi valorem non habeant.

26. In consiliis, judiciis, et liberationibus publicis Regnum Poloniæ et Magnum Ducatum Lithuaniæ concernentibus, ne unquam Sua Majestas extraneo consultore utatur; extranei etiam in consilium Polonicum et Lithuanicum non adhibeantur, negotia Regni non tractent, nec ullo modo aut colore se in hæc immisceant, ad gratiam Majestatis Regiæ et beneficia consequenda neminem interventu, opera, favore juvent; sed ea potestas et auctoritas omnis penes indigenas, hoc vero est, Polonos et Lithuanos incolas, non peregrinos permaneat.

27. Ut Serenissimæ Infantis Poloniæ Annæ, ultimæ in Polonia et Lithuania Jacellonicæ familiæ stirpis, Serenissimus Rex condignam rationem habere velit: agnoscunt enim Ordines plurima ex Jacellonica familia in Regnum hoc profecta esse beneficia; ita, ut perpetuo grati animi significationem huic relictæ posteritati testari velint. Visum est autem ex re Regni et Serenissimæ Infantis esse, ut ipsius Majestas Serenissimam Infantem in matrimonium collocet alicui ex senioribus ipsius Majestatis filiis; quod quidem matrimonium corporali juramento Oratores ipsius Majestatis confirmare debent, quod etiam re ipsa facturos se receperunt, et Illmum Principem Ernestum Archiducem Austriæ pro marito Serenissimæ Infanti futuro obtulerunt et constituerunt, ut hoc certissimum et exploratissimum sit, et indubitatum exitum habeat: in qua quidem re hoc Senatus cavet, et cautum esse vult, ne hoc matrimonio subsequuto juribus libertatibusque Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ aliquod præjudicium fiat.

28. Id etiam ad suam et Reipublicæ utilitatem maxime pertinere judicarunt Ordines, ut Serenissimus Rex in hoc Regnum veniens regium et paternum erga Regnicolas animum præbeat, electionem suam omnibus æqualiter adscribat, nec unquam alienus ab his sit, qui præter Regiam Majestatem alios sibi candidatos libera voce et sententia ornandos sumpserant, et de gente Polonica et Lithuanica hoc sibi persuadeat, quod ipsius Majestatem recte et juste nobis imperantem non modo pro Domino et Rege, sed pro parente et patrono simus habituri, omnemque fidelitatem et subjectionem ipsius Majestati omni loco, tempore et necessitate declaraturi, quibus sincera et recta fides erga reges et dominos suos est innata.

29. Officia Regni et Curiæ ut reformentur, et in statum optimum juribus et justitiæ convenientem, reducantur, id sibi Majestas Regia in conventu coronationis adhibito Senatus et Ordinum Regni consilio faciendum esse putabit.

30. Fines Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ aliarumque his adjunctarum provinciarum, ne per aliquos tractatus et conditiones imminuantur; quin potius diminuti ab hostibus recuperentur.

«Quæ omnia et singula memorati Domini Oratores, nomine Sñii Regis electi, plena et absoluta mandata ad eas res tractandas, concludendas, concedendas et confirmandas habentes, eaque Regni et Magni Ducatus Lithuaniæ Ordinibus exhibentes, promittunt, spondent et recipiunt Serenissimum Regem electum omnia jura, privilegia, libertates, immunitates, prærogativas unicuique statui et homini ac incolis Regni Magnique Ducatus Lithuaniæ, et omnium provinciarum illis adjunctarum, sive generaliter omnibus, sive specialiter singulis, per Sñios Reges et alios Principes prædecessores suos juste et legitime concessas, vel quovis alio nomine quæsitas, ac diuturno usu approbatas sive nunc etiam circa electionem Regis sui ex unanimi et concordi consensu omnium Ordinum sancita, integre ac inviolabiliter servaturum, atque etiam juramento corporali juxta sibi traditam formam aut inaugurationem et coronationem sui confirmaturum, et litteris ad ea necessariis muniturum. Quæ etiam suprascripta omnia et inde cetera consequentia in robore certissimæ atque perpetuæ firmitatis supradicti Oratores nomine et loco ipsius Majestatis promiserunt, si et in quantu ipsius Majestas ea omnia per Oratores Ordinum Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ ipsius Majestati explicanda acceptare voluerit, hæc rata et firma esse futura. Et in evidentius testimonium ac robur firmissimum omnium supra scriptorum, sigilla utriusque partis tam Statuum Regni vel ab his deputatorum, quam ipsorum Oratorum hisce litteris sunt adhibita cum subscriptione manuum eorumdem. Actum et datum in castris sub Varsovia in conventu electionis Regiæ die 17. mensis Decembris anno 1575.

Martinus Episcopus Vratislaviensis.
Andreas Dudith. – Mathæus a Logaw.

Maximilianus igitur ab Archiepiscopo et plerisque ex Senatorio et Equestri ordine Rex renunicator. Id confirmant Universales Litteræ datæ Varsoviæ die 18. Decembris nomine conventus Varsoviensis. (*)

(*) Polonia Vol. 10. fol. 604.

« Nos Consiliarii spirituales et sæculares similiter et Equestris ordo Regni Magnique Ducatus Lithuaniæ, qoi ad electionem huc Varsoviam convenimus, ot Dominom nobis ac Reipublicæ commodum eligeremus, universis et singulis fratribus nostris carissimis domi relictis notum facimus: quo nemo amorem nostrum ac studium erga Rempublicam, patriam nostram carissimam, aliter interpetari velit, quam decet, gestaque nostra ac processus æque ac juste perveniant ad aures hominum nunc et perpetuis temporibus existentium; id necessariom facere existimavimus, ut gesta et processus nostri litteris mandarentor, unde uniuscujusque boni et prudentis nobilis animus erigatur erga bonum Reipublicæ quod oos tuendo, ac magis bonum Reipoblicæ, quam aliquid aliud ponderando, accessimus tandem ad electionem Regis post longos tractatus, satisfaciendo officio nostro non solum tanquam nobiles Regni et filii Reipublicæ matris nostræ carissimæ, sed etiam prout Consiliarii Regni præ cæteris conscientiam et fidem nostram ad id habentes obligatam, ne ad nocivam læsionem Rempublicam permittamus indoci. Et boc tantum Senatores Regni superant juniores fratres sibi amantissimos, quod ex jure communi tenentur magis habere coram de bono Reipublicæ, etiam permittente jure ad opponendum sese illis in omni periculo Regni.

« Convenientes igitur ad locum istius electionis constitutæ, imprimisque auditis oratoribus, simulque animadversis conditionibus omnium candidatorum protestantes per conscientias nostras coram Deo Omnipotenti, quod io hoc negocio non aliquod privatum commodum, sed tantum utilitatem Reipublicæ spectantes investigabamus talem Dominum, qui, his temporibus domi turbulentissimis et propter hostes periculosissimis, justitia et defensione certa Regnum tranquillare posset, cooveniinusque concordibus nostris suffragiis Nos Consiliarii Status spiritualis et sæcularis Poloniæ, Lithuaniæ ac Prussiæ, præter aliquot, non prorogantes tempus solum per tres cum dimidio dies in eum, quo nemo ex competitoribus Reipublicæ nostræ Poloniæ honestior ac utilior inveniri potuit. Equestris quoque ordinis viri ex omnibus Palatinatibus Poloniæ ac Lithuaniæ providentes bonum Reipublicæ. ac tuentes consuetudines et ordinationes suas gloriosas, factis prius consultationibus privatis in Palatinatibus propriis super votis nostris Senatoriis cum sententiis suis nobis sese conjungentes, mutuo convenerunt, unanimiter nobiscum de bono Reipublicæ tractaverunt. Quum autem nonnulli partim ex Magnificis Dominis Consiliariis, partim ex Equitibus Poloniæ tantum præponentes sibi utiliorem Dominum e medio sui cognomine suo Piastum nominantes a nobis descivissent, a nobis factom ipsorum non approbantibus sæpius rogati, hortati et admoniti, ne novas consuetudines et Reipublicæ universæ nocivas ob discessionem a Senato et Magistratu, similiter ab Equestri ordine omnium angulorum Regni super fratres suos inducerent, jura, libertates, consuetudines antiquas regni eo divellerent; sed post longam trutinationem istius rei commonstrationemque causarum justarum graviumque ac enumerationem defectuum in hoc Piasto, his præsertim temporibus turbulentis atque periculosis, quum locum nullis rationibus dare vellent; commemoratio autem propositi illius Piasti nobis aliquo modo suspecta esset, in qua nonnihil extranei latere videbatur, quod postea in progressu longiori effectu comprobatum est, rogavimus ut eum jam tandem in persona declararent. Quod satis longo tempore renuentes, ad extremum exhibuerunt Magnificos Dominos Sandomiriensem et Belzensem Palatinos, qui tanquam homines prudentes ac virtute præditi, tam intricato Regno optantes alium Dominum, sponte renuntiarunt propositionibus de se factis, unde quam maximas gratias a nobis omnibus retulerunt. Quare jam existimavimos, cum id non succederet eis, quod per conscientias suas protestandum utilissimum fore Reipublicæ asserebant, quodque jam non aliquid aliud sequi, sed nostro unanimi consensui adhærere debebant. Quod jam certo certius spectantes, cum ad locum pace privilegiatum pro imponenda conclusiooe convenimus, reperimus illum locum fero totum bombardis ac armis aliis in exitium vitæ nostræ instructis, circumdatom, quo nobis libere voces, quibus quisque nobilium Poloniæ decoratur, adimerentur. Præmissis insuper cum his ad nos, ut ab eo, super quo omoes de præcipuis ac maximis causis unanimiter convenerامus, concludereque jam mutoo debueramus, plane recederemus. Quod nos animadvertentes, fore nocivam sequelam in Repoblica, (quandoquidem hoc ipsum etiam nobis in electione Regis Henrici, quæ nobis in maximum loctum conversa est, jam evenerat) summo cum dolore ferentes remisimos eorum Magnificentias admonitum, ut his bombardis contra extraneos hostes potius uterentur, violentiam autem in libera electione non exercerent in præsentia Senatorum et Magistratuom Regni ac ordinatione hic ab omnibus constituta, sed unanimiter cum omoibus nobis Senatoribus Regni ac toto Equestri ordine, postposita discessione, secundum jura et consuetudines antiquas Regni permanerent. Quod cum ab illis nullis persuasionibus obtinere possemus, videntes periculum nostrum

Domini Senatores et Equestris ordo, Magnique Ducatus Lithuaniæ similiter multi Senatores ac Equestris ordinis viri, qui ad liberam electionem ex longinquis regionibus inermes tanquam homines liberi convenerant, ibi ad eumdem locum munitum bombardis, obviando seditioni et sanguinis effusioni accedere noluerunt, sed non procul in locum alium a bombardarum jaculis aliquo modo securiorem secesserunt, petentes a nobis, qui in hoc periculo fueramus, ut ad eos exiremus, quod admoniti ab illis fecimus, ipsis insuper denunciando, quod sub bombardarum metu libere consilia tractare non possumus. Ad congregationem itaque totius Senatus utriusque Dominii et Equestris ordinis advenimus, nihilominus tamen, sicut antea, semper ita etiam tunc temporis cupientes cum fratribus disjunctis concordiam retinere, misimus adhuc Magnificos Dominos Sandomiriensem, Podoliensem Palatinos, insuper et Dominum Marsalcum Regni, admonendo eos fraterne ne ullam seditionem procurarent, taliaque facta, per quæ semper ruina Dominiorum proveniebat, postponerent. Quod cum omnigenas rationes ac media tentando obtinere, ac eos ad nos nec fraternis persuasionibus, nec etiam ullis bene expensis modis adducere potuimus. Habendo igitur circa nos auctoritatem Senatoriam ac viros Equestris ordinis omnium Palatinatuum Regni concordium, Magnum Ducatum Lithuaniæ totum et terras Prussiæ, considerantes quantum periculum foret, si hinc discederetur absque electo Domino, recens præ oculis habendo exemplum tantam devastationem terrarum Russiæ a Barbaris per distractionem ob ejusmodi secessionem in electione sub Stezicza factam, agnoscendo jam obstinationem manifestam, quæ trahit perditionem post se, quum nihil commodius nobis ostenderent, ac eorum candidati jam sese excusassent; Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis secundum privilegia et constitutiones Regni, cum esset ab omnibus unanimiter admonitus, solemniter nobis Dominum nominavit Maximilianum Secundum de domo Austriaca, primarium in Christianitate Monarcham, ex consanguinitate Dominorum nostrorum regum Poloniæ descendentem, pium, qui rebus præclare gestis toti orbi justitiam suam commonstravit maximo cum decore, amoreque christianæ fidei nationibus dominatur, et qui hoc dominium non propter utilitatem propriam desiderabat, sed prout Dominus sapiens ac caput totius Christianitatis id circumspiciebat, ne dominus aut parum potens vel impatiens hoc Regnum occuparet, quod est in vestibulo totius Christianitatis, qui potuisset illud tali periculo exponere, quod non solum dominio huic, sed etiam aliis adjacentibus et ferme toti christianitati ruinam possit parare, cum conditionibus et accessionibus maximis ad insignem utilemque defensionem hoc etiam accedente, quod cum Magno Ducatu Moscoviæ ex electione istius Domini jam pace potientur illæ provinciæ, in quibus multum interest Regno, prout Magnus Ducatus Lithuaniæ Livoniaque; quandoquidem Nuncios suos ad Dominos Consiliarios Equestremque ordinem Magni Ducatus Lithuaniæ consulendo ac persuadendo, ut propter bonum totius Christianitatis e domo Austriaca Dominum eligeremus; promittendo etiam insuper contra hostes Crucis Christi omne subsidium ad præsentem electionem Varsoviensem miserat. Et nunc Serenissimum Imperatorem in hoc securum reddit non solum cum confirmatione ac fide data, sed etiam augmentatione privilegiorum libertatumque nostrarum, similiter etiam cum magnifica providentia Serenissimæ Infantis stirpis relictæ Dominorum nostrorum, qui nobis longo tempore feliciter dominabantur, quod unusquisque latius animadvertet, ac summa cum delectatione lecturus est, bene trutinatum, quod in fine ascribetur, circa conditiones, quas cum Oratoribus Sacræ Cæsareæ Majestatis sanximus, omnem istum tam necessarium Reipublicæ cum consuetudine jureque communi successum concordantem non acceptando pars illa adversa, quæ eo modo, quo superius descriptum est, a nobis descivit, alium Dominum Bathorium Palatinum Transilvaniæ, nationis Hungaricæ, Imperatoris Turcarum feudatarium, linguam nostram ignorantem, qui fortassis sub Piasto latebat, sibi nominaverunt. Quo non contenti ad majorem mœstitiam contemptumque Regni ad Internuntium Imperatoris Turcarum e medio sui miserunt certiorem faciendo, quod hunc pro quo Dominus ipsius laborabat, in Dominum sibi elegerint contra juramenta unionis; cum sine Lithuanis Dominum nobis eligere non possimus contra ordinem legum et privilegiorum consuetudinumque Regni. Quoniam Regem libere electum nemo alius, tantum Reverendissimus Dominus Archiepiscopus nominare, et Dominus Marsalcus Regni publicare debet. Præsertim vero quod etiam et Oratores Domini Palatini Transilvaniæ id ab ipsis acceptare tanquam illegitimam electionem noluerunt, ac nullas conditiones ab eis volebant suscipere; siquidem habentes id in mandatis Domini sui, ne Domui Austriacæ propter bonum totius Christianitatis in eo præjudicium fieret. Ad id Serenissimam Infantem qui antea per quosdam nostrum porrectam recipere recusabant, ipsi pro conjuge destinaverunt, volentes eo modo Dominum Bathorium per indirectum Regno intrudere. Quod dum Serenissimæ Infanti obtulissent, tale responsum in præsentia Magnificorum Dominorum Senatorum ac ex ordine Equestri deputatorum retulerunt, quod ipsa quia privata utilitate sua pacem communem com-

movere, nec sanguinolentum ensem in Regnum importare, Serenissimumque Imperatorem jam pro Rege nominatum tutorem etiam denique suum postponere nollet, sponte renuntiat rogans et admonens eos, ut a suo proposito discedentes communem concordiam foverent. Quæ omnia quasi postponendo nihilominus fortassis Oratores ad eundem Dominum Palatinum e medio sui ablegaverunt, evocando eum ad excitandum civile bellum in patria per Regnum sine auctoritate Senatus et officialium Regni ac aliorum, quibus hoc negocium commune interest, qui homines ad arma exitialia excitarent, sub prætextu nobilium libertatis dimiserunt. Quod utrum taliter, prout illi scribunt, possit ostendi, hoc judicio omnium gravissimorum et ipsorum, quibus hoc interest scire, commissum esto. Inspecto hoc processu legitimo nostro ac fideliter a nobis conscripto, ponderatisque apud se juribus, legibus, libertatibus Regni quid, qualiter, ad quid, et per quem constitutum sit, et si in hoc aliquid tali ordine ac modo constitutum est, quod esset offensioni juribus ac legibus nostris communibus, quæ quo ipsi melius tueri deberent, eo hominibus rerum ignaris tenebras offundunt. Si enim ita unicuique in eo quod proposuerit absque ratione petulanter progredi, nec ordine ac juxta privilegia Regni expedire licitum erit, bonum finem nemo sperare unquam poterit.

« Idcirco oramus, ac ex officio locorum nostrorum unanimiter cum fratribus nostris Ordinis Equestris tam Regni quam Magni Ducatus Lithuaniæ fraterne monemus, ne Dominationes Vestræ tanquam fratres nostri carissimi huic, quod sibi seorsimve sub imagine jurium publicorum Regni ac libertatum legumque communium actum est, locum apud se relinquant, nec eidem obtemperantes conventiones ejusmodi per nos Senatores Regni spirituales et sæculares non indictas civile bellum spectantes, (quum post se arma Turcica in viscera Regni possint evocare, sine quibus is Dominus Bathorius alia non potuisset habere, quandoquidem eum nobis solus Imperator Turcarum proposuit) velint postponere, contributionibus quoque, si aliquæ constituantur, non subjaceant. Et penes hunc Dominum recte et legitime electum, qui secum justitiam ac certam defensionem commodaque alia per suos Oratores non tantum nobis, sed toti etiam Christianitati honeste ad nos importat, acquiescant. Insuper ut Dominationes Vestræ istos Dominos fratres nostros et suos carissimos, qui hinc cum diversis animorum intentionibus recesserunt, petitionibus admonitionibusque fraternis reducant, prout nos etiam eos studiose rogamus, ne in animum ad Deo nostroque tali justo progressui contradicendum, ac se opponendum sub imagine violatæ libertatis ipsi inducant, ac aliis proponant; sed potius quemadmodum nos nihil nobis ipsis apud Dominum electum ea modo lucrari cupimus, dum in illo bona commodaque Regni, non nostram propriam utilitatem inquirimus. Cujus rei est nobis testis Deus Omnipotens. Ideo suis Magnificentiis una nobiscum fideliter id ipsum exoptamus, curamque nostram si necesse fuerit in hoc suis Dominationibus offerimus, ut omnes unanimiter Domini gratia eo facto fruamur ac eam pront fideles subditi æqualiter referamus; reliquum uniuscujusque dignitas, virtus, prudentiaque efficiet. Nihil in hoc dubitamus, quod Dominationes Vestræ pro amore suo erga patriam in hoc ita procedent, ut ipsa mutuis armis conflictata ab externo hoste, qui Christianorum discordia crevit, ac ad hoc tempus usque crescit, non pereat. Progressum vero ulteriorem qualem hac in parte fecimus, ad Dominationum Vestrarum omnium notitiam deducimus. Quod in primis sub conditionibus Regem elegimus, ut, si id nobis, quod per Oratores promisit, re ipsa adimpleverit, sit Dominus noster. In hoc autem non proprium alicujus, sed totius Reipublicæ commodum quærebamus; quod unusquisque ex istis articulis et conditionibus, quas ad acta terrestria Varsoviensia ingrossari ac per Capitaneatus omnes Regni spargere jussimus, facillime cernent. Insuper quia edocti sumus priori exemplo, quod vobis Oratores plurima promittendo, ac Dominos suos, sed magis nos ac Rempublicam intricando redditi post damna sapientiores, maluimus per Oratores nostros conditiones, hic jam sancitas ac conclusas, Serenissimo Regi soli transmittere, easdem illi reddere, ut, si cupit esse Dominus noster, id nobis imprimis exequatur cum effectuque adimpleat. Talis publicatio a Domino Marschalco Regni facta est, quam etiam ad acta terrestria ingrossari mandavimus, huicque universali simul cum aliis negociis adjunximus.

« Oratores ad Serenissimum Regem, qui debent eum ad Regnum conditionaliter postulare ac ab ipso juramentum recipere, designavimus e medio nostri Magnificos Dominos Consiliarios, qui sunt Dominus Albertus Laski Palatinus Siradiensis Capitaneus Lanczkoronensis, Dominus Nicolaus Talwos Capitaneus Dirembergensis Samogitiæ, Dominus Paulus Uchanski Comes de Sluzewo Belzensis, Dominus Jacobus Rokosowski Capitaneus Ostrzissoviensis Szemensis, Dominus Stanislaus Gostomski de Lezenicze Sochaczoviensis, Dominus Joannes Dulski Culmensis Castellani, Reverendus Dominus Petrus Duniu Wolski Procancellarius Regni: et ex Equestri ordine Dominus Stanislaus Sendivoius Czarnkowski Referendarius Regni, Dominus Nicolaus Firlei de Dambrovicza Capitaneus Cazimiriensis, Dominus Nicolaus Wolski de Podlaiecze Gladifer Regni Capitaneus Krzepicensis Surrogatus Varsoviensis, Dominus Hierony-

mus Mieleczki Capitaneus Brestensis, Dominus Jacubus Ponethowski Dapifer Lenciciensis, Dominus Boguss Succamerarius Lublinensis, Dominus Agrippa scriba Magni Ducatus Lithuaniæ: quos rogavimus, ut sine mora ad Serenissimum Regem proficiscantur, et ipsum huc quamprimum ad Regnum conducant; quandoquidem in celeri ejus in hoc Regnum adventu multum Reipublicæ tempore coronationis interest.

« Certum coronationis tempus non potuimus constituere, nescientes quam cito ibi nostri Oratores cum Serenissimo Rege suum officium poterunt exequi; sed dedimus potestatem istis Dominis Oratoribus nostris, ut expenso et bene ponderato successu suo cum Serenissimo Rege sententias suas ac constitutionem de die et tempore coronationis Reverendissimo Domino Archiepiscopo Gnesnensi Primati Regni significent, qui coronationem literis generalibus suis per Palatinatus publicare debet, conventionesque particulares ante eam, juxta consuetudinem Equestris ordinis, constituere tenetur, ut ad coronationem Nuncii eligantur ad exaudiendum juramentum, ac alia debita, quibus est Serenissimus Rex electus obligatus; similiter etiam, si in aliquo Palatinatu visum erit necessarium articulos et conditiones pro augmento communis libertatis ad coronationem portare, ut comportent. Quæ omnia Dominus Serenissimus Rex Electus secundum constitutiones erit obligatus adimplere.

« Ut autem honor condignus et nobis Polonis erga nostros Dominos conveniens, eo magis tam præclaro Monarchæ a nobis exhibeatur, ad excipiendum in confinio Poloniæ Serenissimum Regem deputavimus has personas: Reverendissimos Dominos spirituales Episcopum Cracoviensem, Episcopum Cujaviensem, Episcopum Plocensem, Episcopum Premisliensem, Episcopum Chelmensem; Dominum Palatinum Vilnensem, Dominum Palatinum Calisiensem, Dominum Palatinum Lanciciensem, Dominum Palatinum Bzestensem, Dominum Palatinum Kyoviensem, Dominum Palatinum Inowladislaviensem, Dominum Palatinum Podoliæ, Dominum Palatinum Ravensem, Dominum Palatinum Culmensem, Dominum Palatinum Mariebnrgensem, Dominum Palatinum Pomeraniæ, Illustrissimum Ducem a Sluczko ex suo loco; ex Castellanis Dominos Posnaniensem, Calisiensem, Leopoliensem, Medzireczensem, Premisliensem, Sanocensem, Polaneczensem, Czekoviensem, Dominum Marsalcum Magnum Regni, Dominum Marsalcum Curiæ Lithuaniæ Ducatus, Dominum Capitaneum Generalem Posnaniesem, Dominum Jacobum Seczigniewski Capitaneum Sidloviensem, Dominum Structorem Lithuaniæ. Ut autem quilibet tempus suæ profectionis scire possit, certior facile reddetur ex literis universalibus Reverendissimi Domini Archiepiscopi, quibus coronationem indicet, et id quoque significabit, qua parte finium Serenissimus Rex in Regnum debet venire, quod debent Domini Oratores Reverendissimo Domino Archiepiscopo significare de die ac tempore profectionis Regiæ Majestatis ad confinia. Eodem modo de omnibus aliis rebus ac successibus quales futuri sunt, et ad quem finem negocia Reipublicæ perducent, significare debent Domini Oratores Reverendissimo Domino Archiepiscopo Gnesnensi, ut cum eo sciant quid et quando aliquid agendum sit, negotiaque Reipublicæ ne longo intervallo intermissa jacere possint.

« Defensionem tunc temporis aliam constituere propter punitionem Dei non potueramus, tantum hanc quæ est constitutionibus sancita, ut quarta pars regii proventus militibus tempore præscripto extradatur, non aggravando hoc tempore ullis oneribus ac contributionibus Regnum, rogandoque insuper Dominos milites Russiæ et Podoliæ fratres nostros, ut in hac pecunia thesauri publici hoc tempore in hoc solito stipendio acquiescant; quod eis (Deo dante) recompensabitur gratia ac liberalitate Serenissimi Regis, postquam eum in Regno habebimus.

« Et quoniam debent 100,000. florenorum in brevi tempore a Serenissimo Rege ad defensionem transmitti, ideo hoc Magnifico Domino Thesaurario delegamus, ut ille secundum necessitates in arces militesque hanc pecuniam distribuat, cum scitu et voluntate Consiliariorum Regni.

« Ad Imperatorem Turcarum Internuncium suum expedivimus, de hoc eum certiorem reddentes, quod nos, qualemcunque Dominum habebimus, eandem pacem cum eo tenebimus, cum hacque conditione ipsum pro Domino eligemus.

« Expediemus etiam ad Dominum Palatinum Transilvaniæ Reverendum Dominum Jacobum Voronieczki, ut sua Magnificentia omne ejusmodi propositum velit postponere, quod secum trahit commotionem pacis civilis, nec consolationem capiat ex discordia hominum, ex qua nihil aliud evenire potest, quam despectus et conturbatio totius christianitatis; significando ei res processusque Oratorum nostrorum cum Serenissimo Rege electo.

« Constituimus duos Camerarios, quos ad Dominos Oratores Dominus Thesaurarius adjungere debet. Hoc autem ut ad omnium notitiam pervenire possit, id ad acta castrensia Varsoviensia tradidimus ac ingrossari mandavimus; quod ut per omnes Palatinatus Regni in forma authentica una cum conditionibus et articulis per nos ac Oratores Serenissimi Regis publicationeque Domini Marsalci Regni et Lithuaniæ sit comportatum ac publicatum, tam a Dominis Capitaneis, quam etiam a Vicecapitaneis ac Surrogatis Castellaniarum exoptamus, auctoritateque

ordinum Regni mandamus. Datum Varsoviæ in conventu generali electionis Regis, die 18. Decembris anno Domini 1575.

LXXVII. — Dum Maximiliani electio ab omnibus Catholicis Principibus summa cum lætitia excipiebatur: [*] plures tamen Proceres Regni una cum non exigua nobilitatis parte, causantes Regis proclamationem per Archiepiscopum loco et more, quo fieri soleret, non esse factam, regnumque alicui ex genere ac sanguine Polono deferendum esse decernentes, neque minis, neque vi abstinuerunt, ut Maximiliani electioni adversarentur: media inita via Annam Regis Sigismundi Augusti sororem, virginem circiter quinquagenariam, pietate, religione, aliisque virtutibus ornatam, Reginam constituerunt; eique Stephanum Bathorium Transilvaniæ Principem (ab Amurat Turcarum Imperatore, cum absoluta cæterorum exterorum exclusione, etiam commendatum) maritum destinarunt, ac proclamarunt. Missi itaque fuerunt Nuntii ab utraque parte ad alterius electum, qui dehortarentur a regno alteri legitime collato adeundo; aliique pariter Legati ab unaquaque ad suum electum, ad ejus adventum accelerandum, priusquam adversarius adveniret, cum in eo res esse videretur, ut regnum primo occupanti cederet.

[*] Mention document. N. 7.

LXXVIII. — De rebus Poloniæ publicis satis a nobis dictum; de ecclesiasticis quædam memoratu digna dicemus. His diebus confirmatio Pontificia Coadjutoris Episcopi Vilnensis Polonorum animos valde recreavit; id quod optime cognoscitur ex litteris Vilnensis Præsulis ad Pontificem datis, quibus præterea eidem commendat Melchiorem ex Principibus Gedroycz, petitque, ut eumdem non ita pridem ab Henrico Valesio ad sedem Samogitiensem accedentibus Capituli votis designatum confirmare velit. [*]

[*] Polonia Vol. 10. fol. 403.

Sanctissimo Domino Dño Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater et Domine Domine clementissime, post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ et humillimam obsequiorum meorum commendationem.

« Cum id, quod a Sanctitate Vrã cum mea sponte, tum piorum ac magno præditorum judicio virorum, quibuscum de iis rebus, quæ ad Dei gloriam promovendam et animarum salutem, ac hujus Diœcesis meæ commoda pertinent, confero, petieram, ut Sanctitas Vrã mihi ex Illñi et facile principe omnium in Magno Ducatu Lithuaniæ familia Coadjutorem dare dignaretur, qui et ætatis meæ defectus et Ecclesiæ necessitates hoc tam periculoso tempore, cum propter hæresum colluvionem, tum propter perturbatum Reipublicæ statum sublevaret, jam Dei Optimi Maximi definito consilio, et Sanctitatis Vræ benignitate ad exitum deductum sit, et omnia quæ in Brevi suo Sanctitas Vestra perscripserat, rite ac legitime perfecta: committere nolui, quin id Sanctitati Vestræ significarem, ac pro tanto beneficio mihi et Ecclesiæ meæ collato, si non eas quas debeo, saltem quas possum, gratias agerem. Dum enim de tali successore a Sanctitate Vestra mihi sit provisum: non est quod amplius ne quid detrimenti Ecclesia post mortem meam in hac iniquitate temporum patiatur, sim sollicitus, imo vero meliora quæque sperans in pace in idipsum dormiam et requiescam. Spero autem ipsum Dominum Coadjutorem brevi limina Apostolica esse salutaturum, et Sanctitatis Vestræ pedes exosculaturum. Cæterum fretus Sanctitatis Vestræ benignitate statui etiam pro R. D. Melchiore Gedroe, qui non ita pridem ab omnibus ordinibus Magni Ducatus Lithuaniæ ad Christianissimum Galliarum et Poloniæ Regem Nuncius missus fuit, et ab ejus Majestate eorundem ordinum commendatione ad Episcopatum Samogitiæ morte Rñi olim D. Georgii Petkowity vacantem, nominatus, ac deinceps a Capitulo Samogitiæ electus est ac postulatus, apud Sanctitatem Vestram partes meas interponere, ac ab ea humiliter petere, ut Serñi Regis nominationem approbare et confirmare dignetur. Hoc eo majore fiducia facio, quod cum esset Ecclesiæ meæ Vilnensis Custos, egregie se gesserit, et pietate ac integritate vitæ cæteris præluxerit: præterea sit apud omnes ordines hujus Magni Ducatus Lithuaniæ valde gratiosus, nobilissima ortus familia, et hujus patriæ indigena; externos enim per leges nostras Regi non licet nominare. Accedit quod linguam illam Samogiticam bene novit: qua in re non parum situm est, cum propter consuetudinem et tractationem cum hominibus, tum propter casus reservatos, in quibus ab ipso Episcopo confessiones essent audiendæ et absolutiones dandæ. Ego sane nullum alium habeo in rebus spiritualibus socium in Lithuania, præter Episcopum Samogitiæ, cum quo consilia et operas communicem: quamobrem multum mea et cujuslibet Episcopi Vilnensis interest, ut talis Sedi Samogitiensi præsideat, qui illi tanquam ex altera navi manus porrigat auxiliatrices, et in Senatu ac sententia dicenda fideliter eum adjuvet. Quo magis bona sum spe, in primis Christianissimi Regis partes apud Sanctitatem Vrãm, in eo ad omnium ordinum commendationem nominando, maximum pondus esse habituras: tum etiam preces meas aliquid momenti ad illius commendationem allaturas, cum Sanctitas Vestra facile intelligat, me in hac provecta ætate, quæ jam ad terminum suum fere pervenit, nihil aliud spectare, quam quod Ecclesiæ Dei majorem afferat utilitatem. Cum his me ac obsequia mea et indignas orationes Sanctitatis Vestræ gratiæ et benignitati humillime commendo, Deum deprecans, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ Ca-

tholicæ diu servet incolumem. Vilnæ 22. Julii anno Domini 1575.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Minimus capellanus

VALERIANUS EPISCOPUS VILNENSIS.

[*] Polonia Vol 10 fol. 403. Idem efflagitant Canonici Samogitienses. [*]

Sanctissimo Dño Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater et Dñe Dñe clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, et obsequiorum ac orationum nostrarum humillimam commendationem.

« Cum Christianissimus Galliarum et Poloniæ Rex Reverendum Dominum Melchiorem Gedrocium, Ecclesiæ Cathedralis Vilnensis Custodem, ad vacantem Samogitiæ Episcopatum, quando ad ipsum in Gallias ab omnibus Ordinibus Magni Ducatus Lithuaniæ Nuncius missus fuit, nominasset; nihil nobis accidere potuit optatius, quandoquidem sciamus illum et vitæ integritate, et pietatis ac religionis Catholicæ zelo esse singulari. Quin etiam, quod in hac temporum iniquitate plurimum adjumenti affert Ecclesiis, antiquissima et nobilissima ortum familia et apud omnes Ordines hujus Ducatus in primis gratiosum, præterea linguae Samogiticæ, cum qua inter indigenas majore cum commendatione atque fructu versari possit, peritum; quamobrem etiam magna cum animi nostri lætitia, ad illius electionem et postulationem, quatenus id Sanctitas Vestra ratum haberet, processimus. Nunc vero a Sanctitate Vestra supplices petimus, ut Christianissimi Galliarum et Poloniæ Regis nominationem, quæ mirabili quadam Dei providentia ad hujus Episcopatus, valde ab iis neglecti, qui linguæ ignari erant, utilitatem facta est, confirmare dignetur, ne eum jam magna detrimenta hæc sedes, quod pastore careat, sentiat, majora propter diuturnioirem vacationem patiatur. Quod cum Sanctitati Vestræ pro eo munere, in quo eam Spiritus Sanctus posuit, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, curæ esse non dubitemus, nihil aliud restat, nisi ut, quamvis indignas orationes nostras in gratiam Sanctitatis Vestræ commendantes, ejus beatos pedes advoluti exosculemur. Datum apud Ecclesiam Cathedralem Vornensem 19. die Julii anno Domini 1575.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Indignissimi servi

PRÆLATI ET CANONICI ECCLESIÆ CATHEDRALIS VORNENSIS IN SAMOGITIA.

LXXIX. — Novus Coadjutor Vilnensis grati animi sensus pro tanto sibi honore collato Pontifici declarat; eique spondet, se nihil omissurum, ut conceptæ de se spei respondeat. [*]

[*] Polonia Vol.10. fol. 347. Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Divina providentia Pontifici Maximo etc. Dño Dño Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater, ac Domine Domine clementissime.

Post devotissimam exosculationem beatissimorum pedum Sanctitatis Vestræ, et servitiorum meorum humillimam commendationem.

« Ad sextam diem Maji transmissum est ad me a Rño Dño Nuncio Sanctitatis Vestræ ejusdem Breve, Coadjutoriam Episcopatus Vilnensis concernens, quod cum, ea qua decuisset reverentia accepissem, paternam in eo Sanctitatis Vestræ, cum erga totam familiam meam, tum singularem erga me servum ejus voluntatem abunde perspexi: cum ea me benevolentia Sanctitas V^ra fuerit complexa, ut non habita ætatis meæ juvenilis ratione præcipua dignitate, summoque munere me ornatum et decoratum voluerit. Pro quo in me collato beneficio etsi non tanti me esse agnoscam, qui meritas habere gratias Sanctitati Vestræ possim, pro diuturna tamen ejus et felici universalis Ecclesiæ gubernatione perpetuis temporibus Deum Omnipotentem supplex orare non intermittam. Admonitionem vero ad omne genus pietatis et sacrarum literarum studium, a Sanctitate Vestra profectam ita obviis ulnis amplector, ut inter cætera, quæ a Domino Deo ardentissimis votis flagito, hæc semper præcipua ducam et primo loco habeam; cujus divina ope et auxilio adjutus, eo omnes meos conatus intendam, ut hanc, quam Sanctitas Vestra de me erga Ecclesiam Christi et opinionem bonam et expectationem concepit, nullatenus fallam. Quod quidem jampridem præsens Sanctitati Vestræ cum omni observantia et obedientia declarassem, ni hæ difficultates, quibus hæc nunc Respublica maxime implicita est, intercessissent. Quæ cum Deo volente, in tranquilliorem statum reductæ fuerint, itineri me accingam, ut huic præclarissimæ Sanctitatis Vestræ de me expectationi conceptæ, aliquatenus satisfaciam, quam Deus Opt. Max. annos longissimos ad Ecclesiæ suæ gubernacula felicissime sedere, eidemque præesse faciat, cujus beatissimos pedes devotissime exosculor. Datum in Biala xv. Junii anno salutis MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obñus filius et humillimus servus

GEORGIUS RADZIWIL, DUX IN OLIKA ET NIESWIECZ

EPISCOPATUS VILNENSIS COADJUTOR.

Nicolaus Christophorus quoque Radzivilus, Magni Ducatus Lithuaniæ Marescalcus, ejus frater, suum etiam studium in Ecclesiæ Vilnensis bonum collaturum Pontifici confirmat. [*] [*] Polonia Vol 10. fol. 346.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. Divina favente clementia Pontifici Maximo, Domino et Domino mihi Clementissimo.

Sanctissime in Christo Pater et Domine Domine clementissime.

Exosculor Sanctitatis Vestræ beatissimos pe-

des et meam illi observantiam subjicio, prosperrimamque valetudinem cum felicissimis successibus exopto.

« Redditum est fratri meo Breve a Sanctitate Vestra missum, Coadjotoriam Vilnensem cum futura successione concernens, pro quo ut frater meus Sanctitati Vestræ summissas agit gratias, ita et ego qui Sanctitati Vestræ jam pridem observantiam meam devovi, summa gratitudine hoc beneficium illius prosecuturus sum, in hoc incumbendo potissimum, ut gloriæ Dei, Ecclesiæ Catholicæ salutis et Cleri tranquillitatis me studiosissimum fuisse constet. Laudetur Deus, qui mentem Sanctitatis Vestræ eo dirigere dignatus est, ut huic negotio, quod profectum Ecclesiæ Vilnensis spectat, sua gratia deesse noluerit; sentiet sine dubio Sanctitas Vestra, quam conatus mei et fratris Coadjutoris voluntati Sanctitatis Vestræ correspondebunt. Ablegassem fratrem continuo in Italiam pietatis et religionis addiscendæ gratia, nisi et me et illum negotia Reipublicæ nostræ a proposito retraxissent, sed futuro autumno (ut multis videtur) commodiorem profectionem habiturus itineri sese accinget, ut postea beatissimos pedes Sanctitatis Vestræ præsens exosculetur, et suam humillimam observantiam Sanctitati Vestræ subjiciat. Interim et hic pietatis et religionis studiosum aget, ne suo officio deesse videatur; faxit Deus ut crescat et augeatur donis Spiritus Sancti, quo Ecclesiæ Vilnensi suo tempore ita præsit, ne hæreses in ea latius serpere valeant. De reliquo cupio Sanctitatem Vestram diu feliciterque valere, et ejus beatissimos pedes denuo exosculor humillime. Datum in Bialla die XV. Junii anno Domini MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servitor

NICOLAUS CHRISTOPHERUS RADZIVIL IN OLICA ET NIESVICZ DUX, MARSALCUS CURIÆ M. DUCATUS LITHUANIÆ.

mppria.

LXXX. — Maximam lætitiam Pontifici attulit Christophori Sboroski Siradiensis Palatini, et Dissidentium seu Evangelicorum in Polonia antesignani ad Catholicam fidem reditus: quare Gregorius has ad eum litteras dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 71. fol. 50.

Dilecto Filio Nobili Viro Christophoro Sborosco

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Ex literis Nuncii nostri, ex quibus cognovimus de tua salute, hoc est de impiæ hæresis detestatione sanctæque et Catholicæ fidei professione, tantam cepimus voluptatem, quantam verbis exprimere non possumus. Quid enim tam dolendum erat, quam tantam in omni genere virtutem sancta Religione, sine qua cæteræ omnes virtutes quasi umbræ sunt, quam virtutes, carere? Sed aperuit Deus oculos pueri sui, deditque illi cor docile, ut Sathanæ fraudes agnosceret; neque enim diutius in errorum fluctibus periclitari passus est, perduxitque in portom tutissimum, hoc est in Catholicæ Ecclesiæ sinum, extra quam salus nulla esse potest. Vere, fili, cogitasti antiquitatem et constantiam fidei orthodoxæ manifeste convincere hæreticorum cœcitatem; quod illi, cum animadvertuot, hoc maxime, ut præclare scribit Basilius, postulant, ut nihil tribuatur antiquitati, nihil multitudini, nihil eorum, qui hanc fidem professi sunt, dignitati et sanctitati, quod intollerabile esse ostendit Nazianzenus his verbis: Si his triginta annis fides originem habuit (nimirum a Calvino, aut quo alio monstro) cum tot ante sæcula fluxerint, inane tanto tempore fuit Evangelium, inanis nostra fides, martyres frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales, tantique Antistites populo præfuerunt. Quæ nemo diceret præter istos, qui nihil non absurdum atque impium audent profiteri. Egimus igitur gratias Deo, quantas potuimus maximas, de tua ad eum conversione, speramusque, ut sunt facta principum ac celsorum virorum in oculis omnium, maximeque cæteris ad imitationem proposita, ingentem hinc ad Catholicam Ecclesiam gloriam, ad Tuam vero Nobilitatem mercedem redituram, præmiaque ea, quæ sunt tuæ pietati apud Deum reposita, in dies ex aliorum conversione ampliora evasura, quo nomine et Tuæ Nobilitati gratulamur, et te ut filium charissimum amplectimur ac deosculamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXXXI. — Joannes Herbestus, qui Catharinæ Svecorum Reginæ a confessionibus erat, de studio, quo illius conjux Joannes III. veritatis catholicæ cognoscendæ flagrabat, nuntiat, quæ sequuntur litteris suis ad archiepiscopum Gnesnensem. [*]

[*] Polonia Vol 10. fol. 107.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino Domino Uchanski, Legato nato et Archiepiscopo Gnesnensi etc., Domino Colendissimo.

Rm̃e in Christo Pater et Dñe colendissime.

« Quandoquidem in Ecclesiastes officio apud Serenissimam Reginam Sveciæ constitutus Illustrissimum Cardinalem Hosium de statu Regni Svetici sæpius certiorem feci; justa mihi causa visa est ut etiam Rm̃æ Dominationi Vestræ simile aliquid scriberem, et de Serñi Regis nostri erga fidem catholicam animo paucis significarem, existimans id nuncii ad cogitationes Reverendissimæ Dominationis Vestræ pertinere.

« Tertius hic agitur annus quo in Sveciam a Serñia Anna Infante Poloniæ missus sum: quo veniens Regiam Majestatem in Lutheranismum confirmatam reperi, qui adeo fuit doctrinæ Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ infensus: ut me-

cum frequenter hac de re contenderet, et in sermonibus multa contra fidem catholicam diceret. Subornabat etiam suos ministros, ut me et scriptis et disputationibus lacesserent; putans me posse a vera Christi Ecclesia in suam hæresim pertrahi. Sed cum ei hæc via non succederet, et me supra firmam petram firmiter radicatum videret: tandem ipse (qui alioqui magno est ingenio præditus, et rerum non ignarus) me ad disputandum secum provocavit. Quanquam autem longe imparem aotagonistam viderem, tamen, cum id omnino urgeret, ego tandem Christi promissis et veritate fidei catholicæ fretus, paratum me obtuli in conspectu Regis mundani pro Regis cœlestis doctrina verba facere. Ea tameu cautione impetrata, ot ad scripturas sensum et consensum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum adhibere mihi liceret, eisque tanquam judicibus in rebus controversis et tamqusm fidelissimis Apostolicæ doctrinæ testibus uti possem. Quod cum impetrassem, quæstio a Serñio Rege de Ecclesia est proposita, quæ ad eum finem est deducta, ut tandem invitus, doctorum clarissimis sententiis convictus, concesserit Ecclesiam Christi esse unam, cui post Christum Petrus et ejus successores Romani Pontifices præsint. Qua re præcipua obtenta, eam postea Deus gratiam Regi Majestati inspiravit, ut et in aliis controversis capitibus Religionis aurem benignam sanctis Patribus præbere cœperit. Jam igitur cum doctoribus de summo et Romano Pontifice bene loquitur, Missæ sacrificium concedit; orationes pro defunctis probat; invocationi Sanctorum non pertinaciter contradicit; cœlibatum Sacerdotum matrimonio præfert; monasticam vitam commendat; ritus Ecclesiæ maxima ex parte laudat; et multos jam in suis ecclesiis restituit. Hoc etiam apud suos ministros obtinuit, ot in exponendis scriptoris non amplius novos Germanicos theologastros, sed veteres Ecclesiæ patres sequantur, eorumque consensum auditoribus inculcent, quod ægre quidem, sed tamen Regi concesserunt, ita jam novi magistri Principi nostro sordent, ut eorum non nisi cum vituperio mentionem faciat, lumina autem Ecclesiæ Doctores catholicos laudibus ferat. Erga Virginem Deiparam Mariam affectu est piissimo, cujus Nativitatis et Assumptionis festa celebrari cum Ecclesia præcepit. Sed et Corporis Christi memoriam solemnem habere in posterum vult. Cœnobia restaurare incipit; sed quia videt monachorum nomen suis invisum, ideo in eis scholas instituere pollicetur. Extant hactenus reliquiæ monialium in aliquot cœnobiis, quibus dedit facultatem plures suscipiendi, promittens eis aucturum se stipendia. Hæc omnia ejus consilia Illñio Cardinali Hosio perscribere non intermitto, quæ et Rñæ Dominationi Vestræ tanquam Primati Regni nostri Polonici communicare volui, existimans me et officio meo fungi, et Rñæ Dominationi Vestræ rem non ingratam facturum.

« De Serña Regina Domina mea clementissima quid scribam noo habeo, nisi quod per omnia sit catholica et obediens filia Sanctæ matri Ecclesiæ, quæ non desistit marito fidem catholicam persuadere, et in ea Priocipes et liberos suos instituere, qui quotidie cum matre sacris, patre non repugnante, intersunt. Quid multa? ausim dicere si Rex noster ad gubernacula Polonici Regni vocaretur, Jagellonem exprimeret, et cum suo Regno Svetico Polonos variis hæresibus implicatos ad meliorem frugem sua auctoritate et exemplo revocaret. Sed jam finem faciens epistolæ Rñæ Dominationi Vestræ me cum studiis et collega meo patre Alberto Grochowski commendo. Datum Stocolmiæ civitate Regia die S. Margarethæ Anno Christi 1575.

Rñæ Dominationis Vestræ

Servitor

JOANNES HERBESTUS.

Quamobrem nemini mirum debet esse, quod Cardinalis Varmiensis Sveciæ res adeo Gregorio commendaverit, ab eoque tantopere contenderit, ut Varsevicium e Societate Jesu, rebus Sveciæ curandis anno jam superiori destinatum, quamprimum eo mitteret, qui cum rege de Ecclesia Svecana Romanæ Catholicæ unienda ageret. [*]

[*] Polonia Vol. 15. fol. 483.

Beatissime Pater.

Post oscula pedum beatorum.

« Quis sit Regni Svetiæ status ex litteris ad me scriptis Vestra Sanctitas cognoscet. Paulatim eo redire velle videntur, unde Sathanæ fraudibus avulsi fuerunt, ad unam sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam. Quo majore studio Sanctitati Vestræ supplico, qui mitti debebat in Svetiam a Societate Jesu, ot eum primo quoque tempore mittendum curet. Nam in misericordia Dei fiduciam hanc habeo collatam, quod qui sub Gregorio VII. ad fidem christianam adducti, vel in ea potius confirmati fuerunt, eos hoc infelici seculo nostro, doctrinis variis ac peregrinis abductos, et in aliud Evangelium translatos, sub Gregorio XIII. ad illud ipsum Evangelium Christi redituros, quod illis sub Gregorio Septimo fuit annunciatum, et seculis aliquot conservatum. Si verum est quod scribit Paulus, qui fuerat a Serña Regina Sveciæ missus ante biennium ad S. V., quod Serenissimus Rex lectione librorum Lutheri suis interdixit, et ut quæ Patrum sunt ea sequerentur edixit, magna spes ostenditur ad Ecclesiæ gremium, et ad obedientiam Sanctæ Sedis hujus Regnum illud brevi rediturum. Quamobrem iterum atque iterum oro Sanctitatem Vestram, ne velit occasionem hanc illius regni Christo lucrifaciendi prætermittere, deque eo mittendo, de quo mihi sermo

non semel fuit cum Sanctitate Vestra, dignam Christi Vicario cogitationem suscipiat: nec ullam ei rei moram longiorem interponere velit.

« De Anglia quoque magnam in spem vocamur, quod ipsa quoque, clavum tenente Sanctitate Vestra, sit ad illud Evangelium reditura quod sub Gregorio Primo fuit in ea prædicatum. Nam in Puritanos nunc animadvertitur; Christiani, sicut mihi scribitur, ab omni jam persecutione liberi sunt.

« Non dissimilia perferuntur etiam de Lithuania, quæ et ipsa, quam fidem accepit a Gregorio XI. ad eam reversura, Gregorio XIII. ad Ecclesiæ gubernacula sedente, videtur. Nam præterquam quod publice renunciatum est, totius gentis nomine, nefariæ conjurationi potius quam confœderationi adversus Dominum et adversus Christum ejus ante biennium factæ, deleta Sathanæ sinagoga, multi jam resipiscunt, veramque Christi doctrinam, quam a Sanctis Patribus nostris accepimus, amplecti dicuntur. Ita quod a tribus Gregoriis in Anglia, Svetia, Lithuania Pontificibus plantatum fuerat et rigatum, Deo incrementum dante, proximis autem superioribus annis inimico homine zizaniam spargente, quodammodo suffocatum, id nunc paulatim reviviscere et reflorescere videmus, non sine magna piorum omnium consolatione. Quod ut constans et perpetuum esse velit, Deum supplices oramus. Frater quoque Palatini Cracoviensis e Zvingliano factus esse christianus scribitur. Quibus ego nominibus plurimum S. V. gratulor, et ut, qua cœpit cura et vigilantia, gregis a Christo sibi commissi, quem ille sanguine suo pretioso redimere dignatus est, saluti prospicere pergat, oro; in primis autem Svetiæ, in qua proprior esse nunc salus videtur, quam antea: qua de re pluribus ut agam necesse non est; cum sponte sua, sit ad eam rem cum primis prompta et alacris.

« Itaque longior esse nolo: hoc tantum addo et supplex peto, Serñæ Infantis causam ut habere sibi velit commendatam, quæ sententia lata, qua census integer illi tanquam universali hæredi fuit adjudicatus, eo nihilominus per summam injuriam et ignominiam est spoliata. Quod superest Deum precor, ut Sanctitatem Vestram ad Ecclesiæ suæ sanctæ utilitatem diutissime servet incolumem, omnique felicitatis genere cumulet; cujus beatos pedes humiliter iterum atque iterum exosculor. Datum Sublaci 5. Augusti anno Domini 1575.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotiss. servus

Stanislaus Card. Varmiensis.

m. p.

LXXXII. — In Gallia Henricus Rex Idibus Januarii Avenione Remos se contulit, ubi e veteri more erat sacrandus ungendusque oleo ex ampulla, quæ ibidem vetusta religione ad usum ritumque inaugurandorum regum servabatur. Inauguratio die Dominica Id. Februarii maxima cum pompa peracta fuit ab Antistite Mettensi Ludovico Cardinali, Guisii Ducis fratre; propterea quod, fratre ejus Carolo Cardinali Lotharingio nuper Avenione defuncto, Remensis sedes vacabat, ac nondum Ludovicus ejus nepos ad eam designatus fuerat a Rege, nec a Pontifice confirmatus. Remos, ut augurationi interesset, se contulit quoque Ludovica Nicolai Lotharingii Comitis Valdemontii filia, præstanti forma et virtute virgo, quam sibi Henricus, invita matre sua, uxorem destinaverat. Catharina enim Medicea, Guisianæ domui valde adversa, verens, ne hoc matrimonio Guisia gens aucta summa rerum potiretur, filiam Joannis III. Svecorum Regis, adolescentulam, vix octo annorum natam, ac in Protestantium doctrinis educatam, Regi filio in matrimonium ducendam suaserat, si quidem Catholicæ Ecclesiæ nomen daret. Henricus vero matris artificio haud se circumferri passus, pontificia ab consanguinitatis impedimento dispensatione, quod Catharina pravo matrimonii aut protrahendi, aut eludendi consilio intercedere commenta fuerat, ut narrat Legatus Pontificis, [*] consecuta, cum Ludovica conjugium iniit, atque altero ab suæ inaugurationis die Remis nuptiarum solemnia qua majori fieri potuit festivitate, celebrata fuerunt; et deposita tristi molestaque [*] præteritarum rerum memoria, eidem successere gaudia, hastiludia, choreæ, cæteraque, uti solet, animi hilaritates et oblectamenta. Inde Rex, ut priscis moribus uteretur, discessit, sacram Divii Maclovii ædem veneraturus, ubi Galliæ Regibus post novendale jejunium aliosque ad noxarum veniam promerendam christianæ humilitatis actus hoc cœlitus gratiæ datur, ut vel solo tactu strumas valeant sanare.

[*] Mantova Document. N. 8.

[*] Ibidem N. 9.

LXXXIII. — Gregorius Regi et ejus nuptæ seorsim scribit, eisque omnia læta prosperaque precatur. Hæc ad Regem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann III ep. 840. f. 860.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Vehementer lætati sumus recenti isto M. T. conjugio; sumus autem lætati tum præsenti ejus bono, fidei scilicet et sacramenti, tum futuro prolis, quam quidem abundantem tributuram Divinam bonitatem pietati tuæ pollicetur illa Prophetæ sententia. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dñum; quod quidem semper fecisse te omnis vitæ, atque omnes tuæ res gestæ apertissime declarant. Hac igitur te benedictione affectum iri et speramus, et a Domino

Deo precamur; idque cum sanctæ, Catholicæque Ecclesiæ bono conjunctum fore intelligimus: erunt enim ex optima stirpe optimi liberi, suorumque majorum Regum scilicet Christianissimorum simillimi. Mittimus ad Majestatem Tuam gratulatum nostris verbis dilectum filium Abbatem Biragum, virum maxime gravem et prudentem, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Et hæc ad Reginam. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 217. f. 311.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Aloysiæ Francorum Reginæ Christianissimæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem etc. Libentissime salutamus Majestatem Tuam Regiam, teque isto amplissimo nomine, et potentissimi Regis conjugio tum ab illius judicio, tum quod caput est, a Dei Optimi Maximi tanti sacramenti auctoris, et præsidiis benignitate insignitam esse lætamur; precamurque Majestati Tuæ ab eodem ipso Deo uberem fœcunditatem, quo plures habeat sancta Catholicaque Ecclesia propugnatores, patrisque atque avorum virtutis imitatores. Speramus Divinam bonitatem nostras preces auditurum. Mittimus ad Majestatem Tuam gratulatum nostris verbis dilectum filium Abbatem Biragum, virum singulari prudentia et gravitate, cui omnem fidem tribui cupimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Cui præterea, ad singularis in eam benevolentiæ significationem, Rosam auream per Biragum Galliarum Cancellarii nepotem mittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 215. f. 310.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Aloysiæ Francorum Reginæ Christianissimæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem etc. Maxime sumus arbitrati convenire in hoc recenti matrimonii tui gaudio mittere ad Majestatem Tuam Rosam auream, quam vetere Romanorum Pontificum instituto consecravimus quarto sanctæ Quadragesimæ Dominico die lætitiæ atque exultationis pleno, quam Rosam affert dilectus filius Abbas Biragus, vir singulari prudentia et gravitate præditus. Ea autem, quæ in consecrando universe a Domino precati sumus, cupimus, ut ejus bonitas tuæ Majestati largiatur, nimirum ut peccata dimittat, fide repleat, indulgentia foveat, misericordia protegat, adversa destruat, prospera cuncta concedat. Ut autem sacrum hoc munus cum honore, ut par est, suscipiatur, volumus illud dari Majestati T. celebrato in ea, quam malueris, Ecclesia ab aliqua persona in dignitate Ecclesiastica constituta sacrosancto Missæ sacrificio. Catholicis autem omnibus, qui ipsi sacrificio præsentes, ac præterea contriti et confessi fuerint, vel propositum statutis ab Ecclesia temporibus confitendi habuerint, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra auctoritate confisi, quindecim annos, et totidem quadragenas veræ indulgentiæ misericorditer in Domino largimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Neque omisit Gregorius Cancellarium ipsum humanissimis verbis salutare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 218. f. 313.

Dilecto Filio Nobili Viro Renato Birago Regni Franciæ Cancellario

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Cum cogitaremus aliquem mittere ad Regem Christianissimum, Aloysiamque Reginam gratulatum de matrimonio, simul etiam cogitabamus ei, quem mitteremus, nonnulla ad Nobilitatem Tuam mandare; neminem autem habuimus potiorem dilecto filio Abbate Birago nepote tuo. Sic enim judicabamus, posse Nos ejus fidei, ac prudentiæ nostra cogitata tutissime committere, teque ei libere aperire sententiam, et consilium tuum de rebus istius regni, quæ quidem Nos mirabiliter sollicitos habent. Cupimus igitur ex te scire, quid spei habere possimus, quid remedii adhibere; Nos enim nihil prætermittemus, quod quidem cum aliquo fructu Nos facere posse intelligemus. Hæc fusius ex ipso nepote cognosces, eique fidem tribues. Sic autem crede, Nos, ut neminem isthic habemus ad ea, quæ Christi Catholicæque Ecclesiæ sunt, paratiorem, sic multorum meritorum tuorum, atque officiorum diligentiæque, quam hactenus utrique causæ præstitisti, quamque in dies præstabis, perpetuo memores futuros, quæque ea Nobis grata acciderint, quoties occasio dabitur, declaraturos. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Quamobrem Rex et Regina maximas Summo Pontifici gratias agunt. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 10.

LXXXIV. — Rex inde extremis Martii diebus Lutetiam petiit, quo ejus permissu, ineunte mense Aprili, advenere Nuncii Condei Principis, Damvillii Marescalli et fœderatarum Provinciarum concordiam tractaturi, quibus se addidere Legati Britannicæ Reginæ et Helveticorum Pagorum, ut Regem hortarentur, ac suaderent, eas Hugonottorum factioni concedere conditiones, quas illi ad suam salutem atque securitatem necessarias arbitrabantur; verum cum hæ graves duræque essent, Rex, licet ad pacem pronus, ferre, aut aures eisdem præbere non poterat, et Catholici aperte obloquentes execrabantur postulatorum iniquitatem, ita ut post diuturnam dubiamque tractationem Nuncii abeundi facultatem impetrarunt, ut suis voluntatem

Regis renunciarent, Arenesium unom ex Legatis in Aula relinquentes, ne concordiæ tractatio mutuo exoptatæ prorsus dissolveretur. Verum adeo intemperantia erant, quæ illi petebant, ut Rex non sine magna sui nominis infamia, atque ingenti Religionis Catholicæ detrimento concedere vix potuisset. Veluti cum peterent, liberum ac publicum sibi per totum penitus regnum, et omnibus ac singulis Regis ditionibus, sine ulla exceptione aut modificatione, exercitium religionis secundum cunctos ipsorum ritus, nec non colloquium ac synodorum ad libitum celebrationes concedi; item cameras bipartitas in omnibus Parlamentis; exemptionem a decimis de bonis ac fructibus suis Clero solvendis; receptionem indiscriminatim ac promiscue cum Catholicis ad omnia et singula officia et munera publica; retentionem omnium urbium, quas tunc occuparent, atque insuper binas alias pro sua securitate ad Condei libitum, aliaque ejusmodi plurima.

LXXXV. — Interea, alieno quamvis Regis animo, bellum acriter gerebatur; nam jam pridem, accensis factionum studio animis, crebræ pugnæ non absque multa cæde committebantur in meridionalibus præprimis Regni provinciis, ubi Damvillius, habito sociorum conventu Nemausi, et deinde in Montis Pessulani urbe, se principem Politicorum, fœderatumque cum Hugonottis professus, oppugnare aperte cœperat ea loca, quæ a Rege stabant. Quanto in discrimine regiones illæ versarentur, satis superque ostendunt litteræ celeberrimi Narbonensium Antistitis ad Pontificem datæ. [*]

[*] Gallia Vol. 9. fol. 273.

Beatissimo ac Sanctissimo in Christo Patri et Domino Gregorio Papæ XIII.

Post humillima sanctissimorum pedum oscula.

Beatissime Pater.

«Quoniam universi dominici gregis cura Sanctitati Vestræ communibus eligentium votis et magno totius orbis Christiani applausu commissa est, et in hujus solicitudinis partem non tam meo merito, quam ad conceptam bonam aliquam de me opinionem auctoritate Vestra vocatus sum, ut cui Archiepiscopatus Narboniensis regendi demandata sit provincia: pro officio meo et ea, quam Sanctitati Vestræ et Sedi Apostolicæ debeo, obedientia, operæ pretium me facturum existimavi, si de meæ non modo diœceseos, sed etiam totius provinciæ cui præfectus sum, statu Sanctitatem Vestram, quia præsens colloqui non possum, per literas saltem aut potius per Vicarium meum eundemque Archidiaconum et Canonicum Ecclesiæ meæ facerem certiorem. Ille enim apprime novit, quidquid in hac regione hactenus gestum est; qui annos plus minus viginti Ecclesiam et diœcesim Narbonensem solus gubernavit, et adeo feliciter, ut hoc sæculo licet turbulentissimo, quo per universam Galliam hæreseos virus longe lateque disseminatum est, nullos tamen aut paucos magno certe Dei beneficio et Vicarii vigilantia infecerit. Nactus sum clerum pium et religiosum; plebem Catholicam, fidelem, obedientem. Verum quoniam nulla regio, imo nulla civitas est, in qua non reperiatur aut Cain aliquis, aut Ismahel, aut Esau, aut Judas, aut Nicolaus, ita mirum esse non debet, si in tanto diœcesanorum meorum numero reperiantur aliqui, qui Abeles, Isaacos et Jacobos persequantur, et qui causam Dei, Ecclesiæ et patriæ prodant: commune fere hoc Galliæ nostræ malum. Hæretici quidem, si cum Catholicis conferantur, pauci; at Damvillæi multi, quorum insidias vitare perdifficile est, quia sub ovina pelle latent lupi. Toti in hoc incumbimus et insudamus, ut illos qui inter nos occulti sunt, possimus detegere. Interim aperto marte adversus hæreticos Damvillæos, quorum una factio est, ut publicos et Ecclesiæ et patriæ hostes magnis animis apud nos decertant Catholici plebeji et rustici dumtaxat. Cæterum ex nobilibus rari sunt, qui serio cum hostibus manus conserant, et, quod est omnium periculosissimum, nobis, hoc est Catholicis qui Regium ducunt exercitum, sæpissime suspecti sunt. Cogor ego præter morem et ingenium meum curare ea, quæ ad militiam pertinent. Quod minus ægre facio, quod videam et de religione agi et de Ecclesiasticis rebus ac possessionibus, in quas nobiles avidissime inhiant, et quarum bonam partem jam meo Archiepiscopatui ademerunt, reliquum nisi prohibeat Dominus invasuri. Ego quantum in me situm est, et ablata conductis magna mercede militibus recuperare, et quæ adhuc salva et integra manent, ad quæ illi adspirant, non tam mihi jam seni et cujus vita diuturna esse non potest, quam Ecclesiæ meæ servare studeo. Qua in re adeo magnos, sed necessarios sumptus facere oportet, ut ex amplissimis olim Archiepiscopatus censibus vix ad nos singulis annis bis mille ducati redeant; sed neque ipsi integri, subducta mercede cum Theologis quatuor ex Parisiensi Academia celebribus et claris, quos impensis maximis per varios casus et vitæ discrimina Narbonam pertraxi. Horum omnium fidem faciet Vicarius meus, cui ad Sanctitatem Vestram has literas dedi. Cujus operam, quia in administrando Archiepiscopatu mihi necessariam esse judico, supplex a Sanctitate Vestra postulo, ut illi citissimum ad nos reditum imperet. Cæterum persuadeat sibi Sanctitas Vestra, me nullum erga illam officium prætermisurum, cui ex animo omnia mea meque ipsum totum devoveo, quam etiam feliciter valere Deus jubeat, eamque Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem. Narbonæ pridie Idus Maji MDLXXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus servitor

Svigorsus Archiepiscopus Narbonensis.

Idem Præsul Romam misit Archidiaconum Narbonensem, qui Pontifici fusius miserrimum rerum statum ob oculos poneret. Capitulum quoque Narbonensis Ecclesiæ ipsum Archidiaconum apud Pontificem valde commendat, adjuncto amplissimo Præsulis elogio. (*)

(*) Gallia Vol 9 fol. 276

Post humillima sanctissimorum pedum oscula.

« Quanto gaudio auspicatissimus Domini Simonis Vigoris adventus urbem hanc Narbonensem et finitimos quosque vicos compleverit, testantur omniom ordinum et ætatum opplausus et acclamatio vicinorum hominum concursus, qualem vel pacatissimis Reipublicæ temporibus non meminimus, qui conveniunt ad hunc prope divinum hominem, non secus ac olim ad Heliam et ad Paulum audiendum, testatur revirescens illa vetus Christiana pietas, quæ nostris hisce calamitatis temporibus fere penitus exaruerat: nisi hujus hominis virtute excitata in multorum animis denuo revixisset. Cujus beneficii gratiam Tuæ Sanctitati, Beatissime Pater, deberi merito existimamus, qui neque passus es hanc nostram urbem pastore vacuam diutius in luctu et solitudine consenescere, et eum virum nobis præfecisti, cujus et eximia doctrina hæreticorum errores extirpari, et singulari vitæ sanctitate populus ad verum pietatem incitari optime et efficacissime posset. Itaque, Beatissime Pater, Tuæ Sanctitati immortales gratias agimus, quod amantius et indulgentius in nos, quam in cæteras Christianæ Reipublicæ urbes æternum amorem ostenderit, oleo lætitiæ nos ungens præ consortibus nostris, quorum magna pars perversis opinionum commentis infecta idcirco a salutaribus Christi et Ecclesiæ pascuis evagatur, quod pastorum ope destituta sit, qui teterrimos religionis nostræ hostes veris rationibus convincere ac labefactare possint; quo in statu res omnes præsentis Ecclesiæ versentur, facilius Tua Sanctitas ex hoc collegii nostri Archidiacono intelliget, cujus fidei ob perspectam ejus et cognitam multis in rebus experientiam et integritatem rerum omnium summam mandavimus, quam a nobis perscribi potuerunt. Finem itaque faciemus, si id unum Deum rogaverimus, ut Ecclesiæ suæ diu Sanctitatem Tuam servet incolumem quæ, talibus viris, qualis est Archiepiscopus noster, ad sedem episcopalem promotis, hæreseon zizaniam ex agro Domini tandem aliquando funditus evellat.

Narbonæ pridie Idus Maji 1575.

Vestræ Sanctitatis

Humillimi et obsequentissimi servi

CAPITULUM ET CANONICI ECCLESIÆ SANCTÆ METROPOLITANÆ NARBONENSIS.

Nemo equidem fuit, qui tantum Præsulem Carcassonæ Kalendis Novembris hujus anni extinctum non lacrymis prosequeretur. Fuerat enim invictus fidei assertor, suique gregis pastor amantissimus.

Lugdunensium Archiepiscopum, Præsulem alias solertissimum, Gregorius comiter præmonet, ut, quæ inscio ipso a parocho Pontisvelæ in audiendis confessionibus acta fuerant, curet corrigenda, ne quid amplius hujusmodi accidat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 4. fol. 4

Venerabili Fratri Archiepiscopo Lugdunensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepimus Paulum parochum Ecclesiæ Pontisvelæ, superiori hebdomada sancta, postquam multorum ejus loci confessiones privatim et secreto, ut fieri debebat, audivisset, a ceteris omnibus, quorum ingens erat numerus, una generali confessione publice et simul facta contentum fuisse, eosque etiam simul omnes absolvisse, sacrosanctamque Eucharistiam singulis præbuisse, idque, ut parochus ipse ait, necessitate coactum fecisse, quod solus esset, nec singulares tam multorum confessiones unus audire posset. Dolemus graviter et factum ipsum, quia nulla ratione probari potest, et causam facti: tam multas scilicet animas uni tantum presbytero curandas relictas esse, cumque antea in Ecclesia illa plures presbyteri et sanctorum Sacramentorum ministri fuissent, totum onus ad unum rediisse, atque una et illum opprimi, et animas Ecclesiasticis sacramentis fraudari. Hoc insciente te factum esse facile existimamus, nulla etiam ratio fuisset tam gravi damno, et scandalo non providere. Voluimus autem has ad Fraternitatem Tuam dare, ut omnem tibi apud Deum, atque homines excusationem adimeremus. Curabis igitur omnino, ut plures in Ecclesia illa presbyteri sint, quorum opera et ministerio adjuvetur parochis, animarumque necessitatibus provideator. Hæc te pro tuo munere, et Christi gloriæ, animarumque salutis zelo omni studio et diligentia facturum confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Junii, MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXXXVI. — Ad tot tantasque Galliæ calamitates accessit, quod Franciscus Dux Alenconius, Regis frater, XVII. Kal. Octob. insciis omnibus, Aula relicta, Regis inimicis se adjunxerit. Celerius omnium opinione tota nocte iter faciens, Drocum in Carnutibus ditionis suæ urbem pervenit, ac postridie ejus diei libellum evulgavit, quo palam faciens causas discessionis, scilicet se pluresque Regni proceres male in Aula habitos, et in custodiam absque crimine injuste traditos, præterea quod impendens omnium saluti exitum ab improbis eorum suasionibus, qui Regi a consiliis erant, imminere præviderat, propterea universos Galliæ ordines hortabatur ut sibi adjungere sese vellent, ad universi Regni comitia cogenda, quorum auctoritate ac opera oppressis consuleretur, levareturque plebs intolerabilium vectigalium acerbis exactionibus, et

quæ in judicia irrepserant, vitia tollerentur, reformatæ religionis libertas toties promissa, publicisque edictis probata, tandem assereretur, ad pristinum splendorem, et tranquillitatem universæ Galliæ ordinibus restituendum, pro quibus, inoffensa tamen Regia majestate, profitebatur ad extremum vitæ spiritum se propugnaturum, id exigentibus erga patriam caritate, et erga bonos benevolentia.

Ex hoc libello, undequaque ac præcipue in provinciis, locisque, in quibus Hugnotti degebant, evulgato, patebat illum inhiare imperio illius factionis, cui et tanti Principis auctoritate, tantoque sectatorum numero maxima existimationis et virium accessio futura erat. Rex vero eadem nocte, qua fratris fuga nunciata est, misit Ludovicum Gonzagam Nivernensium Ducem cum equitum manu, ut eum omni studio capere niteretur, quod consequi non potuit; plurium enim horarum spatio Alenconius summa cum celeritate præcesserat. Rex animo dubius et anceps, accersitis iis, qui ab intimo consilio erant, vespere diei decimæ sextæ Septembris agitare cœpit de ratione, qua tam inexpectato eventui occurendum esset: in hac consultatione, cum Regina mater majorque Consiliariorum pars in eam sententiam irent, in quam Rex propendebat, decretum est totis viribus curandum, ut quibuscumque vel gravibus conditionibus admissis, ab incœpto et a seditiosorum societate Alenconius abduceretur. Quamobrem, etsi Rex factionum principibus maxime infensus, alieno animo esset ab Marescallis Momoransio et Cosseo, qui adhuc in Bastilliæ carcere detinebantur, ut fratrem leniret, cujus causa in vinculis erant, ac ut materiem incendio detraheret, suadente rerum necessitate, restituti sunt pristinæ libertati, meditans Regina mater eorum opera uti ad conciliandum sibi filium, quem ipsa convenire decreverat; neminem se ipsa efficaciorem ad ipsum ab inceptis retrahendum rata, materna scilicet auctoritate, blanditiis, illaque arte, qua se prævalere quacumque in graviori rei tractatione experta fuerat. Jam in Pictonum regionem pervenerat Alenconius Dux, cui se illico addidere Nuvius, Gilbertus Vantadurius, in Lemovicibus nobilitate ac potentia clarissimus, et Turenius Vicecomes, Damvillio Marescallo sanguine conjuncti, urbesque, quæ in Hugonottorum potestate erant, legatos ad obsequium ei præstandum misere; itemque Condeus, qui in Germaniæ limitibus una cum Casimiro Principe validum coegerat exercitum, sese promptum paratumque, æque ac cæteri, ad ejus imperata facienda exhibuit. Noscens enim ambitiosum ejusdem ingenium, quantamque ei existimationem conciliaret splendidum nomen fratris Galliæ Regis, arbitratus est, eum eo de factionis imperio non contendendum, certus, quod licet suprema potestas specie in eo resideret, dominationem tamen ne apud se ipsum futuram, tum ob veterem Hugonottorum gratiam, tum ob externas copias propria cura coactas adducendasque, quæ nulli præterquam sibi obtemperaturæ erant, cujus sub auspiciis militiæ nomen dederant; idcirco præveniens Alenconii ambitum, supremum illum exercitus ducem appellaverat, ipseque legati munere in bello administrando contentum se professus est.

Alenconius nihilominus, ne hæc aliquando sibi fraudi essent futura, ad cæteras res per nuncios et litteras [*] apud Pontificem se purgare cœpit de sua cum hæreticis et Politicis conjunctione, ad quam vitæ periculo adactum et non exigua spe communis tranquillitatis inde secuturæ illectum esse affirmabat. Studiosissimus pacis Pontifex, accedentibus etiam Regis precibus, [*] nihil prætermisit, ut Alenconium ad conjunctionem cum fratre revocaret. Quare eum plenis caritate atque apostolica doctrina litteris, quibus nihil lenius, nihil gravius fieri potuisset, quæ sui muneris sint, admonuit. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 11.

[*] Ibidem N. 12.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 111. f. 74.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alansoni

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Magnopere lenierunt nostrum dolorem, quem accepimus de isto a Christianissimo Rege et fratre tuo discessu literæ Nobilitatis Tuæ; sic enim scribis retinere te, perpetuoque retenturum esse sanctam catholicamque Religionem, et fidem sanctæque atque Apostolicæ hujus Sedis, Romanæque Ecclesiæ obedientiam; nihilque in eo a majorum tuorum virtute et gloria degeneraturum. Laudamus summopere istam tuam voluntatem, quam ut habes a Divina bonitate, quæ, ut ait Apostolus, operatur in nobis et velle et perficere, sic præclare intelligis, te eidem bonitati summa omnia debere: fidem autem et perseverantiam esse dona Dei, nobilitatem, opes, potentiam, valetudinem, cæteraque, quibus cumulatus es, corporis atque externarum rerum bona, esse ipsa quoque magna Dei munera; tametsi longe prioribus illis animi bonis inferiora. His igitur tot tantisque Dei beneficiis debes non solum animi sinceritate et constantia respondere, sed summa etiam divinorum præceptorum omnium observantia. Quid autem præcipiat Deus de obediendo regibus, tenes Apostoli verba: Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Voluit te Deus esse fratrem Regis, hoc est principem post eum locum tenere, quo quidem honore et gradu lætandum tibi magnopere est. Debes igitur fratri summam charitatem, Regi obedientiam; et charitatem quidem retinere te adhuc dicis; quod in ista disjunctione

alii forte vix credent, Nobis facile persuades: obedientiam certe non agnoscimus. Huic igitur, Charissime fili, stude; neque patiaris tot tamque excellentes virtutes tuas hac gravissima labe maculari, neque tibi seorsum a Rege et fratre vivendum existima, sed ad pristinam consuetudinem, et convictum, animorumque et cosiliorum conjunctionem redi, huncque perpetuum vestris communibus hostibus dolorem inure, summamque amicis Nobisque in primis lætitiam affer. Cætera cognosces ex eodem Domino Fais, quem ad Nos misisti. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die decima nona Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Ducem etiam Sabaudiæ, pro veteri, quæ inter eum et Ducem Alenconium intercedebat amicitia, excitat, ut det operam fratri eum Rege reconciliando. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 110. f. 71.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Sabaudiæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem, etc. Misit ad Nos dilectus filius Franciscus Alansoni Dux Dominum Fais cum literis, per quas purgat se de suo a Christianissimo Rege et fratre discessu, profiteturque se retinere eam fidem et Religionem, eamque erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem, Romanamque Ecclesiam observantiam, quam majores sui retinuerunt; nec unquam eam depositurum. Laudavimus hanc ejus voluntatem, hortatique eum sumus ad reditum atque ad eam erga Regem obedientiam, erga fratrem charitatem, animorumque et consiliorum conjunctionem colendam, in qua hactenus vixerunt: hoc enim magnopere et Deum velle, et Regno ipsi utile esse; quod idem Nobilitatem Tuam non dubitamus et judicare et cupere. Itaque rogamus, ut omnem auctoritatem, atque operam ponas in hac redintegratione conficienda; eamque in hoc negotio tractando rationem sequaris, quam judicabis pro tua prudentia maxime facilem atque expeditam esse; summam in te spem habemus, quem certo scimus pro tua insigni pietate, proque ea, quæ tibi intercedit cum his fratribus, sanguinis conjunctione, hoc dissidio gravissime affici; nihilque magis velle, quam ipsos inter se in omni honesta ratione quam conjuctissimos videre, neminem vero intelligimus tibi auctoritate et prudentia anteponi; cui etiam tam glorioso conatui speramus Divinam opem affuturam. Nos ut ipsi Duci omnem nostram ad id auctoritatem, atque operam polliciti sumus, sic Tuæ Nobilitati pollicemur. Cætera ex Nuntio nostro cognosces, omnemque ei fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Cum autem Gregorius videret nihil promoveri, ad Ducem Alenconium, ad hoc concordiæ negotium facilius expediendum, Archiepiscopum Nazarenum legatum extra ordinem mittit [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 89 f. 62

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alansoni

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nostra paterna in te charitas, summumque tuæ gloriæ, et Regni istius tranquillitatis atque amplitudinis desiderium, quod quidem Nobilitati Tuæ perspectum esse confidimus, facit, ut dies noctesque cogitemus, quibus potissimum rationibus hoc ipsum, quod incredibiliter cupimus, assequi possimus, ut scilicet te, fratremque tuum Regem, vestrosque omnes omni gloria et potentia circumfluentes, hostesque vestros disjectos, misereque perditos, Regnumque istud omnibus rebus florentissimum videamus. Id autem una tantum ratione effici posse, summa nimirum inter vos conjunctione et concordia, et ipsi judicamus, et te pro tua prudentia preclare intelligere certo scimus. Qua enim ratione hactenus stetistis, intestinorumque hostium fraudes, et conatus toties fregistis, in eadem vobis persistendum, eademque ad hostium reliquias dissipandas utendum esse omnes vident. Nec quidquam vobis, ac Regno vestro exitiosius, nihil vestris hostibus jucundius, atque ad vos ipsos oppugnandos, et (quod Dei misericordia prohibeat) evertendos validius esse potest vestra inter vos alienatione, atque dissidiis; fratrum enim inter se discordiæ certissimam semper, celerrimamque tum ipsis, tum eorum rebus attulerunt ruinam. Experti estis, quantum semper vobis in concordia et pace præsidii situm fuerit in rebus periculosissimis; tantumdem conveniet esse exitii in discordia; oportet enim contrariorum contraria esse consequentia. Quoniam igitur hac cura vehementer angimur ad Nobilitatem Tuam venerabilem fratrem Archiepiscopum Nazarenum, virum, ut nosti, prudentissimum, de pace et concordia cum fratre tuo et Rege, quorum duorum nominum alterum apud te dulcissimum esse debet, alterum sanctissimum. Quæ Archiepiscopus cum Tua Nobilitate aget, omnia aget mandato et verbis nostris: itaque eandem ei, quam Nobis ipsis fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eidem mandat, ut Regem ipsum Henricum conveniat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 90. fol. 64.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo

GREGORIVS PP. XIII.

« Carissime in Christo fili noster salutem etc. Non dubitamus, perspectam esse Majestati Tuæ nostram paternam in te charitatem, summumque desiderium amplitudinis tuæ et Regni istius tranquillitatis. Hæc igitur nostra assidua cogitatio et cura facit, ut istuc mittamus venerabi-

lem fratrem Archiepiscopum Nazarenum, cujus singularem prudentiam atque erga Majestatem Tuam fidem et observantiam scimus tibi cognitam esse: mittimus item eum cum nostris literis ad Ducem Alansoni fratrem tuum super vestra pacificatione, qua una judicamus Regni istius tranquillitatem maxime contineri. Quid autem ab Archiepiscopo Duci proponi, quid cum ipso agi volueris, eum eo communicabis: ille enim omnia, quæ Majestati Tuæ placebunt, loquetur, agetque cum Duce nostro nomine et verbis. Cupimus etiam, ut Archiepiscopo summam fidem tribuas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Novembris mdlxxv. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXXXVII. — Interea Condeus Princeps magnam copiarum vim e Germania in Galliam evocaverat, quibus contra regias copias consisteret. Verum ineunte Octobre Dux Guisius in itinere Condei exercitum per Campaniæ provinciam ad Dormantium oppidum aggressus, disjecit, fudit et delevit. Tanto enim ab Catholicis ardore certatum est, ut ipse Dux Guisius, dum hostes pedem referentes et adhuc pugnantes persequeretur, ex ignea ballista in sinistra maxilla vulnus acceperit. Hic casus mirifice valuit ad illi gratiam eorum conciliandam, qui Catholicæ religioni addicti vulnus illud veluti illustre testimonium effusi sanguinis vitæque in discrimen adductæ pro Dei Ecclesia tuenda suscipiebant. Rex igitur extemplo de parta victoria Pontificem certiorem fecit, effusis in Guisium laudibus. [*]

[*] Mantissa document. N. 13.

LXXXVIII. — Inter hæc Regina mater Catharina nempe Medicea, a Momoransio et Cosseo Marescallis comitata ineunte Novembri ad ad Campanium in Pictonibus oppidum in colloquium cum Alenconio Duce venerat, qui ambitione elatus ob adeptum in plurimos imperium, atque ob mox adventurum exterorum exercitum, jam Burgundiæ limitibus proximum, concordiæ conditiones non admittens, exeunte Novembri induciis tantum semestribus paciscendis assensus est, quo temporis spatio spem animo conceperat Regina, Germanicum exercitum non modo aut diminutum aut dissolutum iri, verum etiam Alenconium, uti ingenio erat instabili et ambiguo, descensurum ad æquiores tutioresque pacis conditiones. Hæc autem fuere induciarum pacta: a Rege scilicet Germanicis a Condeo Principe conscriptis copiis in stipendia centum et sexaginta aureorum millia persolverentur, dummodo a Rheni trajectu se abstinerent, nec Galliæ fines ingrederentur; Hugonottis, se iis, qui Politici appellabantur, ad securitatem Engolisma, Salmuris, Niortium, Avaricum, Charitas et Mederiacum urbes traderentur, quæ tamen præscripto induciarum tempore elapso reddi deberent, licet pax non inita adhuc fuisset; præterea Rex Alenconio Duci solveret stipendia pro centum nobilibus viris totidemque cataphractis et centum sclopetariis, ac quinquaginta Helvetiis ad custodiam corporis; nuncii fœderatarum provinciarum, procerum Politicorum et Hugonottorum ad decimamquintam proximi Januarii mensis diem Parisios convenirent ad pacis conditiones tractandas, interea tamen utraque pars ab armis mutuisque damnis inferendis per universum Galliæ regnum cessaret. At licet induciæ vigesimo Decembris die evulgatæ fuissent, non tamen integre adimpletæ sunt. Rufecius enim, qui Angolismæ, et Montinius, qui Avarico præerant, eas urbes Alenconio tradere renuerunt, prætexentes ob simultates atque inimicitias Regis ac Religionis causa susceptas, alibi se tutos esse non posse; Regina nihilminus, cujus consensu hæc ab illis opponi existimabatur, harum duarum urbium vice tradi jussit Angeriacum et Cognacum minoris longe momenti arces; econtra Condeus Princeps Germanique ea timentes, quæ regiæ parti addicti proceres curabant, ab ingressu in Galliæ regnum se abstinere, recusarunt, prævidentes in iisdem castris otiose morante exercitu procul dubio vel absque hoste dissolutum ac perditum iri; quamobrem Regina, relictis apud filium Mompenserio Duce et Momoransio Marescallo, ut eum in concordiæ consiliis permanere cohortarentur, Lutetiam omni festinatione properavit, ut adesset pacis tractationi habendæ cum partium nunciis, cui initium datum est mense Januario anno mdlxxvi. certa eum felicis exitus spe.

LXXXIX. — Ex dictis superius nemini admirationi esse debet, Guisianam gentem tantum auctoritate et gratia in Gallia pollentem extitisse, ut non solum in rebus civilibus, sed in Ecclesiasticis etiam valeret plurimum; adeoque in primas Episcopales sedes intueretur. Itaque Rex Remensem cathedram, quam defunctus Cardinalis Lotharingius obtinuerat, ejus nepoti conferri a Pontifice petüt. Cujus rogatui accesserunt etiam preces Ludovici Cardinalis Guisii, demortui Caroli Cardinalis fratris, illud etiam petentis, [*] ut idem nepos in sacrum Cardinalium Collegium cooptaretur. [*]

[*] Mantissa documentor. N 11.
[*] Gallia Vol. 8. f. 1.

Sanctissimo Domino Nostro PP.

« Beatissime Pater. Post humillima felicium pedum oscula. Pro eo quo Beatitudo Vestra defunctum Carolum Cardinalem fratrem meum charissimum, Sanctitati Vestræ totique familiæ suæ Illmæ et clarissimæ multis nominibus deditissimum, prosequi dignabatur amore et benevolentia, eum vigesima sexta mensis præteriti die immatura morte nobis ereptum, certo scio graviter et moleste laturam. Quanto casus ille acerbus me affecerit mœrore, vix credibile est, neque me solum et nepotes meos, quibus loco patris erat, sed et Reginam Matrem et singulos hujus Regni Principes et Magnates ac viros op-

timos, omnesque Catholicos summo dolore confecit. Et certe merito eum e medio sublatum conquerentur turbulentissimis istis temporibus, quibus Rempublicam Gallicanam et christianam consiliis suis juvare summopere poterat et volebat, totisque conatibus in id incumbebat. Sed tandem moriendum est, et nobis quoque cum Deo Optimo Maximo moriendum erit, cujus voluntati ne latum quidem unguem refragari licet, cumque ita Majestati S. Divinæ placuerit, de eo conqueri, humanum quidem, sed christianum non est: illum beatissimum in conspectu Domini credimus; toto enim infirmitatis suæ quantumcunque gravissimæ et acerbissimæ tempore, nihil aliud præterquam de Deo, de Virgine Maria, et Sancto Dionysio, rebusque cœlestibus cogitare visus est. Demortuum amare planxit Regia Majestas, omnique honorum genere affici, nosque omnes tanto parente orbatos, bene sperare præcepit, seque nobis fratris loco ad futurum est pollicitus. Titulum Sancti Apollinaris quem obtinebat, mihi adscribi, quanto ita Sanctitati Vestræ benevisum fuerit, desiderarem; Legationis porro munus in Lutharingiæ et Barri Ducis Ducatibus, mihi cum eisdem, quibus defunctus, facultatibus a Beatitudine Vestra conferri, cum quanta possum humilitate supplex peto. Christianissimus Rex me in demortui locum suffici, ad perficiendum alienationis rerum ecclesiasticarum a Sanctitate Vestra concessæ negotium, urget, multaque a me in eo, Majestatis suæ jussu fraternæ infirmitatis tempore facta, suo diplomate firmari et validari: mihique Majestatem suam oleo sacro inungendi et coronandi, Archiepiscopali sede Remensi vacante, cujus Archiepiscopi ufficio ista incumbunt, facultatem a Sanctitate Vestra concedi, sibique litteras desuper necessarias per proprium nuncium mitti, summopere optat. Quæ si a Beatitudine Vestra consequar, ut confido, me sibi suisque obligatissimum habebit. Multa nepos meus Ludovicus de Lotharingia Abbas Fiscanensis a Sanctitate Vestra expostulat, Ecclesiam nimirum Archiepiscopalem Remensem sibi ex nunc in administrationem usque ad suæ ætatis annum vigesimum quintum aut septimum concedi, secumque super vigesimo dispensari; et interim præceptorem suum Audebertum Macereum Doctorem Theologum, virum pietate et eruditione non mediocri preditum, Administratorem in spiritualibus deputari, litterasque per viam Cameræ suæ secretæ expediri cupit. Quibus si eum beneficiis et gratiis auxerit Beatitudo Vestra, enitemur totis viribus, illam et suos omnes omni obsequiorum genere prosequi, Deumque Optimum Maximum pro sua valetudine, rerumque suarum prospero successu rogare non desinemus. Iterum atque iterum Sanctitatis Vestræ pedes, totius familiæ nostræ nomine, cum quanta possum humilitate et reverentia deosculor. Avenioni die septima Januarii MDLXXV.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus servitor

LUDOVICUS CARD. A GUYSIA.

XC. — Neque his Guisiana gens fuit contenta. Nicolao igitur Psalmæo Episcopo Verdunensi, virtutum ac litterarum splendore clarissimo viro, qui Tridentino Concilio sub Pio IV. interfuerat, ejusque historiam summa fide conscripserat, vita functo, in ejus locum Ludovicum Cardinalem Guisium suffici Rex a Gregorio postulavit, conditione adjecta, ut idem Episcopatus in Carolum Lotharingium cederet, si quidem ætatem a sacris canonibus huic muneri fungendo definitam attigisset. Eundem Carolum Pontifici etiam commendavit, ut Episcopo Tullensi, qui a morte prope aberat, Coadjutor cum futura successione daretur.[*] Eadem pro Carolo petierunt Carolus Dux Lotharingiæ et Nicolaus Comes Valdemontii, [*] cujus filia Regi nupserat. Eadem ratione Henricum Foxium ad sedem Ardurensem nominavit; [*] rogavitque insimul quam vehementissime Pontificem, ut Scipio Gonzaga ex illustri Principum a Sabuloneta et Bozzolo stirpe [*], nec non Episcopus Mimatensis, cujus egregia opera miraque dexteritate in Duce Alenconio fratre sibi reconciliando usus fuerat, ut sacro purpuratorum Patrum Senatui adscriberentur. [*]

XCI. — Illud vero Henricus maxime cupiebat, ut Paulus Foxius, quem ad Archiepiscopatum Tolosanum, quo sese Cardinalis Arminiacus abdicaverat, nominatim designaverat, a Pontifice tandem confirmaretur; at flectere Pontificis voluntatem nunquam potuit. Foxius enim invidorum molitionibus in suspicionem venerat, se non solum levius de Hugonottorum doctrinis sentire, sed etiam easdem per aliquod tempus anno MDLIX. complexum fuisse. Hoc in primis in causa fuit, cur Gregorius nullo modo eum confirmare voluerit. Quod cum intelligeret, Foxius nihil magis cupiebat, quam facultatem sibi dari a fœdo crimine coram Pontifice sese purgandi; quam ob rem Henricus cum legatum suum ad Pontificem constituit, pluribus litteris hunc certiorem facit, orat et obsecrat, ne Foxium novo munere functurum seque ei ex canonum præscripto purgaturum ad se mitti abnuat [*]. Foxius etiam Pontificis clementia confisus [*] libentissimo animo, ineunte mense Februario, iter Romam aggreditur. Ut Liburnum in Etruria appulit, nil potius sibi duxit, quam ut de tota re, deque adventu suo in Urbem Gregorium doceret. [*]

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

« Nihil mihi unquam acerbius contigit, Beatissime Pater, quam, quod intellexi, adventum

(*) Mantissa document. N. 15.
(*) Ibidem N. 16.
(*) Ibidem N. 17.
(*) Ibidem N. 18.
(*) Ibidem N. 19.
(*) Ibidem N. 20.
(*) Ibidem N. 21.
(*) Gallia Vol. 8. fol. 78.

meum Sanctitati Vestræ præproperum nimis ac festinatum visum fuisse. In quo ego maturando licet Regis Christianissimi imperium, procerum Galliæ auctoritatem, animi mei conscientiam, et cum de causæ meæ justitia, tum de vestra æquitate et moderatione spem sequutus sim, hocque iter meum per duorum jam mensium moras temperarim; expectans dum de me inquisitio ad Vestram Sanctitatem tanto antea missa legatur et cognoscatur: tamen cum id Beatitudini Vestræ non probetur, graviter errasse me agnosco, confiteorque nec aliter cum ipsa atque cum Deo, cujus ea vices gerit locumque tenet, agere velim. Itaque supplex etiam atque etiam oro, ne intres in judicium cum servo tuo, Domine, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: sed ut mihi misericordiæ tuæ fontes aperiens, hoc festinationis peccatum ignoscere digneris; nec tam ex eo, quam ex testimoniis ad Vestram Sanctitatem missis, de causæ meæ summa statuas. Et ego Beatitudinis Vestræ clementia excitatus, hunc meum errorem singulari posthac et præcipua obedientia, reverentia, observantia, omni denique officio compensare conabor, et paternam Beatitudinis Vestræ erga me lenitatem atque indulgentiam grato semper pioque animo colam. Interim post humillima sacratissimorum Sanctitatis Vestræ pedum oscula, Deum Opt. Max. oro, ut eam Ecclesiæ suæ diutissime servet incolumem. Liburni die 27. Februarii 1575.

Sanctitatis Vestræ

Humiliñus et obsequentiss. servus

PAUL DE FOIX.

Neque tamen hæc Gregorium moverunt, qui in sententia non admittendi ad se viri adeo perseveravit, ut per Cardinalem Comensem eidem interdixerit, ne Etruria excederet, pedemque in Pontificiam ditionem inferret: quod Foxius molestissime ferens Mortem Alcineum in confiniis patrimonii Sancti Petri ad Sienas secessit. Nihil erat illi reliquum, quam ut Pontificem ad sui misericordiam flecteret: quamobrem longioribus iisque vehementioribus litteris veniam præteritarum noxarum exoravit, paratumque sese professus est ipsius jussa facere, excusationemque omnium, quibus se obnoxium sui obtrectatores dicerent, vel errorum vel criminum se allaturum est pollicitus. [*]

[*] Gallia Vol. 8. fol. 209.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

« Quod in omnibus meis votis a Deo Optimo Maximo precatus sum ex illo tempore, quo innocentia mea apud Vestram Sanctitatem a malevolis atque invidis meis in dubium vocata est, Pater Sanctissime, ut Vestra Beatitudo per se ipsa causam meam cognoscere dignaretur, et sibi ipsi potius quam cuivis alii credere vellet, id me tandem singulari Dei beneficio vestraque summa æquitate ac moderatione consequutum esse vehementer lætor, ipsique summo ac præpotenti Deo et vobis ejus vicario, Divinæ bonitatis dispensatori benigno, maximas gratias ago. Nihil enim ex omnibus rebus humanis poterat hoc rerum mearum statu mihi contingere jucundius, quam fuit is nuntius, quem heri accepi, placere Beatitudini Vestræ eam inquisitionem legere vel audire, quam ad meam promotionem per certos Commissarios et super certis articulis fieri jussit, eoque amplius quod ego magis de Vestræ Sanctitatis tacita de me opinione ac cogitatione, quam de ulla dignitate semper fui sollicitus. Veruntamen ne hoc solidum gauderem gaudium, fecit aliud quiddam, quod simul intellexi: fieri videlicet novam Romæ inquisitionem, et novos audiri in me testes, antequam Vestra Sanctitas priorem illam tam solemnem viderit, aut relationem Cardinalium deputatorum audierit. Quod quidem ipsum quæri de me non metuo per se: modo a quibus oportet, et ex quibus oportet, et quando oportet, quæratur. Quippe qui nullius mihi fraudis conscius sum, ideoque nihil malim, quam omnes et quærendo de me, et audiendo expleri; sed hujus novæ quæstionis nova forma, contraque juris ordinem usurpata, suspicionem affert, subesse ac latere nescio quid malæ artis, præsertim cum jamdiu sentiam me absentem clam et tamquam per cuniculos a falsis quibusdam amicis oppugnari, prodique: quos ego patientia modestiaque cum vincere ac lenire semper sim conatus, tamen audentiores ac perfidiores reddidi, ipsisque apud alios fidem nimium simplex astruxi. Etenim Vestra Sanctitas Juris semper religiosissimus cultor, nunc etiam maximus est supremus auctor, novit optime omnium, cum ipse inquisitionem illam tam solemniter fieri et legi cognoscique jusserit, imo vero etiamnunc velit eam per se legere vel audire, juris ordinem postulare, ut de ea et super ea prius aliquid statuatur, quam nova inchoetur, aut aliquid novi attentetur. Atqui ajunt nondum a Vestra Sanctitate inquisitionem illam videri cœptam esse, neque relationem Cardinalium deputatorum adhuc auditam fuisse, tantum abest, ut super ea aliquid constitutum sit. Quo igitur animo suscepta sit clandestina illa et præpostera ac nova inquisitio: quæ ne Sanctitatis quidem Vestræ judicium atque arbitrium expectat, valde equidem metuo; præsertim ubi potentes adversarii mei presentes quemvis testem allegare, et quidvis comminisci possint: ego absens vix ac ne vix quidem quid agatur sciam, nedum defensionem ullam opponere valeam: quod unum voluerunt et spectarunt ii, qui me ne propius ad Vestram Sanctitatem accederem, eidemque desideria justaque mea exponere possem, calliditateque astutiaque sua procurarunt, hæc ego ad Vestram Sanctitatem, qua inscien-

te hæc omnia fieri credibile est, defero : ab eaque vehementer etiam atque etiam per Deum Optimum Maximum peto, ut juris via atque ordine, itemque bona fide fieri omnia jubeat; neque justitiam æquitatemque suam, neque innocentiam meam circumveniri sinat. Agitur fama nomenque hominis illustri familia orti, et plurimis maximisque honoribus functi. Agitur etiam regis Christianissimi aliqua ex parte existimatio atque auctoritas. Non sunt ista unius vel alterius clandestini atque obscuri et forsan ab adversariis submissi testis dicto committenda. Enimvero si innocentia atque integritas testibus ullis probari potest, habet jam Vestra Sanctitas tot et tanta de me testimonia, quot et quanta nunquam antea ad ullius promotionem e Galliis Romam perlata fuerunt. Habet sanctissima atque augustissima Caroli Noni, et Henrici Tertii et Reginæ eorum matris de me testimonia; habet informationes sive inquisitiones tres, Tolosonam unam, et Parisienses duas: et in his alteram per Commissarios a Vestra Beatitudine deputatos et super articulis a vobis ad eosdem missis factam. Habet præterea universi Senatus Parisiensis judicia gravissima; habet Facultatum Universitatis Parisiensis attestationes; habet denique adversariorum meorum flagrans studium et ardentem aliquid mali reperiendi cupiditatem, qui per multos jam annos ostinatim non modo Lutetiæ, sed etiam in universa Francia per suos Commissarios conquirunt, si quid mali de me reperiant; et tamen nihil hactenus reperire potuerunt, quam me abhinc sexdecim annos dixisse pro varietate delictorum varietatem poenarum constituendam esse. Itaque si hæc talia ac tanta testimonia non sufficiunt, si hæc tam animosa, tamque violenta perquisitio satis non est, nihil unquam sufficiet : neque video, quis quid amplius quærere aut desiderare possit, nisi vero testata et cognita integritate atque innocentia offendimur ac dolemus, et culpam scelusque potius quærimus et optamus. Sed bene est, quod Vestra Sanctitas mihi persæpe tum per se tum per alios affirmavit, gratissimum sibi futurum, si de mea innocentia sibi constaret, et nunc ipsa suis oculis auribusque videre et audire de me cupit ; quod ut aliquando tandem sine molestia sua et absque reipublicæ Christianæ incommodo faciat, per Deum Optimum Maximum rogo. Nollem ulli homini, nedum Sanctitati Vestræ molestus esse ; sed pudet pigetque me duplicis legationis persona insignem tamdiu ad ecclesiastici patrimonii limites desidere ac tacere, pudet regis Christianissimi auctoritatem tamdiu ludibrio esse, pudet cum fecialibus hostium et cum excommunicatis mitius quam mecum agi. Etenim qui ad bellum indicendum ac denunciandum accedunt, tamen ab illis ipsis, quos sibi hostes faciunt, audiuntur: et ego a Rege Christianissimo, filio Ecclesiæ primogenito, ad Summum Pontificem obedientiæ præstandæ causa non admittor : et excommunicati non arceutur ab Apostolicæ Sedis territorio, ne ab ipsa quidem urbe Romana. At ego, bis jam post quindecim menses acceptus a Vestra Sanctitate legatus, nunc tamquam ii, quibus aqua et igni interdictum est, ab ecclesiasticis Patrimonii finibus excludor, et in eos pedem inferre prohibeor. At quamobrem id tandem? quia Episcopatum petere ausus sum et munus ab Illmo Cardinali propinquo meo mihi oblatum, et a duobus jam regibus confirmatum non recusavi. Periculum videlicet ne ego, si legatus Romam recta venissem, Sanctitati Vestræ, quæ ad Deum omnipotentem proxime omnium mortalium et potentia et viribus accedit, vim afferrem, et jure vel injuria Episcopatus gratiam extorquerem. At quanto magis verendum erat, ne per exclusionem absentiamque meam et per adversariorum præsentiam Sanctitatis Vestræ æquitati atque auribus insidiæ fierent; ne ego absens, indefessus, inauditus, præsertim ab adversariis præsentibus, potentibus, et omni vestra simulatione tectis circumvenirer atque opprimerer. At vero, ut alia multa omittam, et inquisitionem illam novam non refricem, quale illud est, quod ante deputatorum congregationem illustria, certa et solemnia Catholicorum et primariorum civitatis Tolosanæ virorum testimonia neque lecta neque accepta sunt : et tamen in ipsa congregatione ad adversariorum meorum suggestionem, gratiam et arbitrium lectus est liber hæresibus et nefariis in Deum et in Ecclesiam Catholicam atque in Sanctam Sedem Apostolicam blasphemiis execrandus atque abominandus. Qui liber etiam eo minus erat producendus, quod is jam antea Vestræ Sanctitati ante annum fuerat obtrusus, et visus atque revisus. Ego autem nihilominus a Vestra Sanctitate pro legato acceptus atque honoratus fueram, et in causa promotionis Vestra Sanctitas eum liberum neglexerat, et inquisitionem fieri vuluerat, ut ex ea scilicet, non ex libro illo jam repudiato, de promotione judicaretur. Hi sunt videlicet absentiæ meæ fructus : adversus innocentiam actum jam agitur : et hæreticus unus innominatus atque injuriatus de iis quibus non interfuit, balbutiens auditur et creditur, quamvis antea rejectus et repudiatus. Viri autem Catholici et in sua civitate primarii pro innocentia de iis, quæ noverunt, et quibus interfuerunt, jurati, ne audientur quidem. Fiunt, fiunt, insciente Vestra Sanctitate, factaque sunt alia permulta, de quibus per literas conqueri non audeo ; sed quod ad testes Tolosanos attinet, hoc alterum maximum Sanctitati Vestræ debeo, quod de his certior facta horum testimonia legi et cognosci voluit, speroque eam quanto majori conatu et occultiori fraude meam absentis in-

nocentiam oppugnari senserit, tanto attentius in ea inquisitione, quam legere dignatur, omnia quæ ad innocentiam faciunt notaturam et brevi his malis omnibus sua auctoritate ac decisione finem imposituram, et nobiscum acturum, sicut innocentia personaque mea et Regis Christianissimi Majestas, et Suæ Beatitudinis æquitas et moderatio postulat. Quam hic ego ad extremum per Christum Dominum nostrum oro, ut mihi ignoscere dignetur, si filius innocens nec mediocriter dolens apud Patrem æquissimum liberius conqueri ausus sum, cogitetque pro sua sapientia et æquitate, nihil esse difficilius quam tacere cum doleas; nihil liberius, quam innocentiam et bonam recti animi conscientiam; nihil rursus ad tantum animi dolorem expromendum levandumque amantius aut dulcius, quam paternam pietatem, ejus præsertim, qui solus famæ honorisque mei dominus malis meis mederi potest. Deum Optimum Maximum cum humillimo sacratissimorum pedum vestrorum osculo rogo, ut Sanctitati V. ad Ecclesiæ regimen longissimam et felicissimam vitam largitur. A Montalcino IX. Cal. Maji 1575.

(*) Reg. Gregorii VIII. Ann. IV. ep. 3. fol. 3.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotiss. servus

PAUL DE FOIX.

Hæc nihilo magis apud Pontificem valuerunt; quod fortasse mirum videretur, nisi cognitum esset, id magna ex parte auctore Cardinali Pelleveo Senonensi, Archiepiscopo, tum Romæ degente, factum, qui cum ex animo Foxio adversaretur, nihil non egit, ut in eum Gregorium concitaret. Ex quo evenit, ut Pontifex nihil dubitaret apertissime Regi rationes exhibere, ex quibus neque huic Oratori se adeundi facultatem faciendam, neque designationem ejus in Archiepiscopum Tolosanum probatam et ratam habendam esse censuerit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 2. fol. 2.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo

GREGORIUS PP. XIII.

«Charissimo in Christo fili noster salutem etc. Animadvertimus in literis Majestatis Tuæ datis ultima Maji, venisse tibi in dubium nostram erga te voluntatem, quod quidem fuit Nobis permolestum. Sperabamus enim eam tibi perspectissimam esse; teque eam jamdiu multis in rebus paternam, ut revera est, cognovisse; ac sic cogitare, ubi quid esset, in quo tibi non gratificaremur, non voluntatem Nobis deesse, sed facultatem, idque Nos salva nostra atque hujus Sanctæ Sedis dignitate facere non posse. Tale est illud de Foxio oratore tuo admittendo, atque apud Nos habendo; quod quidem si Nobis facere licuisset, nihil necesse habuisses toties ea de re ad Nos scribere. Ut autem id non prius faciendum judicaremus, quam eum ab omni superiorum temporum suspicione et criminatione apud Nos purgatum videremus, movit Nos et muneris ipsius, quo illum fungi oportuisset, gravitas, et nostra in consiliis communicandis, inque hujus Sanctæ Sedis sinceritate et dignitate conservanda cautio et diligentia. Nunquam enim voluerunt Romani Pontifices apud se habere eos, qui aliquando in suspicionem violatæ Religionis venissent, nisi cognovissent id crimen falsum fuisse; idque in Foxio ipso, ne longius exempla petantur, scis fecisse Pium Quintum, Carolumque Regem fratrem tuum semel cognita ejus voluntate nihil amplius tentandum putasse. Quod quidem exemplum cum utrique nostrum sit propositum, si, ut Nos superioris Pontificis factum sequimur, sic tu Regis judicium sequi volueris, nihil erit, cur aut nostrum consilium sibi grave videatur, aut quæras Nos de honestissima ac necessaria sententia dimovere. Nam quod scribis, sæpius dedisse te Nobis testimonium voluntatis, judiciique tui de Foxio, fuit eritque testimonium Majestatis Tuæ semper illud quidem apud Nos gravissimum, sed gravius multo in iis, quæ ad Sanctam Religionem pertinent, hoc est, quæ proprie nostri judicii et curationis sunt, ex alieno judicio minime pendere, scrupulumque omne in diligentissime cognoscendo ex animo nostro evellere. Id autem cum fecimus, non Nos quidem tuam, ut scribis, auctoritatem contemnimus, (novimus enim Regem Christianissimum, Nobisque suis multis, maximisque meritis charissimum in honore habere) sed Dei causæ omni cura et studio inservimus, eamque, quam eidem Deo debemus, fidem et vigilantiam quoad possumus præstamus. Quod scribis, ea, quæ in causa Foxii acta fuerunt anno MDLIX. nusquam extare, neque Nos postulamus ut ea proferantur, quæ nusquam sunt, neque tamen possumus sine illis actis de Foxio acquiescere. Nam quod addis, ea etiam si extarent, tamen non posse ad Nos perferri sine gravi jurisdictionis atque auctoritatis tuæ jactura: nihil est quod verearis, Nos ea postulare, quod velimus causas isthic actas cognoscere, sed cupimus tuæ voluntati in Foxio satisfacere, quod quidem alia ratione facere non possumus, quam si eum innocentem viderimus. Quod alias Foxium a Tua Majestate venientem admiserimus, scis longe aliud esse, unum aliquod, idque brevissimi temporis, atque etiam privatum negocium audire, in quo etiam scis, quanta cum difficultate Foxium admiserimus, aliud universarum gravissimarumque rerum Potentissimi Regis nomine magna cum potestate curandarum ministrum atque Oratorem apud Nos perpetuo habere. Neque vero est, quod non admisso Foxio ullam rerum tuarum jacturam pertimescas: non enim deerunt Majestati Tuæ viri gravissimi ac prudentissimi, quorum opera utaris, neque interea tuæ res apud Nos neglectæ fuerunt, neque

negligentur. Nos vero nisi acta illa viderimus, nulla alia ratione possumus in Foxio admittendo summam apud Deum atque homines offensionem vitare. Neque tamen ullum de Foxio præjudicium facimus, neque ullum in eo crimen consistere statuimus, sed tanta est muneris ipsius magnitudo, Religionis candor, nostri officii gravitas, Divini judicii severitas, ut non debeamus pati ullum scrupulum residere. Hujus igitur totius negotii capiendi facultas in manu tua est, si aut acta illa ad Nos miseris, aut de Foxio admittendo postulandi finem feceris. Habes causas nostræ recusationis, quas speramus tuæ prudentiæ ac pietati visum iri gravissimas ac pernecessarias. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

XCII. — Henricus ineunte hoc anno denuo Pontificem efflagitaverat, ut novum equestrem Ordinem, cujus supra ann. 1574. §. 71. meminimus, confirmaret [*], quod ille sapienter, ut animadvertimus, facere renuit. [*]

[*] Mantissa document. N. 22.
[*] Reg Gregorii XIII. Ann. III ep. 264. f. 348.

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. De tua optima voluntate et studio, digno Rege Christianissimo, Catholicam Ecclesiam tuendi et juvandi, ejusque filios amplectendi atque ornandi, hostesque delendi nunquam dubitare potuimus: habemus enim hujus voluntatis atque animi pignora certissima, præstantem pietatem tuam, promptam operam, labores inexhaustos, vitam denique ipsam inter hæc agenda omnibus periculis expositam: a quo etiam studio illa profecta esse, quæ Nobiscum egerunt primum venerabilis frater Archiepiscopus Nazarenus, tum dilecti filii Abbas Cisterciensis et Vetus de Commendis in tuo isto Regno constituendis, et ex literis Majestatis Tuæ, et ex ipsorum sermone cognovimus. Ut autem tam præclaræ voluntati, quantum in Nobis est, gratificare cuperemus, sic eas, in quibus incidimus difficultates et nodos, dissimulare ac tacitos præterire pro munere Nobis a Deo commisso non possumus. Mittimus igitur eos cum his literis Majestati Tuæ, quibus cognitis non dubitamus prudentiam ac pietatem tuam nihil a nostro judicio discrepaturam, neque rem tam difficilem tanto cum damno postulare perseveraturam, atque aliam rationem inituram assequendi eam, quam cupis, Christi gloriam, Regnique istius, quæ summopere Nobis cordi est, tranquillitatem. Cætera ex ipso Vetere cognoscet Majestas Tua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Martii MDLXXV. Pont. Nostri anno tertio.

XCIV. — Hoc anno magna illa contentio inter Jesuitas et Universitatem Parisiensem de studiorum moderatione, deque immaculata Beatæ Mariæ Virginis conceptione exorta est, quæ prudentia et dexteritate Nuntii Apostolici quievit aliquandiu, non autem extincta fuit. [*] Jesuitæ supplici libello Cardinali Borbonio privilegiorum ejusdem Universitatis Apostolicorum assertori in manus tradito petierunt, ut se in Academiam illam admitti liceret, polliciti se legibus decretisque illius obtemperaturos. Vide de hac controversia Balæi historiam Universitatis Parisiensis Tom. VI. pag. 744-747. Parisiis 1673. fol. Initium contendendi fecerat celeber ille P. Maldonatus e Societate Jesu, hispanus, vir sane de Sacris Scripturis interpretandis optime meritus, qui utpote acriori ingenio præditus in publicis lectionibus opiniones nonnullas periculosas de Purgatorio in vulgus emiserat. Quod attinet ad illam celeberrimam nostri etiam temporis quæstionem: ille utique docuit, piam hanc omnium fere sæculorum traditione suffultam sententiam de immaculata B. Mariæ Virginis conceptione ceu articulum fidei definiri non posse; atque Theologicæ Facultati Parisiensi succensuit, quod sacramentum exigeret a suis alumnis, quo profiterentur tanquam de fide Beatissimam Virginem a peccato originali immunem fuisse. Omnis Universitatis Senatus, Artium Facultas, Medicorum et Jurisconsultorum Collegium, et præ cæteris Theologorum ordo una communi omnium voce conclamarunt Maldonati sententiam omnino rejiciendam. At Maldonato favebant tum Episcopus Parisiensis, tum Cardinalis Borbonius. Acriter utrinque diceptatum fuit. Parisiensis Præsul censuris ecclesiasticis nonnullos e Sorbonæ Theologis plectit: hi præcipiti modo et violata Ecclesiæ disciplina, omnibus Universitatis ordinibus consentientibus, ad Senatum Parisiensem ab Episcopi sententia appellant. Denique utraque pars Episcopus et Facultas Theologica litteris datis rem totam ad Pontificem deferunt. Has litteras videsis apud Carolum Duplessis d'Argentré, Doctorem Sorbonicum et Episcopum Tutelensem, qui negotium hoc fuse in libro persequitur, cui titulus est: Collectio Judiciorum de novis erroribus, qui ab initio duodecimi sæculi post incarnationem Verbi usque ad annum MCXXXU. Lutetiæ Parisiorum 1738. Tom. II. pag. 443-448. fol. Heic habes quæ in libro decretorum ejusdem Facultatis Theologicæ leguntur. [*]

[*] Mantissa document. N. 23

[*] Videsis C. Duplessis d'Argentré Collect. Judicior. Tom. II pag. 114.

« Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Joannes Maldonatus legebat libros sententiarum Parisiis in Collegio Claromontano, et acriter disputavit adversus placita sacræ Facultatis de immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis, eamdem Facultatem reprehendens, quod sacramentum exigeret a suis alumnis, ut tenerent tanquam de fide Beatissimam Virginem si-

ne peccato originali esse conceptam. His de causis Rector Parisiensis Academiæ quatuor convocavit Facultates, quæ uno consensu statuerunt, habendam esse expostulationem adversus Maldonatum coram R. D. Gondio Parisiensi Episcopo, qui quidem in favorem Maldonati sententiam pronunciavit. Facultas autem Theologiæ, cum alumnorum suorum mentem et sententiam de avita doctrina et fide rescire vellet, comitia indixit sub juramento omnibus Scholæ magistris anno Domini 1575. mensis Februarii 15: quibus in comitiis omnes magistri, octo aut novem exceptis, qui a partibus Domini Episcopi Parisiensis stabant, conceptis verbis declararunt, se de fide tenere B. V. conceptam esse sine macula originali. His de causis D. Episcopus Parisiensis distrinxit censuram adversus Rectorem, et præcipua supposita Parisiensis Academiæ, ubi vero magnos inde motus excitari vidit, mutata sententia, nominatim excommunicavit magistros Adamum Sequart Decanum et Jacobum Fratrum Syndicum ejusdem Theologiæ Facultatis, pro quibus de eadem excommunicatione ad supremum Senatum tanquam ab abusu appellarunt omnes Facultates Universitatis: qua de causa acta sequentia facta sunt et ad Summum Pontificem directa absque successu. Senatus autem improbavit sententiam Domini Episcopi Parisiensis. Lib. 5. S. Fac. fol. 151.

XCIV. — Henricus Rex novas Equestrium Ordinum institutiones in deliciis habuisse videtur: quare religiosa quidem voluntate Pontificem exorat, ut Ordinem, cui nomen a Passione Domini Nostri Jesu Christi, alterumque S. Ludovico Gallorum Regi dicatum Apostolica auctoritate confirmare velit. Iisdem præterea litteris etiam atque etiam rogat, ut ad regni necessaria munera levanda diploma, (Bullam vocant) antea de bonis ecclesiasticis alienandis (*) concessum, ampliori sinat. Alteris litteris Parisiis XI. Kal. Octob. datis iterum petit, ut ad pacandos tumultus ex subita Alenconii Ducis ab Aula fuga excitatos, sibi facultas fiat bona ecclesiastica alienandi ad centena millia scutatorum annui redditus; (*) Quod Clerus, qui ab tredecim continuis annis hujusmodi subsidia suppeditaverat, fere exhaustus multo ægrius tulit, Regemque supplici libello deprecatus est, ut eum tantu onere levari vellet. (*) Nuntius Apostolicus Rege rogante cum Clero egit, ut regiæ voluntati satisfieret. (*) Cum vero nihil promoveretur, Rex iterum per litteras ad Cardinalem Pelleveum Archiepiscopum Senonensem datas, idem negotium Pontifici quam maxime commendavit. (*)

(*) Mantissa document. N. 24.

(*) Ibidem N. 25.

(*) Ibidem N. 26

(*) Ibidem N. 27.

(*) Ibidem N. 28

XCV. — Quamvis Henricus Galliarum Rex duos fere menses Avenione commoratus fuerit, nihilo tamen lætiores res Avenionensium evasere; Hugonotti enim vicinarum provinciarum nunquam Avenionensibus ac Venusinis qua armata manu, qua fraude calamitates comparare intermittebant. Itaque oppidu Minerbæ expugnato, alterum Aquæmortæ in Delphinatus confiniis oppidulum in suam potestatem redegerunt, parumque abfuit, quin Avenione potirentur, et quidem auctoribus simulatis illis Catholicis, qui bellorum civilium temporibus ad Hugonottorum castra transierant, ac deinde erroribus ejuratis Ecclesiæ Catholicæ denuo nomen dederant, quique non pauci fuere. Nuntius Apostolicus, dum Avenione cum Rege degebat, et Cardinalis Arminiacus Legatus et ipsi Avenionensium Consules Pontificem iteratis litteris de periculis et insidiis, quas ipsis Hugonotti assidue struebant et parabant, certiorem fecerunt, precatique sunt, ut alios milites Avenionem subsidio mitteret, et simulatos illos Catholicos reliquosque profugos, qui varia falsaque causati sedem apud ipsos fixerant, inde egredi juberet. (*)

Gregorius, ut luctuosis hisce casibus opportunius occurreret, Avenionensibus mandat, ut legatum ad se mittant, quocum de hoc negotio accuratius agere possit. (*)

(*) Mantissa document. N. 29.

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 241. f. 237.

Dilecto Filio Nostro Georgio Cardinali Arminiaco nuncupato

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Non rescripsimus ipsi ad eas literas, quas superiori tempore multas ad Nos scripsisti, quia scimus, satisfecisse nostro nomine dilectum filium nostrum Cardinalem Novocomensem. Nunc autem voluimus has literas dare, ut intelligeres, rerum isthic statum et conditionem tam varie Nobis referri, ut molestum jam sit audire, neque statuere possimus, cui potissimum fidem tribuere debeamus: veremur autem, ne exitus pejor in dies evadat, neve accidat, ut nihil a Nobis remedii afferri possit; tametsi ut scis atque experiris, non cessamus profuse impendere; neque tamen laboraremus de pecunia, modo certo sciamus, eam bene fideliterque dispensari, quietoque et securo de istis rebus animo esse possemus. Itaque et fide, quam habemus in te maximam, cupimus, ut ad Nos mittas dilectum filium Gulielmum Archidiaconum Patris, ex quo omnia certo cognoscere possimus: scimus enim eum prudentem esse, rerumque istarum tum belli, tum provinciæ administrationis peritissimum. Sic autem crede Nos eum libentissime visuros, proque nostra in te atque eos, qui ex te pendent, charitate eum commendatissimum ac charissimum habituros, cujus etiam verba et consilia hoc nomine plurimi faciemus, quia scimus, ea te Archidiacono aperiturum, Nobisque exponenda commissurum, quæ neque literis, neque cujusquam alterius fidei committeres. Nobis igitur gratius facere nihil poteris, quam si eum quam primum miseris. Da-

tum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

XCVI. — Hinc factum est, ut inter armorum strepitum atque debacchantium irarum fremitum res Synodi provincialis, quæ anno superiori, uti enarravimus, Avenione convocata fuerat, leni atque impedito gradu procederent; quæ res, incredibile dictu, quanto mœrore Episcopum Carpentoractensem, accuratissimum Præsulem, affecerit. (*)

(*) Mantissa document. N. 30.

XCVII. — Quis autem non obstupesceret, hæreticis Rempublicam turbantibus, Avenionenses, specie quadam publicæ utilitatis inducti, Pontificem exorasse, ut Judæis, quos haud ita multo antea expulissent, redeundi facultatem faceret. (*)

(*) Avignone Vol. 4. fol. 477.

Sanctissimo Domino Nostro.

« Beatissime Pater. Cum primum placitum est S. V. ac bon. mem. Pio V. ut hæbræi ab hac recederent civitate, major illorum pars Constantinopolim et in alias regiones se transtulit, quorum recessus (ut ingenue fateamur) magno detrimento Christianis fuit, tum quod illorum operam populus vilissimis in rebus, quibus ea utebatur, desideravit, tum quod hæbræi tam brevi tempore æs alienum Christianis solvere, et pretia pensionum antiquitus super eorum universitate per plures ecclesias regulares et sæculares impositarum reddere non potuerunt. Accedit, quod oneribus bellicis tollerandis, quibus jamdiu civitas hæc opprimitur, ac Principum ingressibus hæbræi plurimum adjumenti adfuerunt, dum utensilia contribuunt, et his in negotiis ut mancipia personaliter inserviunt, quibus dedecus esset Christianos præficere; Cœnobium quoque vulgo Minimorum nuncupatum, quod noviter hic institutum fuit, mobilibus donarunt. Quamobrem considerans civitas hæc hæbræorum discessum plus damni quam commodi allaturum, supplex deprecatur, ut S. V. dignetur in memoriam Redemptoris nostri concedere eisdem hæbræis, qui ex magno olim numero nunc supersunt, mansionem in civitate hac ad instar almæ Urbis et civitatis Anconæ, cum hæc sit secunda Sedes Apostolica. Speramus enim S. V. paterna dilectione subditos nos suos prosequentem, nobis hoc indulturum. Quod ut S. V. faciat, humillime exoramus post sanctissimorum pedum oscula. Avenione Calendis Junii 1575.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obñi subditi et servi
CONSULES AVENIONIS.

(*) Avignone Vol. 4. fol. 479.

Quod etiam a Cardinali Comensi petebant. (*)

Illñe et Rñe Pater.

« Quia recessus hæbræorum plurimum damni huic attulit civitati, majusque detrimentum adferet, si parvus numerus, qui reliquus est, recedat, has ad te literas dedimus, quibus Amplitudinem Tuam summopere oramus, ut dignetur Sñio Domino Nostro narrare nomine nostro commercium civium nostrorum fuisse diminutum ex hæbræorum discessu, tum quod utebantur Christiani opera illorum in rebus vilissimis, et ob temporis brevitatem æs alienum, quod cum Christianis contraxerunt, nondum dissolverunt; Cœnobiis et ecclesiis pretia pensionum super eorum universitate antiquitus impositarum non restituerunt. Accedit, quod illorum opera personalis necessaria est, dum rebus infimis serviunt, quibus pudor esset Christianos vacare; in Principum ingressibus serviles operas, ac mobilia impendunt, et Minimorum Conventui noviter hic instituto utensilia dederunt. Quamobrem considerans Civitas hæc plus damni quam commodi eorum discessum allaturum, qua potuit et debuit humilitate supplex scripsit ad S. Sanctitatem, eademque humilitate orat Amplitudinem Tuam, ut dignetur in memoriam Redemptoris nostri efficere, ut Sua Sanctitas ad instar almæ Urbis, et civitatis Anconæ concedat hæbræis longiorem mansionem in hac civitate, quæ est secunda Sedes Apostolica. Confidimus autem Celsitudinem Tuam pro ea, qua nos ejus deditissimos servos prosequitur, benevolentia huic petitioni non defuturam. Deus Amplitudinem Tuam incolumem et longævam conservet. Avenione Calendis Junii 1575.

Illñæ et Rñæ Paternitatis Vestræ

Humillimi et deditissimi servi
CONSULES AVENIONIS.

XCVIII. — In proximo tantum Arausicano Principatu pacatiores se res habere videbantur. Hujus regionis Princeps vel inopia pecuniæ pressus, vel Hugonottorum ac Politicorum molitionum pertæsus, qui ex vicinis Galliarum provinciis illuc confugere solebant ad tutius scelera patranda, et ad has provincias, et in primis Comitatum Avenionensem et Venusinum infestos faciendos, jam antea Principatum istum cum altera Baronia Opierre nuncupata in Delphinatu sita vendere statuerat. Qua de re Episcopus Arausionensis extemplo Pontificem docet, eique suadere conatur, ut emere non dubitet. Variis iisque perspicuis rationibus ei demonstrat, quam emptio ista fidei Catholicæ in his regionibus firmandæ augendæque, quam tranquillitati et incolumitati ditionum Pontificarum in Gallia tuendæ sit profutura. (*) Dolendum sane est, quod Pontifex, exhausto ærario, ditiones Arausicanas suas facere non potuerit; maxime cum vel minimo pretio sibi comparare licuisset.

(*) Mantissa document. N. 31.

XCIX. — In Hispaniis populus molestissime tulerat, Pium V., auctore ipso Rege, cruenta illa taurorum certamina, quæ valde in deliciis popularibus erant, interdixisse: quare, ut feroci populo fieret satis, Rex ipse Gregorium adiit oravitque, ut incolarum regni ingenio aliquantisper

indulgeret, eisque hujusmodi spectacula frequentare liceret. [*]

[*] Mantissa document. N. 32.

C. — Proregem Regni Valentiæ Gregorius singulari laude prosequitur ob ejus in Sedem Ap. obsequium, ac de suo munere monet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 9. fol 7.

Directo Filio Nobili Viro Vespasiano Gonzagæ Regni Valentiæ Proregi

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Præclare et sapienter facit Catholicus Rex Philippus, qui jamdiu utitur tua opera in rebus gravissimis, inque iis potissimum Regnis gubernandis, quæ et sua amplitudine, et situ, et incolarum ingenio, ac natura indigent gubernatore prudentissimo, et civilium bellicarumque rerum peritissimo, inque eis omni cum laude versato. Quibus de causis cum te ex Regno Navarræ, cui præeras, ad istud Valentiæ accersieris, gratulamur Nobilitati Tuæ, et istud Regis judicium, et vero ejus judicii causas. Quod Nobis ac Sedi Apostolicæ polliceris tuam operam, agnoscimus pietatem tuam: inque ista voluntate retinenda summam rerum bene gerendarum spem sitam esse judicamus; tunc enim omnia prospere eveniunt, cum ea, quæ debetur Romano Pontifici atque Apostolicæ Sedi voluntas, atque opera præstatur, cumque ejus res et causæ quam commendatissimæ habentur; quod quidem facturum te non dubitamus. Eam vero, quam postulas, benedictionem et libentissime his litteris ascribimus, et Tuæ Nobilitati a Domino Deo precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Valentinensi in Hispania etiam Præsuli vehementer succenset, quod contra prædecessorum suorum statuta auctoritatem Vicarii oppidi Sativæ vel abrogandam vel imminuendam existimet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 125. fol. 86.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Valentino

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Scripsimus alias ad Fraternitatem Tuam de Vicario Sativam mittendo cum ea potestate, quam ibi habuerunt superiorum Archiepiscoporum Vicarii in causis Ecclesiasticis, tum civilibus, tum criminalibus, in prima instantia cognoscendis et judicandis, inque piis testamentis et legatis exequendis. Eas literas Fraternitati Tuæ redditas fuisse accepimus, miramur, neque te id fecisse, neque adeo cur non faciendum putares, rescripsisse, nec videmus, cur a majorum institutis recedendum sit, nec providendum pauperum longius distantium sumptibus et laboribus. Id Nos fecissemus, Vicariumque eum, quem tum populi illi, tum pro eis charissimus in Christo filius noster Catholicus Rex Philippus postulat, constituissemus; sed voluimus has alteras ad te dare, idque facere tamdiu differre, dum possimus tuum responsum accipere, et cognoscere, quæ te ratio retrahat; si non rescripseris, aut si causam aliquam minus idoneam proposueris, ipsi nostra auctoritate providebimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CII. — Capitulum Ecclesiæ primatialis Toletanæ Gregorio agit gratias, quod Regi immoderata ex ecclesiasticis bonis subsidia petenti non indulserit. [*]

[*] Hispania Vol 22. fol. 21

Beatissimo Domino Nostro Gregorio XIII.

« Post humillima sanctissimorum pedum oscula. Admirabilem Tuæ Beatitudinis clementiam cum Ecclesia Toletana sæpenumero experta sit, nulla magis id in re sensit, quam quod Licentiato Joanni Baptistæ Velez, qui nostrum apud Tuam Sanctitatem procuratorem agit, quoties nobis necessarium fuit, facilem aditum et benignas aures dederit. Sed quod plurimi ante res alias fecimus, et in quo magis Beatitudo Tua indulgentiam suam erga nos declaravit, id certe fuit, quod querelam nostram haud gravate audierit, quam ille totius Cleri Hispanici nomine de rerum ecclesiasticarum alienatione ad te, tanquam ad unicum perfugium nostrum retulit. Quod nos facile in spem magnam erigit, qua nostri animi tot afflicti animi recreantur, futurum aliquando, ut tua singulari providentia, tuisque sacris et felicissimis auspiciis res ecclesiasticæ, quæ tam miserabili ruina apud nos sunt attritæ, in statum meliorem reducantur. Sed hæc tuis Sanctissimis consiliis sunt curæ. Quoniam tamen Joannis Baptistæ Velez opera nobis in præsentia necessaria est, atque ea de causa ad nos quamprimum revocare cupimus, Tuam Beatitudinem quæ ejus hominis integritatem et prudentiam novit, suppliciter oramus, ut quam ille, istius sanctæ Sedis privilegio, ad fructus sui Canonicatus percipiendos extra hanc urbem residentiam (quam vocant) facit, in hac ipsa Urbe extra nostram Ecclesiam fieri concedat. Nam prætterquam quod ad privatam Ecclesiæ nostræ utilitatem pertinet, quæ ex ejus absentia non mediocre detrimentum capit, publica religionis causa, cujus in sanctæ inquisitionis Toletano tribunali consiliarius est, ut hoc ipsum permittat, nobiscum obtestatur. Utrorumque igitur justissimis votis T. Sñam Bñem nequaquam defuturam, bene sperantes omnino confidimus. Eam dominus noster Jesus Christus diutissime incolumen servet, ut Ecclesia sua tuo nomine gubernata, inter tot fluctus, quibus nunc quatitur, illæsa permaneat.

Toleti in Capitulo Nostro VIII. Aprilis MDLXXV.

Beatissime Pater,

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimi servuli

Decanus et Capitulum Sanctæ Toletanæ

Ecclesiæ Hispaniarum primatialis

ALPHONSUS DEL CAMPO.

CIII. — Ecclesiæ Cathedralis Barcinonensis Canonici Pontificem efflagitarunt, ut electionem Magistri Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum, viri pietate et doctrina præstantis, deque Ecclesia optime meriti, ratam habendam esse sua auctoritate decerneret. Hanc enim quidam ejusdem Ordinis fratres, ceu ipsorum statutis vetitam, impugnabant, perperam causati, quod in virum Gallum inciderit. [*]

[*] Hispania Vol 20 fol. 157.

Beatissime Pater.

« Ex nostris ad S. V. octavo Calendas Maji datis literis, et ex his, quæ per fratres religiosos ordinis Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis Captivorum hujus provinciæ S. V. exposita fuisse credimus, accepisse jam S. V. arbitramur, quantæ exortæ fuerint contentiones et controversiæ inter fratres totius prædicti ordinis ex minus legittima electione Magistri Generalis novissime in regno Castellæ facta, ac quanto majora oriri sperabantur, nisi S. V. pro suo in negotiis Reipublicæ Christianæ gerendis admirabili providentia de opportuno remedio providisset; frustra enim remedia parabantur et inanis reddebatur omnis conatus Magistri Generalis electi, nisi S. V. quoad factum fuerat, confirmasset, quod statim atque intellexerunt fratres dictæ religionis provinciarum regni Aragonum tanquam veri filii obedientiæ, ac sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ obsequentissimi eundem Magistrum Generalem uti superiorem ac totius suæ religionis caput amplexati sunt, eidemque obedientiam præstiterunt. Sed cum controversiis et jurgiis procul pulsis rebusque undique compositis, pace ac quiete perfrui sperarent, intempestiva mors Magistri Generalis, instigante humanæ naturæ hoste, sopitas contentiones suscitavit, unitatem expulit ac zizania seminavit. Quæ res non modicam solicitudinem attulit Vicario generali, qui defuncto Magistro Generali in regimen et administrationem totius religionis succedit, cernens in quas perturbationes, temporum quoque incommoda rerum suum regimen et administratio esset vocata, quibus malis cupiens quantum poterat provideri. Et ne prædicta religio ex simili casu jam diu vexata et propemodum oppressa amplius torqueretur, convocationem pro eligendo Magistro Generali omnibus electoribus indixit, advenienteque termino electioni fiendæ præfixo, multi electores ex adversis provinciis ad hanc urbem, in qua ex dispositione Capitulorum prædictæ religionis fienda est electio, convenerunt, et ad electionem procedentes invocato, ut moris est, et implorato Sancti Spiritus auxilio (mira res) nemine penitus discrepante, elegerunt in Magistrum Generalem fratrem Anthonium Tremolieres, in sacra theologia doctorem eximium ac Tholosanæ academiæ regentem, et illius provinciæ Provincialem, virum vitæ exemplaris, literarum studiis, morum integritate et probitate conspicuum ac acerrimum verbi Dei concionatorem: ipsum enim et vidimus, et audimus, et testimonium, quod Sanctitati Vestræ perhibemus, est verum. Sed cum hujusmodi electio Sanctitatis Vestræ patrocinio communiri debeat, reliquum est ut et nos (qui etiam soliciti sumus, ut omnis contentionum occasio de medio tollatur, et in Domino pacem et concordiam inter omnes Christicolas, et maxime inter Religiosos exoptamus) per absentiam R̄mi Domini Episcopi nostri Sanctitati Vestræ humiliter supplicemus, ut dignetur hunc virum a Deo huic religioni datum confirmare et concedere; ita enim futurum est, ut pax et religio inter fratres dicti ordinis conservetur, et in dies incrementum accipiat. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram multos annos suæ sanctæ Ecclesiæ incolumem conservet. Datum sexto Idus Novembris anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Sanctitatis Vestræ devoti et humiles oratores, qui pedes S. V. deosculantur

Capitulum et Canonici
Ecclesiæ Barcinonensis.

Electus etiam non quidem imperandi cupiditate illectus, sed a saniore fratrum suorum parte inductus ad Pontificis auctoritatem confugit. [*]

[*] Hispania Vol. 20. fol. 181.

S̄mo ac B̄mo Domino Nostro Papæ Gregorio Decimo Tertio.

Sanctissime Pater.

« Novit Vestra Sanctitas divisiones et dissensiones, instigante Satana et malitia quorundam fratrum, in religione nostra Mercedis ortas, propter quas diu multumque fuimus tanquam corpus sine capite, et quasi oves errantes sine pastore; tandem nobis datus fuit Generalis electus a particularibus quibusdam religiosis, non observatis cæremoniis consuetis, nec servatis servandis, nec in loco destinato, ubi ab antiquo solet fieri electio secundum nostras sacras constitutiones, a quamplurimis Summis Pontificibus approbatas et confirmatas, quibus decretum est, ut omnes electiones fiant in nostro conventu Civitatis Barcinonæ, qui conventus est caput et fundamentum ordinis nostri: illic enim fuit fundata religio nostra a Jacobo Aragonum rege, ubi primus habitus accepit natione Gallus. Insuper volunt constitutiones, ut ad electionem et Capitulum generale electores provinciæ Galliæ convocentur, quod in ultima servatum non fuit: placuit tamen Sanctitati Vestræ prædictam electionem confirmare pro hac vice tantum, ut novitas cederet antiquitati, et constitutiones, quas professi sumus, inviolabiliter servarentur: post confirmationem vero mortuus est Magister Generalis in conventu Civitatis Cæsaraugustæ, cujus anima requiescat in pace, propter quod R̄mus Pater Vicarius Generalis juxta decreta et constitutiones ele-

ctores provinciarum ad electionem Magistri Generalis futuri canonice faciendam convocavit, ad quam ego tanquam elector et provinciæ Galliæ Provincialis accessi, quod et cæteri electores præstiterunt. Congregatis vero in nomine Domini in conventu Barcinonæ sors super me cecidit, omnesque suam mihi dederunt vocem, et in Magistrum Generalem me elegerunt. Quod cum id viribus meis impar vidissem, scit Altissimus, quo animo recusaverim, clamaotibus deprecantibusque Religiosis, invitus suscepi, sperans quod S. V. noo denegabit dictam electionem Consilio Tridentino conformem; imo pro consolatione fere deperditæ religionis confirmsbit, quapropter Vestra virtute et sanctitate fretus per procuratores nostros hanc mittere ad Sanctitatem Vestram volui, illam supplicans, prædictam electionem approbare et confirmare tamquam canonicam dignetur. Quod si fecerit tenore præsentium Sanctitati Vestræ promitto, me cum confratribus regulam Divi Augustini nobis præscriptam exacte servaturum. Et si opus fuerit ulla reformatione, curabo fieri, et hoc maxime propter Galliæ provinciam, ubi fere religionis nostræ memoria ab hæreticis sepulta et deperdita est; ubi spacio viginti anoorum verbum Dei annunciavi, quod quum verum sit Ecclesiæ Tolosana, Anxitanensis, Albiensis, Cadurcensis, Rutenensis et aliæ permultæ attestantur, et hoc summo cum discrimine et periculo propter perturbationem et malitiam hæreticorum, quibus tamquam canis ululans impetum feci, et doctrinæ eorum falsæ me semper opposui, quod istis temporibus non minore cum difficultate facio, et quam dio vixero prosequar. Qua de re iterum atque iterum Sanctitatem Vestram et humiliter et cum humili pedum osculo deprecor, pro mercede laborum prædictam electionem confirmare dignetur. Interim Deum Optimum Maximum, ut Sanctitatem Vestram sauam et incolumem servet, comprecabor. Ex sacris edibus Virginis Mariæ de Mercede Barcinonæ die septima Novemb. anno 1575.

Sanctitatis Vestræ

Humillimos atque obñus filius
TREMOLIERES DOCTOR REGENS THEOLOGUS
GENERALIS MERCEDIS ELECTUS.

CIV. — In Novam Hispaniam apud Indos Occidentales opera in primis inclytorum filiorum S. Dominici et S. Francisci fides christiana invecta fuit. Sedes Antiquerensis vel Guaxacana, ut nunc audit, in latissima Mexicanorum provincia a Paulo III. anno MDXLVII. instituta et confirmata, suam debet originem præcipue Patribus Ord. Prædicatorum. Hoc anno nempe MDLXXV. Patres Societatis Jesu Antiqueram adpulerunt, ibique statim Collegium ad juventutem erudiendam instituerunt. Ex quo factum est, ut parva quædam controversia inter illos ac Patres Dominicanos exoriretur: quæ tamen mox æquitate Pontificis quievit. Itaque jam inde a vetustis temporibus religiosi Ordines io Hispaniis privilegio quodam, iisdem a Sancta Sede coocesso atque confirmato, fruuntur, ex quo religiosæ diversorum Ordinum familiæ, quæ in eadem urbe monasteriis vel ecclesiis extruendis sedem sibi velint ponere, ædificare ea tantum ratione possint, ot quæque ædes vel ecclesia propius non absit quam trecentarum cannarum interjecto spatio ab æde vel ecclesia alterius Ordinis. Qua sapientissima lege tum fidelium usui sacra audiendi, concioocsque adeundi, et cultui divino opportunius peragendo consulebatur: tom quod maxime ad pietatem et caritatem pertinet, etiam, jurgiorum et discordiarum, quæ ex nimia monasteriorum propinquitate inter religiosorum Ordinom familias suboriri poterant, causæ magna ex parte auferebantor. Jam vero Patres Societatis Jesu, vixdom Antiqueram appulsi, collegium suum prope Cathedralem ecclesiam, cui Patrum Dominicanorum cœnobium adjonctum erat, ædificare aggressi sunt, rati forsitan legem istam in ea regione Novi Orbis locum non habere. Qood quidem Patribus Dominicanis molestissimum accidit, quare ad Pontificem suas querimonias detulerunt, precatique sunt, ut privilegium antiquitus sibi tributum et non ita pridem a Pio V. denuo confirmatom, sartum tectumque esse vellet. En litteras, quas pius ille ac venerandus Antiquerensium Præsul, qui fere ab infantia Patrum Prædicatorum Ordini nomen dederat, deducendisque ad veram fidem Indis maximo cum fructo plurimos annos incubuerat, de hac controversia ad Pontificem dedit. [*] [*] Lusitania Vol. 3. fol 313.

Sanctissimo Domino Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Max. Frater Bernardus Dealburquerque Episcopus Antiquerensis salutem et felicitatem æternam.

« Considerans, Beatissime Pater, quod ideo Dominus noster Jhūs Christus te ad tantum culmen apostolicæ Sedis evexit, et in familiam domus suæ sanctæ pretulit: quatenus singulis Christi fidelibus opportuna provisionis et defensionis auxilia pro tempore tua Sanctitas die pensaret, et ot quieti et paci toorum filiorum consuleret; negotiom pium satis me gerere putavi, si tibi litteris his significarem, quantum pro dispendiis et oppressionibus vitandis, quibus frequenter in his Indiarum regionibus Religiosi trium ordinum mendicantium opprimuntur, presertim fratres Ordinis predicatorum, qui homilitatis spiritum, et sub religionis jugo Deo in his terris servientes, et ingentes fructus in vinea hac Domini denuo propagata, attulerunt, in diesque afferre satagunt, referat, opusque sit quamplura privilegia, insuper exemptiones omnes, et immunitates, ac indulta per plures Romanos Pontifices V. Bea-

titudinis predecessores concessa rursus Vestra apostolica auctoritate denuo concedantur, confirmentur, revalidentur, eis, quatenus eorum incommodis, oppressionibus, jacturis, quibus offenduntur et passim læduntur, salubriter occurratur; ut his cessantibus dispendiis et gravaminibus benignam manum et auxiliatricem Vestræ Beatitudinis persentientes, et apostolicis gratiis et favoribus subnixi tranquillam et quietam vitam ducant, et prædictis gratiis potientes, uberiores circa profectum spiritualem animarum, quas insonante tuba Evangelica, et præclaris exemplis religiosæ vitæ in his regionibus ad caulas Domini adduxerunt, in dies producere possint; præsertim ordo fratrum prædicatorum, qui in his Indiarum regnis pro extirpandis atrocissimis excessibus, quibus has Indiarum miseras gentes aliqui ministri Satanæ, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jhesu Christi, occurrentes decertaverunt, et usque ad sanguinem restiterunt: donec Indos in suam libertatem reduxerunt, insuper et horum conversioni intendentes, eos in ovile Christi intromiserunt. Quod ideo tibi, Sanctissime Pater, significare cogor, quia nuper ad hanc nostram diœcesim et Antequerensem civitatem, ubi nostræ Episcopalis dignitatis Sedes residet, quidam de societate Jhesu sic nuncupati religiosi adventantes me inconsulto, quandam donationem cujusdam situs et domus sibi ad ibi erigendam et fabricandam Ecclesiam, simul et pro monasterio ibi construendo factam acceptarunt, suæ dumtaxat commoditati prospicientes; incommoda, quæ Ecclesiæ Cathedrali et simul aliis proximis Ecclesiis, et præsertim conventui fratrum prædicatorum, qui nunc denuo ædifficatur, inferebant, nihil curantes, contra privilegia prædicti ordinis fratrum (licet essent per me et per prædictos fratres requisiti et admoniti, ut a tali gravamine desisterent) obsurdescentes (non obstanti tam evidenti Ecclesiæ Cathedralis et præsertim prædicti monasterii præjuditio) in præfato situ erigere et fabricare Ecclesiam et conventum moliebantur. Ego vero (ut verum fatear) non tam spontaneus, quam apostolicis litteris requisitus, et pia miseratione prædictis fratribus prædicatoribus compulsus manifestum gravamen et incommodum considerans, judicis conservatoris munus suscipiens, declaratoriam sententiam et inhibitoriam adversus prædictos de societate Jhesu fratres juxta mihi apostolicam subdelegatam potestatem protulli. Neque præfatum munus propter jam memoratam causam detrectare, aut subterfugere potui, tum etiam quia nemo alius occurrit, qui talem commissionem tutandi prædictos fratres et eis pro præsidio assistendi in tutela suorum privilegiorum suscipere auderet: adeo enim insolenter audientiæ regales his Herris assistentes sæviunt in litterarum apostolicarum judices conservatores, ut statim quoscumque judices conservatores, exquisitis molestiis afficientes, jubeant eos coram se comparere; quapropter non immerito timui, ne si acceptare renuissem, prædictorum fratrum justitia deperiret. Hæc autem omnia, beatissime Pater, tibi scribens refero, non ut conservator istius causæ judex, quam tibi querimoniam proponam; sed tamen ut istius civitatis (ubi hæc sunt gesta) Episcopus nihil aliud in rem alicujus particularis obtinere abs te contendens, quam quod bono communi et publico istius civitatis per te consulatur, ut eatenus Ecclesiæ et monasteria colocentur et eorum situs in tali interstitio et distantia assignetur, quatenus doctrina salutaris, quæ in prædictis Ecclesiis et monasteriis impertienda est populo, in omnibus vicis et partibus civitatis ordinatim prædicetur et communicetur, ne quidam parochiani omnes urbis Ecclesias illorum domos circumstantes habeant: major vero pars populi ab Ecclesiis longe distans, et velut deserta manens, venire ad predicationem et officia divina præ maxima distantia non piguescat. Et revera licet nulla suppeterent prædictis prædicatoribus ad hæc incommoda vitanda, a Summis Pontificibus cannarum concessa privilegia; propter hanc præmissam rationem prædictos de societate Jhesu fratres non tam prope prædicatorum prædictorum monasteria, neque tam juxta Ecclesiam cathedralem situm pro monasterio sibi construendo elegisse oportebat. Accedit ad hoc, quod ego ipse componendæ pacis causa et bono communi consulens, humum et circuitum soli, illis pro Ecclesia et domo ædificanda donatum, ne donatione illis facta defraudarentur, justo argenti pondere redimebam, congruum magis ex sententia omnium assignans eis locum in parte civitatis commoda. Hanc quoque pacis compositionem detrectarunt, allegantes tercentum cannarum distantiam, intra quas ex privilegiis ordinibus mendicantibus concessis, ædificare interdicuntur, in his Indorum terris non fore servandam propter quasdam veritate vacuas, quas fingunt, causas. Quapropter, Pater beatissime, quod rei veritas est, persuasum tibi esse volo, interstitium ac distantiam tercentum cannarum, pluribus id exigentibus causis peculiaribus et necessariis, magis in his terris Indorum, et præsertim in hac Antequrrensi urbe oportere inter Ecclesias religiosorum observari: primo quia longe dispar est ratio et forma ædificandi hic, quam in Hispania, quia in Hispania propter arctitudinem interdum angusti ambitus civitatum, ut in Toletana urbe et Matritii ac aliis similibus oppidis contigit, brevissimo paucarum cannarum spatio numerosas series domorum et vicinorum contineri, ita ut, etiam si monasteria sibi invicem sint circumstantia et cohærentia, abunde a numerosa fidelium plebe possint pro divinis officiis et concionibus audiendis frequen-

tari. Quod non contigit in hac Nova Hispania, et præsertim iu hac Autequerensi civitate, ubi propter crebros terremotus passim insurgentes, et ædificia vastantes, et in ruinam non raro ædes pertrahentes, humilia edifficia et vix homi assurgentia, sine ullis tabulatis aut superioris domus habitaculis ædifficari consueverunt. Unde fit, ut quo magis habitaculis superioribus carent, eo latiores et ampliores ambitus, et circuitus in sitibus pro domibus sibi ædificandis, et necessariis officinis domus construendis soliti sint incolæ harum regionum assumere, refugientes eam arctitudinem domorum, callium et platearum, qua in aliis Hispaniæ oppidis iucolæ solent coarctari. Hinc jam patenter videre est, quod interstitium tercentum cannarum fratribus mendicantibus apostolica auctoritate coocessum, potiori jure et necessaria id exigenti ratione sit observandum, et non coarctandum, sed potius dilatandum, quia cum hæ provintiæ tam noviter sint adinventæ, operæ pretium est valde, Ecclesias ac monasteria, quæ nunc denuo fundautur, in competenti ac sufficienti distantia situari, quatenus populi possint prolatari, ac incolæ eorum proximas Ecclesias et monasteria habere, ad quæ possint pro divinis officiis et concionibus commode accedere, ne illa deformitas contingat, quæ in hac urbe admissa est, ohi monasterium fratrum prædicatorum quasi omnibus Ecclesiis aliis urbis sibi cohærentibus, ita circumprimitur et coangustatur, ut reliqua pars populi, quæ copiosior et latior est veluti deserta manens, Ecclesias, quas possit adire, non proximas, sed valde distantes habeat. Super hæc autem addentibus prædictis de societate Jhesu fratribus, in medio civitatis inter comprimentes se Ecclesias situm pro ædificanda sibi Ecclesia et monasterio eligere, quam gravia et absurda inconvenientia ex hoc sequantur, et absentibus et non videotibus facile est conjectare. Nam si sibi commodum locum adaptasse videantur, sed tamen cum tam patenti cathedralis Ecclesiæ, et prædicti monasterii incommodo, non debuisseut talem locum sibi usurpasse, maxime remanentibus aliis in hac urbe locis commodis, ubi, si edificassent, commodius bono communi civitatis consuluissent, et ab hac injuria et gravamine prædicto abstinuissent. At vero nihil pensi supra prædictis habentes prædicti de societate Jhesu religiosi (ut fertur) ad curiam Romanam et ad curiam Philippi Regis pergunt imploraturi supra memoratis negotiis auxilium, causantes sua privilegia esse fortissima, et contrariorum illis contraria, quæ in tempore posteriora sunt, et suorum aperte derogatorias clausulas sufficienter continentia, nullius roboris esse affirmantes, sibi persuasum habent, quod cum primum ad curiam Romanam accesserint, Tua Sanctitas tercentum cannarum privilegia prædicatoribus concessa nulla esse decernet, suaque privilegia Sedes apostolica rursum revalidabit, confirmabit per prædictarum cannarum tercentarum revocationem. At isti de apostolicæ Sedis benigna largitate nimis præsumentes, quia ad suum proprium et particulare commodum aspiciunt, nolunt advertere, quam potioribus gratiis et favorum titulis trium ordinum mendicantium meritorum antiquitate et abundantia præcellentium religiosi a Sede apostolica fulciri et recreari mereantur: quippe qui de tota republica christiana tam ab antiquis temporibus sint benemeriti in toto orbe terrarum, et præsertim fratres prædicatores, qui cum aliis sibi adjunctis S. Francisci et Divi Augustini ordinibus iu hoc novo adinventato Indiarum orbe ferentes pondus diei et æstus tam insignes fructus suis prædicationibus et gloriosis Religionis exemplis, præsertim in hac Nova Hispania, reportaveruot, ita ut tota religio Christiana hisce terris inter Indos propagata et politia introducta primo Sedi Romanæ manus adjutrices ferenti, secundo Regi Hispaniæ huic negotio faventi, deinde prædictis fratribus, principali auctore Christo Domino, accepta refenda sit. Ii autem, qui novissima (ot ita dixerunt) hora venerunt, cum detrimento et jactura primo laborantium, speciales gratias, prædictorum ordinum privilegiorum derogatorias, tacita forte veritate aut aliter, quam se res habet, seriem negotiorum narrautes, impetrare a Sede apostolica nituntur. Mihi vero senectute confecto, meorum annorum uumerositas mortem propinquam expectans, licentiam tribuit atque instimulat, ut nullo habito respectu personarum et omni acceptatione posposita rei veritatem sincere hic narrem, et quid pro conservatione, et pace, et pro promotione boni communis et ejus augmento in his provintiis, et præsertim in mea diœcesi per Sedem apostolicam necesse sit provideri, his litteris aperiam, nempe ut prædicta tercentum cannarum privilegia non revocentur, sed potius denuo confirmentur. Nam si in Toletana urbe aut aliis similibus civitatibus et oppidis nimia videatur esse tercentum cannarum distantia, nihil mirum est, quia inter tercentum cannarum spatia Toleti et Matritii quam plurima includootur domorum ædificia. Verum in civitate insigni Mexicana, ubi prædicti de societate Jhesu fratres a conventu prædicatorum tercentum cannis distant, inter tot cannas cum ambo monasteria in potiori parte civitatis et populi multitudine magis copiosa sint collocata, solum septem vicinorum domus interstant. In hac vero nostra Antiquerensi civitate inter prædictum prædicatorum conventum et locum, quem pro ædificando sibi monasterio prædicti de societate Jhesu fratres elegerunt, vix ter aut quatuor civium domus intermediant, insuper prædicti per non usum prædicta privilegia tercentum canna-

rum revocata esse allegare contendunt: sed prædicti fratres prædicatores singulari privilegio apostolico potiuntur, quo eis conceditur, quod eorum privilegia per non usum non revocentur. Præterquam quod privilegia, quibus se nunc tuentur fratres prædicatores et hanc justitiam propulsarunt, revocata sunt, et nunc denuo per Pium Quintum bonæ memoriæ concessa, neque per contrariam consuetudinem hic aut in Hispania sunt derogata. Et ne tibi, Pater Beatissime, molestus esse pergam, si ceteras quæ in hujus gratiam possunt induci, rationes longa serie enarravero, ideo tibi fratrem Dominicum de Salazar prædicatorum ordine professum, harum litterarum delatorem, qui eas ad te personaliter vel certe si impeditus fuerit, per certum nuntium aut procuratorem mittet, commendatum esse maxime vellim; quippe qui cum insigni qua pollet eruditione, vitæ integritatem conspicuam ac præclara exempla morum conjungit, et in his terris Indiarum jam fere per viginti annos versatus experientia rerum hic contingentium adjutus tamquam testis ocularis, et omni exceptione major, utpote inquisitionis sanctæ consiliarius meritissimus, et laurea gradus scolastici insignitus, omnia fideliter, sinceriter, convenienter et prudenter enarrare idoneus est. Huic igitur, Pater Beatissime, tuto in ceteris, de quibus te certiorem fieri oportet, fidem adhibere poteris. Vale felix, Beatissime Pater, et te Deus suæ Ecclesiæ incolumem per multa tempora servet. Datæ in hac nostra civitate Antiquerensi hujus Novæ Hispaniæ regni 12. die Martii anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.

Beatitudinis Vestræ

Obediens et humilis filius

Fr. B. Episcopus Antiquerensis.

CV. — Maximilianus Cæsar et Rex Catholicus in id maxime incumbebant, ut Flandriæ provincias pacarent. Quod ut assequerentur, Cæsar Guntherum Comitem Schwartzenburgium, cujus arbitrio quodammodo totum hoc negotium Rex Catholicus permiserat, in Belgium misit. Hic, re cum Requesensio Gubernatore communicata, vigesima die Martii Dordacum appulit, atque cum Principe Arausiaco et Delegatis Geusiorum de firmanda pace egit: decretumque fuit, ut proximo mense Aprili Bredæ utriusque partis colloquium haberetur. Philippus honestissimas sane pacis conditiones per Requesensium proposuerat, quarum præcipuæ sunt: ut, sancita præteritorum oblivione, utrinque erepta, quæ superessent, restituerentur; privilegia, leges juraque omnia conservarentur; captivi nullo pretio permutarentur: quod vero urbes, arces, munitiones, naves, instrumenta bellica attinet, ea Regi bona fide traderentur; nec non religio Catholica ubique vel sola profitenda constitueretur, facultate cæteroquin eam profiteri nolentibus facta, bonis suis intra definitum tempus divenditis, alio migrandi. [*] Schwartzenburgius mitiorum quoque consiliorum Requesensio auctor fuit, ut videre est in his ad eundem litteris. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 33.

[*] Germania Vol. 39. fol. 159.

Magnifice Domine, et Amice Colende.

« Mitto ad Celsitudinem Vestram meam in negotio pacificationis Belgiæ sententiam, et Vestram Celsitudinem oro, ut rem diligenter expendat, et quid faciendum sit, rescribat; quia et Imperator Maximilianus mihi mandavit, ut meum unum atque alterum e Legatis Hollandicis et Zelandicis ad suam Majestatem adducam, quibuscum de conditionibus pacis ulterior actio institui possit, sin huic fini et Regiæ Catholicæ Majestati, quod ad debitam obedientiam et reverentiam attinet, plane satisfiat. Peto a Vestra Celsitudine, ut prædictis Legatis publica fide cavere, et iter tutum per fines Regiæ jurisdictionis dare velit. Econtra recipio et spondeo, ipsos Legatos nihil astute, nihil fraudulenter et contra bonum publicum acturos; hoc erit Cæsareæ Majestati gratissimum, et Vestra Celsitudo me vicissim habebit ad omnia obsequia promptum atque paratum. Datum Brædæ vi. Aprilis mdlxxv.

Schwartzenburgii consilium hoc in negotio fuit hujusmodi. [*]

[*] Germania Vol 39. fol. 180.

« Postquam Generosus et Illustris Comes Svartzenburgus, peracto colloquio cum Magnifico et Illustri Dño Ludovico a Requesens Belgicarum Provinciarum, nomine Regiæ Catholicæ Majestatis, generali gubernatore, elapsis aliquot diebus, Antverpia discessit, continuo se Gertruidembergam contulit, ibique cum Principe Auriaco, et legatis Nobilium, omniumque ordinum Hollandiæ et Zehlandiæ, atque confœderatarum Civitatum (quos legatos Princeps Auriacus ad interpellationem Comitis satis magno numero Dodraco isthuc evocaverat) multa de instituta pacificatione accurate egit, omnino sibi persuadens, hoc intestinum dissidium atque atrox incendium componi atque restingui posse, si animi exulcerati hinc inde ad studium concordiæ flecterentur. Etsi autem nihil diligentiæ et laboris prætermisit, tamen aliud responsum impetrare non potuit, quam illud quod Commissariis Regis oblatum, et procul dubio ad Gubernatorem transmissum est. Quare cum tam necessarium atque perutile opus tam subito propter discrepantes sententias religionis, quæ hominum animos occuparunt, perfici nequeat, omnino statuit Comes Svartzenburgus, spem omnem non abjiciendam esse, sed potius in id totis viribus incumbendum, ut actio pacificationis continuaretur: utque hoc commodius fieri possit, suadet utrinque arma deponi, et bello inducias tam in terra, quam in fluminibus se in Oceanum exonerantibus dare. Ita enim fiet, ut multi mortales, qui novis rebus student, aut bellorum minis perterriti discessum ex his regio-

nibus meditantur, in offitio contineantur, et subditi Catholicæ Majestatis, erecti spe futuræ pacis atque otii, quævis onera et pericula libentius subeant.

« Deinde eum religio, quam reformatam vocant, ita insederit animis adversæ partis, ut facili momento extirpari non possit, censet prædictus Comes religionem, ut nunc est, tempore induciarum, quas Princeps Auriacus et Confœderati procul dubio comprobabunt, tolerari posse, nec propter eas differendas aut omittendas esse. Quibus vero obligationibus tales induciæ utrinque firmare debeant, in contrahentium arbitrio relinquitur, ut significetor, quomodo una, vel alterutra pars cautum velit.

« Ac licet hesterno die inter Commissarios Regios et Legatos adversæ partis conventum sit de redintegranda actione ad tertium diem Maji, et reddendis obsidibus, tamen multa, quæ impedimentum futuro conventui allatura videntur, occurrunt, quibus hoc modo pactis induciis obveniri posse constat. Considerandum atque perpendendum etiam est, quot et quanta incommoda, nisi induciæ fiant, his regionibus expectanda sint, dum forte res in eum casum devenire posset, ut ad externum Dominum Belgicæ provintiæ transferantur, aut certe in præsentissimum periculum conjiciantur. Cui incommodo Comes Svartzenburgus ea fide, qua Regi Hispaniarum devinctus est, maxime prospectum esse cupit.

« Quod si Domino Gubernatori generali hæc conditio æqua videbitur, magnopere petit Comes Svartzenburgus sibi intra biduum per literas significari: sin vero aliud ipsi visum fuerit, vehementer orat, ne moleste ferat suum discessum. Nemo enim ignorat, quibus sumptibus, laboribusque hanc profectionem susceperit, et quanto tempore posthabitis suis rebus hic commoratus sit; præterea non sine mærore intelligit, sibi non mediocrem invidiam apud quosdam magni nominis ex hoc negotio conciliari, ut ipsi suspecti crimen immerito objiciatur. Quæ cum ab ipso et sint et esse debeant alienissima, necessario ipsi ad Cæsarem redeundum est, et legationi renunciandum: nec dubitat, Cæsaream Majestatem post pactas inducias eo omnes cogitationes, consilia et actiones directuram, ut optata tranquillitas restituatur, et hæ provintiæ Belgicæ in fide et obedientia Hispaniarum contineantur. Quod ut quam celerrime fieri possit, Comes Svartzenburgus nullum laborem, studium, diligentiam, atque operam subterfugiet; quicquid enim vel ingenio vel opibus Catholicæ Majestati ejusque subditis populis, quorum benevolentiam sæpe expertus est, in his et aliis prodesse poterit, omni tempore et loco erit paratissimus. Postremo orat, ut Illustrissimus Gubernator generalis hæc, ut profecta sunt ex bono et sincero pectore, ita candide et sincere accipiat, atque boni consulat. Bredæ VI. Aprilis MDLXXV.

Quæ consilia Requesensius ob immoderatissima Geusiorum et Arausiaci postulata velut inopportuna rejecit: itaque hoc dedit ei responsum. [*]

[*] Germania Vol 30, fol. 160.

Generoso, Illustri ac Magnifico Domino Gunthero ex ordine quatuor Comitum S. Romani Imperii Comiti in Schwartzenburg, Domino in Arnstadt, Sondershausen et Lutenberg etc. Domino et Amico suo Colendo.

Generose, Illustris et Magnifice Domine, atque Amice Colende.

« Vestræ Dilectionis litteras una cum ejusdem sententia, quantum hanc pacificationem concernit, accepimus, quam quidem animadvertimus non modo ex Vestræ Dominationis prona affectione erga publicam salutem, verum etiam ex genuino suo erga Catholicam Regiam Majestatem, item Dñum meum clementissimum candore proficisci. Quæ Vestræ Dominationis fides haud dubie suæ Majestatis respondet expectationi, certomque est, eandem affectionem suæ Majestati (quam de ea certiorem reddam) fore valde gratam. Ad inducias vero istas quod attinet, rationes coram superiore colloquio adduximus, quamobrem induciæ suæ Catholicæ Majestati minus conveniant, neque easdem ob causas opinionem adhuc mutari debere videmus, multoque minus in eum modum Vestræ Dominationis scripto contentum. De induciis vero duorum mensium, cessante interim eo religionis usu atque exercitio, qui nunc in Hollandia et Zelandia exhibetur, pariterque iis, qui eam administrant, alio recedentibus, agi possit, neque offitio nostro consentaneum satis videtur, rebellibus suæ Catholicæ Majestatis concedere, uti salvo conducto ejusdem ditiones transirent, quandoquidem per alia atque alia idem fieri itinera possit, factumque est alias ex Hollandia, fitque in dies. Denique quod Vestra Dominatio de proficiscendo ad Cæsarem scribit, eam profectionem Vestræ Dominationis optamus et fortunatam, agimusque suæ Catholicæ Regiæ Majestatis eidem Vestræ Dominationi pro molestiis atque laboribus, pro communi salute præstitis, gratias, rogamusque, ut Vestra Dominatio hoc sibi certo persuadeat, eandem nos ad omnia obsequia promptos atque paratos inventuram et habituram. Deus Optimus Maximus Vestram Dominationem diu conservet incolumem. Datum Antverpiæ VIII. Aprilis MDLXXV.

Vestræ Dilectioni

Officiose addictus

DOMINUS LUDOVICUS REQUESENS ET CUNIGA COMMENDATOR MAJOR, CASTILLÆ CATHOLICÆ REGIÆ MAJESTATIS PER BELGIAM LOCUMTENENS, GUBERNATOR AC CAPITANEUS GENERALIS.

Ipsi, quod mirum profecto est, Legati Gensiorum Schwartzenburgii humanissimas sententias et verbis et scriptis in contemptionem adducebant: quo factum est, ut Bredensis conventus mox non sine magno reipublicæ detrimento dissolveretur.

CVI. — Quæ ad Religionem pertinent in reliquis Belgicis provinciis, satis erant pacata. Pontifex Requesensium monet, ne sylvas monasteriorum in Flandria a viris laicis cædi, aut usurpari sinat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 97. fol. 18.

Dilecto Filio Nobili Viro Aloysio Requesens, Capitaneo Generali in Flandria

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Graviter conquesti sunt apud Nos Prælati, Abbatissæ et Monasteria diversarum Dioecesum Ducatus Brabantiæ, suarum Ecclesiarum locorumque possessiones et sylvas, multis sanctorum Patrum Conciliorumque de ecclesiasticorum bonorum ac fructuum immunitate decretis munitas, alias quotidie a laicis cædi, alias ad cædendum designari, idque tuo jussu, ut laici ipsi affirmant, fieri, ad classem scilicet adversus rebelles fabricandam remque publicam tuendam: posse autem ex aliis Belgicæ provinciæ multis maximisque tum laicorum, tum vero ipsius Regis Catholici nemoribus omnem materiam comparari, classemque inde quamvis maximam confici; neque tamen in tantis tributis, tantaque rerum omnium angustia, et suorum templorum, ædificiorum, villarum conflagratione et ruina postulare se, ut a suis bonis omnino abstineatur, sed ut quod aliunde parari possit, ab ipsis potissimum exigatur. Judicavimus eos æqua postulare, facileque ea te insciente commissa esse: neque dubitamus, Regem Catholicum maxime velle rerum ecclesiasticarum immunitatem conservari: itaque hortamur Nobilitatem Tuam, ut jubeas ab illis nemoribus abstineri; neque ea nisi necessario, et Prælatis ipsis auditis cæterorumque locorum lignis deficientibus, cædi: erit hoc æquissimum tuaque spectata pietate dignissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CVII. — Episcopo Leodiensi Gregorius mandat, ut quo fieri accuratius posset, Pontificatus Hadriani VI. scripta, quæ, ut fama ferebatur, Theodoricus quidam ecclesiæ Leodiensis Canonicus, quo ille Pontifex a secretis utebatur, eodem vita functo, secum tulerat, perquirat et Romam mittat. Quod vero ad irritum cecidit. [*]

[*] Reg. Gregorii VIII. Ann. III. ep. 227. f. 199.

Venerabili Fratri Episcopo Leodiensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Theodoricus quidam, istius tuæ Ecclesiæ Canonicus et Decanus, obiit circiter annum MDXL; is fuit Secretarius felicis memoriæ Hadriani VI; abstulit hinc secum ejus Pontificatus scripturas omnes, quæ ubi sint, ignoramus, iis magnopere indigemus: quotidie accidit, ut aliquid Nobis ejus temporis, ac Pontificatus cognoscendum sit, et quidem in rebus gravissimis, maximeque ad res publicas, et quæ Dei sunt, pertinentibus. Facies Nobis gratissimum, si omnem diligentiam adhibueris in scriptis illis reperiendis, atque ad Nos mittendis: idque ut facias, quantum possumus, postulamus: eo autem Nobis gratior erit tua opera, quo vehementius scripta illa desideramus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

CVIII. — Hugonotti Bisuntini, rejectis pacis conditionibus a Maximiliano Cæsare ipsis oblatis, arma arripuere, quæque illis justis de causis denegata fuerant, vi ac fraude auferre non dubitarunt. Hinc factum est, ut summo ardore inter ipsos et Catholicos prælium committeretur: ex quo hi superiores discesserunt. Archiepiscopus autem ipse una cum non paucis ex Clero, necessitate et periculo adacti, prælio interfuerunt, ut Catholicis qua consiliis, qua concionibus, qua etiam, si quando opus esset, armis auxilio essent, animumque adderent. Quapropter Archiepiscopus Pontificem mox adiit, obsecravitque, ut sibi reliquisque Clericis, qui secum pro fide, pro patria adversus hæreticos armis dimicaverant, veniam daret, et ab ecclesiasticis censuris, in quas forte incurrissent, absolveret. [*]

[*] Gallia Vol. 9. fol. 297.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater.

« Post pedum oscula Beatorum salutem. De mendacio dicitur, nemini unquam id licere, ne ad salutem quidem periclitantis alicujus: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et bonum ex integra causa (ajunt) malum ex singulis defectibus: quare si personam non deceat, quod ago, nec necessitate, nec utilitate poterit bonum fieri. Quædam hujusmodi res me perplexum habet, Pater Sanctissime. Nam si (quod in hac mea urbe accidit) ardor animi et patriæ salus, fideique periclitantis metus me clericum, presbyterum, atque etiam Episcopum in arma ruere compulerunt: an potius apud me esse debuit personæ decorum meæ, quem orationes, non arma decent: an salus patriæ fideique Catholicæ conservatio, quorum ratione nihil potius esse ducitur. Conscientiæ, qui me scrupulus vexat, hic est. Hesterna die magni fuerunt motus in hac urbe Bisuntina, et valde periculosi; valde enim diluculo in ea ad arma conclamatum fuit, urbem ab Hugonottis ex improviso captam vociferatum; ego sine mora stricto gladio, quo res maxime requirebat, accurro, desides et meticulosos cum auctoritate, non prorsus ingrata, confirmo, et ad prælium cohortor. Parent et clerici

et laici: utrinque pugnatum strenue, cadunt multi, maxime ex Hugonottis. Victoria diu quidem anceps: sed Dei beneficio, et patronorum Ecclesiæ nostræ atque civitatis sanctorum Ferreoli et Ferruci (intra quorum festi octavas res hæc peragebatur) favore, pro nobis tandem stetit. Capti et interfecti multi, alii fuga elapsi. Liberati autem periculo clerus et timore populus, schismate civitas: et pax inexpectata tanto clarior illuxit. Hæc uti narravi, ita facta sunt. Ego tamen hominem non occidi, nec omnino vulneravi, sed presbyteri quidam tam regulares quam sæculares (quorum sine virtute nihil actum egregie fuisset) certe aliquos prostravere: peto et mihi et his, qui mecum in certamine fuerunt, si quid peccavimus, indulgeatur. Quod equidem ex animo peto et cum humilitate, Dominus noster Jesus Christus diu Sanctitatem V. conservet incolumem. Bisuntii XXII. Junii MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotissimus orator

CL. A BAUMA ARCHIEPISCOPUS BISUNTINUS.

Eam ob rem Gregorius merito amplissimas laudes Burgundiæ gubernatori tribuit, quod in summo rerum omnium discrimine Bisuntinæ civitati opera et consilio præsto fuisset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 33. fol. 22.

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Chamlitis pro Rege Catholico in Comitato Burgundiæ Gubernatori

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Incredibili cum voluptate cognovimus ex literis venerabilis fratris Archiepiscopi Bisuntini, quanta cum charitate et Catholicæ Religionis zelo verseris in istius provinciæ gubernatione, quamque vigilans atque attentus sis, ne quid hæreticorum fraude aut vi detrimenti afferatur, quantumque illis terroris afferat præsentia et virtus tua. Quo nomine Nos, atque omnes Catholici multum tibi debemus; sed nihil plane sunt humana omnia præ iis, quæ tuæ pietati a Deo reposita sunt: nam cum nihil ejus bonitati magis cordi sit salute animarum; cumque hujus salutis fundamentum unum sit synceritas fidei, necesse est, ex omnibus Deo gratis humanis laboribus longe gratissimos esse eos, qui pro hujus fidei synceritate tuenda adversus ejus hostes suscipiuntur: nulli autem hostes hæreticis sunt capitaliores, neque tu illis unam tantum animam, quæ longissime præstat omnibus rebus humanis, sed pene innumerabiles eupis, infinite igitur crescunt apud Deum tua præmia. Quod quidem multo magis gratulamur Nobilitati Tuæ, quam si adeptus esses ea omnia, quæ in hac vita ducuntur amplissima. Perge igitur, ut facis; meritaque tua in dies magis ac magis ad augere stude, Nosque tam tibi charitate conjunctos esse crede, quam potest pater amantissimus conjunctus esse optimo filio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI. Augusti MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Gubernatoribus etiam Bisuntinis gratulatur, quod tranquillitati et saluti civitatis sapienter prospexerint; eosque hortatur, ut cum cognitum habeant hæreticos in armis parandis versari, ita et ipsi copias paratas habeant, ad hæreticos homines a Comitatus confiniis prohibendos. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 87 f. 61.

Dilectis Filiis Gubernatoribus Bisuntinis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Etsi non arbitramur vos indigere nostra cohortatione in iis, quæ pertinent ad sanctam Religionem, patriamque vestram, ac regionem ab utriusque hostibus tuendam, quia non dubitamus, ad alterum vos lege divina, cujus estis observantissimi, ad alterum naturali, quam inscriptam in animis habetis, mutari; tamen nostra summa erga vos charitas, Catholicæque Religionis studium facit, ut has ad vos literas demus. Accepimus eos, qui istinc ejecti sunt, vel qui potius sese ex Catholicorum numero, atque ex S. Matris Ecclesiæ ejecerunt, magnas peditum atque equitum copias parare, externaque auxilia adjungere, atque isthac iter facere velle; quod quidem non sine ingenti Catholicæ Religionis, rerumque, atque hominum vestrorum jactura fieri poterit. Hortamur vos, ut velitis ipsi quoque copias ad obsistendum paratas habere, cæteraque providere, quæ ad hostes coërcendos eorumque audaciam frangendam necessaria esse intelligetis, Christique gloriæ et vestræ inservire. Hoc tametsi vos pro vestra pietate et virtute facturos sperabamus; tamen libentissimo usi sumus hac oportunitate ad vos scribendi, nostramque paternam erga vos charitatem aliqua ex parte significandi. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CIX. — Mirandæ in Lusitania Episcopum, virum sanctitate et rebus gestis illustrem, Gregorius cohortatur, ne regimen Diœcesis suæ deponat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 13. f. 8.

Venerabili Fratri Antonio Mirandæ Episcopo

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Scripsit ad Nos Charissimus in Christo filius noster Portugalliæ Rex, vehementer cupere Fraternitatem T. Episcopatum istum deponere, rogavitque ut id concedere vellemus. Nos vero ab ista mente longissime absumus: neque id, aut ipsæ Ecclesiæ, aut Tuæ Fraternitati expedire judicavimus; qualem enim ista Ecclesia Pastorem habeat, scimus, qualem habitura esset, ignoramus; præsertim cum usu ipso compertum habeamus, eos, qui in vita privata cum laude vixerant, postea in honore ac dignitate sese pessime gessisse. Neque vero debes recusare in opere tibi credito,

susceptoque labora permanere, sed eo acrius incumbere, quo plus habes laboris ac molestiarum, gratiasque Deo agere, quod præclaram tibi obtulerit facultatem majora quotidie apud eum præmia promerendi. Fortis est enim charitas Christi, neque ullis difficultatibus succumbit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xiii. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Tantæ autem erat Gregorio curæ, ne ille Episcopatu cederet, ut ipsi Lusitaniæ Regi idem pro Episcopo postulanti responderit, sese nullo modo id permissurum, scilicet Episcopus tam egregie fungens munere Ecclesiam suam nequaquam dimittat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 11. f. 8.

Charissimo in Christo Filio Nostro Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri

GREGORIVS PP. XIII.

» Charissime in Christo fili noster salutem etc. Ex literis Majestatis Tuæ cognovimus, quantopere cupiat venerabilis frater Antonius Episcopus Mirandæ Episcopatum deponere; postulas autem, ut id ei concedere velimus. Gratificaremur postulationi tuæ, nisi obstaret Christi gloria, et illius Ecclesiæ utilitatis ac salutis ratio. Neque enim minore studio debemus optimos Episcopos retinere, quam conquirere; docet enim usus ipse, eos, qui in vita privata jure optimi habebantur, adepta postea dignitate aut honore aliquo deteriores evasisse: quorum vero fidem atque constantiam in ipso etiam honore perspeximus, eos nulla ratio est pati susceptam, atque omni cum laude gestam provinciam deserere. Hæc igitur causa est, cur Antonium summopere retinendum censeamus, quam causam non dubitamus, Tuæ quoque Majestati vehementer probari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xiii. Junii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CX. — In Anglia nullus Catholicorum vexandorum finis fiebat. Comes Kildarensis in Hibernia una cum duobus filiis captivus in Angliam ducebatur. Quotquot in suspicionem venerunt se cum Scotorum Regina litterarum commercio uti, de domesticis solummodo rebus, sive de re Ecclesiæ Catholicæ quodammodo agenda, aut in vincula conjiciebantur, aut exilio plectebantur. Cujus miserrimæ Catholicorum conditionis ut exemplum aliquod in medium proferamus, illud satis animadvertisse, quod Goodius et Atisleus, uterque medici et catholici, ea tantum de causa in carcerem Londinensem inclusi sunt, quod illam calamitosissimam Reginam ægrotantem per litteras, easque perbreves docuerint, quanam se ratione gerere deberet, quæque medicamenta adhibere, ut in pristinam valetudinem restitueretur. Regina autem tam arcta custodia tenebatur, ut non prius quam hoc anno cum Pontifice de sua ad D. Petri sedem evectione gratulari potuerit; idque, ut plene eidem scripsit, sibi ad summum cruciatum suppliciumque accidit. [*]

[*] Mantissa document. N 34

CXI. — Gregorius igitur paterni sui muneris esse duxit, Catholicos istos nobilissimos viros ærumnis confectos, suavissimis verbis erigendi et solandi; eosque admonuit, ut in fide perseverarent, et quando illius probandæ facultas eis detur, de hac opportunitate gaudeant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 367. f. 350

Dilecto Filio Nobili Viro Gerardo Comiti Gesmoniæ

GREGORIVS PP. XIII.

» Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quantum debeamus nostræ Matri Catholicæ Ecclesiæ, facile maternum nomen et res ipsa declarat: tantum nimirum debemus, quantum Matri Sanctissimæ, quæ nos genuit, alitque non ad eas miserias, quibus mortalis hæc vita tota referta est: neque ad ea, quæ quamquam aspectu ipso videntur speciosa atque expetenda, tamen sunt fluxa et caduca, laborumque et curarum longe plenissima; sed ad vitam beatissimam, atque ad summam felicitatem, omnis laboris, interitus, metus, periculi expertem. A qua quidem spe ut longissime absunt, qui sese ex tutissimo hujus matris sinu ejecerunt: sic nulli sunt hostes huic matri capitaliores, atque infensiores: hæreticos dicimus, qui nihil aliud moliuntur, nisi fidei synceritatem, hoc est unicum totius salutis fundamentum evertere. Sed ut nullum est tantum malum, unde non norit Deus bonum aliquod elicere; sic hac peste tam exitiosa, tamque intestina exercet in Catholicis et piis viris fidem et charitatem: quod quidem te pro tua prudentia intelligere, proque pietate experiri incredibili cum voluptate gravissimorum virorum Nobis testimonio confirmatur. Itaque voluimus has ad Nobilitatem Tuam literas dare, non tam hortatrices, quam nostræ paternæ erga te voluntatis et charitatis indices. Vides, quam misere isthic jactetur Catholica Religio, quo conatu, quibus machinis, quanta perfidia oppugnetur nostra Mater Ecclesia, quam multorum fidelium ope atque auxilio destituta sit, partim metu perterritorum, partim ipsa tenuitate prohibitorum. Divinæ igitur bonitati gratias age, quod tam præclaram tibi voluntatem, et facultatem sit elargita, fidei tuæ probandæ, charitatisque in Catholica Religione tuendæ, ejusque hostibus cohibendis exercendæ, tuorumque majorum laudi et gloriæ respondendi; hancque ipsam facultatem cupidissime arripe, sponsamque Christi, et communem fidelium matrem quam commendatissimam habe: quantumque huic causæ debere te intelligis, (intelligis autem omnia debere) tantum effice, nec quidquam Deo gratius, ejusque gregi, pro quo ille sanguinem et vitam suam posuit, salutarius facere te posse existima: Deumque ipsum tuæ virtuti, suæque causæ affuturum confide. Scribimus ad

nonnullos alios istius Regni Principes Catholicos, de quibus a gravissimis auctoribus accepimus, eodem exemplo: quos enim intelligebamus esse eadem fide, charitate, virtute, eisdem quoque verbis salutandos, hortandos, confirmandos, atque ut optimos filios amplectendos judicavimus. Utinam, ut estis sententiis atque animis conjunctissimi, sic audiamus conjunctis vos opibus ac viribus Ecclesiæ libertatem tueri, ejusque hostium audaciæ resistere. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

CXII. — Benevolentiæ et caritati Ecclesiæ Catholicæ Antistitum Gregorius vexatos et ob fidem extorres Anglos maxime commendat. Hæc de ea re Cameracensium Præsuli scripsit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 274. f. 385.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Cameracensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Earum calamitatum, quas Deus immittit bonis, duplex est fructus, et illorum in patienter ferendo virtutis probatio, et nostræ in miserendo, et quoad licet subveniendo charitatis exercitatio: utriusque autem unum atque idem præmium sempiternæ felicitatis: neque convenit, si illi non franguntur animo, quoque jactantur, ac premuntur magis, eo magis adhærent Deo, nos illorum virtutis tantum spectatores esse, nostramque eorum necessitatibus opem negare. Ac primum illud magna cum laude, et apud Deum merito præstant nonnulli nobiles Angli, qui cum Catholicæ fidei veritatem opibus, propinquis, patriæ, rebus denique omnibus longe anteponerent, mallentque iis omnibus carere, quam a Christo deficere, ejecti ac profugi, fortunisque omnibus spoliati sese in Flandriam contulerunt. Ibi cum multos annos summa in angustia fuissent, suumque exilium atque egestatem cœlestis patriæ, sempiternorumque bonorum spe et cogitatione lenirent, nunc migrare jussi, hanc quoque tam miserabilem ejectionem forti animo sibi pro Christo perferendam ducunt, quæruntque ubi possint consistere, quodque reliquum est vitæ, in Christi fide consumere. Alterum igitur nostrum est præstare; illorum scilicet solicitudini, atque inopiæ subvenire. Et quamquam non dubitamus, Fraternitatem Tuam pro sua perspectissima pietate id facere paratissimam esse; tamen pro nostro munere, proque ea, qua afficimur, ex illorum calamitate, misericordia obsecramus in Domino, ut, si vel in tuam Civitatem, vel in alia tuæ Diœcesis loca pervenerint, omni eos humanitate et charitate amplectaris, nominatim vero Comitissam Nortomberlant, et Franciscum Inglesfild, totoque pectore et summa cum gratiarum actione arripias hanc facultatem tibi a Domino Nostro Jesu Christo oblatam servorum suorum, atque adeo sese ipsum in illis recipiendi. Qua etiam de re aget cum Tua Fraternitate Archidiaconus tuus, ad quem scribi curavimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quinta Aprilis MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Præsules Angli et Hiberni ad Pontificem de Ecclesiæ Britannicæ rebus diligentius edocendum Romam confugerant: deinde ut suos greges persecutionum æstu abreptos et dispersos colligerent ac solarentur, nihili prorsus facientes præsentia, quæ eos manerent, discrimina et pericula, in patriam redierunt. Gregorius hos, quam humanissime complexus, ad iter felicius ac tutius conficiendum peculiaribus litteris, quibus eos quam maxime cæteris Episcopis et principibus viris commendabat, munivit. Harum unum tantum exemplum damus. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 107. f. 308.

GREGORIUS PP. XIII.

« Universis et singulis Episcopis atque aliis Prælatis, ad quos hæ nostræ literæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut Nos commendatissimos habemus viros eos, quos pietate atque integritate præstare intelligimus; sic cupimus, eos nostris in Christo fratribus ac filiis esse summopere commendatos, huncque animum cum omnibus pietate et virtute præditis, tum vero venerabilibus fratribus Episcopis, ut ordine ipso sic charitate Nobis conjunctissimis Nos debere agnoscimus. In his est venerabilis frater Edmundus Episcopus Corcagensis, qui a Nobis discedit, ut in patriam revertatur. Erit igitur Nobis gratissimum, si eum in hac peregrinatione quam commendatissimum habebitis, nostroque ubi opus esse intelligetis, favore complectemini. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Illustris ille et magnanimus fidei confessor Joannes Rossensis in Scotia Episcopus, dum Reginæ Scotorum apud Regem Christianissimum negociorum curator esset, Pontifici gratias agit maximas, quod se eidem Regi valde commendatum esse voluisset; eumque exorat, ut injuriam omnem a se arcendam curet, quæ cum Ecclesiæ contumelia sit conjuncta, et, quod incepit opus, perficiat. (*)

(*) Gallia Vol. 5. fol. 401.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

« Quod Christianæ reipublicæ corpus universum incredibili dexteritate regis ac tueris, Beatissime Pater, singularis est prudentiæ, quam in tua Sanctitate non modo nos, qui te militantis ecclesiæ caput agnoscimus ac profitemur, sed et ipsæ hæreticorum turbæ admirantur et suspiciunt: quod vero singulorum commoda procuras sedulo ac laborantibus ecclesiæ membris opportune succurris, cœlestis cujusdam sapientiæ ac naturæ videtur esse divinioris. Nam si Homerus is, qui inter Ethnicos omnium sermo-

ne sapientissimus usurpatur, monumentis suis consignaverit, deos esse quicumque bona largiantur, nos qui Christi luce collustrati sumus, debemus judicare te, qui prolixe largiris omnibus, et ex quo Deus omnia ad singulos sua beneficia fluere velit, ex divina natura aut saltem ex divinæ naturæ particula quadam esse coagmentatum. Quod ego gratissimo animo tum soleo recolere, cum venit mihi in mentem illarum literarum, quibus meum exilium miserum, ut leniatur; fortunas eversas, ut fulciantur; spem languentem, ut erigatur; Christianissimo olim Franciæ regi Carolo commendasti. Verum cum divina providentia fuerat nexum, ut, extincto præmatura morte Carolo, omnis mihi spes, quæ tota in illo locata fuit, infringeretur, quantæ fuit humanitatis tuæ, quod meam causam literis denuo ad Henricum regem scriptis egeris? Summæ profecto fuit, si divinæ non fuit, ut ego quidem te, hoc uno benevolentiæ in me tuæ signo quasi sublato, mearum fortunarum parentem et deum quendam summo honore et reverentia sim prosecutus, semperque quoad vivam, prosecuturus. Quid enim? quamquam tuæ commendationis perexiguum adhuc fructum tulerim; nihil tamen de tuæ pietatis, benevolentiæ, humanitatis laudibus decerpi potest aut debet, cum non eventus rei, sed animus tuus a me ponderari debeat: qui sic in mea causa semper eluxit, ut nunc non verear importuni notam, si a tua Sanctitate quam possum dimississime contendam, ut vestræ Sanctitatis nuntio provinciam meæ causæ apud Christianissimum agendæ imponat, et domino de Pounye, amplissimi Cardinalis a Romboleto fratri, me meamque causam, quanta solet pietate, commendet. Hic enim Christianissimi jam apud vos Legatus sua authoritate, qua apud eum valet, et ille consilio, quo in omni negotio obeundo pollet maxime, forsitan a sua Majestate elicient aliquid, quo meæ fortunæ miseria sublevetur, aut saltem aculeus retundatur. Nam profecto præsentis conditionis piget, non quod omnem furtunæ impetum (ut decet virum religionis sinceritate imbutum) modice non feram; sed quod illi, quos hæreseos crimen obstrinxit, hanc tenuitatem, tamquam divinam perversæ religionis vindictam et ultionem contumeliosissime mihi exprobrent. Quare spero vestram Sanctitatem eo majorem in mea causa curam adhibituram, quo est diligentius providendum, ne ecclesiæ contumelia cum alicujus hominis miseria conjungatur, præsertim cum una eadem opera et hominis miseria abstergi, et ecclesiæ nota deleri possit. Interea quanta possum animi demissione tuæ Sanctitatis pedes pie osculando me meamque operam Sedi Apostolicæ dico consecroque; a Deo summis precibus ardentissime precaturus, ut tuam Sanctitatem ecclesiæ fulciendæ bonisque omnibus fovendis quam diutissime servet incolumem. Parisiis tertio Julii 1575.

Sanctitatis Tuæ

Servus humillimus

Joannes Episcopus Rossensis.

CXIII. — Neque minori curæ fuerunt Gregorio juvenes illi Angli, qui Romæ sacris literis imbuti et sacerdotali ordine insigniti omni spe, aut facultate vacabant in patriam redeundi. Hos enim Pontifex vel per se vel per Cardinalem Comensem regionum in primis Angliæ adjacentium Episcopis commendavit ad beneficia ecclesiastica obtinenda. (*) [(*) Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. ep. 102.]

Archiepiscopo sive Episcopo Ultrajectensi.

« Reverendissime Domine. Joannes Gibbonus Anglus jam septem fere annos hic in collegio Germanico studiis philosophicis et theologicis assiduam et diligentem dedit operam, unde non parvam pietatis et doctrinæ laudem est assecutus. Ei cum Sanctissimus Dominus Noster canonicatum collegiatæ Ecclesiæ Sancti Petri Ultrajectensis obitu Henrici Murendael vacantem contulerit, cupit Sua Sanctitas, illum Dominationi Vestræ in adipiscenda illius possessione ita esse commendatum, ut provideat, ne quisquam se intrudat, nec, si literæ Apostolicæ sive tabellarii negligentia, sive viarum impedimento tardius quam oporteret, perferri istuc contingat, id ei damno sit. Quod Dominationem Vestram et pro suo Sanctæ Sedi Apostolicæ obsequendi studio et pro benemerendi de talibus viris prompta voluntate libenter facturam persuasum habeo. Deus bonam ei valetudinem et omnia fausta largiatur. Romæ die XXIX. Octobris MDLXXV.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

CXIV. — Rei catholicæ in Anglia promovendæ studio incensus Gregorius Collegium Anglorum Duaci in Flandria aliquot ante annis conditum liberalissime auxit, centum eidem aureos in singulos menses a. d. XVII. Kal. Majas hujus anni pontificio diplomate attribuens. (*) Quæ res cum omnes Anglos Catholicos, tum præcipue hujus collegii moderatores mirum in modum grati animi sensibus erga Pontificem affecit, quod abunde testantur litteræ, quas Guilelmus Alanus Rector ad Cardinalem Comensem Idibus Junii dedit. (*) [(*) Vide Dodd'sChurch history of England by M.A.Tierney T.II. pag 151. et 362] [(*) Anglia Vol. 8. fol. 58.]

Illmo ac Rmo Domino Cardinali Comensi, Domino meo multum observando.

« Ego, Illme et Optime Cardinalis, illius divini beneficii nuper a sanctissimo Gregorio vere Domino ac Parente nostro in hoc Duacense Anglorum Catholicorum Collegium benignissime collati magnitudine ac admirabili utilitate ita omnes bonos intime affectos, ita me imprimis mirifice recreatum sentio, ut nec hac communi meorum adjuncta epistola, nec quovis vulgari verborum aut literarum officio erga tam

excellentis boni aothores mihi ullo pacto satisfacere videar. Summæ enim istius beneficentiæ fructus non modo ad maximum solamen diuturni exilii multorum, sed ad universæ gentis nostræ communem in Christo et ecclesiæ salutem; nec tantum ad præseus tempus, sed ad diuturnitatem atque ad omnes posteros spectabit, ut nesciam an quicquam in hoc genere, vel ad Dei æternum honorem luculentius, vel ad summi pastoris veram ac solidam in Domino gloriam cumulatius, vel ad ecclesiæ bonum utilius esse queat. Non mediocriter sane jam tum cum minimis et incertis adjumentis hoc Seminarium sustentabatur, afflictam patriam juvisse prudentes ac boni facile animadverterunt: Pontificis vero optimi ac maximi nonc auspiciis felicissimis auctam, propagatum, constitutum admirabiles ecclesiæ fructus pariturum confidimus. Hoc toto quinquennio, Sapientissime Cardinalis, commigrarunt huc ex vicina Anglia, vel jubentibus, vel conniventibus, vel nonnunquam etiam invitis parentibus, ingeniosissimi adolescentes plurimi: viri etiam ætate ac doctrina præstantes multi, hæreseos quoque ac nefarii schismatis pertæsi, adeoque prophanorum sacrorum ministri nonnulli, qui omnes tanto studio ac ardore catholicam disciplinam ac institutionem sectantur, et tam acriter prioris ignorantiæ suæ vias horrent et abominantur, aliosque tam lubenter a perditis sectis et moribus revocant, ut nihil unquam viderim lubentius. Et hoc ipso quidem tempore, qoo Christus per summum suæ providentiæ ministrum Gregorium XIII. quo nomine nihil unquam fuit genti nostræ salutarius, communes nostrorum hominum labores ac dolores consideravit, escamque misericors, et miserator dominus dedit timentibos se, quasi quadam futuri boni præsensione longe plures quam antea huc ad nos concesserunt. Quare si ullam nunc Rempublicam, si ullam ecclesiam Britannia mea haberet, et si ipsa pro se loqui posset, prostrata ad beatissimos pedes de hoc immortali bono Saoctitati suæ gratias ageret: pariterque oraret supplex, ut reliqoias florentissimæ olim ecclesiæ suæ in Duacenum hoc Seminarium Sanctitatis suæ nomiue collectas, quod benignissime cepit, tueri ac propagare velit. Tibi autem, Illñe Domine, sanctissimæ voluntatis Pontificiæ sanctissimo consiliario, interpreti, ministro, qui tanto in homines inopes et exules favore, pietate, propensione, rem omnem tam necessario nobis tempore confecisti, quantæ debeantur gratiæ jam pridem ex literis amplissimi D. Audoeni Referendarii apostolici intelligo, ac perpetuo agnoscam: qui vir cum ab ineunte pene ætate morum ac doctrinæ, singularisque prudentiæ admiratione, et reliquæ vitæ familiaritate mihi fuerit conjunctissimus, hoc nomine tamen charissimus jam diu fuit, quod in hoc Seminario inchoando summus et suasor et adjutor extitit. Cujus propterea amplissimæ observantiæ officia in tuam Celsitodinem talia semper fore confido, ut per ipsum intelligere possit, quam immortalia beneficia calamitosis hominibus totique genti nostræ hac incomparabdi charitate contulerit. Deus ac Dominus noster Jesus Christus vitam ac misericordiam Sanctissimo Domino Nostro quam diutissime largiatur, et tibi, Illñe Cardinalis, ejus et ecclesiæ sancto ministerio incolumitatem diuturnam concedat. Duaci xIII. Junii 1575.

Tuæ Illñæ Dominationis in Christo
humillimus servus
GULIELMUS ALANUS PRÆSBITER.

In iisdem grati animi sensibus significandis non aliter sese gesserunt ejusdem collegii alumni, et studiorum moderatores. (*)

(*) Anglia Vol. 2. fol. 60

Illño et Rño Dño Cardinali Comensi, Dño nostro multum observando.

« Intelleximus hisce diebus, Illñe Domine Cardinalis, ex literis conterranci et Patroni nostri D. Audoëni Referendarii Apostolici, nos servos tuos humillimos plurimum Amplitodini tuæ debere, Qui in magnificentissimo isto pecuniario beneficio, quo sua Sanctitas nobis nuperrime designavit, commodissime ad rationes nostras procurando tantum ostendisti curæ, solicitudinis, pietatis, quantum ardorem tuum studiumque maximum promovendæ ubique, et in omnibus Christianæ Reipublicæ palam ac manifeste declarat. Hac tua tam excellenti io nos charitate promeritus es non de nobis solum, sed etiam de universa gente nostra, quantum tibi reddi a nostra tenuitate nunquam poterit: ideoque nobis ad divina præsidia confogiendum est, et assidoe petendum, ut quæ tam eximiæ beneficentiæ præmia in terris debentur, ea Deus Opt. Max. olim in cælis uberrime persolvat. Quoniam autem ad Sanctitatem Suam scribere nostra humilitas non præsumit, et tamen oblivionis, atque ingratitudinis notam pertimescimus, omnino cogimur rogare vehementissime Amplitudinem tuam, hanc nobis addente tua priore humanitate nimis magnam audaciam, ut digneris Sanctitati suæ nostro nomine, qui ad beatissimos pedes prosternimur et jacemus, demississimas et humillimas gratias agere: simul autem et orare pro tua, qua plurimum apud Sanctitatem suam merito tuo potes, gratia: ut beneficium suom amplissimum nobis licet indignissimis servis suis, Angliæque nostræ jam licet immeritissimæ stabile et diuturnum esse velit. Videbit certe, non dubitamus, Celsitudo vestra lucrum hinc in dies incredibile animarum: quin etiam, ut speramus, aliquando et propitio Christo, non ita multo post, ex hac vestra quasi fiscella mosaica, Duaceno Seminario, duces plurimos reversionis nostræ. Quo quidem

munere quia nihil potest in rebus humania a Deo immortali aut vobis contingere gloriosius, aut nobis optabilius: præter ætera fausta et beata vobis omnia, hoc quoque præcipue Dei clementiam comprecamur, ad cumulum meritorum vestrorum erga nos id tandem posse accedere, ut corona gloriæ vestræ nos cum gente nostra simus in adventu domini. Deus te ecclesiæ suæ quam diutissime servet incolumem.

Duaci Idibus Junii anni MDLXXV. E Collegio Anglorum.

Illme et Rme Domine, Illmæ Dominationis Tuæ devinctissimi Clientes

GULIELMUS ALANUS RECTOR, ET SUI.

Cardinalis Comensis Alanum ob egregiam, quam navabat operam in Collegii rebus administrandis et augendis, mirifice laudat; remque illum facere pergratam Pontifici confirmat, et opere se et consilio præsto illi fore spondet. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28 ep. 106

Gulielmo Alano.

« Admodum Reverende Amice charissime. Ex literis tuis sexto Idus Novembris datis et ex scripto, quod Reverendus Dominus Andoënus tuo nomine mihi exhibuit, satis dilucide progressum et statum istius Seminarii perspexi. Quæ omnia cum ad Sanctissimum Dominum Nostrum retulissem, magnam sane cepit lætitiam, gratias Domino et Redemptori nostro agens, quod inchoatu ad ipsius gloriam et Anglicæ nationis salutem operi clementer adesse et optata incrementa concedere dignetur. Pius autem et assiduus labor tuus Beatitudini Suæ cognitus et probatus est. Quam ob rem tuto pectore in hanc ut facis curam incumbe, unde tantum opis et præsidii afflictis Ecclesiæ et gentis tuæ rebus ostenditur. De me autem omnia tibi officia pollicere, sicut latius ex Andoëni literis cognosces. Vale in Dño. Romæ die XXIII. Decembris MDLXXV.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

CXV. — Januenses jam inde ab anno MDLXX. internis motibus admodum agitati, externos etiam hostes in se concitassent, nisi aucturitas Pontificis intercesserit, qui eos tempestive ad saniora pacis consilia revocavit. Contendebaut enim in in quemdam agrum sibi esse jus, idcirco eum a Magno Etruriæ Duce restitui debere: de quo negotio Pontificem consulunt. [*]

[*] Genua Vol.1.fol.8.

Beatissimo Patri ac Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Ne miretur, Sanctitas Vestra, si nos, auditis his, quæ Cardinales Reverendissimi Lumellinus et Justinianus nostro nomine explicabunt, solliciti, anxiique videbimur de ditione, quam Respublica nostra habet in Hetruria et Lunensi agro: quandoquidem usu et experientia dacti sumus ex parvis, levissimisque causis, magnos quandoque et graves effectus oriri, nisi (quod facile fieri potest) initiis occuratur. Sed hac de re ulterius, Cardinales ipsi Sanctitatem Vestram alloquentur, quam vehementer rogamus, ut eos pro sua humanitate benigne audiat et nobis quod nostro nomine petierint, clementer concedat. Deus Optimus Maximus diu conservet Sanctitatem Vestram, cujus pedes devote osculamur. Genuæ VII. Kal. Martias MDLXXV.

Sanctitatis Vestræ

Obeñti et obsequentiũi filii et servi

DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ GENUENSIS.

Vidit Silvester Cataneus.

Antonius.

CXVI. — Quod igitur internas hujus Reipublicæ discordias ac seditiones spectat: eæ ex novorum hominum primum querimoniis originem duxerunt. Hi enim, ut narratum superiori anno est, ab antiquis nobilibus contemptui haberi cœpti, plebe concitanda, et tumultibus ciendis, tum ulcisci injurias, tum superbiam eorum frangere posse senserunt. Idque eo magis nitebantur, quod ex infima plebe homines, qui a procuranda Republica remoti semper fuissent, facile oblatam opportunitatem magistratuum ac munerum consequendorum cum cæteris civibus ultro arrepturos esse intelligebant. Qua in re eventus novorum nobilium spes facile superavit; adeo ut non in duas ut antea, sed in tres factiones distracta civitas esset, et omnia summa mala timerentur. Hinc inde etiam factum est, ut, aliæ ex aliis discordiarum causæ ortæ exasperatis tandem animis, in summum fere discrimen Januensis Respublica deducta fuerit. Res enim agi cœpta primum jurgiis et scriptis, deinde parum abfuit, quin contentionibus atque armis etiam exteris accitis conficeretur. Quod ut providus Pontifex intellexerit, metuens, ne flamma civilium discordiarum Italiam reliquam correptura, totiusque Christiani orbis pacem turbatura esset, nihil potius habuit, quam eam in tempore restinguendam, motusque Januenses sedandos curare. Quamobrem non modo gravissimis verbis eos ad pacem concordiamque reducendos censuit, sed etiam ad eos celebrem illius temporis virum Joannem Cardinalem Moronum, Sacri Collegii Decanum, crebris difficillimisque legationibus ad omnes fere Europæ Principes magna cum gloria summaque Christianæ Reipublicæ et Ecclesiæ utilitate perfunctum misit, qui omnem suam operam in pacanda civitate, in conciliandis civium animis, in republica componenda tanta sapientia et dexteritate posuit, ut Januenses summu sese beneficio a Gregorio affectos esse sentientes, eundem et suæ libertatis servatorem et patrem patriæ jure meritoque appellaverint. En Gregorii ad Januensis Reipublicæ Ducem et Gubernatores litteræ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 214 f. 238

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Aposto-

licam benedictionem. Ex vestris literis, quibus superiori anno rescribebatis ad ea, quæ vos paterne monueramus de vestris rebus, deque tumultibus iis, quos moveri videbamus, optimam in spem veneramus, fore, ut vestri cives inter se viverent summa cum pace et concordia. Nunc autem quoniam accepimus, eos motus, quos sedatos sperabamus, iterum excitatos esse magno cum periculo ad arma veniendi, reique istius publicæ optimi status evertendi, nostræ curationis, et muneris erga Catholicos omnes paterni animique vestræ Reipublicæ amantissimi esse duximus, quamprimum legatum nostrum ad vos mittere, qui nostro nomine, atque auctoritate vestrum omnium bono, et quieti consulat, vestrisque dissidiis finem imponat, sanctamque et perpetuam inter vos conjunctionem constituat. Itaque elegimus venerabilem fratrem nostrum Joannem Cardinalem Moronum, Cardinalium nostrorum Collegii Decanum, quem unum ex omnibus propter ejus insignem gravitatem, probitatem, rerum usum, et prudentiam aptissimum judicavimus. Et quamquam intelligimus, hoc iter maxime ei incommodum futurum tam grave, tamque affecta ætate; voluimus tamen illum hunc laborem suscipere, atque hac biduo ad vos proficisci; quod quidem omnino faciet. Interim mittimus dilectum filium Joannem Franciscum Canobium, qui vos hujus nostri consilii, legatique profectionis certiores faciat, horteturque, ut vos comparetis ad accipiendum legatum ea charitate, quæ maxime convenit vestræ Reipublicæ nobilitati, et pietati, nostræque dignitati, utque vestra consilia usque ad ipsius legati adventum suspensa habeatis. Speramus enim, quæ Dei est benignitas et misericordia, talia eum apud vos curaturum, ut tum Respublica ipsa universa, tum singuli cives privatim ejus adventum gratissimum habituri sint; quæ omnia fusius ex Canobio ipso cognoscetis, eique fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Per alteras litteras, non exiguam amoris et caritatis significationem complectentibus, iisdem nuntiat Cardinalem Moronum propediem ad eos profecturum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III ep. 330. f. 331.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. In communi bonorum omnium de vestris discordiis dolore singularis, et præcipuus est noster dolor: neque enim, res vestræ Nos mediocriter tangunt; neque tantum optamus vobis eam inter vos charitatem, et pacem, quam tantopere Christus, ejusque discipuli commendarunt, quamque voluerunt esse certissimum Christianæ professionis insigne, sed eo gravius afficimur ex istis turbatissimis motibus, quo vos vehementius amamus, quoque majore in periculo constitutos cernimus. Quis enim non videat vestras discordias (avertat Dei misericordia hoc omen) ad vestræ Reipublicæ clarissimæ, totiusque Italiæ, et Catholicæ Ecclesiæ partis nobilissimæ interitum spectare? omnes vident, vos soli, qui in mediis flammis versamini, incendium ipsum non videtis, neque sentitis, aut certe si sentitis, eo acerbitatis pervenistis, ut in vestram perniciem obstinatissime ruatis, vestrumque incendium vestra ruina extinguere laboretis. In quo non modo a Christiana charitate, sed a communi quoque, et vulgari prudentia deserti estis. Ut enim hactenus stetistis, et floruistis concordia, et pace, sic intestinis concordiis, atque armis nisi desistitis, concidetis, contrariarum enim rerum necesse est contraria esse consequentis. Quis non aliquando legit, aut commemorari audivit, quantam aliis rebus publicis florentissimis, atque potentissimis eversionem attulerint civiles discordiæ? quis tam sui ipsius inimicus invenitur, qui, cum quid optimum sit videat, eumque illud assequi, sua in manu situm esse intelligat, velit eo carere, seque ipsum perdere? alienum quidem est hoc ab omni ratione, atque a communi sensu naturæ; nihil autem tam in nostra potestate est, quam voluntas nostra: hanc igitur a rebus pestiferis avocare, et ad salutares, atque optimas flectere recusare, cujus tandem rationis, aut consilii esse dicetur? dolemus, vos hoc præsertim Sanctissimi Jubilæi anno detineri in operibus carnis, quæ sunt, ut ait Apostolus, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ, solosque ex omnibus Catholicis carere fructibus Spiritus Sancti, qui, ut idem describit, sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas. Hæc igitur dolemus, proque nostra paterna erga vos charitate, proque Dei gloriæ desiderio, rerumque Italicarum, quæ Nobis incredibiliter cordi est, tranquillitatis cura, dies noctesque de istius Reipublicæ pace, et incolumitate cogitamus. Mittimus itaque ad vos nostrorum consiliorum, optimæque voluntatis, et pacis angelum venerabilem fratrem nostrum Joannem Cardinalem Moronum Collegii Cardinalium Decanum, de cujus vos singulari prudentia, maximisque in rebus tractandis diligentia, et fide partim ex aliis audiisse, partim usu ipso cognovisse, non dubitamus, ex cujus adventu facile potestis tum nostram de vobis sollicitudinem, tum optimum illius animum perspicere. Nos enim nostras res maximo fructui, quem ex hujus viri præsentis sapientissimo, ac fidelissimo consilio percipiebamus, anteposuimus, hominemque charissimum dimisimus: ille autem id ætatis tantum laboris, atque itineris vestra causa libenter suscepit. Hortamur, atque etiam ro-

ganius, ut omni acerbitate ex animis, ejecta depulsisque iis perturbationibus, quæ mentem a veritate avertunt, indutique spiritu concordiæ et charitatis, quæ noster legatus nostro nomine proponet, omni cum animorum sinceritate audiatis, omnemque ei fidem tribuatis. Speramus enim, quæ Dei est misericordia, prudentissimis legati ipsius consiliis, optimorumque civium, quibus istam Rempublicam abundare non dubitamus, monitis, atque opera, fore ut ea vobis proponantur, quæ ab omnibus merito approbari, atque accipi debeant, quæque sint patriæ vestræ tranquillitatem et salutem allatura. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Martii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno tertio.

Ejusdem rationis litteras dedit Gregorius ad reliquos etiam Italiæ Principes [*]; in primisque ad Sabaudum et Ducem Etruriæ, nec non ad Joannem Andream ab Auria, summum et clarissimum virum, et in Reipublicæ principatu dignissimum, a veteribus majoribus laudibus nihil degenerem. Denique ut legatio ad Januenses eo illustrior evaderet, quo efficacior esse debebat, Pontifex sapientissime censuit, Paulum Odescalchinm Pinnæ apud Vestinos in Aprutio citeriori Episcopum, Franciscum et Philippum alterum Montis Ferretrani, alterum Assiensiem Episcopum, et cum his Franciscum Spinulam Protonotarium Apostolicum, ac Dominicum Grimaldum, utrumque Januensem. Cardinali Morono socios esse adsciscendos.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 231-241.

CXVII. — Cum autem pacis negotium, animis civium utrinque vehementer exasperatis, lento admodum gressu procederet: non se tenuit Gregorius, quominus exhortationibus renovatis, omnique nisu eos ad concordiam revocaret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. III. ep. 22. f. 31.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Eædem causæ, quæ Nos impulerunt primum, ut ad vos scriberemus de vestris rebus, tum ut venerabilem fratrem nostrum Joannem Cardinalem Moronum, S. R. E. Cardinalium Decanum, virum summa prudentia, et gravitate ad vos legaremus, hoc tempore Nos inducunt, ut has literas demus, summum scilicet vestrum periculum, nostrumque autem de vestra tranquillitate et salute incredibile desiderium. Quo in loco res vestræ sint, nemo non videt: boni omnes dolent: Nos pro nostra erga vos paterna charitate præter cæteros angimur; vos soli, in medio incendio constituti, non sentitis, aut certe si sentitis, eo acerbitatis, atque odii pervenistis, ut non nisi vestra ruina vestrum incendium extingui posse existimatis. Dolemus Legatum nostrum, cujus prudentissimo, fidelissimoque consilio desperatissima quæque sanari posse judicamus, nihil hactenus propter vestram obstinationem profuisse; nullam vobis aliunde spem ostendi; rem longius duci, vestras discordias in dies convalescere, eum denique exitum imminere, quem cæteris Rebuspublicis semper attulerunt civiles, intestinæque discordiæ. Noluimus in tanto, tamque præsenti periculo nostræ charitati vestræque saluti deesse in monendo. atque hortando in visceribus Jesu Christi, ut velitis cogitare eam ruinam, quæ sese procul ostentabat, adventare, atque adesse; remque eo perductam esse, ut summum vestris inimicis gaudium, amicis, in quibus Nos principem locum tenere profitemur, dolorem, vobis ipsis perpetuum luctum, majorum vestrorum nomini, et gloriæ summam injuriam parituri sitis, nisi quamprimum pacem feceritis; aut certe de vestris discordiis arbitrum sumpseritis; interim vero ad communem libertatem, ac salutem retinendam conspiraveritis. Sublata enim concordia, nulla non modo inter cives Respublica, sed ne privata quidem in re societas, et communio consistere potest. Neque enim potest non verissima esse sententia summa veritate pronunciata: omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Audietis his de rebus venerabilem fratrem nostrum Legatum, eique, ut par est, omnem fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Quod et præstitit paullo post alteris litteris, in quibus illud etiam addidit, quod dissidiorum Januensium fomes jam inciperet per totam Italiam vagari, ac religioni etiam nocere plurimum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. IV ep. 22. f. 16.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, Gubernatoribus et Procuratoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Ex aliis nostris literis, quas multas ad vos dedimus, atque ex venerabilis fratris nostri Joannis Cardinalis Moroni, S. R. E. Cardinalium Decani, quem misimus, multo prudentissimoque sermone facile perspicere potuistis, quantopere angamur de vestris rebus, quamque cupiamus vestram inter vos concordiam, hoc est vestram tranquillitatem, et salutem. Quantum autem hactenus monendo, atque hortando profecerimus, ipsi scitis. Nos certe dolemus, tam levem apud vos fuisse auctoritatem nostram, tamque pro nihilo habitam nostram paternam charitatem, et curam de vestra incolumitate susceptam, simulque etiam miseramur vestram vicem, quod in vestram, patriæque vestræ, florentissimæque istius Reipublicæ perniciem per summam obstinationem ruatis. Ac si vestræ discordiæ ad vos solos pertinerent, spectarentque ad vestram tantum eversionem, humanarumque isthic rerum

conversionem, minus multo laboraremus, satisque Nos hactenus præstitisse judicaremus, atque aliquando quiescere æquum esse duceremus, neque ullam in eo apud Deum, aut homines offensionem pertimesceremus, vosque ipsos nostræ solicitudinis, atque operæ testes haberemus. Nunc autem cum videamus, malum istud latissime manare, sanctamque Religionem, pro qua vitam ipsam, si ita opus esset, libentissime poneremus, non istic modo, sed apud cæteras Italiæ partes summum in discrimen vocari, non possumus non gravissime angi, inque susceptam de vobis cogitationem, et curam omnibus viribus incumbere. Monemus igitur vos, ut pacem, et concordiam amplectamini, atque ab ista pravitate, et obstinatione discedatis, quoniamque, quid vobis maxime expediat, præ discordiis perspicere non potestis, eos audiatis, qui ab omni animi perturbatione vacui vos, vestramque Rempublicam summopere diligunt, quique nihil aliud, nisi commune bonum sequuntur; alioquin ut inviti, sic necessario ad extrema omnia descendemus, utemurque gravissima in causa Catholicæ nimirum Religionis tuendæ, atque ab imminenti periculo liberandæ ea potestate, quam a Deo summam accepimus; sentientque suo malo obstinati, et nostro summo ac paterno desiderio obtemperare recusantes, quantopere concordia, et pax, sanctæque Religionis incolumitas Nobis cordi sit. Interim precamur eundem Deum ut meliorem vobis mentem immittat. Nos certe tributam Nobis ab ejus bonitate potestatem agnoscimus; eaque, si necesse fuerit, in ejus causa utemur, nostramque ei fidem, et vigilantiam ejus gratia adjuti præstabimus, nec quidquam omittemus, in quo Nos ei inservire posse intelligamus. Cætera ab ipso nostro legato, quasi a Nobis ipsis audietis, summamque ei fidem habebitis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Atque ea quidem cura ita Gregorio incubuit, ut non putaverit a suæ dignitatis, quam gerebat, decore abhorrere, quominus cives, qui eadem ac veteris nobilitatis privilegia sibi vindicabant, centumviros, inquam, et consilium quadrigentorum virorum, quique gliscente undique seditione summa rerum potiebantur, per litteras cohortaretur ad pacem [*]. Cardinali item Morono stimulos subjecit, ne se in pacandis civibus remissiorem habeat [*].

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 24 et 25.
[*] Ibidem epist. 23 f. 16.

Venerabili Fratri Nostro Joanni Episcopo Hostiensi Cardinali Morono nuncupato, Nostro et Apostolicæ Sedis Legato

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater noster salutem etc. Dolemus graviter neque nostras literas tam multas, neque tua monita prudentissima, et labores assiduos, ac summa cum charitate susceptos quidquam hactenus profecisse, tantamque istic esse animorum duritiem, ut dum suas discordias nutriant ac foveant, pro nihilo ruere habeant. Sed non ideo omittenda est Nobis medicina, et istorum salutis cura ac tutela sanctæ Religionis, quam quidem in maximum discrimen non istic tantum adduci, sed per multas Italiæ oras vocari intelligis; quin potius eo acrius conandum, Sathanæque machinis obsistendum, atque ubi necessitas coget, ad extrema omnia veniendum, aperteque declarandum, præclare intelligere Nos quid quantumque Apostolica auctoritate possimus, quantumque sanctæ Religionis causa facere debeamus. Quod Nos quidem inviti, sed tamen necessario, adversus obstinatos faciemus; hocque ipsos etiam per literas monemus, coramque a Tua Fraternitate nostris verbis moneri volumus. Tui vero labores et Nobis, et quod caput est, Deo Optimo Maximo gratissimi sunt. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXVIII. — Cum autem Gregorius intelligeret nondum animorum motus resedisse, ut quamprimum fieri posset, civiles iras compesceret, sapientissimum iniit consilium, quod cum Legato suo communicavit. Hoc erat hujusmodi, Januenses nempe ipsum Cardinalem Moronum et Carolum Candiæ Ducem, virum integerrimum, quem Rex Catholicus vix exorta seditione Januam miserat, ut Legatum suum apud illam Rempublicam in restituenda concordia adjuvaret, et dissidiorum et querimoniarum suarum arbitros assumerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 37. f. 25.

Venerabili Fratri Nostro Joanni Episcopo Hostiensi Cardinali Morono, Nostro et Sedis Apostolicæ Legato

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater noster salutem etc. Tametsi certo scimus Fraternitatem Tuam id, quod semper antea fecerat, etiam post adventum Ducis Candiæ facere perseverasse, civiumque istorum concordiæ omni studio semper operam dedisse, inque eo nostris mandatis abunde satisfecisse; nihilominus voluimus has quoque literas ad Tuam Fraternitatem dare, ut nostris verbis nuncies istius Reipublicæ Gubernatoribus tempus nunc esse experiendæ ejus, quam Nobis toties polliciti sunt, filiorum erga Nos observantiæ, reque ipsa probandi ea, quæ tibi per suos cives nunciari fecerunt; se Nobis gratias agere, vehementerque obligatos esse earum rerum nomine, quas suæ Reipublicæ causa curavimus in Hispania, (curavimus autem omnia diligentissime, idque exitus ipse declarat). Cupere autem Nos pro nostra paterna erga eos voluntate, ut de omnibus controversiis sumantur arbitri Fraternitas Tua et Candiæ Dux; cætera enim omnia longiora futura esse ac difficiliora;

posse autem ipsos de nostra paterna voluntate hoc sibi polliceri, nihil Nos constituturos esse, in quo non omnibus bonis civibus, et tranquillitatis patriæque suæ boni cupidis satisfacturi simus, æque hoc facto Nos intellecturos esse, an tantopere nostræ fidei confidant, quantopere semper dixerunt: ac si quid ad nostram erga universam istam Rempublicam charitatem addi poterit, maximum hinc cumulum accessurum esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Augusti MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eadem nunciat Duci Candiæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. IV ep. 36 f. 25

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Duci Candiæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Gratissimæ fuerunt Nobis literæ Nobilitatis Tuæ datæ Genuæ, et quia in iis perspeximus tuam pietatem optimamque componendarum istic rerum voluntatem, paratissimamque operam, de qua nunquam dubitavimus, et quia nihil est, quod magis cupiamus, jamque spe ipsa optatissimi exitus gaudium præcipimus. In quo non solum nostræ Catholicique Regis summæ voluntati inservies, sed quod maximum est, Deo totiusque Italiæ tranquillitati. Erit cum Tua Nobilitate venerabilis frater noster Legatus, tecumque consilia communicabit. Speramus Dei primum gratia, tum vestra prudentia omnia fœlicissimum exitum habitura. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Augusti MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXIX. — Res interea, populo æstu civilis furoris abrepto, eo devenerant, ut armis utrinque acriter dimicatum fuerit. Quo tempore veteres nobiles suæ ac Reipublicæ saluti consultius id fore rati, urbe egressi, Finarium secesserunt, ut oppidulis Portu Veneris, Clavario, Rapallo Sexto et Novi in suam potestatem redactis, facilius seditiosos cives in officio continere possent. Accessit etiam, quod Maximilianus Cæsar Januensem Rempublicam Imperio quodammodo subjectam existimans, Legatos suos ad componendas discordias miserat. Jam vero Januenses, qui domi se tenuerunt, cum se opprimi tot malis sentirent, belli aliorumque præsentium periculorum exterriti, assiduo Pontificis Legati studio et suasionibus victi, promptissimos sese ad concordiam ineundam exhibuerunt, et Principum Legatis liberam rerum suarum componendarum facultatem fecerunt. Quo nuncio accepto Gregorius exhilaratus iis, qui Finariom secesserunt, gravibus verbis succenset, eosque ad arma deponenda hortatur, oblatamque ultro ab iis, qui Januæ remanserunt, pacem concordiamque, ut nulla interposita mora inire velint, obsecrat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 34. f. 28.

Dilectis Filiis Nobilibus Genuensibus, qui Finali sunt

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Postquam dedimus tabellario ordinario hesterno die ad vos literas, certiores facti sumus cives vestros, qui Genuæ remanserunt, communi decreto liberam rerum componendarum potestatem Ministris Principum tribuisse, eosque decretum id comprobasse, eaque potestate uti paratos esse. Habetis igitur id, quod unum a principio expetivistis; nihil restat, nisi ut eo decreto uti, atque ab armis discedere velitis. Hoc autem velle debetis, nisi forte omnem patriæ charitatem, omnemque ex animo humanitatem, ac pro nihilo putatis Italiam bello ardere, perpetuamque vobis apud omnem posteritatem infamiam comparare, eosque qui Genuæ sunt, ad suam vestramque communem ruinam per summam desperationem adducere; scitis enim quorum hominum convocandorum mentio fieri incipiat. Si tam cæci estis, ut hæc non videatis, aut si tam obstinati, ut cum videatis, tamen omnia misceri ac ruere malitis, quam æquissimum decretum amplecti, atque arma deponere, Nos certe non deerimus nostro muneri atque honori, neque injuria opprimi patiemur, sed eos omnibus opibus juvabimus, Deumque testamur, Nos ut invictos, sic necessario ad hæc descensuros esse. Hæc omnia vitare tam facile potestis, quam facile est hominibus prudentibus, quales vos esse persuasum habemus, perspicuis optimisque consiliis assentiri. Deus illuminet, incendatque igne charitatis suæ corda vestra; Nosque et bonos omnes hac lætitia afficiat, ut Nos omnes utrinque animis conjunctos, vestramque Rempublicam a presenti periculo liberam, pacatissimamque et florentissimam videamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Septembris MDLXXV. Pont. Nostri anno quarto.

Eumdem etiam Joannem Andream ab Auria stantem a partibus eorum, qui Finarium insidebant, peculiaribus litteris munet, ut suos ad decretum de ineunda pace amplectendum inducat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 11. f. 25

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Andreæ ab Auriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Scripsimus hesterno die ad Nobilitatem Tuam: hodie redditæ sunt Nobis tuæ literæ, ex quibus cognovimus, quid semper optaris: quantopere tumultus ac belli consilia detestatus sis, quaque nunc spe arma moveris. Ejus autem animi, quem scribis, declarandi, reque ipsa probandi nunc maxime facultas datur: postquam enim illas literas scripsimus, certiores facti sumus, cives tuos, qui Genuæ remanserunt, decretum fecisse, liberamque componendarum rerum potestatem Mini-

stris Principum dedisse, eosque decretum id comprobasse. Habes id, quod tu tuique semper optastis, neque ulla amplius superest discordia atque armorum causa; patriæque tuæ salus in tua eorumque, qui tecum sunt, sita est manu, accipiendo decreto atque armis deponendis, nisi quis forte putet, cum pacem habere possitis, bellum vos malle, Italiamque totam ardere velle, inque vestræ Reipublicæ exitium ruere, perpetuamque vobis infamiam comparare, eosque qui Genuæ sunt, in summam desperationem adducere, cogereque id consilii capere, cujus vos tandem atque illos oporteret summopere pœnitere. A quibus malis si voluntas tua abhorret, ut pollicentur tuæ literæ, nihil est, quod pertimescamus, sin minus nulla verborum vis aut ornatus vos excusare poterit non apud Deum modo, cui patent intima animorum, sed ne apud homines quidem: omnes enim vident, nihil amplius restare, quod ab altera parte fieri possit aut debeat, decretumque recusari nulla ratione posse, neque ullam amplius armorum causam restare, in quibus si perseverabitur, non sinemus illos alteros injuste opprimi, neque eos deseremus, omnibusque opibus tuebimur. Sed magnam optimi eventus spem habemus in tua prudentia atque animi æquitate, patriæque charitate. Enitere igitur auctoritate atque opera, qua plurimum potes, ut decretum omnino accipiatur, atque ab armis discedatur, quod te facturum confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Ad quod maturandum negotium Joannem Austriacum, dum Janua solveret Neapolim cum sua classe profecturus, litteris amantissimis vehementissime rogat, ut auctoritate sua ad decretum de pace accipiendum detrectantes impellat. [*]

[*]Reg.Gregorii XIII. Ann IV ep. 35 f. 34.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Ex aliis nostris literis biduo ante datis facile potuit Nobilitas Tua intelligere, quantopere et quibus de causis Nobis cordi sit pax Reipublicæ Genuensis. Et quanquam non dubitamus, Nobilitatem Tuam eam percupere, cumque nostro et Charissimi in Christo filii nostri Regis Catholici, quem certo scimus eam maxime velle sensu congruere; tamen quia ut vides gravissima res agitur, voluimus has quoque literas dare. Accepimus modo Genuenses eos, qui in civitate remanserunt, decretum fecisse, liberamque potestatem dedisse Ministris Principum de rebus componendis, idque Ministros ipsos comprobasse, quod unum altera pars, quæ Finali est, summopere a principio concupivit: nihil aliud restat, nisi ut ea pars decretum accipiat, atque ab armis discedat. Scimus utrumque tua in manu esse, eosque hac in re tam in tua potestate esse, quam sunt ii, qui Neapoli atque in eo Regno sunt. Hortamur Nobilitatem Tuam, ac rogamus per eundem ipsum Jesum Christum, cui pax tantopere cordi est, ut velit vocari Princeps pacis, ut quoniam nihil aliud restat, quam ab iis, qui Genuæ sunt, fieri possit aut debeat, omni animo atque opera ad pacem incumbas, jubeasque decretum ab altera parte accipi atque ab armis discedi, atque ita jubeas, ut optatus exitus consequatur; integrisque adhuc rebus maximum ab Italia incendium avertas; ne qui Genuæ sunt, si cum ad omnia æqua descenderint, nihilominus se injuria opprimi viderint, in summam desperationem adducantur, capiantque consilium ut sibi exitiosum, sic a Regis Catholici rebus magnopere alienum. Credimus enim Nobilitatem Tuam ex aliis cognovisse, quorum ibi hominum convocandorum mentio fieri incipiat. Stude igitur tibi immortalem laudem comparare, Nosque ac Rempublicam illam, atque omnes bonos hoc facto tibi in perpetuum devincere. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Idem contendit ab Legatis Principum, eosque affirmat rem gratissimam Deo sibique fecisse, quod Jannensibus, qui domi remanserunt, auctores pacis fuissent. [*]

[*]Reg.Gregorii XIII. Ann IV ep. 36 f. 36.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci Candiæ, et Joanni Idiaquio Catholici Regis apud Rempublicam Genuensium Oratori

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Dedimus hesterno die ad vos literas, quo tempore ignorabamus id, quod hodie accepimus, cives eos, qui Genuæ remanserunt, communi decreto Ministris Principum liberam componendarum rerum potestatem dedisse, in quo persuasum habemus, singularem fuisse vestram operam et charitatem. Nihil aliud superest, nisi ut altera pars hoc decretum amplectatur atque ab armis discedat; hoc quoque in vestra auctoritate situm est illosque eo facile, ut speramus, adducetis, quando quidem nihil aliud a principio, nisi decretum hoc concupierunt, ut nulla ratio sit illud repudiare, aut in armis persistere, tamque male sibi ipsis patriæque suæ consulere, partemque alteram ad consilia desperatissima cogere, maximumque in Italiam incendium inferre, omniaque miscere et perturbare; auditis enim de quibus convocandis mentio fieri incipiat. His omnibus malis occurrere, eaque in perpetuum amovere, inque eo gratissimum Deo facere, optimæque Catholici Regis voluntati inservire, vestræ est prudentiæ et charitatis. Incumbite igitur in hanc unam curam atque omnes moras amovete, Rempublicamque istam Nos atque om-

nes bonos vobis in perpetuum obstringite. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Neque his contentus a Cæsare ipso expostulat, ut suos Legatos jubeat, qua majori possunt contentione, in pacis apud Januenses instaurandæ operam incumbere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 51. f. 32.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Quo in statu fuerint hactenus res Genuensium, non dubitamus, Majestatem Tuam ex tuis, qui ibi sunt, cognovisse. Hoc ipso die certiores facti sumus eos, qui in civitate remanserunt, communi decreto dedisse Legato nostro Tuæque Majestatis Regisque Catholici Ministris liberam potestatem rerum componendarum, eosque decretum id probasse. Nihil aliud restat, nisi ut altera civium pars, quæ Finali est, decretum accipiat armaque deponat, quod etsi nulla ratione debeat recusare, quando quidem nihil aliud nisi hoc ipsum decretum a principio optarunt postularuntque; tamen quia veremur, ne postquam arma sumpserunt, incalueruntque animi, difficiliores sint ad ea deponenda, rogamus Majestatem Tuam, quantum possumus, ut eodem zelo, quo hanc pacis et concordiæ causam suscepisti, scribas ad tuos, ut omni studio atque opera adducant eos, qui Finali sunt ad tam æquum, tamque ab ipsis optatum et flagitatum decretum accipiendum, atque ab armis discedendum; idque Tuæ Majestati omnino placere affirment. Devincies tibi hoc facto non solum Nos, qui omnia tuæ pietati debere arbitramur, sed cunctam Italiam, in quo Genuensium bello magnum incendium excitari videmus, quæ quidem cura Nos incredibiliter angit. Non dubitamus, quin hoc Majestati Tuæ summopere cordi sit, tuaque auctoritate pax sit futura. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXX. — Pontifici hæc animo versanti et diligentissime curanti inopinatus quidem et luctuosissimus allatus est nuntius, Joannem Austriacum iis, qui Finarii erant, arma iterum arripiendi potestatem fecisse: qua de re Gregorius amice cum eo conqueritur, eumque monet, ut hosce pacem cum gravissimo patriæ suæ discrimine abhorrentes a tam perdito consilio avocet. Atque illud oppido sane heic est animadvertendum, quod non id Joannes fecerit, ut recentiores nonnulli scriptores, quos inter magnus ille Muratorius, autument, hostili in Januensium Rempublicam animo, perinde ut in potestatem Regis Catholici eam esset adacturus; sed hoc animo agitabat prudentissimus et Januensium pacis studiosissimus vir, eos nempe, qui Januæ remanserunt, æquiores pacis conditiones propositurus, si illi non tam facile armis cederent. Ex quo factum, ut utrisque hoc Joannis consilium fuerit salutare. Quod etsi Gregorii allatæ litteræ non satis ostendere videantur, (neque id mirum, erat enim ut esse debuit, abditum Joannis consilium,) illud certe demonstrant, magnam spem in Joanne Pontificem posuisse, quam, ut infra videbimus, Joannes non fefellit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. IV ep. 63. f. 13.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Reddidit Nobis literas Nobilitatis Tuæ Catholici Regis orator octavo abhinc die, ex quibus literis cognovimus, decrevisse te permittere veteri Genuensium nobilitati arma moveri. Doluimus gravissime tum præsenti periculo Italiæ, cujus quietem et tranquillitatem nostrum est præ cæteris curare et conservare, tum quia tam leve ac pro nihilo ducitur contra facere, quam Rex ipse, ejusque Ministri Nobis polliciti sunt, nullum scilicet armis locum futurum, sed paci atque concordiæ omni studio operam datum iri ea via, qua res ire cœperant, ac prope ad optatum exitum pervenerant. Neque vero justa excusatio est, arma hæc non Regis ipsius, sed veterum nobilium, vident enim omnes, quid illis virium esse possit sine militibus, ducibus, triremibus, cæterisque belli apparatibus, qui a Regis Ministris, locisque subministrantur. Statueramus scribere ad Nobilitatem Tuam, atque ostendere, quantopere Nos tali consilio lædi arbitraremur, hortarique ut velles ab ista mente desistere; sed ut supersederemus, effecerunt literæ Legati nostri eodem ipso die a tabellario allatæ, quibus scribebat, novos nobiles liberam potestatem tribuisse illius Reipublicæ statum ac rectionem componendi et constituendi. Itaque existimavimus tuam armorum permissionem non ultra progressuram esse. Nunc tametsi arma moveri cœpta esse accepimus, tamen quia nunciatur Ministros Maximiliani Imperatoris Electi ac Regis Catholici summam in spem pacis concordiæque venisse, nobilisque novos velle decretum componi ea ratione atque iis verbis, quibus Ministri ipsi maxime vellent, eosque verborum concipiendorum Episcopo Aquensi negocium dedisse, arbitramur, nihil opus esse perscribere, quanto in mœrore ac sollicitudine versemur, belli ipsius, si res aliter successerit, quod Deus avertat, cogitatione. Hortamur Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut quoniam tam valde inclinatis ad pacem animis, nihil aliud superest, nisi ut arma tollantur, aut certe suspendantur tam diu, dum decretum possit componi et stabiliri, velis omnem motum comprimere armaque suspendi jubere, idque omnino effici cura-

re. Et certe cum res eo perducta sit, ut nulla amplius difficultas superesse videatur; si Nobilitas Tua adhuc in belli cogitatione et motu persistet, facile existimabimus superiorum dierum dissensionem de verbis aliorum decretorum nihil aliud habuisse, nisi meram causam armorum, eaque maxime quæsita esse. Quæ si sequentur, cuncta Italia hoc maximum suorum motuum ac perturbationum initium tibi uni assignabit: Regem enim neque ita jussisse, neque fieri velle omnes persuasum habent; præsertim cum facile possit non minima horum incommodorum pars ad ipsum redundare. Solus enim novit Deus, quis tanti incendii exitus futurus sit, et quo possit excurrere, quamque late sese spargere: neque deerit maximus ac multo major, quam forte existimes, eorum hominum numerus, qui non cessabunt ligna convehere, ne forte extinguatur, quique illud omni conatu excitabunt, ne iis terminis contineatur, quos tu forte cogitas. Hæc Tuæ Nobilitati libere atque ingenue explicare Nos cogit nostrum munus, ac paternæ charitatis sensus. Speramus te pro tua summa bonitate et pietate nostra monita auditurum, neque hanc summorum malorum causam tibi ascribi passurum, perpetua cum nota tuæ laudis et gloriæ, summaque cum jactura bonorum omnium spei de tua præstanti virtute conceptæ; sic enim sperant fore, ut Catholicæ Ecclesiæ res a summis periculis, quæ sese undique, maxime vero ab hæreticis Turcisque ostendunt, tua singulari virtute atque opera non alleventur modo, sed tutissimo etiam in portu collocentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XXII. Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Cum igitur Pontifex totus esset in hoc pacis negotio expediendo, nemini uni mirum esse debet, quod gravissimis verbis nobiles illos a tam cæca obstinataque voluntate deterruerit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 58. f. 38.

Dilectis Filiis Nobilibus Genuensibus, qui Finali sunt

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Quantopere semper laboraverimus de vestris commodis ac salute, vos ipsi testes estis. In istis vero motibus nullo loco vobis defuimus consilio, auctoritate, opera, libentissimeque, si potuissemus, ipsi ad vos venissemus; deflevimus autem vestrum casum, sic enim possumus appellare vestrum dissidium, eo enim jam pervenistis, ut vestra odia, vestra ruina extinguenda esse existimetis. Atque utinam tam vos ipsos vestri misereret, quam Nos miseret. Lusi sumus indigne ab iis, qui pacem et concordiam, cum eam curare possent, ostentabant, nullumque armis locum futurum pollicebantur. Cur igitur nunc ea suscepta sunt? nam cives vestri, qui Genuæ remanserunt, tribus Ministrorum Principum suffragiis liberam rerum componendarum potestatem tribuere sunt parati: quod vos initio concupivistis, Principesque voluerunt. Vix possumus de vobis existimare, vos omnia simulasse, a principioque arma voluisse, tamque male vestris rebus consuluisse, quid alii sperarint, novit Deus, qui scrutatur abditissimas latebras animarum. Cum igitur pacis conditio perducta jam eo sit, quo aliquando voluistis, cur nunc ab ea abhorretis? aliquanto tardius id factum est: at nihil potest esse tardum ad salutem viva Republica: videte, ne tardius multo doleatis, et sine fructu et extincta. Rogamus vos atque obsecramus per eundem ipsum Jesum Christum, cui tantopere pax cordi est, ut velit vocari Princeps pacis, quique, ut ait Apostolus, est pax nostra, voluitque hoc unicum esse insigne eorum, qui sui essent: pacis scilicet inter se et charitatis cultum, ut eam amplectamini, neque tanto Italiæ incendio locum detis, omniumque in vos tanquam in ingentium malorum causam odia ac Divinam iram concitetis. Testamur Deum, Nos nullum prætermisisse erga vos amantissimi parentis officium, neque prætermissuros esse: at ubi viderimus, vestros cives et fratres ad æquissima descendentes injuria opprimi, neque illis, neque nostro muneri atque honori deerimus, eosque quantum poterimus, juvabimus: quod et erga vos faceremus, ubi illos æqua respuere intelligeremus. Omnes enim ut filios unice amamus, amabimusque quoad nullam hujus voluntatis immutandæ causam tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die XXIII. Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Idem egit cum eorum Duce Joanni Andrea ab Auria. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 59. f. 39.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Andreæ Auriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quanta semper fuerit nostra charitas in patriam tuam, inque omnes cives tuos, non putamus, Tuæ Nobilitati obscurum esse: idque maxime post istos motus ex nostra assidua de vobis cura et cogitatione, exque omnibus officiis perspicere potuisti. Gravissime autem hoc tempore angimur, quoniam susceptis armis florentissimæ istius Reipublicæ ruinam exsaturare cupientium. In quo etiam querimur, nos indignissime lusos ac fraudatos esse ab iis, qui cum omnia sedare possent, prolixe pollicebantur, nullum bello locum futurum, pacemque omnino extituram. Quid ergo nunc est, quod ab ea tantopere abhorretis? nam illi, qui Genuæ sunt, promptissime tribuunt liberam rerum componendarum potestatem Principum Ministris, quorum omnia suffragia tria sint, quod unum cæteri summopere optarunt, Principesque ipsi curandi, cur ergo nunc resilitis, aut cur non statim pax fit? Nos certe nihil aliud cogitare possumus, nisi omnia fuisse hacte-

nus simulata, bellumque summopere quæsitum, quod consilium quantopere conducat patriæ tuæ, non dubitamus, te pro tua prudentia facile intelligere. Cura igitur atque omnes nervos adhibe per eundem ipsum Jesum Christum, qui tantopere Nobis commendavit pacem, ut vellet, eam esse unicum suorum insigne, ut res conficiatur, utque tantum incendium ex Italia tollatur; neve committe, ut id tibi cæterisque, qui tecum sunt, assignetur, incurrasque in sempiternam infamiam, et quod horrendum est, in Divinam iram. Nos ubi eos, qui Genuæ sunt, injuste opprimi viderimus, illis non deerimus, idque Nos pro nostro munere necessario facere debere existimabimus, quod etiam faceremus tua tuorumque, qui tecum sunt, causa, ubi illos alteros æquas conditiones repudiare viderimus: omnes enim vos ut filios in Christo unice amamus, amabimusque quoad volueritis, hoc est quoad vos eos præstiteritis, qui esse debetis. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XXIII. Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Legatos quoque Principum ad tantam ab Januensibus calamitatem deprecandam excitare nititur. Leguntur ad Cæsaris Oratores litteræ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 60. f. 30.

Venerabili Fratri Episcopo Aquensi, et Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Dorimbergensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater etc. Semper magno in timore fuimus de motibus rerum Genuensium, ut parentes solent in periculis filiorum, tristissima quæque vobis proponebamus, neque ipsorum tantum malo, sed totius etiam Italiæ perturbatione atque incendio, quod inde existere posset, gravissime commovebamur. Sed non parvam in spem venimus ex eorum, quorum in manu erat, omnia sedare, asseveratione ac promissis, nullum armis locum futurum, pacemque omnino extituram. Nunc autem cum arma cœpta jam sunt moveri, neque tamen accipitur promptissima eorum, qui Genuæ sunt, voluntas liberam rerum componendarum facultatem tribus Ministrorum Principum suffragiis tribuentium, (quod unum altera pars summopere optavit, Principesque curarunt,) neque illius Reipublicæ res quam celerrime, ut oportet, constituuntur, omni illa de spe decidimus, maximoque in dolore sumus: quod nisi vos, Regisque Ministri omni conatu in pacem et concordiam incubueritis, existimabimus hactenus verba data esse, Nosque indignissime lusos, ac fraudatos fuisse ab iis, a quibus minime debuimus: neque aliud a principio fuisse quæsitum, nisi bellum, hancque unam maræ interponendæ concordiæque distrahendæ causam extitisse. Neque tamen voluimus deesse nostro muneri ac charitate in vobis hortandis, movendis ac per misericordiam Jesu Christi, qui pacem et concordiam voluit esse certissimum suorum insigne, rogandis, ut abjecta omni cunctatione, omnia civium inter se dissidia ea, qua oportet, ratione et via eradicetis, pacemque constituatis, neque tanto Italiæ incendio locum detis, neve omnium in vos odia, et quod horrendum est, Divinam iram concitetis; omnes enim judicabunt omnia, quæ ex imminenti bello orientur mala, vobis potissimum tribuenda esse. Illud certe ab hoc tempore et causa alienissimum est de Charissimi in Christo filii nostri Maximiliani Imperatoris Electi jure agere: non enim ad hoc missi estis, sed ad pacem conciliandam, cui omni studio operam dare debetis, idque Maximilianum ipsum exoptare certissimum habemus. Nos si eos, qui Genuæ sunt, tam injuste opprimi viderimus, neque illis, neque nostro muneri, atque honori non deerimus, ut etiam contra non decessemus alteri parti, si quidem illos alteros a pace abhorrere intelligeremus: omnes enim æque filiorum charissimorum numero habemus habebimusque, quoad se tales præstiterint, quales eos esse ipsorum causa incredibiliter cupimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima tertia Septembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXXI. — Consilium, quod Joannes ab Austria nobilibus Finarii dederat, optimum exitum nactum fuit: Januenses enim ita perterriti, eo potissimum auctore, ab armis discesserunt, seque commiserunt Legato Pontificis ac cæteris Principum Oratoribus, iisque maximam atque integram denuo rerum suarum componendarum potestatem dederunt. Qua de re Gregorius prope gestiens lætitia ad Legatum suum scribit, eumque, qui fere de pace desperaverat, confirmat, inceptaque ut perficeret, hortatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 81. f. 56

Venerabili Fratri Nostro Joanni Episcopo Hostiensi Cardinali Morono nuncupato, Nostro et Sedis Apostolicæ Legato

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater noster salutem et Apostolicam benedictionem. Non solum Nobis, sed quod caput est, Deo acceptissimi sunt labores tui, quos tanto cum incommodo istic suscipis in re tam gravi, in qua non istius modo Reipublicæ salus, sed totius etiam Italiæ pax et tranquillitas agitur. Numquam destitimus Divinam bonitatem orare, ut quantum potuimus, humano consilio providere, ut amoveretur eorum pertinacia, qui Finali sunt; neque tantum armis tribuerent, ut abjicerent charitatem Christi, recusarentque uti eo decreto, quod a principio summa contentione postulassent: quo decreto permittitur Fraternitati Tuæ, cæterisque arbitris summa ac libera potestas rerum componendarum. Cumque hac de re scripsissemus ad dilectum filium Joannem Austriam, vehementissimeque contendissemus, ut suam authoritatem interponeret; accepimus tandem ejus lite-

ras optatissimas, eas affert dilectus filius Joannes Franciscus Canobius, quem istuc remittimus. Rescribit placere sibi decretum accipi, atque arma quindecim dies suspendi, interimque de concordia et pace agi, remque componi, ac dissidia omnia amoveri. His de rebus certiorem facimus per literas dilectum filium Joannem Andream Auriam, nobilesque eos, qui Finali sunt, ad quos etiam Austriæ literas per Canobium mittimus; optimam spem habemus, Tuam Fraternitatem hortari, ut toto pectore in hoc negocium incumbas, supervacaneum arbitramur; scimus enim, illud tam tibi quam Nobis, hoc est incredibiliter cordi esse. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Hortatorias etiam ad Januenses litteras misit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann IV ep. 80. fol. 61.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Nunquam cessavimus de vobis, deque istius Reipublicæ rebus cogitare atque agere. Id autem multo magis fecimus, postquam cognovimus, vos liberam arbitris potestatem dedisse, decretumque id, quod illi vestro permissu composuerant, comprobasse: serius aliquanto id factum est, quam oportuit; sed non desistimus rebus exulceratis mederi. Egimus vehementissime cum dilecto filio Joanne Austria, ut quoniam nobiles illi, qui Finali sont, haberent decretum id, quod tantopere postulassent, suam auctoritatem interponeret. Rescripsit, placere sibi decretum ab illis accipi, arma quindecim dies suspendi, interim de pace agi, eamque constitui. Misimus eas literas una cum aliis nostris ad illos, atque ad Joannem Andream Auriam. Optimam spem habemus, sive autem pax sequetur, quod suppliciter a Deo postulamur; sive quod contra molietur Sathan, quod ejusdem Dei bonitas avertat, re ipsa magis ac magis quotidie intelligetis, quantopere res vestræ Nobis cordi sint. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Neque eos, qui Finarii manebant, omittendos putavit. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann IV. ep. 82. fol 37.

Dilectis Filiis Nobilibus Genuensibus, qui Finali sunt

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Ex aliis nostris literis, quas binas ad vos dedimus, exque omnibus officiis a Nobis profectis, quæ nunc commemorare non necesse habemus, facile perspicere potuistis, quantopere suspensi et solliciti simus de vestris rebus, quamque intime moveamur vestræ Reipublicæ charitate et Italiæ pacis ac tranquillitatis desiderio, cui utrique causæ intelligimus vehementer obstare vestra arma. Et quamquam sperabamus fore, ut et causarum ipsarum gravitate, et nostrarum litterarum pondere non leviter commoveremini, obtinerentque apud vos nostra monita ac paterna consilia eam, quam mererentur, auctoritatem; tamen voluimus etiam perscribere ad dilectum filium Joannem Austriam, cui vos plurimum tribuere, idque ipsius merito non ignoramus. Sed fefellit Nos ea spes, quam de ipsius pietate et virtute conceptam habebamus. Rescribit, placere sibi decretum liberæ arbitrorum potestatis accipi, atque arma quindecim dies suspendi, interimque de pace agi, discordiasque omnes componi atque amoveri: eas literas cum his nostris affert dilectus filius Joannes Franciscus Canobius. Videtis, quo perductæ res sint, quamque vicinum id sit, quod tantopere exoptamus, quodque tam vobis, patriæque vestræ conducit. Et quamquam persuasum habemus, nihil vobis magis cordi esse patriæ vestræ salute et civium charitate et concordia, quæ tolli non potest, ut non ipsa quoque Respublica labefactetur, et ruat, vosque et Deum amare, et, quod hujus amoris certissimum argumentum est, fratres quoque vestros diligere; tamen voluimus has literas dare, vosque et hortari et rogare, ut velitis arma deponere, concordiamque et pacem amplecti. In quo tametsi nihil humile debetis spectare, sed eam, quam diximus, Dei charitatem, præ oculis habere, tamen eo etiam libentius id facere debetis, quo magis vestro honori satisfactum videtis, postquam id reportastis, quod semper expetivistis et contendistis, ut scilicet tribueretur arbitris summa ac libera potestas rerum componendarum. Vincite igitur, quod præclarissimum est, vosmetipsos, si quid adhuc residet in vestris animis acerbitatis, vosque ad pacem et concordiam, qua nihil est dulcius, componite, summamque a Deo, atque ab hominibus gratiam inite, huncque maximum vestris malevolis, atque hostibus vestræ Reipublicæ ruinam exoptantibus, jam jamque videre se existimantibus dolorem inurite. Speramus, vos hoc facturos esse, animoque jam id gaudium, quo tam incredibiliter afficiemur, præcipimus. Deus benedictus illuminet vos sua gratia, incendatque corda vestra charitate sua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Scripsit quoque Joanni Andreæ ab Auria, cujus virtutes magnis laudibus est prosecutus. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 83. f. 88.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Andreæ Auriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Non possumus Nobis ipsis satisfacere in curanda Reipublicæ tuæ incolumitate, vestrumque omnium inter vos charitate et pace, sine qua illa con-

sistere non potest. Et quamquam Nobilitatem Tuam hoc ipsum velle, et quærere persuasum habemus, fidemque faciunt tuæ literæ, speramusque nostras superiores literas et monita paterna eam apud te auctoritatem obtinuisse, quam merebantur, tamen voluimus etiam scribere ad dilectum filium Joannem Austriam, quem pro sua virtute, atque in te, et tuos charitate plurimum in hoc negocio posse intelligimus. Accepimus ejus literas expectatissimas: sic enim rescribit, placere sibi liberum arbitrorum potestatis decretum accipi, armaque dies quindecim suspensa haberi, interimque de pace agi: tandemque rem componi, dissidiaque omnia amoveri. Eas literas cum his nostris affert dilectus filius Joannes Franciscus Canobius. Nunc, fili, patriæ tuæ salus tibi in manu est; scimus enim eos, qui tecum sunt, pro tua auctoritate et virtute nulla in re a tua sententia, et consilio discrepaturos, quæque ipse probaris, libentissime secuturos: quid autem magis probare debes, quam pacem atque concordiam? Quid æquius expectare, quam quod a Legato nostro, atque a cæteris arbitris, talibus ac tantis viris, tamque tui, patriæque tuæ amantibus decernetur? quem ullum tuis, Reipublicæque tuæ hostibus, ejus exitium jam jam se videre existimantibus, majorem dolorem inurere poteris, quam si eos, qui intus sunt, quibus semper admirationi fuit virtus tua, quique te in oculis ferunt, nec quicquam magis quam istam alienationem dolent, amplexus fueris, iisque tuos reconciliaris? Nobis crede ad omnium in te amorem, atque eam gloriam, quam tibi tua præstantissima virtus peperit, maximus hoc tuo facto cumulus accedet. Ac si quem forte ex tuis movet vana quædam imperitorum hominum existimatio, secumque cogitat, sitne ex sua dignitate hoc tempore pacem facere, nullum potest magis idoneum tempus reperiri, magisque ad laudem insigne, postquam scilicet id reportastis, quod tantopere concupivistis, cujusque obtinendi causa arma sumpsistis, summæ nimirum, liberæque arbitrorum potestatis decretum, ut nulla amplius causa sit in armis persistendi, quantumque vobis hoc tempore pax laudis afferet, tantum sint arma allatura infamiæ. Deum oramus, ut te tamquam suo instrumento utatur ad rem tam præclaram, tam suæ Majestati acceptam, tam a bonis omnibus expectatam, utque ex cæterorum animis omnem amoveat acerbitatem, repleatque eos gratia et charitate sua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Principum præterea Oratoribus, rerum Januensium componendarum arbitris, humanissimis verbis eorum operam sibi valde probatam esse affirmat, eosque erigit, ne in iis pacandis motibus conciliandisque civium animis remissiores se præbeant. Hæc ad Legatos Regis Catholici. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 83. fol 60

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci Candiæ, et Joanni Idiaquio Regis Catholici apud Rempublicam Genuensium Oratori

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Tametsi nunquam dubitamus, quin singularis fuerit vestra opera in curando, ut istius Reipublicæ res civiliter componerentur, atque ab armis discederetur, inque eo vos et Christianæ charitati, et optimæ Catholici Regis voluntati, et nostro incredibili desiderio, quantum quidem in vobis est, satisfacere, tamen quia nihil longius habemus, quam dum id factum esse audiamus, rogavimus dilectum filium Joannem Austriam, ut suam auctoritatem, quæ pro sua virtute plurimum valet, interponeret. Rescripsit, placere sibi decretum liberæ arbitrorum potestatis ab iis, qui Finali sunt, accipi, arma quindecim dies suspensa haberi, pacem denique fieri: eas literas una cum aliis nostris ad Jo: Andream Auriam, atque ad Nobiles illos per Joannem Franciscum Canobium mittimus, speramus illos decretum probaturos, atque his diebus ab armis quieturos. Pacis vero negotium in vestra cæterorumque arbitrorum prudentia consistit. Optima igitur spe sumus, quia vestram charitatem perspectam habemus, nec dubitamus vos amotis difficultatibus controversiisque omnibus summam operam isti Reipublicæ, cunctæque Italiæ navaturos, Nobis, ac bonis omnibus optatissimam constituros. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die III. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXXII. — Reliquos etiam Italiæ Principes, imprimisque Sabaudum atque Etruscum ob egregie operam rebus Januensium componendis navatam merito laudat. Lubet heic litteras ad Tuscum Principem exhibere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 79 f. 55.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Medici Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Accepimus binas literas Nobilitatis Tuæ, alteram superioribus diebus a Canobio, alteram hoc ipso die ab Oratore tuo. Laudamus summopere animum tuum de rebus et quiete Genuensium; utque nihil Nobis magis cordi esse potest, propter eos Italiæ motus, quos inde existere necesse esse pro tua prudentia praeclare intelligis, sic gratissima Nobis est voluntas tua. Remittimus ad Genuenses Canobium, ex quo Nobilitas Tua omnia fusius cognoscet, eique fidem habebit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Dignæ etiam quæ legantur litteræ regni utriusque Siciliæ Proregi inscriptæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 80. f. 55.

Dilecto Filio Nobili Viro Eneco de Mendoza, Marchiuni de Montejar, Regni Napolitani Proregi

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Certiores facti sumus a dilecto filio Marco Antonio Columna, quantopere Nobilitati Tuæ cordi sit pax Italiæ, quamque omnibus officiis curaveris Genuensium inter se discordias tolli, bellumque extingui. Scripsissemus antea ad Nobilitatem Tuam, dedissemusque literas una cum illis, quas mittebamus ad dilectum filium Joannem Austriam, sed noluimus causam cuiquam dare existimandi id, quod agebas tua sponte pro tua bonitate et virtute, nostro rogatu atque impulsu agere. Nunc significamus, omnia illa officia accidisse Nobis gratissima, hortamurque ut velis in dies magis ac magis urgere, remque perfici curare, summamque tibi apud bonos omnes laudem, apud Deum mercedem comparare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXXIII. — Qua alacritate, quo nisu, quo studio Italiæ Principes ac præ cæteris Duces Sabaudiæ et Etruriæ dissidiis Januensium componendis, animisque furore percitis sedandis insudaverint, perplures eorum vel ad Pontificem vel ad Cardinalem Moronum datæ litteræ apprime testantur.[*] Omnes vero anteibat magnus ille vir Joannes Andreas ab Auria, qui in pacanda patria immortales sibi laudes peperit. [*] Nos igitur horum virorum litteras ad calcem Annalium nostrorum adponemus, propterea quod ingens inde lumen rebus Januensium explicandis affulgebit.

[*] Mantissa document. N. 35. et 36.

[*] Ibidem N. 37.

CXXIV. — Pacis negotium auspicatius lætiusque in dies progrediebatur. Gallorum etiam Rex mirifice cupiebat Januenses ad concordiam adducere. Itaque mense Octobri opes, copias, arma, et quicquid ad bellicum apparatum commeatumque pertineret, sese suppeditaturum ultro Januensibus offerebat. Cum autem hi vererentur, ne hujusmodi tam in speciem generosæ pollicitationes hostile aliquid contra Rempublicam continerent, eadem sibi opus non esse comiter admodum atque urbane responderunt. [*] Gregorius, hac de re per Legatum suum certior factus, Januensium ad pacem proniores voluntates commendat, eosque hortatur, ne ab prospere inceptis dimoveri patiantur. [*]

[*] Ibidem N. 38.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 118 f. 80.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Præclare hactenus confirmavit nostram de vestra prudentia et concordiæ studio spem exitus ipse. Restat, ut sicut de singulis capitibus convenistis, sic, quæ ab arbitris decernentur, quam diligentissime observetis, quod et vos facturos speramus, et, ut fiat utrinque, nostrum in primis munus erit curare. Deus omnis rectæ voluntatis et actionis auctor atque adjutor perpetuo vos inter vos junctos teneat sua sanctissima charitate, quæ maxime convenit teneri optimos cives et fratres. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eadem suadet iis, qui Finarium secesserant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. IV ep. 117. f. 79.

Dilectis Filiis Nobilibus Genuensibus, qui Finali sunt

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecti filii salutem etc. Non fefellit Nos hactenus ea spes, quam semper habuimus de vestra prudentia, et concordiæ ac pacis studio, quod ut præclare declarastis in capitibus illis, de quibus superioribus diebus convenistis, sic speramus, vos, et, quæ ab arbitris decernentur, quam diligentissime observaturos esse: quod etiam ut utrumque fiat, vestra in primis curatio erit. Deus benedictus, Deus pacis et dilectionis vos omnes perpetuo inter vos conjunctos teneat indissolubili charitate, qua inter se amplecti æquum est optimos cives et fratres. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Itemque seorsim eorum Duci Joanni Andreæ ab Auria. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 119 f. 80.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Andreæ Auriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Magnam semper spem habuimus in tua optima mente, et præstantissima virtute, quam non solum tuæ literæ, sed etiam res ipsa, atque exitus confirmavit: neque dubitamus, præclaram extitisse operam Nobilitatis Tuæ in rebus sedandis, civibusque tuis ad honestissimas conditiones adducendis, quæ res ad tuam laudem et gloriam, quam tibi tua virtute comparasti, maximum attulit cumulum. Quod restat, ut ab arbitriis æqua decernantur, utque ea, quæ decreta fuerint, utrinque observentur, nostra summa curatio erit. Deus benedictus tueatur istam virtutem, eamque augeat omni humana et Divina felicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

Et Joannem Austriacum cumulatissimis laudibus prosequitur; probatque quod iniverat consilium promittendi arma iis, qui Finarii se tuebantur: quo solerter Januenses in concordia restituenda adjuverat. Hinc recentiorum scriptorum, ut antea innuimus, opinio non bene de hoc viro sentientium satis superque refellitur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 120 fol. 80.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ
GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nunquam dubitavimus de tua Catholicique Regis optima, atque omni pietate plena voluntate, quam quidem apertissime declaravit, nostrumque judicium de ea confirmavit exitus rerum Genuensium: quibus rebus, quo gravius commovebamur, quoque magis soliciti eramus, quorsum evasura essent arma illa, quæ Nobilitatem Tuam prudenti consilio moveri permisisse ostendit dilectus filius Joannes Scovedus, et nunc gaudemus magis tam optato exitu, cumque tuæ virtuti atque operæ singulari ascribimus, teque omni laude dignissimum judicamus, tuæque Nobilitati omnia a Nobis paternæ charitatis testimonia deberi profitemur: nec dubitamus, quin in iis, quæ restant, tui similis futurus sis, et curaturus, ut omnia quam optime, quamque celerrime constituantur. Remisissemus Scovedum multo ante, sed quia nondum compromissum factum erat, voluimus eum apud Nos habere, cujus singulari prudentia et fidei nostra consilia committere, cujusque præstantissima apud tuam Nobilitatem opera uti possumus. Nunc motibus illis sedatis, reque eo perducta, ut speremus eos omnes brevi sublatum iri, remittimus eum, ex cujus sermone tum alia, tum illud etiam cognosces, summopere Nobis cordi esse tuam amplitudinem, Nosque Tuæ Nobilitati omnia cupere, quæcumque potest pater filio charissimo atque optimo. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die tertia Novembris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXXV. — Magnus Etruriæ Dux in more habebat sedibus Episcopalibus nonnisi dignissimos viros proponere: idemque Sanctæ Sedi omnimodam venerationem præstabat [*]. Itaque eo magis Pontifex ægre tulerat, quod pius ille Princeps visus aliquando fuerit ab sua pietate aliquantulum discessisse. Ille enim, nonnullis e suis administris suadentibus, Episcopu Perusino, quem Gregorius Visitatorem Apostolicum in regione Etruriæ constituerat, in hocce suo munere perfungendo se impedimento esse non dubitaverat. Non igitur mirandum, quod eum Gregorius ad saniorem mentem vel gravibus verbis revocaverit. [*]

[*] Mantissa document. N. 39

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 73. f. 81.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Medici Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci
GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Non possumus satis mirari literas Nobilitatis Tuæ ad venerabilem fratrem Episcopum Perusinum, quibus literis eum deterres a visitando operario Ecclesiæ Senensis, aliisque multorum Hospitalium piorumque locorum Rectoribus, atque ab eorum administratione rationibusque perspiciendis et cognoscendis. Eo autem miramur magis, quo magis id alienum esse intelligimus ab ea pietate, quam cæteris in rebus adhuc laudabiliter prætulisti, et quam Nobis de te pollicebatur nostra paterna erga te benevolentia. Scire enim debes istorum cæterorumque piorum locorum omnium visitationem esse nostræ atque hujus sanctæ et Apostolicæ Sedis curationis; esseque eam cæteris Episcopis tanquam nostris, atque hujus Sedis delegatis a Sacro Tridentino Concilio tributam. Id si Tuæ Nobilitati mirum videtur, consule Juris et sacrorum Canonum peritos, quorum magnam habes isthic copiam: intelliges (modo velint syncere et libere respondere) nullo jure posse te Visitatorem Apostolicum prohibere; simul etiam scias hoc idem Mediolani, inque tota ea provincia, diversisque ac permultis Venetæ Reipublicæ in locis ab aliis nostris Visitatoribus factum esse, sine ulla aut Senatus Veneti, aut Regis Catholici querela; magno etiam cum assensu atque obedientia et merito; ut enim Nos non possemus sine gravissimo crimine abjicere eam curam, quam imposuit Deus; sic par est, Catholicos omnes Principes Apostolicæ Sedis auctoritati, rectæque rationi, et sanctorum Conciliorum decretis obtemperare. Quod præclare intellexit Cosmus genitor tuus: habemus enim literas ejus manu subscriptas et plumbatas, quibus agnovit, ut debuit, veneratusque est sanctum Concilium Tridentinum, jussitque omnibus suis Magistratibus, ut omnino ejus Concilii decreta exequerentur. Habes igitur et externum summorum Principum et domesticum patris tui exemplum. Hortamur Nobilitatem Tuam, ut velit illud imitari, reique honestissimæ acquiescere. Speramus, te id facturum esse pro tua prudentia et pietate. Ea spes si Nos forte (quod non arbitramur) fefellerit, quoniam in hoc negocio nihil aliud propositum habemus, nisi Dei, atque ejus Ecclesiæ honorem, nostrique muneris in eo tuendo necessitatem; te vero videmus nulla cum ratione resistere, scito Nos id nullo pacto tolleraturos esse, sed eo enixius nostra auctoritate et potestate usuros, quo gravior apud Nos esse debet Dei causa, quam cujusvis hominis ratio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Octobris MDLXXV. Pont. Nostri anno quarto.

CXXVI. — Veneti inanibus Principum fœderatorum pollicitationibus illecti sacrum contra Turcas bellum non modo intermittunt, sed pacis conditiones, quas rerum necessitate impulsi cum illis anno MDLXXIII. pepigerant, per oratorem suum Jacobum Sorzanum IV. Id. Augusti hujus anni, ægre admodum id ferente Pontifice, renovant. [*] Cum igitur Gregorius a suis ad Cæsarem et Polonos legatis cognovisset, Turcas in se, uti confœderatorum ad id bellum Principum caput, novi aliquid moliri, a Sabaudo Duce petit [*], ut sibi Equitum Ordinis SS. La-

[*] Apud Dumont, Corps Diplomatique T. V. P. I. pag. 741.

[*] Mantissa document. N. 18.

zari et Maoritii triremes mittat, quibus ditionis Pontificiæ litora tuenda committantur, infestique Turcæ ut arceantor ac depellaotur negotium detor. Quod pius ille Princeps libentissime præstitit. Ea de causa Pontifex tiremem Massiliæ coemi jubet. [*]

[*] Mansiasa document. N. 41.

Cum autem Turcæ Christianis Cimaræ, quæ est Greciæ provincia, novos incursus minitarentur, Joannem Austriacum excitat, ut iisdem auxilio occurrat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 72. f. 30.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Qui sit provinciæ Cimaræ rerum atqoe hominum status, plane ex oratoribus ipsis cognoscet Nobilitas Tua. Nobis certe videtur calamitosissimus. Sic enim accepimus eos a Turcis assidue bello premi, eoque acerbius vexari, quo majori cum virtute resistunt: solos enim fere esse ex universa Grecia, qui non potuerunt a fœdissimo barbaro in servitotem redigi: nuper autem eorum regionem crudeliter vastatam atque incensam fuisse. Doluimus gravissime, ut debuimus, Christi, sanctæque ejus Ecclesiæ filiorum calamitatem. Rogamus Nobilitatem Tuam, ut eos et tua virtute amplectaris, et cum Catholico Rege, cui se parere profitentur, agas, ut eos quam commendatissimos habeat, suamque illis adversus communem hostem opem impertiat: hoc ita a Tua Nobilitate contendimus, ut majore studio contendere non possimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Octobris MDLXXV. Pontificatus Nostri anno quarto.

I. — Ex perturbatissimis Ecclesiæ Germanicæ rebus gravissima eaque molestissima Pontifici hoc anno incessit cura. Legatus enim ejus apud Cæsarem, cæterique qui extraordinariæ legationis munere ad nonnullos Germaniæ Principes missi fuerant, Gropperus, inquam, et Bartholomæus a Portia iteratis litteris ei retulerunt, Protestantes nihil non aggredi, nulli arti, nulli labori parcere, ut in qualibet Germaniæ regione sibi sacra sua faciendi fieret potestas. Quod Protestantium consilium ut explicetur, revocandum memoriæ est, quod, vi pacis religiosæ (ita appellari eam placuit) in comitiis Augustanis anno MDLV. a Carolo V. sancitæ, Neoevangelicis, id est Confessionis Augustanæ asseclis, liberum sui cultus exercitium pro quibusdam oppidis fuerat concessum: reliqui vero qui a Confessione Augustana dissentirent, Calviniani, qui vulgo Reformati audiunt, Anabaptistæ, Piccardi, Valdenses, aliique hujusmodi homines aliarum novarum de religione opinionum vel fautores vel inventores ea concessione excludebantur. Ex his Reformati seu Calvini asseclæ cæteris auctoritate et opibus præstabant: ipsi namque potentissimos, eosdemque bellica virtute insignes ex Electorali domo Comitum Palatinorum Rheni Principes sibi confessione conjunctos ac faventes habebant. Jam vero inter Neoevangelicos et Reformatos, vel ad id temporis, ut norunt omnes, perpetuæ simultates et inimicitiæ intercesserunt: adeo ut sæpissime strictis gladiis more infestissimorum hostium inter se dimicaverint, atque crudelem in modum ad instar sævissimarum ferarum se invicem prosciderint ac dilaniaverint. Hinc sæpius fiebat, ut si quando filius primo loco natus Calvini dogmatibus adhærens, patri vita functo, et Confessioni Augustanæ addicto, in principatu vel regno succederet, omnes concionatores et sacra secundum Confessionem Augustanam curantes ex ditione sua expelleret: iisque Calvinianos concionatores et administros sufficí juberet: idemque fiebat in filio successore, qui Confessionem Augustanam teneret, cujus pater Reformatorum sacra coluisset: unde vulgatum ac tristissimum illud in Germania tunc invaluerat proverbium: « Cujus est regio, ipsius est religio ». Hæc porro rerum colluvio latius patebat, ut ad viros etiam laicos, qui publicis muneribus fungerentur, pertineret; quin immo ludimagistris, si quidem novam Principis religionem profiteri recusarent, suo muneri cedendum erat. Quæ res sane perquam incommoda et publicæ et privatæ rei accidebat. Reformati igitur, qui per se, licet in quibusdam iisque haud ita magnis Germaniæ provinciis prævalerent, si cum reliqua Germania conferas, multitudine ac potentia Augustanam Confessionem profitentibus erant longe inferiores, magna usi sunt dexteritate ad sibi Neoevangelicos istos potentiores adjungendos: suadebant his, rem communem secum facere: viribus enim studiisque conjunctis fortiores futuros: adeoque de integra religionis libertate consequenda in proximis Imperii comitiis facilius ab Imperatore impetraturos: hanc unam viam esse, qua et illi amplioribus juribus et privilegiis potirentur; sese

vero per Imperii regiones propagare latius asseclas suos posse, nullamque provinciam, nullamque urbem ab suis dogmatibus vacuam Catholicis relicturos. Illud vero admirationi esse debet, quod Reformati isti tanta subito exarserint conjungendorum animorum charitate, ut non modo cum viris e Confessione Augustana se amicissime conjunxerint, sed etiam uno eodemque tempore omnium quorumlibet sectariorum, qui plus minusve ab illa Confessione dissentirent, rem agendam susceperint, iisque omnibus eadem ac Neoevangelicorum jura se comparaturos speraverint; idque ut assequerentur nihil non intentum reliquerint. Iisdem quoque artibus Poloniæ Dissidentes anno MDLXX. usi fuerant, cum celebrem illam fidei formulam condiderunt, quæ vulgo Consensus Sendomirensis audit; quod et anno superiori imitati erant Bohemiæ Dissidentes, uti narratum ibi est, anno 1575. §. IX., ast haud prospero quidem exitu.

Protestantes igitur certatim litteris encyclicis ad sua jura tuenda, atque ad solidam libertatem religionis in proximis Imperii comitiis a Cæsare implorandam sese excitabant. En quæ Senatui Heidelbergensi et Burggravio Starkenburgensi scribebant. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 86

« Viri familiares et amici. Meministis haud dubie, quanta solicitudine ac diligentia, Sacri Romani Imperii Principes Electores, Duces, Comites, Augustanæ Confessionis consortes, aliquot hactenus annos, in omnibus Principum conventibus, seu comitiis, præcipue vero in nuperrime celebrata die electionis Ratisbonæ, pro libertate religionis ceu salubri ac utili, qua etiam Dei promoveretur gloria, supplicaverint, atque Imperatoriam Majestatem (tametsi hactenus in cassum et frustra) solicitaverint; quodque Majestas Sua rem omnem ad imminentia comitia rejecerit, fueritque quam clementer pollicita, tum ad rei effectum, operam locatum iri.

« Jam vero Illustrissimi et pii quidam Comites, qui in commemorata die electionis pro obtinenda libertate ista religionis quam diligenter solicitarunt; at (ut modo dicebam) frustra: paucos ante dies duarum supplicationum Cæsareæ Majestati tum in præcedentibus comitiis, tum in proxima die electionis exhibitarum, copiam mihi transmiserunt, rogantes, ut una cum aliis prudentibus ac piis viris consultarem, quid ad hanc rem potissimum faceret prosequendam, simulque apud Landgravium Hassiæ, Principem ac Dominum meum clementissimum, cæterosque viros cordatos efficerem, ut negotium hoc porro urgeretur, tandemque obtineretur. Id ego (quamlibet minimus) ad Illustrissimorum istorum Comitum, aliorumque bonorum virorum postulationes pro virili conatus sum. Unde visum est e re fore, ut, sicut hactenus Principes Electores, cæterique Duces, Comites causa hujus articuli supplicarunt, ita deinceps omnes etiam viri Nobiles, atque Imperiales Civitates una cum dictis Principibus apud Imperialem Majestatem solicitarent.

« Qua id vero ratione a Nobilibus et Civitatibus, tam longe lateque remotis, commode obtineri queat, variæ audiuntur sententiæ. Idcirco aliquot me viri boni rogarunt, commoditatem hanc viris quibusdam Nobilibus et bis cordatis atque prudentibus, qui opem afferre possent, et inter hos etiam Vobis, notam efficere, ut in suis quique locis, et vos in Palatinatu tum apud viros Nobiles, tum etiam (si fieri potest) apud Imperiales Civitates id negocii non suffulceretur, ut hi omnes pro religionis libertate in comitiis imminentibus orarent et supplicarent; atque in meliorem successum legatis Palatinatus, aut Civitatum Francofurti, Spiræ, Wormatiæ, aliarumque, qui ad comitia mittentur, rem eam serio commendarent, aut certe unum nomine omnium legitime ac satis instructum Ratisbonam amandarent.

« Nam et ego de eadem re jam antea perscripsi ad ducem exercitus Georgium ab Halla, ad Adrianum et Melchiorem a Stramberg, ad Doctorem Joachinum Minsinger a Frondeck, Henricum a Salder, aliosque cordatos viros multos in Ducatu Brunsvicensi, quibus etiam copiam dictarum supplicationum, quas Comites adhibuerunt, una cum instructione eo necessaria transmisi, ut ipsi cæteros in Ducatibus Brunsvicensi et Luneburgensi, et circum circa positos viros Nobiles, Civitatesque Imperiales et liberas, ad supplicandum in proximis comitiis pro re eadem, instruerent atque juvarent. Quemadmodum et ego Fridericum Volckmaren a Berlipsen, Joannem Losere, Christophorum ab Eisleben, et Doctorem Lucam Tangele scriptis cohortatus sum, ut id negotii apud Saxones, Turingos, Nignenses Nobiles curarent. Nam idem per Christophorum Landschanden, præfecto primario et Magistro Equitum Studgardiæ; item Ernesto a Wirsperg, Brandenburgensi Equitum Magistro curavi perscribi, ut hi Sveviæ Nobiles eo juvarent. Interea et Archimagister Equitum, Adolphus Hermannus Rindeseln, cæterique apud Nobiles Francones, Hassos, Ottonicos, alii autem viri boni apud Nobiles in Marca, Pomerania, Melckelburgo et Holstain, tum apud Civitates liberas atque Imperiales idem perficient. Quamobrem amice precor, ut viros Nobiles vestri Palatinatus pro virili, ad quærendam in proximis comitiis tam diu speratam, sæpius petitam et cum primis necessariam religionis libertatem, accendatis atque jungatis, ut ita tam vos quam illi Regi gloriæ ad honorificationis ingressum etiam vestes, aut ad minimum abscissos de arboribus ramos, in viam substernatis. Ita ego de Vestra potentia, deque voluntate propensa nihil pror-

sua dubito, quin ad augendam gloriam Dei, et juvanda Nobilitatis commoda, hoc late potens, summeque necessarium opus pro virili sint curaturi. Qua in re obsequium bonum, utile, atque Deo gratum præstabitis. Ego vero a cordatis alioquin viris rogatus, vos hæc nequaquam volui celare.

Datæ Franckenberg prima die Januarii anno 1576.

BURKARDUS A KRAM
GUBERNATOR MARPURGENSIS.

II. — Eo porro audaciæ hujusmodi homines progressi sunt, ut Viennam ipsam, urbem Austriæ principem, mittere errorum suorum magistros, qui ibidem publicas haberent conciones, non dubitaverint. Quod cum Pontifex a Legatu suo cognovisset, confestim ea de re graviter cum Cæsare conquestus, hortatus eum est, ut hos neotericorum dogmatum propagatores e vestigio expelli juberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 111 f. 96.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quam sit animabus mortifera hæreticorum doctrina, res ipsa declarat: convellit fidem, hoc est totius Religionis fundamentum, quo amoto impossibile est placere Deo; abstrahit filios a Matre Ecclesia, extra quam salus nulla esse potest; sanctam disciplinæ severitatem corrumpit, dum fingit quandam facilem et latam viam: quærunt denique in ea Ministri Sathanæ non quibus rationibus possint crimina emendare et vitare, sed quibus committere et tueri. Qui etiam eo sunt capitaliores, quo tectiores: admiscent pravis recta, aliter enim nemo eos audiret, dumque conantur suam impietatem confirmare auctoritate Sacræ Scripturæ, ea tantum particula utantur, quam putant sibi esse accommodatam, reliquam sibi adversariam occultant; utque ipsi sunt a Catholica Ecclesia atque ab omni veritate distracti, sic unius capitis verba et sententiam scindunt. Ubi id facere non possunt, seque teneri vident, calumniantur, verba illa, quibus se aversi intelligunt, falso ab aliis adjecta esse, neque ejus auctoris esse cujus nomine præferuntur: codices vero corrumpere, usitatissimum antiquissimumque illis est; sicque imperitis, quorum ingens est numerus, certissimum venenum infundunt. Quod si sapientissime ab Ecclesia anathemate interdictum est Catholicis, ne legant libros hæreticorum propter impiam fraudem et summum lectionis periculum, qui poterit imperita multitudo non sine certissima ruina illorum concionibus aures præbere! Quo etiam magis rogamus Majestatem Tuam, ut aliquando id facias, quod quidem te pro tua pietate percupere certum habemus, debere autem omnes intelligunt, ut eos istic Viennæ concionari ne sinas. Neque enim possunt eadem de re duæ doctrinæ inter se contrariæ veræ esse. Cum igitur permittantur suam doctrinam in concionibus promulgare, utrum tanquam veram permittuntur, an tanquam falsam? si tanquam veram, contraria igitur Catholicæ Ecclesiæ doctrina falsa est, quod impium est existimare; si tanquam falsam, venenum certe Catholica in civitate spargere atque animas perdere permittuntur, quo quidem nihil potest fieri Christi sanguini injuriosius: ille enim dedit animam suam pro ovibus suis, utque eas lupis eriperet, obtulit se ipsum morti acerbissimæ. Vidi, inquit Propheta, iniquitatem et contradictionem in Civitate: quæ autem major iniquitas, quam Catholicæ veritati adversari, atque animas perdere! quæ porro major contradictio, quam hinc veritatem, illinc mendacium, hinc solem, illinc tenebras, hinc Christum, illinc Belial prædicari. Res, ut videt Majestas Tua, indignissima est, atque ab omni pietate aversissima: eam prohibere tua in manu est; tanta autem habes, tamque ampla a Christo Jesu beneficia, ut nihil tibi commendatius esse debeat ejus gloria, animarumque ejus sanguine redemptarum salute. Iterum rogamus Majestatem Tuam per eundem ipsum sanguinem, ut huic tanto malo sine ulla mora provideas: hoc te facturum esse, tua insignis pietas Nos dubitare non sinit. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

III. — Verumtamen Gregorius, ut erat rerum gnarus et prudens, ea ratione illos coërcendi non contentus, verensque, ne Principes Protestantes in Imperii comitiis, quæ hoc anno Ratisbonæ in mensem Junium indicta fuerant, suis audacibus petitionibus mitem facilemque Cæsaris animum si non expugnarent, saltem sibi in religionis negotio cum gravissimo fidei catholicæ damno indulgentiorem efficerent, Legatum suum amplissimis munitum facultatibus Ratisbonam misit. Huic tam gravi muneri obeundo destinavit clarissimum illum Cardinalem Moronum, qui perpetua ingentique sui nominis et Sanctæ Sedis gloria, magnoque Religionis bono, ab Januensium civium compositis dissidiis Romam nuper redierat. Voluit autem Gregorius, quos Moronus in Januensi legatione socios habuit, eosdem et Ratisbonæ consilio ac opera illi adesse: quibus et nonnullos alios viros ecclesiasticos rerum gerendarum expertes addidit. Hæc eo de negotio Cæsari scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 906. f. 113.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et

Apostolicam benedictionem. Ut nihil est, quod in gravissimo hoc, in quo Dei benignitate versamur, Apostolicæ servitutis munere magis Nobis cordi esse debeat, quam Dei ipsius gloria, sanctæque Ecclesiæ suæ dignitas, optimorumque Principum Tuæ Majestati similium amplitudo: sic quoniam non semper possumus his rebus interesse, easque per Nos ipsos agere, eorum potissimum opera uti debemus, quos ad hæc curanda maxime idoneos esse intelligimus. Neminem autem habemus, quem pluris faciamus, quam Venerabilem fratrem nostrum Joannem Cardinalem Moronum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decanum, propter summam ejus pietatem, gravitatem, auctoritatem, integritatem, spectatamque multis in rebus gravissimis legationibusque difficillimis prudentiam et fidem, propterque eam, qua semper Majestatem Tuam prosecutus est, observantiam, incredibileque Germanicarum rerum laudis ac felicitatis desiderium, quæ omnia et Tuæ Majestati perspecta esse certo scimus, et ex hac ejus legatione tam longinqua, et tam libenter, tam affecta ætate suscepta recognosces. Mittimus igitur hunc nostrum atque Apostolicæ Sedis de latere Legatum, earum scilicet rerum causa, quas diximus, quibus quidem nihil potest gravius curari. Ei autem par est, eamdem, quam Nobis ipsis, fidem tribui, idque Majestatem Tuam ut faciat rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Aprilis MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eodem fere exemplo litteras reliquis etiam Imperialis Domus viris, uti Rudolpho Regi Romanorum, Archiducibus Austriæ, tum Archiepiscopis et Episcopis Germaniæ misit, [*] quibus eos monet, ut Morono in legatione obeunda opera et consilio præsto esse velint. Heic eas tantum exhibere lubet, quæ Salisburgensium Præsuli datæ sunt. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. IV. epp. 207. 230.

[*] Ibidem epist. 229 fol. 131.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Salisburgensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Vere appellamus Venerabiles Episcopos fratres nostros, idque non communi illa ratione, qua Catholici omnes inter se sunt fratres, sed propria quadam, et præcipua propter muneris scilicet in Ecclesia Dei conjunctionem, communemque curam in eo potissimum, quo maxime eadem ipsa Ecclesia, et Christi gloria atque ejus ovium salus continetur, hoc est in tuenda Catholica Religione et syncero Dei cultu. Tuam vero in primis Fraternitatem hac cura affici, nec quidquam esse, quod tantopere cupias, quam eamdem religionem non solum ubi viget, sanctissime retineri, sed toto etiam terrarum orbe propagari, penitusque mortalium omnium animis infigi, ex tua insigni pietate persuasum habemus. Itaque etiam non dubitamus, quin sis consilio, auctoritate, opera adjuturus nostros conatus, et Venerabilis fratris nostri Joannis Cardinalis Moroni, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decani, labores sanctæ Religionis causa susceptos. Fecimus illum nostrum et Sedis Apostolicæ de latere Legatum, nec quenquam habuimus, cujus integritatem, gravitatem, auctoritatem, prudentiam et multis maximisque in rebus spectatam fidem pluris faceremus. Cujus etiam charitatem et Christi gloriæ zelum, rerumque Germanicarum studium declarat hæc ipsa legatio, tam longinqua, tam incommoda, tam affecta ætate, tam libenter ab eo suscepta. Omnia ex ipso cognosces, eandemque ei fidem tribues, quam Nobis ipsis tribueres. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Aprilis MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Legatos quoque Catholicos exterorum Principum ad Cæsarem, in primis vero Hispanum, singularibus litteris excitat, ut idem præstent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 228. f. 130.

Dilecto Filio Nobili Viro Comiti Montis Acuti, Regis Catholici apud Imperatorem Electum Oratori

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quam gravibus de causis mittamus in Germaniam nostrum et Sedis Apostolicæ de latere Legatum Venerabilem fratrem nostrum Joannem Cardinalem Moronum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decanum, non solum ex ipsius hominis amplitudine conjicere potes, sed etiam ex ejus sermone cognosces. Erit Nobis, et Deo, cujus gloriæ causa laboramus, gratissimum, si negocia ipsa consilio, auctoritate, opera tua juveris. Quod quidem pro eo loco, quem apud Serenissimum Maximilianum tenes, facere potes, velle autem te quæ tua est pietas, non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Aprilis MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Nuntios præterea suos apud Cæsarem, tum ordinarium, tum quos, uti Gropperum et Bartholomæum a Portia, extra ordinem superioribus annis in Germaniam miserat, iisdem comitiis interesse statuit, eisque mandavit, ut Morono adessent ad munus suum optime prospereque gerendum, diligentissime rerum ecclesiasticarum Germaniæ rationem ac statum exponerent atque explicarent.

IV. — Plurima eaque gravissima negotia apud Cæsarem tractanda ac expedienda Morono proponebantur. In primis enim, quod ad Imperii negotia attinet, de sacro contra Turcas bello continuando, de duobus electis Poloniæ Regibus, de Flandria denique pacanda agebatur: plurimi quidem consilii res maximique momenti. De religione vero valde adlaborandum atque exsudandum Morono erat, ne Cæsar intolerabi-

lia Protestantium postulata admitteret, neve sua auctoritate sanciret: quod fieri posse videbatur tum ex Cæsaris ingenio, qui facile movebatur, tum ex perturbatione rerum omnium. Quod sane Principes Protestantes non fugit, qui cum omnem operam navassent, ut Cæsarem ad vota sua facienda inducerent, demum minas etiam ei intentare aggressi sunt: se posthac non amplius subsidium ita dictum Turcicum, quod Cæsar ad incursus Turcarum repellendos ab Imperii Statibus obtinuerat, collaturos fore, nisi antea suis de integra religionis libertate postulatis satisfactum esset. Verum Catholicorum constantia vicit, qui a pontificio Legato vehementissime excitati, ne animos desponderent, neve majorum fidem labefactandam vaferrimis hominibus proderent, toti in eo fuerunt, ut nihil in eis comitiis, quod Ecclesiæ jura minueret, Protestaotium iniqua postulata admitteret, decerneretur. Moronus præterea crebros de hoc negotio cum Cæsare sermones habuit, a quo humanissime fuit exceptus; qui adeo toto eo tempore, quo Ratisbonæ se tenuit pontificius Legatus, omni amoris et comitatis officio eum est prosequutus. Qua in re præ cæteris cordatissimus vir Guilielmus Dux Bavariæ, Coloniensium Archipræsul, itemque Augustanus, Eichstadiensis et Ratisbonensis Episcopi, qua in comitiis, qua apud Cæsarem egregie Moronum juvarunt. Hinc factum est, ut Cæsar semel iterumque eidem receperit [*], se nunquam permissurum, ut quid novi rebus fidei inferretur. Huc accessit, quod inter ipsos Protestantes Legati Principum Electorum, Ducis nempe Saxoniæ et Marchionis Brandenburgensis Confessioni Augustanæ addictorum, qui sectariorum ab ipsa dissentientium postulatis non ita multo favebant, ad mitiora consilia descenderant. Cæsar igitur his principibus viris fretus intollerabilia Protestantium postulata rejecit, iisque ea tantum, quibus anteactis Imperii legibus fruebantur, denuo confirmavit, (videsis Cæsaris decreta Ratisbonæ diebus 25. et 28. Aug. 24. Sept. 9. et 10. Octob. hujus anni edita apud Lunig: Specileg. Eccles. Par. General. Continuat. Tom. I. pag. 259. 260. 271. et 291.) additis paternis admonitionibus, quibus eos ad pacem concordiamque cum Catholicis vehementissime cohortabatur. Summum autem in iisdem comitiis Cæsaris studium proditum est ad Catholicorum jura vindicanda. Nam celeberrimam Abbatiam Imperialem Sanctimonialium Ord. S. Benedicti Gandershemii sitam, a Protestantibus ita dicam usurpatam, publico decreto XIII. Kal. Sept. restitui Catholicis jussit: eamque Archiepiscopo Coloniensi atque Episcopo Hildesemiensi in custodiam tradidit. [*] Altero decreto VI. Id. Octob. edito Friderico III. S. R. I. Principi Electori Palatino mandavit, ut castrum Neuhaus, sive Domum Novam, quod tempore perturbationum civilium in suam potestatem asseruerat, Wormatiensi Episcopo restitueret. [*]

V. — Sane quam dolendum valde fuit Catholicis, tantum Principem adeo præpropera morte abreptum fuisse. Diem enim supremum obiit Ratisbonæ IV. Idus Octob., anno ætatis quadragesimo nono, vixdum absolutis comitiis, cum scilicet præsente filio successore ejus Rudolpho, hujus conventus decreta in palatio senatorio promulgarentur, et nomina Principum, qui iisdem subscripserant, recitarentur. Ejus cadaver Pragam elatum, ibidem in ecclesia S. Viti ad latus patris sui Ferdinandi I. cum honestissima funeris pompa tumulo fuit inlatum. [*] Fuit quidem Princeps omnibus maxime probatus, tum animi dotibus, tum præsertim quod turbatissimis temporibus paci ac tranquillitati Imperio comparandæ studuit maxime. Quo factum est, ut præcipue primis imperii sui annis minus cautum prudentemque se Protestantibus præbuerit. Qui cum cognovissent ejus ingenium ad pacis opera inclinare, animos sumentes, opinionum suarum constantiam præfracta fronte eidem objicientes effecerunt, ut cum eis se gereret indulgentius, plurimaque eorum rogata concederet: nihilo tamen secius semper vel a susceptis Imperii gubernaculis cum Ecclesia Catholica sensit, eaque in fide constantissime perseveravit; adeo ut nullo unquam tempore omnibus pietatis, observantiæ, venerationis officiis erga Romanum Pontificem Sanctamque Sedem Apostolicam defuerit.

Rudolphus, qui unanimi Principum consensu in Imperii clavo regendo patri succedit, extemplo de ejus obitu Gregorium certiorem facit, ejusque Sanctæ Romanæ Sedi per Legatum extra ordinem ex majorum instituto obedientiam præstat. [*]

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. divina providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Posteaquam Deo Optimo Maximo visum est, hesterna die ante meridiem Sacram Cæsaream Majestatem Dominum nostrum genitorem colendissimum, augustæ memoriæ, ex hac humana et fragili vita in cœlestem ac perpetuam gloriam evocare: Nos etsi pro ea, qua Sanctitatem Vestram prosequimur filiali observantia, eidem lætiora nuntiare mallemus; tamen cum non ignoremus, quanta benevolentia Sanctitas Vestra Cæsaream Suam Majestatem, ac qua vicissim affectione Majestas ejus Sanctitatem Vestram prosequuta sit, omittere non potuimus, quin de hoc nobis sane longe acerbissimo casu

[*] Mantissa document. N. 42.

[*] Harenbergii Histor. Gandeshemensis, p. 999.

[*] Apud Lunig loc. cit. T. II. p. 939.

[*] Mantissa documentor. N. 43.

[*] Lit. Principum Vol. 25. ep. 21.

Sanctitatem Vestram literis nostris certiorem redderemus. Quem autem inde dolorem cepetimus, Sanctitas Vestra facile æstimabit. Ambo certe maximam fecimus jacturam: nam Sanctitas Vestra Imperatorem pientissimum, eundemque Sanctitatis Vestræ studiosissimum amisit; nos vero parente optimo nostrique amantissimo orbati sumus. Sed cum divinæ voluntati acquiescendum sit, utique et nos rem omnem Deo committere necesse est. Cæterum Sanctitatem Vestram obnixe rogamus, ut (quod hactenus fuit) in posterum etiam nos paterno suo amore, perinde ac Divum genitorem nostrum, complecti, sibique de nobis vicissim omni loco et tempore quævis filialis observantiæ officia polliceri velit. Quam quidem integerrimam voluntatem nostram non modo Rñus in Christo Pater, amicus et princeps noster charissimus, Cardinalis Madrutius etc., cui Sanctitatem benignas aures præbere, ac plenam fidem præstare cupimus, verum etiam Orator noster, propediem ad Sanctitatem Vestram tam hac de re, quam ad ea præstanda, quæ Sanctæ Sedi Apostolicæ a Romanorum Imperatoribus et Regibus præstari solita sunt, destinandus, uberius declaraturus est. Quod reliquum, Sanctitatem Vestram quam diutissime salvam atque incolumem vivere, ac Ecclesiæ felicissime præesse exoptamus. Datum in Civitate nostra Imperiali Ratispona, die XIII. mensis Octobris, Anno Domini MDLXXVI. Regnorum nostrorum Romani primo, Hungarici quinto, Bohemici vero secundo.

Ejus Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
RUDOLPHUS.

Gregorius altero ab accepto funesto nuntio die, qui fuit VII. Kal. Novemb. Sacrum Consistorium convocat, eumque Patribus Cardinalibus refert. Die insequenti in Cappella magna Palatii solemniores exequiæ pro defuncti Imperatoris anima celebratæ fuere, sacra operante Cardinali Madrutio, Tridentino, Episcopo Portuensi, Sacri Collegii Subdecano. Quibus peractis Pontifex non distulit amantissimis litteris Rudolphum Cæsarem de optimi parentis obitu solari (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 118 f. 257.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Gravem accidisse Majestati Tuæ obitum optimi parentis tui Maximiliani, et ex communi omnium liberorum sensu, et ex tua propria humanitate, et pietate facile judicamus. Simul etiam persuasum habemus, te ut in dolendo naturæ satis fuisti, sic Christiani etiam viri officio et munere satisfacere in adhibenda ad consolationem illa spe, quam proponit Apostolus, immortalitatis scilicet, et vitæ omni felicitate cumulatissimæ, quam quidem repositam habet Deus iis, qui in ejus fide et charitate decedunt. Ut nihil plane sit, cur illorum causa doleamus, quin potius debemus lætari eorum bono, quos speramus regnare cum Christo durissima servitute, atque innumerabilibus mundi, carnis, dæmonum laqueis ereptos. Hoc quia Majestati Tuæ persuasum esse non dubitamus, ideo breviores in consolando sumus. Quod reliquum est, summa spes est, et nostra et bonorum omnium, eum fore, te in tam excelso dignitatis gradu, quem maxime cupimus; habemus enim certissimum pignus optimæ a puero educationis tuæ, mirificorumque in dies in vinea Domini, inque omni virtute progressuum, qui quidem eo indies majores erunt, quo te magis ac magis Deo totum tradideris, tuasque omnes cogitationes, atque actiones ad ejus laudis et gloriæ amplitudinem contuleris. Quod ut præstare, non est humanæ imbecillitatis, sic perpetuam divinæ gratiæ opem Tuæ Majestati a Domino Deo Nostro precamur. Mittimus ad Majestatem Tuam dilectum filium Annibalem Capuanum nostræ utriusque Signaturæ Referendarium, virum propter doctrinam, atque insignem nobilitatem, ac prudentiam Nobis in primis charum. Ex eo cætera cognosces, cupimusque ut ei fidem tribuas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Decembris MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

Eodem tempore amanter et sapienter Germaniæ Præsules præmonuit, ut novo Cæsari in Ecclesiæ rebus tutandis ac provehendis suasores atque adjutores se præberent. Sufficiat litteras Salisburgensium Archiepiscopo missas afferre. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 123. f. 263.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Salisburgensi

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quantopere semper laboravimus de Catholica Religione in Germania iis in locis, in quibus adhuc viget, retinenda, unde autem ejecta est, restituenda, perspectum esse Fraternitati Tuæ arbitramur. quod idem toto pectore et optasse, et contendisse te certo scimus. Neque vero debemus in tam laudabili, tamque Deo accepto conatu defatigari, quin eo acrius instare, quo major spes est in optima voluntate præstantissimaque pietate, atque in omni genere virtute charissimi filii nostri Rudolphi. Sed et illius ætatem vides, et Crucis Christi inimicorum spiritus nostri, et Sathanæ artes, et machinas perspicis. Quid ergo? opponenda est virtus Catholicorum, optimorumque virorum, eorum præsertim, qui dignitate, auctoritate, fide, rerum usu maxime excellunt, in his præstare te omnes intelligunt. Optimo igitur Principi præsto erit Fraternitas Tua omnibus in rebus, quæ ad Christi gloriam

Catholicæque Ecclesiæ dignitatem pertinebunt, cumque in tam excelso dignitatis gradu tuis fidelissimis consiliis, atque opera juvabis. Et quamquam certom habemus, nihil nostra cohortatione indigere te, tamen non potuimus pro nostro munere tanta in re silere: mittimusque hac ipsa de causa ad Fraternitatem Tuam Nuntium nostrum Bartholomæum Porciam. Eo autem majorem spem habemus in tua pietate, quo majora ejus documenta dedisti in proxima Dieta, ubi nihil prætermisisti, quod quidem posset a viro optimo, et Christi Catholicæque Religionis gloriæ studiosissimo desiderari. Cætera ex eodem Porcia cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Alteris litteris Nuntium apud Cæsarem in suo munere ex more confirmat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 112. f. 253.

Venerabili Fratri Joanni Episcopo Torcellano, Nostro et Sedis Apostolicæ apud Cæsarem Nuntio

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Quia semper fuit Nobis acceptissima tua istic opera, singularisque in rebus Catholicæ Religionis, inque nostris et Sedis hujus Apostolicæ negotiis diligentia et fides, voluimus post obitum Maximiliani tua quoque opera in eodem Nostri, et Apostolicæ Sedis Nuntii munere uti apud charissimum in Christo filium nostrum Rudolphum Romanorum Imperatorem Electum. Perges igitur isto in munere ut hactenus fecisti, eisdemque facultatibus in posterum uteris: eas enim et confirmamus, et denuo concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

VI. — Rudolpho imperante, homines in magnam spem venerant, rem Catholicam auctum iri: nam senserant eo eam esse intentissimum ejus animum: neque eos hæc expectatio et spes fefellit. Etenim Imperii gubernaculis vix susceptis id in primis curæ ei fuit, ut omnes ex demortui patris aula ac famulatu, de quorum sensibus in rebus fidei aliquantula suspicio esset, satis quidem ampla singulis pensione assignata dimitterentur; iisque indubii atque optimi Catholici sufficerentur. Cum autem, comitiis confectis, Ratisbona egressus Linzium principalem Austriæ superioris urbem se contulisset: quid spei in ipso Protestantes habituri essent, id argumento fuit; quod cum nobiles ex eorum sectis viri ex templo Cæsarem circumstetissent, instantissime petiissent, ut sibi omnimoda ac integra religionis libertas daretur, hoc responsum ab eo retulerunt: caverent, ne in peragendis curandisque suis sacris alios, præterquam Confessionis Augustanæ administros, quos prædicantes vocabant, admitterent; populum vero infimamque plebem ab horum prædicationibus secluderent: adeoque concionatoribus ipsis a se interdici alibi nisi in Palatio Civitatis, Germanico idiomate Landhaus dictu, et Nobilibus tantum et civibus humanioribus verbum Dei explicare, aliisque sui cultus muneribus fungi. [*]

[*] Episcopus Torcellan. ad Card. Comensem 21. et 23 Novemb. 1576. Mantiss. document. N. 43.

Interea Joannes Cardinalis Moronus legatione ad demortuum Cæsarem summa cum laude atque Ecclesiæ utilitate perfunctus, ubi pervenit Romam, iisdem publicis et singularibus honoris lætitiæque significationibus, ac tum cum ab Januensium rebus compositis redierat, a Pontifice fuit exceptus. Itaque publico Patrum purpuratorum Consistorio die XIII. Kal. Decembris, qui in Sabbatum incidit, habitu, Pontifex eidem Cardinali ob egregie in Germania præstitam operam meritas laudes tribuit. Jam vero hic enarranda aggredimur, quæ Morono Ratisbonæ commoranti, et cum Cæsare et cum Germaniæ Episcopis plurima eaque gravissima Ecclesiæ negotia nomine Pontificis pertractanda fuerant.

VII. — Haud levem curam Gregorio injecit Archiepiscopi Coloniensis sæpius expetita abdicatio, quæ eo magis molesta accidit, quod iste Præsul non ita pridem in Comitiis Imperii optime de Ecclesia meritus fuerit, ejusque res magnopere fuverit. Cujus rei luculentissimo testimonio sunt litteræ Pontificis ad eum datæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 118. f. 102.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Probamus summopere consilium Fraternitatis Tuæ, et zelum visitationem suscipiendi, multa multis in locis depravata corrigendi, Ecclesiasticam disciplinam restituendi, Seminaria faciendi, omnique ex parte Sacri Tridentini Concilii decretis satisfaciendi, rebus denique omnibus maximis, minimis providendi, easque ad cultus divini sinceritatem, Catholicæque fidei dignitatem dirigendi. Hæc enim omnia ex scripto Fraternitatis Tuæ, quod ad Nos misit Nuncius noster, summo cum gaudio cognovimus. Nec quidquam est, quod tantopere cupiamus, quodque magis Catholici Pastoris officio ac diligentiæ convenire judicemus: hacque omni curatione intelligimus Christi gregis salutem maxime contineri, inque ea optimi Pastoris charitatem magnopere elucere: Ecclesiasticorum enim hominum vita, et mores sive incorrupti, sive depravati, mirum, quantum valeant exemplo ipso tum ad virtutes, tum ad vitia in cæterorum animos infundenda. Quoniam autem propter nonnullorum pertinaciam cupis nostra auctoritate, et literis faciliorem muniri viam ad ea exequenda, quæ tanta cum laude et fructu paras, visque illos intelligere, auctoritate et jussu nostro facere te ea, quæ tua sponte sapientissime cogita-

sti, mittimus eas literas ad Fraternitatem Tuam; ac si quid præterea erit, in quo possimus nostra auctoritate, atque opera tuæ optimæ voluntati satisfacere, fac Nos certiores: Nos enim pro animarum salute, et Dei gloria vitam ipsam libentissime poneremus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXI. Jan. MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Non igitur mirandum, quod Pontifex amantissimis verbis ab inito consilio iterum revocare hunc Antistitem studuerit: eumque in eodem nihilo secius perseveraret, eidem concesserit, et mandaverit, ut antequam suam Ecclesiam deponeret, Coadjutorem sibi virum penitus catholice sentientem, tantoque muneri parem assumeret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 1. fol. 163.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Magnopere voluissemus, ut in suscepto consilio, vitæque instituto permaneres, Ecclesiamque istam, ut hactenus fecisti, pie sancteque regeres: neque enim minore cura et studio laborandum est, ut bonus Pastor retineatur, quam providendum ut præficiatur: siquidem non tam facile usu, atque experientia fallimur in retinendo, quam sæpe possumus, conjectura atque existimatione aberrare in præficiendo. Postquam hoc, quod tantopere cupimus, obtinere non possumus, ut Fraternitatem Tuam retineamus, causasque eas, quibus istinc abduceris, Nobis proponi fecisti, restat illud alterum, ut omni cura et vigilantia de optimo successore cogitemus. In quo quantum spei habeamus in tua excellenti prudentia et pietate, hoc ipsum, quod his literis concedimus, argumento erit. Volumus ut antequam Ecclesiam istam deponas, possis aliquem tibi Coadjutorem assumere, quem scilicet intelligas esse virum Catholicum, ac tanta tamque gravi tam insignis Ecclesiæ curatione dignum: inque eo etiam possis Capituli tui consensum requirere. Quantum enim in bono et vigilanti Pastore situm sit ad Ecclesiæ dignitatem, et Christi gregis salutem, quamque nihil sit, quod tantopere et Nos curare, et ii, quorum aliæ sunt partes laborare, et boni ac Catholici omnes optare debeant, facile intelligit tua prudentia, pietas vero ipsa Nos dubitare non sinit, quin hoc, quod tam conveniens, tamque isti nobilissimæ Ecclesiæ salutare est, summo studio et diligentia sis facturus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Cujusmodi consilium ipsi et per Cardinalem Moronum et alteris suis litteris repetit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 20. f. 177.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis tuas literas Gropperius Consiliarius tuus; legimus eas libentissime, libentius autem multo vidissemus Fraternitatem Tuam, quæque ex illius verbis cognovimus, ex te ipso coram cognovissemus, magnumque ex tua præsentia, sermone, optimaque voluntate fructum percepissemus. Sed postquam necessitas quædam te ex itinere revocavit, magnopere Nos consolatur virtus tua, cujus quidem declarandæ magnam tibi ista Dieta facultatem dat. Satisfecimus postulatis tuis, quoad potuimus. De Ecclesia deponenda, ex aliis nostris literis facile intelligere potuisti, quantopere cupiamus, ut in ea vocatione, in qua a Deo constitutus es, permaneas, his præsertim tam afflictis Catholicæ Reipublicæ rebus, in quibus eo erit Divinæ Majestati gratior, tibique ad sempiternam beatitudinem amplior tua opera, quo majore cum labore fidem, diligentiam et vigilantiam tuam sacrosanctæ Ecclesiæ præstabis. Ubi autem (quod minime vellemus) hoc a Tua Fraternitate obtinere non poterimus, illud certe cura, ut nihil dubitari possit de Catholico successore: quod cum factum erit, (vides enim, quantum ad Dei gloriam, atque ad ejus gregis salutem situm sit in optimo nobilissimæ, amplissimæque Ecclesiæ pastore) faciemus, quod postulas, ut te isto onere liberemus. Omnia hæc fusius cognosces ex Gropperio tuo, atque ex venerabili Fratre nostro Cardinali Morono, nostro et Sedis Apostolicæ de latere Legato, qui etiam aliis de rebus tecum aget nostro nomine. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Julii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Quum tandem omnes Pontificis conatus ad hunc Præsulem in Ecclesia Coloniensi retinendum frustra essent, eundem a vinculis, quibus eidem adstrictus erat, solvit, data facultate ad statum laicalem redeundi, probatoque ejus consilio de Ernesto Bavariæ Duce coadjutore ac successore sibi instituendo. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 63. fol. 215.

Venerabili Fratri Salentino Coloniensi S.R.I. Principi Electori

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Assidua tua cura, vigilantia atque opera pro Catholica Religione, et Sancta Christi Ecclesia in Dieta ista suscepta, major multo est, quam ut humanam laudem requirat; sed non si digne laudari non potest, propterea a Nobis silentio prætereunda est. Duplici autem nomine fuit Nobis jucundissima, et propter Catholicæ ipsius Ecclesiæ fructum, et propter eam, quæ Tuæ Fraternitati apud eundem Jesum Christum reposita est, mercedem. De ista vero Ecclesia deponenda quantopere cupiamus, ut a tali voluntate di-

scedas, ex aliis nostris literis facile intelligere potuisti; sed postquam ab eo dimoveri non potes, laudamus summopere consilium tuum de Ernesto Bavariæ Ducis filio: facit enim insignis ejus generis nobilitas, potentia, et quod caput est, summa in Catholica Religione tuenda constantia, optima etiam de juvene ipso spes, ut existimemus, eam nemini melius credi et committi posse. Hortamur igitur Fraternitatem Tuam, ut in istam curam omni studio incumbas. Interim mittimus ad te eas, quas cupis, literas absolutionis et facultatis Ecclesiæ istius, cum tibi visum fuerit, deponendæ, atque ad vitam Laicalem redeundi. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Septembris MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

Idem fidem facit Pontifici se nihil omissurum, quin ejus votis, quod ad Ernestum attinet, satisfiat. [*]

[*] Colonia Vol. I. fol. 12.

Sño in Christo Patri et Domino Nostro, Dño Gregorio Divina Providentia ejus Nominis Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici ter Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post devota pedum oscula beatorum Sanctitati Vestræ me meamque diœcesim debita cum obedientia subjicio. Non potest obscurum esse apud Sanctitatem Vestram, quo semper animo affectus fuerim erga Illustrissimum, mihique sane amicissimum Bavariæ Ducem ex eo adeo tempore, quo Sanctitas Vestra ejus apud me commendationem instituit, et Coadjutoris adsumendi author fuit. Ipse enim mihi testis sum optimus, promptissima me animi voluntate in eam extemplo sententiam mentemque concessisse, nihilque prius habuisse, nihil antiquius, quam ut ostenderem ac declararem ipsi Duci ob intercessionem Sanctitatis Vestræ, quæ plurimum semper apud me authoritatis habuit, ipsiusque Ducis singulares virtutes, quibus reliquis hujus Ecclesiæ Canonicis facile præstat, et ad hanc dignitatem citra controversiam instructior est; demum vero etiam ob Ecclesiæ amorem, quæ mihi carissima est, omnia me facere velle, quibus in eam rem opus esset; cujus quoque meæ voluntatis tum alios, tum ipsum etiam Ducem apud Sanctitatem Vestram locupletissimum existere testem non diffido. Ac propterea, quod jam nunc reliquum est, ut ea res aliquando ex animi sententia confiat, de eo velim Sanctitatem Vestram pro certo certoque sibi habere persuasum, dare me jam inde ex quo in provinciam sum reversus maximopere operam, ut Capitulo meo id persuadeatur, utque ex ejusdem consensu (quod imprimis optandum est) ad finem suum deducatur, si fieri possit; sin minus, ut quovis modo. Neque enim in ea re quicquam consilii, diligentiæ et laboris, quod quidem in me erit, intermittam, ut quemadmodum in aggredienda Sanctitati Vestræ ex omni parte obsequentissime sum obsecundatus, ita in peragenda nihil studii, nihil fidei in me possit desiderari. Quapropter ut omnia in promptu sint tempestive, quæ necessaria erunt, obnixe precor Sanctitatem Vestram, ut jubeat benignissime ad celerem totius rei expeditionem, super ea (sic enim loquuntur) Coadjutoria diploma Sedis Apostolicæ juxta solemnem formam, de quibus Sanctitas Vestra ab initio spem fecit, expediri, et huc sine mora destinari; reliqua, ut ad initium revertar, mihi erunt curæ. Meum enim obsequium in Sanctitatem Vestram, in ipsum autem Ducem benevolentia, fides, omnisque labor et diligentia neutri aliqua in parte deerit, atque his ex devotissimo ut semper animo multam Sanctitatis Vestræ incolumitatem ad Reipublicæ Christianæ salutem et tranquillitatem in terris procurandam opto. Datum Cæsaris Insulæ XXIX. Novemb. anno a Christo nato MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius
Salentinus Archiepiscopus Ecclesiæ
Coloniensis
SALENTIN CHURFURST.

VIII. — Electio Episcopi Monasteriensis, in alterum fere annum protracta, itemque postulatio Halberstadiensis Pontificis animum vehementer sollicitum habuere. Monasterienses, ut anteacto anno enarratum est, Joannem Guilielmum, Guilielmi Cliviæ Ducis filium secundo loco natum, in Episcopum sibi postulaverant. Hic autem, Carolo Friderico fratre suo natu majori Romæ anteacto anno vita functo, suadente Pontifice, postulationi de se factæ renunciavit, utpote qui unicus virilis hæres superstes patri aliquando in regno succedere deberet. Jactatæ voces sunt, Monasterienses, ut sibi Henricus Julius ex Brunsvicensibus et Guelpherbitanis Ducibus Episcopus daretur, postulaturos: is autem præterquam decimum tertium ætatis annum vix attigerat, a patre Augustanæ Confessioni clam addicto, clam etiam in Neoevangelicorum dogmatibus altus atque edocatus fuerat. Quamobrem Pontifex simul atque id cognovit, Monasterienses Canonicos monuit, ut ab ea postulatione abstinerent, atque in Catholicum, potentem quidem nobilemque virum sua studia converterent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 144. f. 90.

Dilectis Filiis Præposito, Decano et Senioribus Capitularibus Ecclesiæ Monasteriensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Recte et pie fecistis, cum in vestra de Pastore eligendo, aut postulando dubitatione nostram sententiam cognoscere voluistis, laudamusque summopere in eo vestram religionem et pietatem: nostra autem sententia hæc est, ut

nullo modo assentiamini postulationi Henrici alias postulati ad Ecclesiam Bremensem, atque Osnaburgensem; multa Nos movent, inter cætera autem non minime, quia nunquam petiit a Sede Apostolica aliquam ejus postulationis confirmationem. Qualem autem pastorem per vos eligi cupiamus, superioribus diebus ad vos scripsimus, nuncque etiam breviter significamus, eligite filium alicujus Principis Catholici atque huic Sanctæ Sedi Apostolicæ obsequentis, qui et per se ipsum et per suos parentes possit tum nobilitate, tum potentia, tum probitate vestræ Ecclesiæ res, et Dei gloriam tueri: hoc et vobis utilissimum et Deo acceptissimum fore pollicemur. Non dubitamus vos ea, qua Nos consuluistis pietate, nostro etiam consilio usuros, ac sic cogitaturos, nihil aliud Nobis in hoc negotio propositum esse, quam Dei gloriam, animarum salutem, et vestræ Ecclesiæ utilitatem et dignitatem. Hortamur autem, ut rem ipsam quam celerrime conficiatis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

IX. — Quantum vero negotium Episcoporum electiones in Germania id temporis Pontifici facesserent, ex tota hac Monasteriensis contentionis ratione perspicitur. Guilielmus igitur Cliviæ Dux, pater Postulati, qui cesserat, Pontificem docuit de periculo, quod ex Henrici Julii postulatione Ecclesiæ Monasteriensi immineret; eique suasit, ad quævis pericula avertenda, vel ut pateretur, filium suum utpote postulatum pontificio diplomate per aliquod tempus confirmari, aut Monasterienses induceret, ad sibi virum principem catholice omnino sentientem in Episcopum vel postulandum vel eligendum. Addebat insuper, se quidem alium neminem tanto muneri aptiorem arbitrari, quam Ernestum ex Bavariæ Ducibus, Frisingensem et Hildesemiensem administratorem. Præstat sane ad impeditissimi hujus negotii præcipuas causas intelligendas Guilielmi litteras legere. (*)

(*) Germania Vol. 27. fol. 1.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pon. Max. D. meo Clementissimo.

Post debitam more Majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine clementissime. Cogitanti mihi, ac diu multumque deliberanti, expediretne magis Ecclesiæ Monasteriensi, ut charissimus meus filius Johannes Guilhelmus, post fata amantissimi mei primogeniti Caroli Friderici piæ memoriæ, postulationi ad eam Ecclesiam a Sanctitate Vestra comprobatæ insisteret, an potius si ei renunciaret atque liberam eligendi, vel postulandi facultatem Collegio permitteret, visa tandem potior sententia est, ex re atque usu Ecclesiæ magis fore, si a postulatione desisteret; ideo vero maxime, quod in ea vocatione, tanquam unicus hæres et successor meus, non perseveraturus videretur. Nam etsi me valde sollicitum faceret perversum et corruptum hoc seculum ad res novas propensissimum, ad hæc, quod de nonnullorum istius Collegii in fide Catholica constantia dubitarem, deinde compertum esset, multo juniores Canonicos ejus Collegii esse, qui paulo momento vel transversum agi, vel huc illucque impelli possent; præsertim cum non obscure constaret, multos et magnos et potentes ad illum Episcopatum variis artibus aspirare: tamen cum ex adverso reputarem, Prælatos et Seniores fere omnes spectatæ pietatis et integritatis viros ac Religionis Catholicæ observantissimos eorumque sententias in electione vel postulatione merito principatum obtinere, persuasi filio atque ei author fui, ut in renunciationem consentiret, idque Decano et ejus Collegii Canonicis significavi, scilicet paratum natum meum a Postulatione desistere, modo illi rursum virum in Catholica Religione probatum et confirmatum pacisque et quietis publicæ amantem vel eligerent, vel postularent. Ad hæc cum recordarer superiorum temporum injurias, et calamitates nobilissimæ Provinciæ ab Anabaptistis et aliis vicinis illatas, ac eam incursionibus et infestationibus oportunam et expositam, et proinde de aliquo Principe potente, syncere Catholico, ex familia, quæ in vera Religione semper permansisset, orto, cogitandum; nullus ad hoc munus aptior, aut habilior, sive pietatem, sive familiam vel potentiam considerarem, quam charissimus Cognatus meus Ernestus Dux Bavariæ etc. et Administrator Hildesemensis et Frysingensis occurrebat, ideoque illum veris et evidentissimis de causis Collegio Monasteriensi commendavi. Conventu vero habito et diu multumque re deliberata, visum isti Collegio fuit, neminem Cognato meo præferendum, deputatis nonnullis ex suis, qui Illustrissimi Ducis Bavariæ etc. Alberti Palatini Rheni, et Legatos audirent, et de rebus capitulisque necessariis, ad utilitatem Ecclesiæ Monasteriensis spectantibus, sub spe Sanctitatis Vestræ consensus et in eventum conferrent et convenirent; collatione facta ita discessum, ut præmemoratus Dux supra iis mentem suam proximo conventu Canonicorum (qui brevi futurus erat) declararet. Cum autem Legati ad præstitutum diem adessent, sententiam sui Principis expositiuri, tum demum Juniores Administratorem tanquam Catholicæ Religionis æquo observantiorem recusabant, et cum alio, qui illorum moribus magis congrueret, et sub quo liberior vivendi potestas speraretur, de capitulis ad libertatem et jura concernentibus, in eventum agendum tractandumque statuebant, neque ullis rationibus a proposito dimoveri poterant.

Quare Prælati et Seniores atque saniores Canonici necessario ab ea consultatione et tractatione desistendum, atque in aliud tempus negocium differendum putaverunt. Quoniam vero hæc dissensio magni motus et incommodi causam præbere, et hæc inconsulta temeritas quorundam Canonicorum nobilissimam Provinciam in certissimum discrimen atque commutationem Catholicæ Religionis adducere posset, securiorem autem viam pro hoc rerum statu aliam non viderem, nisi ut Sanctitatem Vestram, quo in loco res essent constitutæ, certiorem facerem, eidemque supplicarem, ut Sanctitas Vestra huic malo competenti remedio occurrere, et juniores Canonicos per Seniores (si nonnulli forte se illis adjungerent) monere, atque adeo iis mandare velit, ut in hoc negocio Prælatis et Senioribus obtemperent, neque diversis studiis contra sacros Canones cum iis contendant: sin vero in sua pertinacia perseverarent, Sanctitatem Vestram filii mei postulationem admissam non solum approbaturam de novo, verum etiam Resignationem non admissuram. Ita enim futurum, ut ii, qui Episcopatum ambiunt et hanc dissensionem struxerunt, frustrato successu, ab incepto desistant, atque Canonici, quos sibi devinxerunt, cum se nihil efficere posse perspexerint, ad saniorem mentem redeant et debitam reverentiam suis Prælatis et Senioribus deferant. Nolui sane huic Ecclesiæ commodo et necessitati deesse; præcipue cum mihi, tanquam vicino cognitum exploratumque sit, quanto momento futurum sit, ad conservandam fidei Catholicæ et Sedis Apostolicæ observantiam, non solum in meis ditionibus, si quid in hac ingravescente ætate humanitus contingeret, præsertim in lubrica nati mei ætate; verum etiam in aliis vicinis Regis Hispaniarum terris, ut huic ditioni Catholicus et pius antistes præponatur. Quamobrem Sanctitati Vestræ totius negocii statum plene exponendum duxi, suppliciter et obnixe rogans, ut Sanctitas Vestra prædicta ratione, vel alio meliori et commodiori modo Ecclesiæ Monasteriensi prospicere, ac inconsultos ac periculosos quorumdam conatus impedire, atque prænemoratum Cognatum meum Ernestum ad Episcopatum Monasteriensem promovere clementer et benigne dignetur. Id erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam devota obedientia, omni studio et conatu pro meis viribus promoveri conabor. Deus Pater Omnipotens Sanctitatem Vestram Ecclesiæ et Reipublicæ Christianæ quam diutissime servet incolumem. Datæ ex Arce mea Hambach XII. die mensis Januarii anno MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius

GUILIELMUS DUX JULIÆ ETC.

X. — Gregorius Cliviæ Ducis consilium magnopere laudat, seque facturum eidem scribit, ut Monasterienses Canonici ab Henrici Julö postulatione desistentes Catholicum Principem Episcopum eligant. Quod vero ad ejus filium attinet, consultius sit, ut sua postulatione retenta rei eventum expectet. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 160. f. 111.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Juliæ, Cliviæ Duci

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quoties tuas literas legimus, toties renovatur nostrum gaudium in Christo, ejusque bonitati gratias agimus, tuamque ei pietatem offerimus, proque ea omnia tibi prospera, et fœlicia precamur. Laudamus summopere consilium Nobilitatis Tuæ de Ecclesia Monasteriensi, jamque bis ad Capitulum ipsum perscripsimus, nostrumque eo Nuncium Gropperium misimus, et nunc iterum scribimus, Canonicosque illos certiores facimus, nullo modo esse e re illius Ecclesiæ postulari, aut elegi eum, cujus pater non sit Catholicus, neque Nos id ulla ratione passuros esse, juniorumque conatus irritos futuros, si voluerint perseverare in eo, quem hactenus nominarunt; neque enim adhuc natum tuum, nostrumque in Christo filium dilectissimum suam postulationem deposuisse, neque Nobis invitis depositurum esse. Hortati autem eos sumus, quam maxime potuimus, ut cum senioribus consentiant in postulando filio Principis Catholici, et potentis, inque eo melius sibi suæque Ecclesiæ consulant, nostrisque paternis monitis et voluntati obtemperent. Interim orabimus Deum, pro cujus gloria laboramus, ut optimam illis mentem immittat, eosque a suscepto consilio avertat. Videmus enim, ut tu quoque prudentissime perspicis, Ecclesiam illam nobilissimam non posse aliter salvam consistere: speramus Divinam bonitatem nostras preces auditurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Gregorius igitur Monasterienses Canonicos de ipsorum in optimo Episcopo eligendo munere præmouet; gravibus autem verbis eorum in hac re discordias improbat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 168 f. 121.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere soliciti simus de vestra Ecclesiæque vestræ dignitate et salute, ex superioribus nostris litteris, quas binas ad vos dedimus, aliqua ex parte intelligere potuistis; multo autem magis solicitamur, quam significare possumus. Nunc autem gravissime angimur, quia accepimus, vos inter vos dissidere atque alios alium postulare. In qua discordia æquum est, juniores senioribus cedere: sic enim judicamus,

prudentissime illos, congruentissimeque nostris literis postulare filium Principis Catholici, et potentis; contra vero falli juniores in alio proponendo, inque eo Ecclesiæ ipsius incolumitati non satis consulere; idque non malitia: arbitramur enim omnes esse viros bonos, et Dei gloriæ cupidos, sed consilii ipsius infirmitate, quam affert ætas ipsa nondum rerum usu et experientia roborata. Qui si gravantur Collegis et Prælatis suis cedere, nostro certe judicio et monitis acquiescere debent, nostramque paternam charitatem agnoscere. Quid autem ipsi censeamus et superioribus literis datis decimaseptima Decembris declaravimus, et modo etiam perscripsimus, et nunc iteramus. Non est e re vestra quemquam isti Ecclesiæ præfici, cujus pater catholicus non sit; neque Nos id passuri sumus, neque alicujus talis postulationem aut electionem probaturi. Neque vero dilectus filius Joannes Gulielmus suam unquam postulationem deponet Nobis invitis; utque interim omnis eorum conatus erit irritus, qui secus, quam cupimus, facere perseveraverint: sic si Nobis, ut par est, obsequi, eumque senioribus consentire decreverint, gratissimum Nobis facient, Ecclesiæ suæ utilissimum, Deo acceptissimum. Expectamus incredibili cum desiderio celerem nuncium, unde gaudium et fructum percipiamus charissimorum filiorum nostrorum erga Nos obedientiæ atque erga Ecclesiam suam charitatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XI. — Albertus quoque Dux Bavariæ Pontificem per litteras adiit, ut filio Ernesto in Monasteriensi negotio adesse vellet: dixit, se illum Roma reversum peramanter excepisse, prout ipse Pontifex id ab eo fieri voluisset; sperare etiam, Ernestum expectationi ejus satisfacturum. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 18.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima. Filium Ernestum, sicuti voluit Sanctitas Vestra, paterno affectu, et beniguiter admodum suscepi, non tam ad ejus errores atque ætatem lubricam respiciens, quam Sanctitatis Vestræ voluntatem, quæ tam præclare sperare me jubet: atque utinam aliquando Sanctitas Vestra perfectum in eo videat, quod ipsam exhilaret. Ego quidem illi non deero, quibus potero rationibus, ut ad virtutem et probitatem diligentissime informetur. Quod autem jam antea egi per literas et consiliarios meos, idipsum reverenter hic repeto, nimirum gratias agens devotissime, quod Sanctitas Vestra tantum curarum et beneficiorum in ipsius salutem atque dignitatem posuerit, eandem etiam humillime rogans, ne suam istam clementissimam voluntatem deponat, sed integram potius conservet et augeat. Cujus equidem præclarum exhibuit ea testimonium in Monasteriensi negotio, de quo per charissimum meum amicum Dominum Cardinalem Madrutium luculenter sum edoctus. Atque rogo et obtestor Sanctitatem Vestram humillimo studio, ut benignissimum suum animum, quem ab initio statim in hac re mihi ostendit, clementer et constanter retineat. Cui me meaque omnia devotiss. et humillime commendo et offero. Datæ Monachii III. die Februarii MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.
p. m. ppřiam.

Eadem et Ernestus ipse enixis precibus a Gregorio efflagitat. [*]

[*] Germania Vol. 26 fol. 4.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. divina providentia SS. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

« Etsi apud me dubium unquam fuit, Beatissime Pater, quin pro sua in omnes quidem mortales illa, sed mihi privatim etiam perspecta humanitate et clementia, posteaquam ad lares meos rediissem, de rerum mearum statu Sanctitatem Vestram certiorem redderem, gratissimum foret, tamen qualiter meam in scribendo tarditatem excusem, vix ratio ulla succurrit; nisi hanc verissimam tamen producere velim, quod Sanctitatem Vestram, quam ego plurimis gravissimisque negotiis occupatam scio, nisi bona occasione scribendique argumento nacto, meis literis molestia afficere nolui. Pollicitus sum Sanctitati Vestræ adhuc in urbe existens, quod commendatione sua profectum esset, id primo quoque tempore ad eam transcribere. Multum igitur hactenus profecimus, neque meo id merito, sed piorum parentum in Sanctitatem Vestram tum observantia tum pietate, qui se Sanctitatis Vestræ causa nihil non facturos ostendunt. Quod autem Sanctitas Vestra honorifice sit in scriptis suis de me locuta, innatam hanc prolixam et beneficam suam naturam mihi cernere atque plane intueri videor. Itaque cum gratias Sanctitati Vestræ, ut debeo, ago maximas, tum ut isto in me animo in perpetuum esse velit, etiam atque etiam rogo. Ego autem, ne quod unquam memoris a me et grati obedientissimique filii officium adversum Sanctitatem Vřam prætermissum esse intelligat, observantia, studio, assiduitate, uti spero, perficiam. Est autem et aliud, de quo Sanctitatem Vestram certiorem reddam. Post meum ex urbe huc fœlicem redi-

tum inter alia, quo in statu res Monasteriensis Episcopatus consisterent, tum ex quibusdam Illm̃i Cliviæ Ducis, tum et aliorum literis ad meum Serenissimum Patrem transcriptis, abunde percepi. Cum vero tanti momenti negotium sit, et eo res devenerit, quod, ut vulgo dicitur, periculum in mora versatur, Sanctitatemque Vestram adeo non solum in isto, sed etiam in omnibus aliis negotiis, ubi de persona mea agitur, semper citra omne meritum, sed potius ex mera clementia et benignitate promptissimam senserim, mei officii esse duxi, Sanctitatem Vram hisce de rebus monere ac quamprimum transcribere. Et quia Reverendi Domini Canonici Capitulares illius Ecclesiæ in proximo electionis vel postulationis conventu cum majori discordia secesserint, quam concordes accesserint, in hanc tandem resolutionem negotium hoc deduxisse dicuntur, ut Sanctitati Vestræ illius Ecclesiæ competitores proponerentur, ex quibus quem magis aptum judicaret, in hunc et ipsi electionem dirigerent. Sed cum Sanctitati Vestræ notissimum sit, quid de me in hoc negotio, tum nomine Sanctitatis Vestræ, tum etiam per Illm̃um Cliviæ Ducem tractatum ac gestum sit, pro immensa sua in me benevolentia humiliter supplico ac obnixe rogo, ut, si negotium istud hos ad terminos perveniret, clementiam suam ac maximam quam semper erga me sensi propensionem declaret. Quod non tam in meam, quam totius Ecclesiæ utilitatem ac Catholicæ religionis augmentum propono et submisse peto. Ego interim omnem operam navabo, ac pro virili mea cum divinæ bonitatis auxilio, quæ quidem preces huminum sibi rite supplicantium non respuit, omni tempore diligentissime curabo, ut Sanctitatem Vestram de me tam amanter judicavisse, tantumque mihi dignitatis tribuisse non pœniteat, cujus sanctissimos pedes quam humillime deosculor. Datæ Monachii 2. Februarii anno 1576.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus servus
Ernestus Administrator Hildesemen.
et Frisingensis, Bavariæ Dux.

XII. — Horum virorum petitionibus, et misera præsertim Monasteriensis Ecclesiæ conditione permotus, Gregorius Canonicis ejusdem luculentissimis verbis insinuat, ac fere imperat, se omni tandem partium studio seposito, neminem nisi Ernestum sibi Episcopum eligant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 191 f. 128.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Nunquam cessamus de vestris commodis, deque vestræ Ecclesiæ salute et dignitate cogitare. In quo ut paternam vobis charitatem et sollicitudinem præstamus, sic, si parem desiderio nostro operam afferre possemus, non tam de vobis angeremur, neque tamdiu animis penderemus, vestræque res, quæ adhuc magno in discrimine versantur, in tuto essent. Quam sit e re vestra optimum Pastorem habere, et ipsi pro vestra prudentia intelligitis, et Nos sæpius ad vos perscripsimus: illud etiam significavimus, magnopere indigere vos filio alicujus Principis Catholici et potentis: cujus cum viribus, tum sanctæ Religionis zelo omnem a vobis vicinorum hæreticorum injuriam repellere possitis: neminem nominavimus. Quoniam autem adhuc suspensi estis, non alienum esse ducimus nostra charitate indicare, quem maxime idoneum judicemus, quantum nunc quidem Nobis in mentem venire potest. Perspectam esse vobis arbitramur pietatem et virtutem Alberti Bavariæ Ducis; scitis enim, quanta cura et studio Catholicam Religionem tueatur; quam penitus hæreticos oderit, quam non patiatur, eam pestem in suis locis consistere; quam porro tum privatim, tum publice intersit, quamque Deo acceptum sit, eam arceri. Vos, si quid nostro judicio tribuendum esse existimatis, præclare vobis vestræque Ecclesiæ consuletis, si Ernestum hujus Ducis filium præfici volueritis; de quo etiam optimam spem habemus; ejus enim probitatem et religionem novimus. Ubi diligenter omnia circumspexeritis, nihil, ut speramus, vestrum judicium a nostro discrepabit judicio. Oramus Sanctissimum Spiritum, ut vestris mentibus suum lumen præferat, vestrasque omnes cogitationes, atque actiones dirigat ad vestram salutem, vestræque Ecclesiæ in tanto negocio dignitatem atque incolumitatem. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XVII. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XIII. — Verum enimvero hujusmodi negotium majoribus in dies difficultatibus obnoxium fiebat. Nam Henricus Julius Brunsvicensis, a junioribus Capituli Canonicis, unis harum discordiarum auctoribus, Pontificem supplex adiit, ut electionem suam ad Episcopatum Monasteriensem ratam habere vellet: ad quod facilius impetrandum ingentem præ se ferebat pietatis ac religionis speciem, simulabatque summum erga Sanctam Sedem obsequium. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 13.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri ac Domino Domino Gregorio Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ ejus nominis Papæ XIII., Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime Pater, Domine mi Clementissime.

« Cum ad me allatum esset, Capitulum Monasteriense, ex concepta opinione de ipsorum Postulato, quod factæ de se postulationi esset renunciaturus, posteaquam unicus Illm̃o parenti suo, amplissimarum ditionum Principi, futurus sit hæres et successor, de alio postulando, illo

resignante, consilia agitare, inque ea deliberatione, majori et, ut spero, saniori parti, cum in ejus albo et Senior et Scholasticus, cujus inibi dignitas post Decanalem principalis existit, nec non Cantor Onabrugensis fuerit, visum fuisse, mei rationem esse habendam: sane prout debui, eo misi oratores meos, qui ipsis meis verbis pro tam benevola et officiosa voluntate, nullis a me promissis aut illicitis mediis quæsita, agerent gratias, simulque exhortarentur, ut eandem erga me pergerent conservare. De tota vero caussa ita animum meum ipsis declaravi, ut facile intellexerint, ad Sanctitatis Vestræ beneplacitum me cum primis habere respectum. Quod tanto feci paratius, quo magis de Sanctitate Vestra mihi persuadeo, eam neque mihi, neque ulli alteri, qui Sanctitatem Vestram debita observantia agnoscit et colit, facturam esse præjuditium. Itaque plane mihi præter spem evenit, quod Sanctitatis Vestræ Breve quarta Februarii Roma ad Capitulum scriptum, ita a quibusdam intellectum, et interpretatum sit, quasi Capituli aut saltem majoris partis studium et declaratam voluntatem a me studuisset avertere. Equidem cum nullius culpæ mihi sim conscius, quæ Sanctitatem Vestram contra me debuerit commovere, plane mihi persuadeo Sanctitatem V. magis benigno et paterno esse in me animo, quam ut dicto Brevi, cujus penes me exemplar est, mihi voluerit apud dictum Capitulum creare præjuditium, et faciet S. V. rem suæ æquanimitati consentaneam, et mihi gratissimam, si eidem Capitulo alteris scriptis literis hanc suspicionem et accommodationem exemerit, idque ut fiat, demisse oro. Ego sane Sanctitati Vestræ obsequentissimum et devotissimum me agnosco, nique in ea essem et persistere vellem sententia, certo credat Sanctitas Vestra, me nullis potuisse induci argumentis, ut has aut alias ad Sanctitatem Vestram antehac scriptas literas edidissem, aut ejusmodi processus et examina, de quibus dubio procul Sanctitati Vestræ innotuit, supra me fieri passus fuissem. Quod vero unica illa in professione fidei apposita clausula Sanctitatis V. benedictionem et confirmationem remoratur et impedit, id præter spem meam, atque citra omnem noxam accidit. Et jam ad Conventum Principum Electorum, pro electione novi Rom. Regis Ratisbonæ nuper indictum et celebratum, miseram oratorem meum, qui tam Cæsareæ quam Regiæ Majestati, omnibusque Electoribus Ecclesiasticis rationes, quæ me ad appositionem et insertionem clausulæ istius non movissent, sed potius coegissent, patefacere, atque Majestatum ac Dilectionum suarum deprecatorias literas impetrare, quibuscum ipse ad Sanctitatem V. porro processisse, et causam meam ulterius promovere et sollicitare, atque eidem exorator esse debuisset, ne Sanctitas Vestra pateretur, me propterea benedictionis suæ munere diutius carere: sed cum suo Ratisbonam adventu comitia dissolverentur, re infecta ad me est reversus, neque absque literis illis intercessoriis progredi voluit. In aliud itaque tempus, et donec eas habuero legationem illam rejicio, et me ita erga Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam exhibebo, quod plane confidam, eandem supplicibus meis benignas aures præbituram, et mihi benevolam et paternam semper futuram. Omnipotens Deus Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ Catholicæ, et toti orbi Christiano diu servet incolumem, et me ecclesiasque meas sibi patiatur commendatas. Ex Castro Verden Brem. Diœces. Calend. Aprilis Anno Salutis MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus Postulatus in Archiepiscopum et Episcopum Bremensem et Osnsbrugensem etc.

HENRICUS manu pp.

XIV. — Verumtamen hæc omnia Henricus Julius ad jacturam struebat; neque enim cautus et sagax Pontifex sibi per ejusmodi artes imponi patebatur. Itaque confestim Gropperum suum extraordinarium Nuntium Monasterium ire jubet, illos Canonicos ab Henrico Julio postulando deterreat, atque suadeat, vel in postulatione Clivensis Ducis perseverent, vel alium Catholicum Principem, ex quibus omnium optimus Ernestus Bavarus habebatur, sibi postulent vel eligant. Seniores quidem Canonici ad vota Pontificis perficienda se paratissimos præbebant; juniores contra stabant, qui præfracte in postulatione Henrici confirmanda persistebant. Quod autem ad Clivensem postulationem attinebat, affirmabant, se assentiri nullo modo posse, cum nondum a Pontifice confirmata fuisset: Bavaro se non posse favere, tum pluribus gravibusque caussis, tum vero quod is ad infulam Coloniensem adspirabat. Omnino igitur res fuit Groppero plena laboris et molestiæ: nihil ei profuit, quod Dux Clivensis pater legatos Monasterium miserit, qui illum in eo negotio cum Canonicis pertractando adjuvarent; namque eorum etiam conatus irriti evaserunt. Legantur, quæ de hac inter seniores et juniores Canonicos concertatione accuratissime Gropperus Cardinali Comensi retulit. [*]

[*] Germania Vol. 31. fol. 160

Illustrissimo et Reverendissimo Domino, Domino Ptolomæo Gallio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Presbytero, Archiepiscopo Sipontino etc. Domino meo Colendissimo.

« Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine Colendissime. Die 28. Martii postremo ac prolixe de rebus Monasterii actis Celsitudini Vestræ scripsi; sed vix eæ expeditæ erant literæ, aliud Breve Apostolicum supervenit, quo Sua Sanctitas indicabat nominatim Postulatum

Bremensem, si ad Ecclesiam Monasteriensem postularetur, confirmari non posse ob causas in eodem Brevi expressas. Itaque denuo ac confestim iter arripiens Monasterium die 4. Aprilis perveni. In Capitulo, quæ superiori actione tractata, ac Romam perscripta erant, repetii, monui, ut habita speciali a Sanctissimo Domino Nostro declaratione, unanimiter in unam consentirent personam, quæ eas haberet qualitates, ut merito confirmari a Sua Sanctitate posset. Responsum est: si quidem Postulatus Bremensis confirmari non posset, de alio cogitandum. At particulariter ex parte Seniorum responsum est, ipsos per omnia Sanctissimo Domino Nostro atque Sanctæ Sedi Apostolicæ obedire velle. Ex parte vero Juniorum dictum est, ob temporum injuriam religionem Catholicam periclitari. Ad conservationem autem religionis, necessariam esse privilegiorum conservationem: se nil magis spectare quam privilegiorum conservationem. Quia vero Sanctissimi Domini Nostri Brevia nihil continerent, quod ipsorum derogaret privilegiis, se quoque velle Suæ Sanctitati obedire. Sed tamen eorum, qui jam præsentes essent, vota non ita consentire, ut postulationis tractatus locum habere posset. Ea de causa absentes reliquos omnes convocandos in feriam quartam post Pascha (quæ erat 25. dies Aprilis) tum Capitulationem, similesque tractatus necessarios præmittendos, atque ita ad postulationem unanimem deveniendum. Si autem etiam tum aliqui fortassis forent, quorum variarent vota, eos quoque tum causas diversitatis expedituros; quamquam futurum sperarent, ut omnes in idem consentirent. Atque ita discessum est.

« Porro ad præscriptum diem 25. Aprilis Monasterium tertio sum reversus. Miserat Illustrissimus Dux Clivensis eo et suos Commissarios. In Capitulo summarie ante acta repetii, monuique, ut suis promissis, Sanctissimi Domini Nostri expectationi, Ecclesiæque necessitatibus satisfacerent. Domini Commissarii Clivenses etiam de variis ante cum Capitulo sæpe tractatis, item quod in conventu Ratisponensi Commissarii a Capitulo missi, cum Illustrissimo Duce Bavariæ aperte egissent, similibusque multis aliis monuerunt, subjungentes si Capitulum in personam idoneam, et quæ a Sanctissimo Domino Nostro confirmari merito posset, non consentirent, fore, ut Illustrissimus Dux Clivensis accepta a Sede Apostolica confirmatione, non omni momento pro Capituli desideriis resignaret, qui tam magnis sumptibus, multisque molestiis sine causa sua et sine fructu Ecclesiæ gravaretur.

« Post multam deliberationem responsum est ex parte Seniorum, ipsos per omnia sine exceptione ulla Sanctissimi Domini Nostri paternis monitis parere velle. Et quia constaret, Bremensem, si postularetur, confirmari non posse, se paratos Capitulationis modo cum Reverendissimo Administratore Frisingensi tractare, tum accepta ab Illustrissimo Clivensi resignatione postulare velle.

« Ex parte Juniorum responsum est, iis qui superioribus temporibus abfuerant, omnia esse exposita; meminisse omnium eorum, quæ a me essent tractata; item non esse immemores eorum, quæ cum Illustrissimo Clivensi aliquoties acta; quid item in Conventu Ratisponensi Illustrissimo Duci Bavariæ propositum: attamen omnia sine ulla obligatione Capituli pertractata. Quod Sua Sanctitas Bremensem, si postularetur, confirmare non posset, se hoc nolle disputare, sed relinquere Suæ Sanctitati et Bremensi definiendum. An Sua Sanctitas Illustrissimum Dominum Johannem Ducem Clivensem confirmare velit, se non posse Suæ Sanctitati modum præscribere; confidere tamen se, ea servanda, quæ in Capitulatione sint reciproce promissa. Porro promisisse se, quod Sanctissimo Domino Nostro salvis privilegiis vellent parere, atque adhuc ejus esse sententiæ: at jam postulare non posse. Primo, quia Sedes Episcopalis non vacaret, donec resignatio sit realiter facta: secondo, contra Canones esse postulare Sede non vacante: tertio, se monitos a Statibus ditionis Monasteriensis, ne quam paterentur irrepere novationem in hoc postulationis negotio, quod fieret, si Bavarus postularetur ante factam resignationem.

« His ita propositis, rogarunt, ut ego cum Commissariis Clivensibus audiremus partem Capituli utramque, si liberet separatim, si qui errarent, eos velle edoceri ac informari melius.

« Dimissis e loco Capitulari Junioribus, Seniores non potuimus nisi laudare, et ad perseverandum confortare, utpote quorum verba et facta, quantum in ipsis est, similia sunt.

« Dimissis Senioribus, Juniores revocati sunt, multisque ac clarissimis rationibus edocti, Sedem Episcopalem satis vacare, nec alia opus esse vacatione, ut in unam aliquam consentiant idoneam personam; nec ipsis metuendum, ne in Canones peccent, aut ne periculosa innovatio fiat, ubi tam apertus Sanctissimi Domini Nostri habetur prævius consensus, imo paterna et ordinariæ potestatis requisitio. Hæc cum multis modis abunde satis declarassemus, post qualemcumque habitam deliberationem, respondendo conati sunt omnes nostras rationes subvertere, atque ad suum institutum mordicus defendendum magnum Canonum ad rem nil pertinentium examen citarunt, aliaque multa ingesserunt, quæ magis morbum animi aperirent, quam consilii rationem haberent. Rogavi cum ego, tum Commissarii Illustrissimi Ducis Clivensis, ne ita agerent, sed cogitarent, quid Sanctissimo Domino Nostro promisissent, quam paterne Sua

Sanctitas ipsis vellet consultum. Seniores etiam rem intelligere et privilegia velle salva etc. Ipsi nihilominus eadem sæpius repetentes asserebant, Sedem re non vacare. Brevia quidem Sanctissimi Domini Nostri nil præjudicare, sed se nec velle nec posse postulare, aut Capitulationem cum quoquam tractare, donec decretum Postulationis de persona filii Illustrissimi Ducis Clivensis factæ in manibus haberent. Sese velle Canones servare, ac privilegia conservare etc. Cum satis superque ipsis probaretur, frivolum esse, eadem identidem inculcare, cum hæc omnia ipsorum quoque propria confessione penderent a voluntate et potestate Sanctæ Sedis Apostolicæ, cumque nil haberent rationis, quod opponerent, rogarunt, ne ipsis molesti esse pergeremus, ipsos non omnes esse juniores, verum etiam inter ipsos unum atque alterum esse de Senioribus, posse ipsos de gremio Capituli aliquem eligere, qui Sanctissimo Domino Nostro non veniret improbandus. Itaque se velle Suæ Sanctitati obedire, et a nobis diutius non molestari.

« Responsum est ipsis cum a me, tum a Dominis Commissariis Clivensibus, nos nemini velle esse oneri, aut molestos, sed quod a superioribus nostris ac Magistratibus essemus jussi, adeoque ab ipsis Capitularibus rogati, hoc nos non sine ratione agere. Si autem ipsi velint et possint de gremio Capituli personam undique aptam eligere, non erat tam multis utendum diverticulis. Deinde ipsimet nec coacti, nec rogati Romam scripserunt, et de duobus nominatim, nempe Bavaro et Bremensi, Suæ Sanctitatis sententiam audire voluerunt, quæ cum multis aliis ipsorum gestis dictisve comparata non viderentur sibi satis constare. Sed cum liceret facile animadvertere, istos aliud agere, quam hactenus verbis visi sint egisse, ut plus æquo inconstantes in omnibus se præbuerunt, nec diuturnius colloquium pati vellent, noluimus eos sine spe fructus acrius exacerbare. Dixi me omnia ad Suam Sanctitatem relaturum, rogans sedulo, ne quid attentarent, quod in Ecclesiæ, ipsorumque propriam vergeret perniciem, atque ita sunt dimissi.

« Breve autem quoddam, quod ex aula Bavarica ad Illustrissimum Ducem Cliviæ erat transmissum, in quo Reverendissimus Administrator Frisingensis nominatim a Sua Sanctitate commendabatur, a Commissariis Clivensibus non est exhibitum, quod nullus jam amplius poterat expectari ejus fructus, sed tantum tergiversationes adversus quamvis æquam rationem undequaque prætendebantur.

«Revocati porro Seniores cum hæc a nobis audissent, ajebant se sperasse quidem semper meliora, at nunc non posse non dolenter audire, animos tanto antea tempore semper unanimes nunc conciliari non posse. Se ejus quoque esse, semperque fuisse sententiæ postulationem fieri non debere, nisi resignatio sit reipsa facta. At Capitulationem ac consensum in personam aliquam sub beneplacito Sanctissimi Domini Nostri ad conservationem fidei Catholicæ legitime fieri posse. Quemadmodum cum Illustrissimi Ducis Clivensis filio recens factum testaretur, quam præviam tractationem Sancta Sedes Apostolica non improbaverit. Unde nec contra Canones, nec aliquid novum aut insolitum videri posse.

« Putant etiam Illustrissimum Ducem Clivensem prudenter hactenus decretum postulationis in manibus (præsertim cum consensu Suæ Sanctitatis) ad majus vitandum malum retinere, nihil omnino dubitantes Suam Celsitudinem tempore opportuno ac necessario juxta Capitulationem Decretum reddituram.

«Quod autem ex gremio Capituli aliquis utiliter possit eligi, mirum ipsis videri, cum proximis his annis duo viri intelligentissimi de gremio Capituli successive electi, gravissimis ex causis, consequenter officium deposuerint, idque non sine gravamine ipsius Ecclesiæ.

« Unde ex Senioribus nemo cupiat eligi. Si ex iis qui de Juniorum stant partibus aliquis eligi affectet, nesciunt quomodo is futurus sit aptus, cum in pleno Capitulo unanimi consensu concluserint, de gremio neminem assumendum. Item ajebant Sanctissimum Dominum Nostrum paterne indicasse talem esse necessarium, qualis in Capitulo nullus reperitur. Item Senatum Monasteriensem arbitratum esse, hæc tempora desiderare aliquem auctoritate et potestate munitum etc.

« Declararunt ergo iterum mentem suam Seniores, sese sub obedientia Sanctissimi Domini Nostri perseveraturos, quoad Deus ipsos per adversitates conservarit. Rogarunt cognoscere, quid Sua Sanctitas ab ipsis ulterius fieri velit: sicubi errent, cupiant meliora doceri. Desiderabant apud Suam Sanctitatem super hoc dissidio excusari; nam confidant se causam huic controversiæ non dedesse. Atque ita quoque hi sunt dimissi.

« Ex his, Illustrissime Domine, Sanctissimus Dominus Noster et Vestra Celsitudo facile, quid deinceps facto opus sit, per se intelliget; tamen pauca quædam circa negotii hujus difficultates subjungenda occurrunt.

«Cum sub initium Aprilis secundo Monasterio Coloniam redirem, ex Illmo Duce Clivensi (quem Dusseldorpii conveni) intellexi, Reverendissimum Principem Electorem Coloniensem paucis ante diebus eodem loci fuisse. Qui multis argumentis acriter admodum Duci Clivensi persuadere conatus est, ut in favorem Postulati Bremensis fieret resignatio Episcopatus Monasteriensis. Adjunxit se non dubitare Bavarum Bremensi facile cessurum. Dux Clivensis retro-

actis rebus omnibus narratis respondit, se Bavaro modum præscribere non posse; in hoc vero negotio Monasteriensi omnia pendere a Sanctissimo Domino Nostro. Respondit Reverendissimus Princeps Elector Coloniensis, se facile Bavarum in eam ducturum sententiam, ne Bremensem impediret. Illustrissimus Dux Clivensis ait, licere quidvis cum Bavaro tractare, se in consulto SSmo Domino Nostro in causa Monasteriensi nil novi facturum. Porro palam dicitur, Bremensem ac juniores Canonicos Monasterienses eam spem in Reverendissimo Principe Electore Coloniensi posuisse, ut qui cum apud Bavarum tum apud Sanctissimum Dominum Nostrum id sit acturus, ut Bremensis tandem Episcopatum Monasteriensem obtineat. Cum ergo Reverendissimus Princeps Elector Coloniensis Romam sit profectus, inde creduntur juniores Capitulares Monasterienses intractabiliores facti, confidentes, actiones nostras et conatus Illustrissimi Ducis Clivensis omnes fore irritos. Nil dubito Sanctissimum Dominum Nostrum et Illustrissimos Dominos Cardinales Reverendissimum Principem Electorem Coloniensem jam audivisse, aut certe benignissime in omnibus audituros; sed etiam prudentissime discussuros, an omnia ipsius consilia e re sint Ecclesiæ ac Religionis Catholicæ.

« Cæterum inter eos, qui ex parte sunt Juniorum Capitularium præcipui creduntur esse D. Conradus Westerholdt (qui Locumtenens alias est constitutus) et quidam Wilhelmus Schincking. Reliqui plerique utpote adolescentes, rerumque parum periti haud difficulter Seniorum accederent sententiæ, nisi a duorum prædictorum ductu penderent. Item plerique Juniorum, qui hos sequuntur, alienigenæ sunt, ex Episcopatu Monasteriensi non oriundi: inde minus curant, in quodcumque periculum res incidant etc. Nonnulli cogitabant, num consulto isti D. Conradus Westerholdt et Wilhelmus Schincking, tamquam præcipui ejus partis, citari possent ad Romanam Curiam, rationem reddituri, cur Brevibus Apostolicis non paruissent: at alii tales citationes fore intempestivas existimant. Si nonnulli ex Nobilibus seu Statibus (quos vocant) Juniorum partibus favent, ideo fieri quidam putant, ut Bavarus excludatur, qui creditur severus reformator Monasteriorum, Capitulorum, etiam Nobilium futurus.

« Ad hæc considerandum Sanctissimo Domino Nostro, quod Juniores quinque vel sex votis Seniores numero superant, et animi Capitularium hac divisione sunt alienati. Hinc fit, ut quidquid Dominus Decanus in Capitulo proponit nil penitus expedire possit, nisi Juniorum inclinationibus plane servire aut cedere velit; unde durante hoc dissidio res perdifficilis et periculi plena est, præsertim si quid magni momenti occurrat. Sanctissimi Domini Nostri ac Vestræ Celsitudinis prudentiæ igitur perpendendum relinquitur, an denuo monendus sit Dux Clivensis, ne filius ejus, nisi Sua Sanctitate jubente, resignet. Præterea rebus sic constitutis, an Sua Sanctitas Clivensi eum Decano et Senioribus Capituli injungere velit, ut habeatur regiminis et administrationis ratio. Nonnulli enim attendentes, quod modernus Locumtenens officio abuteretur, atque occasione acceptæ potestatis ac regiminis, Juniores sibi adjunxisset, et, quoquo versum vellet, inflecteret, putarunt hanc rem minime periculo carere, nisi tempestive medela afferatur. Itaque, si credatur dissidium hoc diutius duraturum, non abs re fortassis fore, ne Ecclesia Monasteriensis sit sine capite, si filio Ducis Cliviæ Postulato daretur confirmatio tantum per literas Breves. Item per dispensationem Sedis Apostolicæ committeretur ipsi, ut cum Decano et saniore parte Capituli seu Senioribus administrationem temporalem ac spiritualem sub beneplacito Sanctissimi Domini Nostri constitueret, ita futurum, ut nonnulli qui videntur abuti officiis, modestiores ac tractabiliores fierent. Hoc tantum proposuerim: Sua Sanctitas, quanti sit momenti, facile dijudicabit.

« Postremo cum ideo Rmus Princeps Elector Coloniensis Bavarum velit cedere Bremensi, ut Bremensis e diverso Bavaro ad Archiepiscopatum Coloniensem sit inclinatior, Sanctissimi Domini Nostri pientissimæ prudentiæ relinquitur, quatenus et quam pie istiusmodi favores intelligi queant. Si tamen etiam per occasionem quæritur gloria Dei perpendi potest: intra annum Electorem Coloniensem probabiliter resignaturum. Si interea Rmus Administrator Frisingensis ad Archiepiscopatum Coloniensem postuletur, erit ipsi tunc facilius rationem habere Ecclesiæ Monasteriensis. Si vero ad Ecclesiam Coloniensem Rmus Frisingensis non fuerit postulatus, nulla erit ratio, cur propter Postulatum Bremensem a suscipiendo munere Ecclesiæ Monasteriensis abstineat. Hæc de prolixissimo hoc negotio, qua fieri potuit brevitate, sint dicta. Deus Optimus Maximus Sanctissimum Dominum Nostrum et Vestram Celsitudinem ad horum reliquorumque gravissimorum negotiorum Ecclesiæ expeditionem conservare ac tueri dignetur. Datum Coloniæ 4. die Mensis Maji reparatæ salutis 1576.

Illmæ et Rmæ Celsitudinis Vestræ

Obsequentissimus Servitor

Caspar Gropperus.

XV. — Eadem fere perscribit Pontifici Dux Clivensis pater, atque suadet, ut ad diuturna demum Monasteriensium Canonicorum dissidia tollenda, ac paci Diœceseos bonoque Religionis consulendum, vel filii sui postulationem confirmet, saltem ad tempus donec in regno sibi

sofficiendus sit, atque iis quidem omnibus cæteroquin, quæ ad bonum spirituale Diœceseos regimen pertineant, statutis, vel, si ei magis videretur, electionem Bavari apud Monasterienses urgeat. (*)

(*) Germania Vol 97. fol. 6.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. S. Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Post debitam more Majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater. Cum ob plusquam triste fatum senioris filii mei Caroli Friderici piæ memoriæ res ditionum et subditorum, quibus me Altissimus præfecit, non ferant, ut Johannes Guilhelmus minor natu filius et spe onicus hæres meus in ea Ecclesiastica dignitate, ad quam a Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis antehac postulatus est, maneat, meminit Sanctitas Vestra, quam ea paterne, cum per suum Nunciom Reverendum Casparum Gropperum jurium Doctorem etc. coram, tum etiam literis sive Brevibus aliquot Apostolicis præmemoratum Capitulum Monasteriense hortata sit, ut in filii mei locum alium Catholicom et tam arduæ functioni idoneum, sepositis dissidiis et affectibus unanimiter eligerent, aut postularent: quodque Sanctitas Vestra filium meum Johannem Guilhelmum pariter pie monuerit, ut interim tamen Sanctitate Vestra invita Postulationem susceptam non deponat. Qua de re Decanus Monasteriensis Capitulo suo conventum ad xxv. elapsi mensis indixit, et, ne ego huic negocio promovendo deessem, misi illuc quosdam ex Consiliariis meis, qui una cum Vestræ Sanctitatis Nuncio, si quid inter Capitulares adhuc esset dissidii, id placide componerent, ac eos ad obtemperandum tali Sanctitatis Vestræ paternæ hortationi pro virili adducerent. Idque summa quidem diligentia, attamen frustra per eos tentatum est, eo quod juniores Canonici nulla ratione adduci potuerunt, ut cum Senioribus convenirent. Quare re plane infecta illinc discessum est, prout hæc Sanctitas Vestra ex literis sui Nuncii fusius cognoscere non gravabitur. Quandoquidem autem ob hanc et plerasque alias non levis momenti causas necessitas exigit, ut Ecclesiæ huic Monasteriensi de alio bono et fideli Pastore prospiciatur; mihi quoque non solum ob sumptus, quos feci, sed et aliis multis modis onus, quod hujus rei nomine hactenus sustineo, satis grave est; nihil est, Sanctissime Pater, quod malim, quam ut bona Sanctitatis Vestræ pace filius meus se hac postulatione abdicare posset. At dum mecum repnto, quam reverentiam et obedientiam Sanctitati Vestræ propter ejus in me et meos perspectam benignitatem jure debeam, ad hæc timendum, ne si filius meus in hac Capituli discordia a postulatione sua desistat, alius parum Catholicus, malis artibus, vel per impressionem, Episcopatum in grave detrimentum nostræ christianæ catholicæ Religionis et tranquillitatis publicæ occupet, constitui Sanctitatis Vestræ piis monitis parere, et curare, ut filius Johannes adhuc in ista vocatione, quamdiu id Sanctitati V. e re prædictæ Ecclesiæ esse videbitur, perseveret, quemadmodum etiam in hanc sententiam erga Capitulum et Civitatem Monasteriensem meam mentem declaravi. Sed quia maxime metuendum, ne hoc incerto et turbulento statu rerum in magnam perniciem Capituli et subditorum hujus Ecclesiæ gravissimi motus excitentur ea præcipue de causa, quod filius meus vigore capitulationum priorum, ante postulationis suæ approbationem, vel etiam ante justam ejus ætatem et consecrationem hujus Ecclesiæ et ditionis Monasteriensis administrationem suscipere, et emergentia incommoda avertere impeditur, summopere oro, ut Sanctitas Vestra huic malo succurrere dignetur approbatione postulationis prædictæ in forma Brevis, dispensationeque super ætate et administratione recipienda benigne concessa; ita tamen ut a Sanctitate Vestra filio meo postulato Vicarius in spiritualibus adjungatur, præscribaturque, ut in temporalibus sine Decano et Senioribus Capituli sui nihil statuat, mandet, aut exequatur, vel ut Sanctitas Vestra de alia via commodiore et utiliore cogitare non gravetur, quo filius meus postulationem hanc absque Ecclesiæ damno et Religionis nostræ læsione deponere, et alius spectatæ fidei Catholicæ Pastor, qualem Ernestum Ducis Bavariæ filium fore plane confidimus, prænominatæ Ecclesiæ præfici, queat. Quidquid enim Sanctitas Vestra statuerit in eo, ego una cum filio Sanctitati Vestræ semper facile obsequar. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram Ecclesiæ et Reipublicæ Christianæ quam diutissime conservet. Datæ ex Arce nostra Clivensi xxv. mensis Maji anno Domini MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Guilhelmus Dux Juliæ etc.

XVI. — Gregorius infelicem hujus negotii exitum vehementer doluit; nihilo tamen minus in sententia de Henrici Julii postulatione non adprobanda jure ac merito perseveravit, ac Monasterienses exhortatus est ad Ernestum Bavarum eligendum. (*)

(*) Reg Gregorii XIII. Ann. V. ep. 8. f. 168.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quoties vestras literas legimus, toties renovatur nostrum gaudium in Domino: ita sunt in eis omnia plena Religionis et pietatis, summæque erga hanc Sanctam Sedem obser-

vantiæ. Agimus gratias Divinæ bonitati, cujus hæc sunt munera longe maxima. Nostra autem, quam in vestris literis datis mense Martio exquiritis, sententia hæc est, ut in isto electionis negotio nihil aliud spectetis, nisi Dei gloriam, Ecclesiæque vestræ dignitatem atque utilitatem, utque in hanc curam animis consentientibus, atque ab omni alia cogitatione liberis incumbatis, negociumque ipsum quam celerrime conficiatis. De postulato Bremensi non putamus e re vestra esse. Jamdiu enim possidet duas Ecclesias, neque adhuc ea fecit, quæ debuit, ad Apostolicam confirmationem obtinendam, cum quidem sæpe fuerit benigne monitus nostris verbis. Ipse igitur sibi tanta cunctatione ad hanc tertiam Ecclesiam aditum præclusit, neque enim Nos eam illi concederemus, tametsi cæteris in rebus bonam de eo opinionem ac spem habeamus. Restat alter, quem proposuistis, Ernestus Hildesemensis ac Frisingensis Ecclesiarum administrator, hunc vehementer probamus; neque enim aliquid tale ei objici posse videmus, præclareque in eo Ecclesiæ vestræ consultum iri judicamus. Gratissimum igitur Nobis facietis, si de hoc eligendo consenseritis, negociumque ipsum quamprimum transigeritis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eidem Henrico Julio, Bremensi scilicet Postulato, litteris alioquin amoris comitatisque plenis significat, se postulationi suæ Monasteriensi nunquam assensurum, nec eam ratam habiturum.[*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 6. fol. 166.

Dilecto Filio Nobili Viro Henrico ad Bremensem et Osnabrugensem Ecclesiam Postulato

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta semper benevolentia, et charitate jam inde a principio hujus Nostri Pontificatus fuerimus persecuti nationem Germanicam tum universe, tum proprie Ecclesiasticos ejus Antistites, confidimus perspectum esse Nobilitati Tuæ, hancque nostram erga te ipsum voluntatem perspicere potuisse te, tum cum Gropperium Nuncium istuc misimus: ex quo quidem tempore expectavimus, ut tun ipsius erga Sedem Apostolicam officio, et muneri satisfaceres in curandis iis, quæ ad confirmationem Apostolicam obtinendam necessaria erant. Id hactenus non fecisse te, tamque in eo negligentem fuisse doluimus, hoc ipsum in causa nunc est, cur neque possimus, neque debeamus tuæ voluntati satisfacere de Ecclesia Monasteriensi; alienum enim plane est ab hujus Sanctæ Sedis institutis, ut qui duas tam insignes Ecclesias obtinet sine ulla Apostolica confirmatione, huic tribuatur etiam tertia. Æquum igitur est, ut et præterita diligenter consideres, et in posterum declares re ipsa eam erga hanc Sanctam Sedem observantiam et devotionem, quam verbis ostendis; sic enim invenies Nos tibi in charitate et pietate respondere, tuisque meritis omnibus in rebus, quas dies ipsa permultas ferre potest, gratificari paratissimos esse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

XVII. — Mirabitur fortasse quis, cur Gregorius in tanta negotii Monasteriensis difficultate haud intentiori cura postulationem Principis Clivensis sibi amplectendam censuerit. Ea enim admissa ac confirmata, seniorum ac juniorum Canonicorum disceptationes facile quievissent, nec hi in Henrico Julio postulando, quem potissimum excludere Pontificis intererat, adeo obstinatis sententiis insistere potuissent. At vero id nemini admirationi erit, si quis animadvertat, plurimas easque gravissimas rationes prohibuisse Pontificem, quominus id consilii caperet. Obstabat enim minor illius ætas, quæ vix decimum tertium annum attigerat; obstabat necessitas quædam patri aliquando in regno succedendi, adeoque ad sæculi consuetudines redeundi; obstabat denique, idque præcipue, ejusdem religiosa institutio, qua vel a pueritia fuerat imbutus. Pater enim ejus in fide Catholica natus atque educatus ab ea per aliquot annos defecerat, neoterica Lutheri dogmata amplexatus. Obtigit ei quidem, ut delicti pœnitens ad majorum suorum fidem rediret, in eaque ad mortem usque summa cum pietate perseveraret, ac nemini in obsequio erga Sanctam Sedem cederet: nihilo tamen secus ita se habuit, ut sibi ad Ecclesiam reverso Pius IV. id privilegii concedendum duxerit, in desiderium vel consuetudinem sub utraque specie communicandi.[*] Hinc voces in vulgus datæ sunt, fieri posse, ut cum ejus filius instantibus Paschalibus festis Eucharistiæ Sacramento primum reficiendus esset, id ei sub utraque specie sumendum traderetur. Ex quo quis divinare potuisset hujusmodi sub utraque communicandi exemplum vel in designato dumtaxat Episcopo, quot turbas, quot dissidia fuerit excitaturum? Quare nemo non videt, quam sapienter se gesserit Pontifex: nam etiam ex ejus catholica institutione timendum erat, ne aliquando quid maneret, quod Protestantium consuetudinem saperet. Hoc tamen ne fieret, cavet Pontifex, misso ad eundem Ducem Elgardo, qui ejus filium Ecclesiæ in hoc Sacramento administrando ritum ac disciplinam optime doceret.[*]

[*] Cf. Raynaldus ad ann. 1562. §53 et 1564. §§ 28 32. et 33.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 185. f. 123.

Dilecto Filio Nobili Viro Juliæ Cliviæ Duci

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Semper judicavimus ea esse vera et solida gaudia, Christianaque professione et pietate dignissima, quæ divinæ laudis

et gloriæ causa conciperentur, fraternamque charitatem, quam Christus tantopere commendavit, in eo maxime elucere, si et aliorum peccatis doleremus, et recte factis in Domino gauderemus. Hoc gaudium Nobis affert pietas tua in filio omni cum virtute educando, optimorumque et Catholicorum præceptorum opera sancte instituendo atque ad sempiternam fœlicitatem, quam repositam habet Deus viris catholica et viva fide, quæ per dilectionem operatur, præditis dirigendo. Neque vero hoc nostrum gaudium vulgare est, et commone, sed singulare et proprium, ab ea nimirum charitate profectum, qua te tuosque omnes paterne atque unice diligimus. Ac sic speramus, Divinam bonitatem eo magis tibi natum istum conservaturam, quo majore in ea, quam diximus, educatione, cura et diligentia versaris. Facit igitur hæc nostra erga vos charitas, ut de vobis assidue cogitemus, vobisque eam fœlicitatem optemus atque a Domino precemor. Quoniam autem scimus, filium istum Nobis in Christi visceribus dilectissimum eo jam ætatis pervenisse, ut possit sacrosanctam Eucharistiam sumere, putavimus nostri muneris paternæque charitatis esse, super ea re nonnulla graviora Nobilitati Tuæ proponere per dilectum filium Nicolaum Elgardum, virum pium et doctum, quem hac ipsa de causa mittimus. Gratissimum Nobis faciet Nobilitas Tua, si ei de hac, deque omnibus rebus, de quibus tecum aget nostro nomine, eam illi fidem tribues, quam Nobis ipsis tribueres. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Voces illæ de filio Clivensis Ducis sub utraque communicaturo adeo percrebuerant, ut Pontifex Bavariæ Ducem per litteras adierit, qui cum Duce Clivensi ageret. ne filium suum sub utraque specie communicare sineret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 150. f. 125.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quo magis cupiebamus omnia a Tua Nobilitate in dilectum filium Ernestum istuc revertentem extare humanitatis ac paterni amoris officia, eo gratiores Nobis fuere literæ tuæ, ex quibus te nostro desiderio satisfecisse cognovimus. De negotio Monasteriensi et per literas, quas trinas ad Capitulum dedimus, et per Gropperium Nuntium quam potuimus diligentissime resarturum, quæ utriusque infirmitate acciderunt, Nosque ex ipsius probitate et virtute majores in dies fructus laturos. Est etiam quiddam, in quo vicissim indigemus tua opera. Scis filium Ducis Cliviæ eo jam ætatis pervenisse, ut possit sacrosanctam Eucharistiam sumere: veremur magnopere, ne utraque ei species præbeatur; pater enim, ut scis, utitur etiam calice; incredibiliter angimur: nosti enim quantum intersit, cum omnibus in rebus, tum vero in Religione qualia sint initia, quamque ægre avellantur homines ab eo, quod in ea semel arripuerunt. Dedimus super hac re literas et mandata ad Ducem ipsum, atque ad Filium Nicolao Elgardo viro docto et pio. Quoniam autem scimus, quanti uterque te faciat propter summam scilicet auctoritatem et virtutem tuam, rogamus, quantum possumus per Christi gloriam, ut super hac re cum illis agas, patrique in primis persuadeas, ut velit natum unam tantum speciem sumere, ut faciunt Laici Romanæ Ecclesiæ, cum qua scis, quam magnum vinculum ipsi nato intercedat: id autem eo facilius impetrari poterit, quia certum habemus, ipsos, quod verissimum est, credere sub unaquaque specie totum Christum esse; nihilque amplius sumi utraque, quam una. Qua autem via, quibusque suasionibus hoc aggrediaris, docebit Spiritus Sanctus, cujus opem tum in hac, tum omnibus in rebus Tuæ Nobilitati imploramus ad Dei gloriam, tuamque perpetuam fœlicitatem. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XVIII. — Elgardus haud parum adlaboravit, ut Ducis animum ad Pontificis voluntatem flecteret. Nihilominus assequi non potuit, ut ipse, omni ambiguitate deposita, fidem daret, se effecturum, ut filius juxta Ecclesiæ disciplinam Eucharistiæ Sacramentum sub una tantum panis specie sumeret. Ne pigeat perlegere, quæ hac de re Elgardus Cardinali Comensi perscripsit. [*]

[*] Germania Vol 40. fol. 212.

Illmo et Rmo Dño Ptolomæo Gallio Novocomensi S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Sipontino, Dño præcipua pietate Colendissimo.

« Illme ac Reverendissime Dñe, Dñe Colendissime. Die 6. hujus ad Vestram Celsitudinem duplicatas perscripsi literas, quibus exponebam, quænam accepissem Brevia, et quæ intercidissent. Dein die 14. ejusdem Maji Juliacum me contuli, consilia cum D. Gymnig conferens.

« Qui quantum quidem potuit consilium communicavit, sed non potuit (ob injuncta a Principe negotia) ad aulam se conferre, ut ego quidem optassem. Inde ergo Coloniam reversus, post triduum descendi Clivos ad ipsum Principem Clivensem. Contuli statim cum nonnullis Consiliariis Catholicis, qui non mediocriter metuebant, ne forte Principem exacerbatum penitus turbaremus, et quicquid hactenus pro Catholica religione restituere cœpisset, indignatione aliqua subverteret.

« De reliquis enim Catholicis institutis facile audit, sed præcipue ac quasi de sola communione utriusque speciei, ita superioribus temporibus ab hæreticis, qui in aulam irrepserant, persua-

sus est, ut videatur existimare beatius aliquid esse communicare sub utraque specie, tametsi existimem ipsum palam confiteri tantundem esse sub una, quantum specie sub utraque.

« Respondi Consiliariis, quoniam alias Princeps satis indicasset, velle se, ut filius ad S. Pentecosten communicet, necesse esse Breve Apostolicum tradere; Ea tamen rationum lenitate et discretione agendi, ne ullam gravioris exacerbationis posset arripere ansam. Itaque sequenti die data audientia, expositom est latius, quam paterne et honorifice Sanctissimus Dñus Noster sentiret de ipsius Celsitudine, utpote cui haud dubie gloria Dei, Ecclesiæ Catholicæ conservatio, sua suorumque liberorum ac populorum salus cordi maximopere esset.

« E diverso me neutiquam hæsitare, Suam Celsitudinem de Sanctissimo Domino Nostro ita pientissime sentire, nempe Suam Sanctitatem ipsius Principis, liberorum ac populorum ejus conservationem ac veram salutem, ad Dei gloriam Ecclesiæque Catholicæ prosperitatem paterne ac benignissime cogitare, ac dubio procul quærere. Hæc quidem et quantum porro in tam sincera mutua animorum fiducia, item in catholica filii educatione positum esset, amplificavi, quantum videbatur satis.

« Tum dictum est, Suam Sanctitatem non dubitare, quin ipse Princeps per se id sit acturus, ut filius sub una specie juxta S. Ecclesiæ receptum usum communicet, atque eam rem non tam egere exhortatione, quam esse laude et commendatione dignam. Adjeci mox paucu-las rationes.

« Primo non esse indecorum juniori Principi sub una specie communicare, tametsi parens jam aliquandiu sub utraque communicasset; nam et Cæsaream Majestatem sub utraque communicare, filios vero sub una; tum vicinos circumquaque viros Principes, ut pro tempore Archiepiscopum Coloniensem, Episcopos Monasteriensem, Leodiensem, quique præsunt regiis Belgiæ regionibus, omnes sub una communicare specie.

« Secundo sub una specie communicare nil esse filio periculosum: quia etiam Sua Celsitudo credit et confidetur catholice tantum esse, recipique sub una, quantum sub utraque. Deinde cum omnia sint metienda pro gloria Dei, Ecclesiæ Catholicæ tranquillitate, propria, subjectorumque populorum salute, communicet jam filius sub una specie. Si post aliquot annos magis fructuosum vel necessarium videatur sub utraque communicare, tunc filium adultum et judicio solidum cum Sanctissimo Dño Nostro ea de re semper libere posse consilia conferre.

« Tertio videri necessarium, ut sub una specie communicet, quoniam etiamnum postulatus sit Monasteriensis, atque in eo jam res versari, ut videatur aliquandiu postulatus mansurus; minime vero convenire eum, qui nomen Episcopi sustineat, aliter communoicare velle, quam omnes Episcopi et Archiepiscopi (dum ipsi non consecrant) reverenter faciant. Præterea si Reverendissimum Dominum Administratorem Frisingensem contingat fieri Archiepiscopum Coloniensem, vel Episcopum Monasteriensem, multo eum amicius conversaturum cognato, eodem modo communicanti, quam si variet. Similiter de reliquis vicinis Principibus sentiendum. Conclusum est in summa, communicare sub una specie nil afferre damni, sed plurimum habere emolumenti.

« Ait Princeps habita matura deliberatione se responsurum. Post triduum respondit, se de Sanctissimi Domini Nostri paterno benevolentissimo affectu nihil dubitare, atque Suæ Sanctitati habere gratias maximas, quod de suo filio tam paternam et memoriam et curam gereret. Quoad educationem se ut hactenus ita semper curaturum diligenter, ut catholice educetur. Quoad communionem, ipsum adhuc esse infirmioris judicii, se ergo putare consultius esse, communionem aliquandiu differre, donec ipse filius aliquanto melius per se judicet: tamen quandocumque communicabit, id ita fore, ut Sua Sanctitas futura sit contenta, et filius nihil reprehensione dignum sit admissurus. Ita se filiumque suum Suæ Sanctitati voluit humillime commendari. Ego iterum Suæ Sanctitatis hac in re sanctissimam intentionem duobus verbis commendavi, dixique responsum me ad Suam Sanctitatem perscripturum.

« Sciendum porro, Illñe ac Rñe Dñe, Consiliarios eos, quos huic negotio Princeps adhibuit, omnes fuisse Catholicos, tamen in talem responsionem consenserant, ne, si acrius consiliis suis urgerent, ut absolute consentiret in communionem sub una specie, (quod ipsi quidem optassent) semel, ut dictum est, subverterent omnia. Sperant autem futurum, ut per hanc impetratam dilationem Deus aperiat consilium, quo huic rei præsentius inveniatur remedium. Et ego ipse cum antea multa contulissem cum Consiliariis, et talis redderetur responsio, de Brevi ad filium (quod Consiliariis quidem manifestaram) coram Principe tacui, ne dilatoria data responsione, si eum filio agere voluissem, viderer divisionem et dissidium moliri inter parentem et filium: quæ sola suspicio apud tam infirmum Principem esset periculosissima, ut Vestra Celsitudo facile intelliget. Interim ante et post actionem cum Consiliariis pluribus egi rationibus, atque ipsi per se satis intelligentes sunt, quanti sit ea res momenti, ac valde rogarunt, ut Sua Sanctitas clementer talem responsionem dignaretur interpetrari. Sperare se per bonam junioris Principis educationem futurum,

ut ipsemet aliquando declaret parenti, se una specie abunde esse contentum. Gaudebant ipsi, tum plerique, qui in ministerio sunt junioris Principis, quod etiam hac vice nempe ad instantem Pentecosten illam difficultatem evaserint. Itaque Suæ Sanctitatis paterna sollicitudo non fuit infructuosa, tametsi minus obtinuimus, quam optandum erat.

« Data vero hac dilatione, Suæ Sanctitati ac Vestræ Celsitudini considerandum relinquitur, an super eadem re per Regem Hispaniarum, per Archiducem Ferdinandum Austriæ, per Ducem Bavariæ, per Legatum Regis Hispaniæ, qui apud Cæsarem est, apud Ducem Cliviæ per literas agendum sit. Per Cæsaream Majestatem nescio, quid hac causa agendum: videor mihi intellexisse Suam Majestatem causam fuisse, cur Carolus Fredericus (sanctæ memoriæ) sub utraque specie communicavit. Spero magnopere, si Reverendissimus Dñus Administrator Frisingensis fieret Archiepiscopus Coloniensis, vel saltem Episcopus Monasteriensis, quod in hac similibusque rebus multa bona apud Ducem Cliviæ præstaret; multum enim præsentis cognati exemplum et conversatio catholicissima moveret. Tantum hac de causa. Dominus Jesus Sanctissimum Dominum Nostrum et Vestram Celsitudinem consilio semper dirigat, charitateque ditet hic et æternum. Coloniæ die 29. Maji anno 1576.

Vestræ Celsitudinis

Humillimus

NICOLAUS ELGARDUS.

XIX. — Dicendum est igitur, sapientissimo consilio Gregorium postulationem juvenis Principis Clivensis apud Monasterienses auctoritate sua fulcire, nedum promovere noluisse: quare etiam in responso, quod ejus patri de hoc negotio dederat, quamvis in eodem amplissimis tulerit laudibus, ut decuit, ejus rei catholicæ fovendæ voluntatem et diligentiam, tamen de ejus filii confirmanda postulatione nihil agi posse, neque eam aliquid ad implicatum illud Monasteriense negotium explicandum collaturum esse asseruerit. En prudentissimas Gregorii litteras Clivensi Duci scriptas. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 21. fol. 178.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Juliæ Cliviæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Lectis literis Nobilitatis Tuæ datis 25. Maji, statim venit in mentem præclara illa sententia, eos demum Principes fœlices esse, qui curas et cogitationes suas omnes conferunt ad Dei gloriam, atque ad ejus cultum omni cum synceritate et honore retinendum, atque amplificandum. Id autem cogitare et curare te ex illis literis incredibili cum voluptate cognovimus; sic enim scribis, te magnopere solicitum esse de futuro Monasteriensis Ecclesiæ Pastore, nec quidquam magis vereri, quam ne quis minus pius et Catholicus præficiatur: magnum enim in eo detrimentum fore sanctæ Catholicæque Religioni. Vere fili, sapienterque et pie cogitas; est enim ut in bono pastore magna spes sita ad Dei gloriam, atque ad ejus gregis salutem, sic contra in malo profligata et perdita omnia. Agimus igitur gratias Deo istius tuæ tam præclaræ voluntatis auctori, Tuæque Nobilitati gratulamur. Quantopere autem studuerimus tum per literas, tum per dilectum filium Gropperium, juniores Canonicos a periculosa illa sententia dimovere, inque optimum seniorum consilium adducere, perspexisse te ex eisdem tuis literis cognovimus. Ac si quid Nos illa confirmatione et literis, quas postulas, proficere posse intelligeremus, nihil libentius faceremus; sed, ut ipse scribis, neque posset natus tuus, nisi post multos annos ejus Ecclesiæ administrationem suscipere et sustinere, et interim Vicarium dari opus esset. Itaque cogitavimus Gropperium ipsum expectare, qui brevi venturus est, ex eo multa coram cognoscemus, quæ per literas intelligere non potuimus. Ubi autem cognoverimus, qui sit ejus Ecclesiæ status, quæ consilia et voluntates Canonicorum, quæ spes, melius multo deliberabimus. Interea hortamur, ac rogamus Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut in ista optima, et tua pietate dignissima ejus Ecclesiæ tuendæ et juvandæ voluntate perseverare, idque omni studio facias. Vides, quantum in hoc boni sit: ejus autem boni universi amplissima a Deo Opt. Max. præmia ad te redundabunt. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Julii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

XX. — Cum sermo noster in rebus Monasteriensibus versetur, non erit abs re memoria repetere, quod iidem Canonici litem de Nobilitatis probatione, quæ jam æquissimo Sacræ Romanæ Rotæ judicio sopita fuerat, denuo suscitarunt. Superius meminimus, quod omnes, qui albo Canonicorum Ecclesiæ Monasteriensis adscribi vellent, equestri genere natos esse oportuerit, atque sane hac conditione, ut ad nobilis generis fidem faciendam octonos majores tum a paterno tum materno latere e nobili stirpe progenitos legitima demonstratione conficere tenerentur. Qua ex re gravis Capitulo cum Erbmannis, uti dicebantur novi Patricii Monasterienses, disceptatio intercessit de probatæ nobilitatis juribus, qua ornatus esse deberet, qui Canonicatum obtinere vellet. Joannes Schenckingius ex cœtu Erbmannorum, qui utique avorum splendore illustrantur, junioremque nobilitatem constituunt, cooptatus inter Canonicos fuerat, quod Monasteriense Capitulum ægerrime tulit, atque ea de re tantum clamorem rumoremque Romæ, nedum in omnibus fere Ger-

maniæ tribunalibus edidit, ut quis crederit de Ecclesiæ Germanicæ salute agi. Cum igitur itum in jus fuerit, Sacra Romana Rota, tribunal plane incorruptum ac justitiæ retinentissimum, Joanni Schenckingio litem adjudicavit: Monasterienses vero Canonici duodecemviralis collegii judicio non acquiescentes ad Pontificem appellarunt, ut eam sententiam, utpote juribus et privilegiis Ecclesiæ Germanicæ adversariam, rescinderet atque abrogaret. Ea vero appellatio a Pontifice rejecta est. Provocant igitur ad Cæsarem: et fere omnes tum ecclesiasticos tum laicos Germaniæ Principes precibus circumsistunt obtestanturque, ut cum Pontifice agant eorumque causam sua auctoritate commendatam habere velint. Verum pudet in hac tam ridicula et indecora lite enarranda diutius immorari, quæ post centum annorum et amplius disceptationem tandem etiam in Imperiali Camera per sententiam anno MDCLXXXV. et per decretum ita dictum revisorium ab Ordinibus Imperii anno MDCCVII. et rescriptum Cæsareum anno MDCCIX. a. d. XIV. Kal. Januarii in favorem Erbmannorum sive Patriciorum definita fuit. [*]

[*] Imhof: Notitia S R. I. Procerum etc. p. 187. Tubingae 1732. fol.

Ea tum temporis erat tristissima Ecclesiæ Germanicæ conditio, ut nemo, qui vel regia domo vel principe loco non esset natus, ad Episcopatus administrandos et infula sacra ornandus assumeretur: qui mos ecclesiasticas etiam præbendas, quæ opulentiores essent, affecerat; neque enim Canonicatum quis assequi potuisset, qui vel a remotissima avorum illustrium serie suum genus duci non probasset. Ex qua miserrima consuetudine factum est, ut quamplurimæ episcopales sedes, ut Hamburgensis, Magdeburgensis, Lubecensis, Bremensis, Halberstadiensis, Misnensis et plures aliæ a Principibus Protestantibus in suam potestatem abducerentur, fidesque catholica ex his regionibus exularet. Quod facile Protestantes consecuti fuere hac etiam de caussa, quia Episcopi vitæ rationem propius ad laicorum vitam sequebantur, quam Ecclesiæ viros deceret, suasque res magis quam Ecclesiarum suarum negotia curarent. Hinc illud gravissimum etiam extitit, ut Ecclesiarum Cathedralium Capitula hominibus quidem implerentur splendore generis illostribus; at in quibus non modo virtutes cultumque litterarum desiderares, verum etiam vitia, quibus fœdarentur, sæpius comprehenderes. Quod quantam vim habeat ad mores laicorum corrumpendos quisque videt: quibus corruptis, fides etiam facile labefactatur.

Neque tamen inficiandum nobiles viros, opibus et gratia pollentes, dignitatibus ecclesiasticis auctos summæ utilitati Ecclesiæ fuisse, si cum generis splendore literarum, præsertim sacrarum, peritiam, morum sanctitatem cæterasque virtutes, quæ in Ecclesiastico viro eminere debent, conjunxerint. Verumtamen, ut ad Canonicos Monasterienses revertamur, Canonici illi, maxime juniores, ita suam causam propugnarunt, ac si in dignitatum collatione nihil præter illustres avorum titulos esset spectandum, neque dubitavere levissimarum opinionum, ne dicam amentiæ suæ, patronos conquirere tam inter ecclesiasticos quam inter laicos Principes, qui eorum caussam apud Pontificem agerent. En quæ Ernestus Ecclesiarum Frisingensis atque Hildesemiensis administrator de ea inter Joannem Scheneckingium et hos Canonicos disceptatione Pontifici perscribit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 34 fol. 108.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Dño meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima. Intellexit jam spero Sanctitas Vestra, qualisnam controversia et actio inter Præpositum, Decanum et Seniores Capitulares Ecclesiæ Monasteriensis, et Joannem Schenking juris Doctorem, ejusdem urbis patritium excrevit institntaque sit. Et quamvis minime dubitem, quio Sanctitatis Vestræ incorruptissimi Judices atque Rotæ Assessores hanc litem æquissime determinarint, ita ut neque in hanc, neque in illam partem pro illorum candore inclinati videri possint; attamen Sanctitatem Vestram humiliter rogo, ut hanc meam sollicitudinem, quæ pro unione atque concordia illius Ecclesiæ suscepta est, benigne accipiat: admonere enim Sanctitatem Vestram operæ pretiom visum est, magnam esse inter nobiles Germaniæ et aliarum nationum dissimilitudinem atque differentiam; nec facilem illos exteris, aut de jure aut de recepta consuetudine cedere, minimeque perpeti, ut in eorum aut officia aut alia munia, tam Ecclesiastica quam prophana, patritii et alii ignobiliores sese intrudant aut immisceant. Inde quoque accidere facile potuit, ut Judices Rotæ eandem fortassis hic nobilitatis rationem esse arbitrati, quæ apud ipsos usitata atque recepta est, ejusmodi sententiam tulerint. Quæ sane si ad executionem deduceretur (quod adversa pars, et Schenkingii fautores vehementer optant atque desiderant) dici non potest, quales in illa Ecclesia et in tota nobilitate Germaniæ turbæ excitarentur: non solum enim Canonicorum, nobilium atque Equitum auratorum privilegia, indulta, immunitates, consuetudines, præeminentiæ, aliaque id generis infringerentur, iisque omnibus non absque præjudicii nota derogaretur; verum aliæ quoque viciniores Ecclesiæ et Episcopatus confines hoc idem facere attentarent, præsumerent, molirentur, fieretque tanta ibi plebejorum, ignobiliorum

et patritiorum cum nobilibus et equitibus confusio, quanta potest esse maxima. Ad quod malum tam devitandum, quam aliis quoque incommodis, quæ ex uno quasi fonte consequi et oriri possent, præveniendum, S. V., quam pacis et unionis catholicæ amantissimam jamdudum agnosco, humiliter supplico, ut meo quoque nomine (quod et Cæsareæ Majestatis et dilectissimi Domini parentis mei hanc ob causam etiam ad Sanctitatem Vestram literæ destinandæ confirmant pro pacificatione illius Ecclesiæ, quæ multis modis ob præfatas controversias distracta est) hanc causam Illustrissimis et Reverendissimis S. Romanæ Ecclesiæ Principibus atque Prælatis, vel Sæcularibus Illustrissimis Dominis Electoribus, Ducibus, cæterisve Catholicis Principibus, tanquam Commissariis, decernendam, componendamque committat, quo respirare tandem ex tot tantisque difficultatibus Sanctitatis Vestræ auxilio ista possit Ecclesia, et ad veram unionem, pristinamque concordiam, omni novitate atque mutatione rejecta, reduci. Valeat Sanctitas Vestra, in præsidium et consolationem Ecclesiæ Catholicæ diutissimo fœlix et incolumis, cui me meamque Ecclesiam subinde reverenter commendo et offero. Monachii die 6. Septembris Anno 1576.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. et humillimus filius
ERNESTUS BAVARIÆ DUX.

Haud absimilibus precibus in subsidium etiam venit Dux Clivensis. [*]

[*] Lit Principum Vol. 26. f. 102

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri et Domino Dño Gregorio Papæ XIII. S. R. E. Pootifici Maximo, Dño Nostro Clementissimo.

« Post debitam more Majnrum meorum observantiam. Sanctissime Beatissimeque Pater, Domine clementissime. Meminit Sanctitas Vestra omnino, quæ in causa vertente inter Decanum et Capitulum Ecclesiæ Monasteriensis ex una, et Dominum Johannem Schencking ex altera parte significavimus, quanta scilicet præjudicia, non solum prædicto Capitulo, sed etiam totius Nobilitatis equestri ordini sint timenda, si decretum in Sanctitatis Vestræ Auditorio Rotæ latum super qualificatione personæ et semiplena probatione foret exequendum. Cum vero interim nobis sit indicatum, quod coram Imperatoria Majestate in comitiis Ratisponensibus sint hinc inde ab utraque parte supplicationes humiliter oblatæ ad providendum, ut hujusmodi controversia oportuno remedio citra omne præjudicium statutorum Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum determinetur, super quibus Imperatoria Majestas (ut ad nos defertur) hanc causam, tanquam ad suam Majestatem non pertinentem ad Sanctitatem Vestram remiserit. Quando vero antehac non solum Cæsarea Majestas et alii Electores et Principes Romani Imperii una nobiscum Sanctitati Vestræ supplicaverunt, ut aliqui ex statibus Imperii Romani idonei Commissarii, quibus sæpedicta statuta et consuetudines Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium sint notæ ac cognitæ, deputentur, coram quibus utraque pars prædictam controversiam vertentem, prout necesse erit, instruat et legitimis probationibus informet, ac denique causa conclusa Sanctitati Vestræ referatur. Quapropter Sanctitatem Vestram rursus præsentibus nostris intercessionibus obnixe rogamus et petimus, ut hanc causam propter grave præjudicium, quod oriri poterit, prædicto modo commendatam habeat; maxime vero, quod non arbitremur, Cæsaream Majestatem catenus causam prænominatam ad Sanctitatem Vestram remisisse, ut eam statim executioni demandari velit, sed potius ob grave scandalum, quod sentiat non solum in ista Monasteriensi, verum etiam aliis Metropolitanis Ecclesiis magnas turbas futuras, si se viderint contra antiquissima statuta et privilegia gravari. Unde profecto omnes disceptationes in prædicto Capitulo hactenus ortas in negocio postulationis comperimus, cui alia ratione succurri posse non arbitramur, quam si huic causæ oportune provideatur, saltem ne alia ratione Johannes Schenking in possessionem ingrediatur, quam ea qua alii, qui eum præcesserunt et subsecuti sunt, ingressi fuerunt. Quemadmodum etiam tam illa, quam antiqua Nobilitas magnos motus excitarent, si ad executionem procedendum foret, quod omnino evitandum, et hac una via animos Capitularium prædictæ Ecclesiæ reconciliari posse putamus; uti non dubitamus Sanctitatem Vestram in hoc utili et necessabili negocio fore imprimis curiosam, ut tranquillitas Cleri præsertim in hoc seculo dissoluto, nec non statuta hactenus undique laudabiliter servata, inviolabiliter conserventur et protegantur. Quod Domino Deo imprimis erit acceptum, cujus divinæ tutelæ Sanctitatem Vestram hisce studiose ac humiliter commendamus, nostraque officia et obsequia in omnibus deferimus. Datæ in Arce nostra Hambach XIV. mensis Septemb. anno Dñi MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
GUILIELMUS DUX JULIÆ ETC.

Quibus etiam Albertus senior Bavarorum Dux assentitur. [*]

[*] Germania Vol. 20 fol. 11.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. S. Rom. Ecclesiæ Pontifici Opt. Max. Domino suo Clementissimo.

Beatissime Pater ac Dñe mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem pedumque beatissimorum oscula devotissima. Etsi non dubito, quin Sanctitati Vestræ per Reverendissimum in Christo Patrem et Illm̃um Dominum amicum meum honorandissimum Car-

dinalem Moronum de Monasteriensi venerabilis Capituli causa, quam habent adversus Doctorem Schenckingium, plene jam sit relatum, quo nimirum loco illa sit, quove remedio ad istius Ecclesiæ tranquillitatem totiusque Monasteriensis nobilitatis honorem dirigi possit: addere tamen has meas volui, cum ut ipsius Cardinalis vivam vocem comitentur, tum etiam ut superiores meas commendatitias Sanctitati Vestræ in memoriam reducant. Ac negotium sane illud ad Sanctitatem Vestram a Cæsarea Majestate Imperiique Ordinibus Ratisbonæ nuper est remissum, quod non ignoraret, eam non solum justitiæ, sed publicæ etiam tranquillitatis rationem habitam iri, quæ causæ ac ipsi imprimis Monasteriensi Ecclesiæ maxime conveniret. Quod quidem fœliciter admodum institueretur, si Sanctitas Vestra controversiam hanc, in Germanicæ nobilitatis præjudicium excitatam, Germanis quibusdam vel Principibus vel Prælatis inspiciendam committat, sic ut ii plene de ea inquirant, et postmodum non tam ex adversariorum altercationibus, quam ipsa Germanicarum Ecclesiarum consuetudine, totiusque per Imperium nobilitatis prærogativa Sanctitati Vestræ explicent atque referant; atque ita futurum erit, ut, quod utraque pars sibi expetit, justitiæ et æquitatis remedium adhibeatur. Faciet hoc plurimum ad istius Ecclesiæ conservationem, dignitatemque, cui ex illa perturbatione Ordiumque confusione non obscuræ struuntur insidiæ. Quas ut prævideat et advertat Sanctitas Vestra, præsens horum temporum necessitas maxime postulat, nec dubito, etiam hoc addituram libenter Sanctitatem Vestram ingenti suo in Germaniam amori, ne celebris et perantiqua ejus Ecclesia tali aliquo motu in discrimen adducatur. Valeat S. V. diutissime incolumis ad magnam Ecclesiæ et religionis Catholicæ consolationem. Datæ ex Castro meo Starnbergio die 18. mensis Decembris anno 1576.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.

XXI. — Pergamus nunc ad Ecclesiæ Halberstadensis negotium: ille Henricus Julius Brunsvicensis ad hanc etiam Cathedram præter Monasteriensem postulatus fuerat. Gregorius vero nullo modo adduci potuit, ut illam admitteret postulationem; nihilque apud eum valuerunt Canonicorum illius Ecclesiæ conatus, quibus exeunte superiori anno pro viribus connisi fuere ad Postulatum suum ab omni hæresis suspicione purgandum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 184. f. 107.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitolo Ecclesiæ Halberstadiensis

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus vestras litteras datas VI. Octobris cum cæteris scripturis, quas ad Nos misistis; per quas vos purgatis, quod aliis nostris literis de nova Episcopi postulatione, vel electione facienda non obtemperaveritis, causasque affertis, cur id facere e re vestra minime esse existimetis, ad Nosque ipsos provocatis, utque et rem ipsam, et causam diligenter consideremus, postulatis. Satisfecimus desiderio vestro, diligentissimeque omnia consideravimus, neque tamen possumus aut postulationem hactenus factam probare, aut in iis causis, quas affertis, videre, cur non debeatis continuo ab ea discedere. Sic autem considerate: neque vos adhuc vestræ dignitati consulere, neque vestræ Ecclesiæ bono inservire, neque optimis Christi Vicarii monitis, ipsius tantum Christi gloriæ causa factis obtemperare: nullam autem humanam cogitationem, neque ullam cujusvis Principis rationem, neque ullum periculum tanti esse deberet, ut vos a recto abducant. Deum vero ipsum, qui reprobat consilia talium Principum semper suis adesse, iisque in omni periculo præsto esse, qui si vobis propitius erit, quo alio auxilio indigebitis? si iratus, quo juvabimini? irascitur autem, quoties non omnes nostras cogitationes, atque actiones ad ejus gloriam dirigimus. Id an vos feceritis in postulando puero pene infante, domestica patris a Catholica Religione aversi magistrorumque Lutheranorum disciplina corrupto, ipsi scitis, neque ut homini, sic Deo, cui patent intimæ animorum cogitationes, verba dare potestis. Existimatis isto puero fovendo vos vestræ Ecclesiæ bonis consulere, veremur ne permittat Deus, ut ab ipso patre per causam rerum filii administrationis citius diripiantur; neque enim putamus, vos ignorare de rebus ab eodem patre Hildesemensi Ecclesiæ ablatis, hodieque etiam ab eo per injuriam possessis. Cæteris vestris excusationibus nihil opus esse singillatim respondere; nihil enim firmamenti habent, ac ne coloris quidem. Melius igitur vobis, vestræque Ecclesiæ consuletis, si vos Deo committetis, spemque omnem vestram in ejus ope constituetis, nihilque nisi de ejus honore et gloria cogitabitis, orabitisque ut quæ nunc forte minus perspicitis, aperiat luce sua: sic enim meliore consilio nostris paternis monitis obtemperare in animum inducetis. Quod si diutius recusabitis, nostrum ipsi munus atque auctoritatem agnoscemus, nec unquam Dei causæ deerimus. Idque cum faciemus, (faciemus autem summa necessitate coacti) vestra vos conscientia convincet, clamabitque recte Nos atque ut oportet facere. Interim Deum oramus, ut meliorem vobis mentem immittat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Nihilo tamen minus Halberstadenses Canonici animos desponderunt; sed Romæ denuo rem

Postulati per ipsius legatum apud Pontificem agunt: qui ad ultimæ indulgentiæ specimen iisdem spem facit, a se Henricum fortasse confirmatum iri, dummodu Romam veniat et talem se præbeat, qualem virum ad dignitates ecclesiasticas vocatum decet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 196. f. 135.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Alberstadiensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus vestras litteras datas VI. Octobris cum iis scripturis, quas ad Nos misistis, per quas vos purgatis, quod aliis nostris literis de nova postulatione, vel electione facienda non obtemperaveritis, petitisque ut causas eas, quas affertis, consideremus. Nos vero quoniam nihil aliud quærimus, nisi Dei gloriam, animarum salutem, et istius Ecclesiæ antiquissimæ et nobilissimæ incolumitatem, veramque libertatem, voluimus clementius vobiscum agere, neque tantum ea audire, quæ hactenus proposuistis, sed id etiam, quod jam decreveramus, eousque differre; dum possitis etiam afferre, si quid præterea habebitis. Concedemus autem vestris postulationibus, quoad poterimus, salva nostra dignitate et fide, quam debemus Deo, eam vero omnibus semper rebus anteponemus, nec dubitabimus, ubi eam periclitari intelligemus, vestras actiones rescindere. Interim autem scitis, Postulato obstare duo præcipue, ætatem atque educationem. Huic postremæ, quæ gravissima est, et Julius pater et vos ipsi hanc medelam obtulistis, ut Postulatus aut Romam, aut ad Universitatem aliquam Catholicam mitteretur, sicque pie sancteque in religione institueretur. Ut igitur nostram erga istam Ecclesiam charitatem agnoscatis, placet Nobis, ut Romam veniat, ut coram videamus, num possimus aliquam de eo spem concipere, inque ipsius disciplina, et moribus acquiescere. Videbimus eum libentissime, sicque tractabimus, ut nihil futurum sit, quod a Nobis desiderare possitis: sed volumus quamprimum certiores fieri, num venturus sit, quod etiam nostris verbis nunciabit vobis vester Canonicus, cui has literas damus. Si venerit, statim constituemus pro nostra summa istius Ecclesiæ cura aliquem ex vestro Capitulo, quem maxime idoneum esse intelligemus, eumque cum Episcopali dignitate præficiemus, ut interim Postulatu absente provideat ea, quibus Ecclesiam istam jamdiu indigere cognovimus. Vestrum erit, nostra erga vos benignitate perspecta, eo citius Postulatum mittere, quo magis de vestris commodis et salute laboramus. Quod si vos vestro officio et muneri defueritis, Nos certe nostro non deerimus, neque committemus, ut negligentes videamur in ea, quam imposuit Nobis Deus, Ecclesiarum omnium solicitudine. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXII. — Dolorem, quo Gregorius affectus fuerat ex utraque illa postulatione, electio Olomucensis Præsulis ita lenivit, ut mirifice ejus animum exhilaraverit. Electus enim fuit, consentientibus omnium suffragiis, Joannes quidam ex Collegii Germanici in Urbe alumnis, quem Capitulum hujus Ecclesiæ hoc virtutum ejus elogio commendat. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 13.

Beatissimo Patri Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ ejus nominis XIII. Sacræ Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater, post beatorum pedum oscula, et debitæ obedientiæ oblationem ac nostrarum orationum commendationem.

« Post multos in Ecclesia nostra dissensionum fluctus duarum electione præterito anno a nobis facta, jam a Rmo Dño S. V. Nuncio cassata et abolita, læta nobis Dei benignitate refulsit pacis inter nos et concordiæ dies, Reverendo Joanne Telocensi Theologiæ Doctore, Sanctitatis Vestræ alumno, quem in Decanum nobis dederat, Pastore a nobis communi consensu lætitiaque electo; de quo Deo primum, deinde S. V. humiliter gratias agimus. Misimus igitur ad Sanctitatis Vestræ Sedem, secundum canonum præscripta, Concanonicum nostrum Joannem Philoponum Dambrowski Theologiæ sacræ Doctorem, electione a nobis facta illico (cum res celeritatem postularet propter Reverendi Dñi Adami Landeck, a Rmi Sanctitatis V. Nuncii sententia, interpositam appellationem) et per eum electionis nostræ decretum transmisimus. Paucis vero interlapsis diebus alter e nostri medio Stanislaus Polovius, Præpositus Brunensis, cum aliis ad confirmationis gratiam necessariis est venturus. Supplicamus igitur Bmi V. primo, ut, præfati Adami Landeck appellatione repulsa et ulteriore lite dirempta, communem nostram concordiam pro sua in nostram Ecclesiam clementia conservare dignetur; deinde ut tanto ære alieno per tres præmortuos Episcopos gravatæ, Ecclesiæ nostræ miserta, si non totius annatæ condonationem, saltem miseriis nostris conformem reductionem elargiri dignetur. Ex memoriali autem nostro per antedictum confratrem nostrum Sanctitatis Vestræ Sedi offerendo, quot et quanta sint a tribus Episcopis debita Ecclesiæ nostræ relicta, apparebit. Pro hujusmodi S. V. in Ecclesiam nostram pietate et benignitate Deo Dño nostro continuas de ipsius conservatione preces offeremus. Et cum his nos nostramque Ecclesiam iterum humillime commendamus. Datum Olomucii XVI. Feb. anno MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi Sacellani

PRÆPOSITUS TOTUSQUE CAPITULUM ECCL. OLOMUCENSIS.

Electus etiam Pontificem per litteras adit ad suam confirmationem impetrandam; simulque petit, ut habita miserrimorum temporum ratione, ei, quæ ex more Datariæ Apostolicæ persolvenda sunt, indulgere benigne velit. [*]

[*] Germania Vol. 26. fol. 11.

Beatissimo Patri Domino, Domino Gregorio Divina Providentia ejus nominis Papæ Tredecimo, Domino Clementissimo.

« Beatissime Pater, post oscula pedum beatorum devotas orationes meas et humillima obsequia. Superioris anni mense Majo ex Collegio Germanico a Sanctitate Vestra in Moraviam patriam meam, ut Ecclesiæ Olomucensi tanquam Decanus beneficio S. V. factus, opem ferrem, missus, ea, quæ meum erga Religionem, Christi Domini sanguine fundatam, amorem, erga Sedem Apostolicam, quæ me in annis quatuor in sancta Urbe Roma, inter homines religiosissimos, Patres Societatis Jesu et Collegii Germanici alumnos, in studiis tum pietatis tum doctrinæ aluit, observantiam decent, feci: amor meus in fidem Catholicam, observantia erga Sedem Apostolicam, et charitas in patriam plura postulabat; sed facultas io tanta veteris et sanctæ doctrinæ perturbatione propter hæreticorum potentiam non permittebatur. At ne tantæ meæ erga Religionem Christi voluntati facultas deesse possit, divina factum est clementia. Nam cum in mentem meam Episcopalis dignitas oumquam venisset, Deo tamen sic volente, multorum votis, et postea unanimi consensu omnium, me etiam ad lachrimas repugnante et resistente, Episcopus Olomucensis Ecclesiæ sum electus, et multis spectantibus declaratus. Jam, Pater Sancte, restat, ut Sanctitas Vestra eum, quem in studiis Romæ in Collegio Germanico ad salutem Germaniæ aluit, et quem ad Ecclesiæ Olomucensis Decanatum misit, in Episcopali hac conditione confirmet et consecrandi potestatem impertiat: faciet clementia sua erga Ecclesiam Olomucensem rem dignissimam. Et quia calamitosissimus est status Ecclesiæ Olomucensis, et debita sunt multa, dignetur Sanctitas Vestra, mihi alumno suo gratiam in remittenda annata facere. Ego certe, Pater Sancte, pecunias nullas habeo, quia menses primo sunt 9, ex quo Roma ad mandatum Sanctitatis Vestræ discessi, Romæ quoque pecuniam non habui, quia liberalitate et clementia S. V. in Collegio Germanico vixi. Præstet, obsecro, Sanctitas Vestra gratiam ei, quem pauperem liberalitate sua ad salutem Germaniæ, ad præsidium et defensionem Religionis enutrivit, et sanctis disciplinis instrui curavit. Annum Jubilæum, Pater Sancte, Moravia nondum habuit, et Pragenses habere intellexit: videtur dolere, et quadam invidia sancta duci plebs noo depravata, ita ut Pragensibus fœlicitatem tantam invidere videatur. Dolere video, Pater Sancte, omnes bonos, quod tam salutari fructu privari debent, sed eos spes recreat maxima in clementia Sanctitatis Vestræ constituta. Intuere igitur, Pater Sancte, afflictam quidem malitia, deflentem tamen peccata sua Moraviam, filiam Religionis Sanctæ: nondum, Pater Sancte, tota est collapsa, reparari adhuc possunt diruti muri Ecclesiæ Dei in ea. Messis multa est, Dominus Deus modo operarios suos mittat, qui mœnia Ecclesiæ Sanctæ erigant, ut eos qui in opere sunt ab audacia hæreticorum defendant. Expectactioni bonorum, Pater Sancte, rogo supplex, clementia S.V. non dignetur deesse. His me et Ecclesiam Olomucensem patriamque meam Sanctitati Vestræ commendo, obedientiam filialem offero, et eam incolumem et sanam in annos quamplurimos a Deo Opt. Maximo exopto. Datæ Olomucii 15. Februarii Anno 1576.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Sacellaous
D.r Joannes Telocensis
Sanctitatis Vestræ Alumnus et Ecclesiæ Olomucensis Electus.

XXIII. — Pontifex libentissime morem gerit hujus Præsulis petitioni: eique susceptum munus gratulatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 810. f. 130.

Venerabili Fratri Joanni Episcopo Olomucensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Magnam Nobis voluptatem attulerunt tuæ litteræ, quibus cognovimus, te Olomucensis Ecclesiæ Episcopum electum fuisse. Lætati autem sumus oon tam ipso munere, quam Divina vocatione. Quid enim est, quod magnopere lætandum sit in eo munere, quod non sine reprehensione expetitur, quod magno cum timore a bonis viris ultro etiam oblatum accipitur, quod non sine summo labore et periculo administratur? Ubi autem non fuit expetitum, ubi etiam cum contentione a principio repudiatum, ubi tandem optima Deo inserviendi, omniaque ad ejus gloriam, Christique ovium salutem dirigendi voluntate susceptum, est sane quod lætemur: sic enim sperare debemus, eundem Deum, qui auctor fuit Episcopatus deferendi, optimaque voluntate suscipiendi, fore etiam adjutorem administrandi. Quoniam igitur hæc omnia in tua electione accidisse, ex tuis literis cognovimus, vehementer lætati sumus, speramusque præclare te Divina gratia adjutum, nostræ et bonorum omnium expectationi speique de tua in hac urbe, inque Collegio nostro Germanico educatione conceptæ responsurum; cujus quidem educationis cogitationem permultum ad electionem valuisse intelligimus: in primis vero adversus capitalissimorum Christi hostium hæreticorum fraudes et machinas vigilaturum, gregemque tuum ab omni illa labe purum atque integrum conservaturum: ac si qui

eo veneno correpti jam sint, eos omni conatu ad sanitatem revocaturum. Qua etiam spe confirmavimus electionem tuam, annatasque, ut postulas, universas condonavimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Maji MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eosdem gratulationis lætitiæque sensus Capitulo Olomucensi de optimo pastore electo significat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 239. f. 157.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Olomucensis

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimum Nobis fuit vestrum judicium et factum in Joanne Episcopo eligendo, idque vehementer probavimus. Sic enim persuasum habemus, nihil aliud spectasse vos, nisi Dei gloriam Ecclesiæque istius et Christi gregis utilitatem, neque aliud laborasse, nisi ut optimum pastorem haberetis, cujus prudentia et vigilantia utrique causæ prospiceretur. Id autem vos in Joanne consecutos esse speramus propter ejus probitatem et integritatem: neque deerit ei auxilium Dei, cujus causæ inservistis. Itaque et vestram electionem confirmavimus, et, quod postulabatis de annatis, libenter fecimus; universas enim condonavimus. Vestrum nunc erit eum, quem vobis præesse voluistis, quemque dignum Episcopatu judicastis, omni pietate atque obedientia prosequi, onusque id, quod ei imposuistis, gravissimum vestra quoque prudentia atque opera quibuscumque in rebus poteritis allevare; id vos facturos esse confidimus. Cætera ex Philopono vestro cognoscetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Maji MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXIV. — Commoda quoque Episcopatuum temporalia Gregorius ingenti solertia magnaque cura complexus est. Cum itaque Luduvicus Cardinalis Madrutius, Episcopus Tridentinus, temporali regimine suæ diœcesis (Antistes enim hujus sedis in S. R. I. Principes, qui sub Cæsaris tutela dominio ita dicto temporali utuntur, recensebatur,) potiri non posset, quod pactia quibusdam in diplomate investituræ expressis et veteri consuetudine sancitis, quæ ecclesiasticæ adversarentur immunitati, subscribere recusaverit, Pontifex auctoritatem et commendationem suam apud Cæsarem adhibuit, ut Madrutio suo jure uti liceret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 168. f. 118.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibiliter cupimus negocium dilecti filii nostri Cardinalis Madrucii, ac potius Ecclesiæ Tridentinæ quamprimum expediri, idque tum ipsius Cardinalis, tum vero Ecclesiæ illius causa: sic enim Majestatem Tuam credere volumus, nihil Nobis magis cordi esse; hoc igitur ita a Tua Majestate, cujus in manu res est, contendimus, ut nihil majore studio contendere possimus. Novimus pietatem tuam, summamque Nobis gratificandi voluntatem, eamque multis in rebus perspeximus: hæc autem quo magis Nobis cordi est, eo erit Nobis tua in ea opera gratior. Iterum igitur commendamus hoc negocium Majestati Tuæ, postulamusque, ut illud, quam celerrime fieri poterit, explices. Longiores non sumus, quia satis esse certo scimus nostrum summum desiderium Tuæ Majestati indicasse, tuam autem operam ad recta atque honesta omnia paratissimam esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri Anno quarto.

XXV. — Ferdinando etiam Archiduci Austriæ ac Tyrolis Comiti, cujus sub ditione Tridentum erat, Gregorius significavit, se valde cupere, ut ea in re Cardinali Madrutio gratificaretur. Cui Ferdinandus longioribus literis pietatis, amoris, atque obsequii significatione plenissimis totius rei rationem plane exposuit, et quantum in se esset, gratificari se velle ostendit. In ipsa autem rei expositione declarat, non posse Cardinalem in possessionem immitti jurium temporalium ad Tridentinam Ecclesiam spectantium, nisi antea vel amice prorsus vel juridice omnis controversia tollatur de his articulis, qui in conventionibus continentur: nisi enim easdem conventiones ratas et firmas dato etiam juramento habere velit, non potest vi ipsarum conventionum illam temporalium jurium possessionem adipisci. (*)

(*) Germania Vol. 28 fol. 76.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Clementissime.

« Post humillimam mei commendationem, et pedum oscula beatorum. Abunde satis intellexi, ac reipsa manifeste comperi, quam benigne Sanctitas Vestra pro eximia illa sua solita erga me, meumque filium naturalem et legitimum, natu majorem, Illustrissimum Dominum Andream ab Austria, paterna pietate atque clementia, in sacrosanctum illud Cardinalium Collegium, ob meam nimirum gratiam, cooptaverit, ac in amplissimum Christianæ Reipublicæ dignitatis gradum asciverit. Quamobrem Sanctitati Vestræ ego meritas et humillimas ago gratias, et quas possum maximas, relaturus alias promptissime quandocumque sese obtulerit occasio, offerensque erga Sanctitatem Vestram beatamque Sedem illam Apostolicam, ac ejusdem attinentes, tamdiu spirabit vitæ meæ aura, uti Principem Catholicum, et sacrosanctæ Romanæ

Ecclesiæ filium obedientem decet, studium et animi gratitudinem indefessam et perpetuam.

« Cæterum, cum a pluribus mihi exponatur, Sanctitatem Vestram sane multum desiderare, ut sequestrationem illam temporalitatis Episcopatus Tridentini relaxare, et Illustrissimo Domino Cardinali Ludovico Madrucio, prædictæ temporalitatis possessionem tradere, et postea exortam controversiam legitimo juris tramite dirimendam permittere velim. Super hisce Sanctitas Vestra mihi potest libere credere, atque indubitate confidere, quod ego certe id omne, quod in hac causa, absque gravissimo et irrecuperabili Austriacæ Domus, mearumque Provinciarum, ac fidelium subditorum meorum præjudicio ac damno, unquam fieri posset, in Sanctitatis Vestræ honorem ac complacentiam, perquam prompte et summa animi alacritate facerem. Quoniam vero prælibati Episcopatus Tridenti temporalitas, nuperrime quondam pie in Deo defunctæ Sacræ Romanorum Cæsareæ Majestati Domino ac fratri meo charissimo, fœlicissimæ memoriæ, ad ejusdem clementem requisitionem atque petitionem, a me cum expressis tamen quibusdam conditionibus, obedienter tradita sit, atque sua Cæsarea Majestas mox postea suos sequestratores Tridentum, præfatam temporalitatem tanquam sequestratam administrandam amandaverit atque constituerit, Sanctitas Vestra ipsamet, pro singulari sua prudentia, benigne colligere potest, hujusmodi Cæsarei sequestri relaxationem, in mea potestate amplius non esse. Et quamvis eadem sequestratio, per modernam Sacram Rom. Cæsaream Majestatem relaxaretur, veteres tamen et antiquæ, de unoquolibet regnante Principe et Comite Tyrolensi, et Episcopo Tridenti ad alterum, continuata serie, conventiones, confœderationes, obligationes, lauda et transactiones in scriptis erectæ, clare exprimunt, nullum omnino Episcopum ad Episcopatus Tridentini possessionem in temporalibus debere admitti, nisi prius easdem conventiones, confœderationes, obligationes, lauda et transactiones erectas, ratas, gratas et firmas tenere atque servare solemniter juraverit, easque sui proprii sigilli appensione corroboraverit. Cum igitur prædicti Episcopatus possessionis traditio hujusmodi transactionem, et juramenti præstationem, nec non scripturarum erectionem, quæ omnia necessario præcedere debent, sequatur, Sanctitas Vestra iterum facile judicabit, nisi istæ capitulationes, articuli et puncta, super quibus jam controversia est, vel amice vel juridice prius determinentur, juramentum super his tanquam in certo subjecto a prædicto Dño Cardinali præstari, et consequenter possessio a me tradi non posse. Sed ego neutiquam adversabor, quo minus, ut ipse Dominus Cardinalis Madrucius personaliter in Episcopatu Tridentino sit et permaneat, atque in eo Episcopale suum munus (quoad spirituales functiones attinet) exerceat, atque ejusdem fructus et redditus, prout hactenus factum est, percipiat, quemadmodum ego ipsi antea quoque nunquam prohibui, vel aliqua in re impedimento fui, quo minus in sæpedicto Episcopatu Tridentino libere residere atque permanere queat, imo ipse Dominus Cardinalis, ex proprio suo motu, Episcopatum relinquens, alio se contulit. Ut vero Sanctitas Vestra porro et evidentissime perspicere possit, quod ego in omnibus his rebus, quas Sanctitati Vestræ gratas et acceptas esse cognoscerem, non libenter aliquid prætermittere, sed omni cum filiali observantia, promptissimo et hilari animo, obsequenter morem gerere cupiam; cum debita obedientia statui, in Sanctitatis Vestræ gratiam atque complacentiam, novæ illius inter me et præfatum Dominum Cardinalem Ludovicum, undecima die mensis Octobris, anno sexagesimo septimo proxime elapso, transactionis erectam, sigillatam, et manu propria dicti Domini Cardinalis subscriptam Notulam (ob quam quidem, eo quod ipse Dominus Cardinalis eandem firmam tenere noluerit, præcipua contentio inter nos exorta est) ad beatissimas Sanctitatis Vestræ manus, humillime transmittere, ut postea Sanctitas Vestra eandem (cujus respectu quidem, sæpenominato Domino Cardinali Madrucio, propterea quod ipse illam, dicto modo, ratam habere recusaverit, non exiguam ignominiæ notam inurere possem) ipsimet Cardinali ad cassandam et annullandam clementissime restituere queat; cum hac tamen conditione, ut in prædicta novæ transactionis erecta Notula inserti articuli, qui quoque in veteribus, ac postea continuato ordine inter Comitatum Tyrolensem atque Episcopatum Tridentinum, erectis transactionibus, laudis, obligationibus, et bullis Pontificiis comprehensi sunt, nec contra dictum Dominum Cardinalem esse possunt, imo Episcopatui ipsi, non parum conducunt, in sua vi et robore integre, ut æquum est, permaneant et firmiter teneantur. Quantum autem ad ulteriorem inter me et prælibatum Dominum Cardinalem Madrucium amicabilis compositionis tractationem pertinet, ego me antea erga Sanctitatis Vestræ a latere Legatum Illustrissimum Dominum Cardinalem Moronum, tam in scriptis, quam oretenus aperte declaravi, mea sane nihil interesse, sic etiam me ipsi Domino Cardinali Madrucio hanc liberam optionem dare, an quatuordecim articuli illi, quos ipse Dominus Cardinalis adhuc pro indiscussis et controversis habet, sive per Rom. Cæsaream Majestatem, sive vigore transactionum et obligationum inter Comitatum Tyrolensem et Episcopatum Tridentinum erectarum, per non suspectum arbitrum ejusque assessores ju-

ridice, vel etiam amicabiliter termineutur, ita ut absque ulla ulteriori contradictione a nobis ambobus, quicquid decisum fuerit, statim acceptetur. Et quam primum hujusmodi controvertentes articuli, vel per amicabilis compositionis laudum, vel per juridicam viam decisi, atque ab ipso Domino Cardinali debitæ executioni realiter et cum effectu demandati fuerint, tunc a me vigore ejusmodi juridicæ decisionis, laudi, vel arbitramenti, supradicti Episcopatus Tridentini temporalitas, quemadmodum per laudabiles quondam prædecessores meos etiam antea factum est, quam subito et absque ulla dilatione tradetur. Insuper ipse Dominus Cardinalis Madrucius debet quoque omnia mea erga se benevolentiæ atque gratificandi studia a me confidenter expectare, quemadmodum et ego vicissim hoc ipsum per dictum Dominum Cardinalem fieri debere plane mihi polliceor.

« Ex quibus quidem hactenus per me deductis Sanctitas Vestra haud difficile animadvertere poterit, in dicti Domini Cardinalis manibus et potestate situm esse, si modo ea mente ac animo est, ut se tandem ex hac tam diuturna atque molesta controversia extricare, et mihi et sibi negocii finem atque quietem quærere, nec non Episcopatui suo a majoribus damnis et detrimentis cavere cupiat, ut hujusmodi controversia uno prædictorum modorum quam celerrime determinetur et finiatur, quamprimum statuere, et mentem suam hac in parte declarare. Deus Optimus Maximus mihi testis est, quod ego nihil magis in votis habeam, nisi cum omnibus bonis, in bona et adamata pace unanimique consensu vivere, atque prænominati Episcopatus res et fortunas, quantum in me virium est, provehere, incommodaque propellere, prout ego jamdudum in Episcopatus ipsammet utilitatem omnes inivi rationes, ut res ejusdem pristinæ tandem tranquillitati ac paci restituerentur. Quod si vero eæ voto meo hactenus non responderunt, sed subinde magis exasperatæ atque in longum protractæ sunt, certe mea culpa non est, quemadmodum ego inde nihil unquam emolumenti, vel ex Episcopatus ipsius fructibus et redditibus ne obulum quidem percepi, vel in meam propriam utilitatem converti. Nec etiam ego hujusce tam diuturnæ ac perquam molestæ litis culpam tantum in Cardinalem ipsum, quantum in alios a pace et tranquillitate publica penitus abhorrentes, quorum opera in hoc negotio hactenus ipse usus est, conjicere possum, quos quidem male animatos homines multo magis sua propria, quam ipsius Episcopatus commoda in hac causa hucusque quæsivisse constat. Cum e diverso ego, quantum ad meam personam spectat, in hujusmodi coram defuncta Cæsarea Majestate laudatissimæ memoriæ, tam amicabiliter, quam juridice agitato negotio, nihil prorsus studii, laboris atque diligentiæ intermiserim; sed potius ea semper remedia quæsiverim, quæ ad controversæ causæ amicabilem compositionem, vel ad juridicam ejusdem decisionem salubria et opportuna esse viderentur: quod quidem nihilominus, præsertim in singularem Sanctitatis Vestræ gratiam, et, ut clare testatum reddam, quanta sit erga eandem Sanctitatem Vestram filialis animi mei observantia, devotio atque respectus, in posterum obnixe facturus sum. Hæc quidem Sanctitati Vestræ ea, qua decet, humilitate hoc tempore exponenda duxi. Cui quidem me, quam devotissime commendo. Datæ in Civitate Oeniponte decima tertia die mensis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius
Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

XXVI. — Quod ad pietatem attinet, profecto nemini ea ætate Principum Ferdinandus cedebat. Huic argumento sunt amantissimæ litteræ, quibus Pontifici gratias agit, quod filium suum Andream majorem natu, decimo nono ætatis anno nondum exacto, in sacrum Cardinalium Collegium cooptaverit. [*]

[*] Germania Vol 18. fol. 84.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio decimo tertio Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Clementissime.

« Post humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Allatum est huc Breve Sanctitatis Vestræ de filio meo, in numerum Cardinalium electo. Quod quidem ut a me summa qua decuit reverentia fuit acceptum, sic meum et meorum animum incredibili quadam lætitia et gaudio perfudit. Cum enim filium sedato animo præditum, ac rebus divinis satis inclinatum ac propensum esse viderem; cumque ob eam causam rationibus suis optime consultum vellem, neque hoc tempore in Germaniam propter hæreticorum tempestates, illum conscientiæ periculo tuto ablegandum esse cognoscerem: invenit Sanctitatis Vestræ clementia viam, qua possit superis pariter et mortalibus gratus, suæ suorumque saluti prospicere. Si enim susceptum honorem, quemadmodum futurum esse confido, morum innocentia ac virtutibus vicissim cohonestabit, ac Beatitudinis Vestræ monitis et consiliis, omnibus in rebus satisfaciet, quid majus, aut inter homines præstantius sibi accidere poterat? Ille igitur merito quantus, quantus est, totom sese debet Sanctitatis Vestræ beneficentiæ. Ego vero tametsi mihi optime conscius sum, magna esse illa, quæ alias Sanctitas Vestra in me liberatissime contulit bene-

ficia, istud tamen quod nuper accidit, tanti facio, ut magnam mihi fœlicitatis partem accessisse putem, quod illam diem viderim, in quo filius meus tantæ Ecclesiasticæ dignitatis beneficio et honore fuerit insignitus. Itaque Sanctitati Vestræ maximas et amplissimas gratias ago. In reliquis vero, quæ a me præstari possunt, habeat Sanctitas Vestra illud vicissim perspectissimum, quæcunque in homanis a Deo Optimo Maximo mihi data et concessa sunt, ea ad Sanctitatis Vestræ et Sanctæ istius Sedis Apostolicæ servitia quovis tempore et loco paratissima fore; eidem Sanctitati Vestræ humillime me hisce commendans. Datæ Oeniponte die decima sexta mensis Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Sanctitatis Vestræ

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

Ferdinandus in votis habuit Andream filium Romam mittere, ut sub oculis Pontificis sacris litteris institueretur: id quod Gregorius valde probavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 162. fol. 113.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nostram paternam erga te et tuos charitatem perspectam esse Nobilitati Tuæ vehementer gaudemus, Nosque eam tuæ excellenti pietati debere profitemur. Gratissimum autem Nobis est ejus declarandæ facultatem vobis tribui in Andrea nato tuo, quem ad Nos missurum esse te scribis: in quem eo magis extabunt a Nobis omnia amoris indicia, quo nemo, neque tibi conjunctior esse potest, neque Nobis gratior, neque ipsa missionis causa commendatior: quæ quidem causa præclare respondet insigni Religioni, et virtuti tuæ: ut enim nihil potest esse parenti ad vitæ fructum præstantius, sic nihil ad laudem præclarius, nihil ad præmiorum immortalitatem a Deo Optimo Maximo consequendam magnificentius, quam curare, ut liberi optimis disciplinis et moribus instituantur, in primis vero illis, quos Divina præscribit lex: quæ quidem cura cum omnibus parentibus communis esse debet, tum vero mirum est, quantam tum dignitatem, tum fructum afferat Ecclesiæ Dei in natis magnorum nobilissimorumque Principum. Ad hanc vero curam nati pie, sancteque instituendi gaudemus Nobilitatem Tuam delegisse dilectum filium Franciscum Sporenum: sic enim speramus, illum tuo nostroque judicio præclare responsurum. Quod postulas, ut eum Episcopum titularem creare velimus, non libentissime Nos quidem tales Episcopos creamus; sed tamen tuæ postulationi cedere volumus, modo, ut polliceris, sit, unde possit commode congruenterque Episcopali dignitati vivere, liberabimusque eum, ut postulas, ea, quam ei dederamus, Germanicæ visitationis cura; ac si quid præterea erit, in quo Tuæ Nobilitati gratificari possimus, invenies Nos paratissimos. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Febr. MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXVII. — Eumdem Ferdinandum vehementer rogat Pontifex, ut pro sua pietate et zelo velit illico Colmaria in Alsatia ejicere concionatores hæreticos, ut Colmarienses, et finitimi populi a gravissimo periculo liberentur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 165. fol. 116.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Egimus superioribus diebus cum charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, ut vellet Colmaria ejicere concionatores hæreticos: sic enim acceperamus, eos non ita pridem eo receptos fuisse, vehementerque gentem illam corrupisse, atque a Christo ad Sathanam abduxisse, conari etiam eodem Sathanæ instinctu vicinas regiones pervertere. Respondit ille, se id quidem percupere; sed quoniam is locus in tua ditione esset, velle ad te perscribere. Rogamus Nobilitatem Tuam per illum ipsum sanguinem, quo Dominus noster Jesus Christus fundavit Ecclesiam, et Catholicam fidem suam, perque animarum salutem, quæ tantopere ei cordi est, ut, si opus esset, libentissime ad nos rediret, iterumque eandem mortem appeteret, et si fieri posset, etiam acerbiorem, ut concionatores illos illinc ejicias, Catholicosque, quales antea erant, reduces. Illud etiam magno cum dolore cognovimus, Colmarienses quosdam insolentissime interdixisse Capitulo, ne Catholicam scholam habeat, quam tamen semper hactenus habuit: hic nimirum est fructus hujus teterrimæ atque exitiosissimæ pestis, Catholicam doctrinam et veritatem, extra quam salus nulla esse potest, quoad possint, extinguere et sepelire. Rogamus etiam, ut huic malo provideas, et cures, ne ea schola impediatur, neve quid super ea re Capitulo molestiæ afferatur, utque in sua antiqua, et ab omnibus Patrum decretis confirmata libertate conservetur. Utrumque, ut vides Nobilitas Tua, gravissimum negocium est, tuaque præstanti pietate et zelo dignissimum; in quo et acceptissimum Deo facies, et tum Colmarienses ipsos, tum finitimos populos certissimo, præsentissimoque exitio liberabis. Non enim prima corporis mors, sed secunda et sempiterna animæ pertimescenda est, longissimeque ab omnibus Catholicis prohibenda, quam certe mortem afferunt hæretici. Iterum igitur rogamus Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut tam præsentem pestem amoveas, immortalemque hoc facto ab omnibus bonis gratiam, a Deo mercedem ineas. Datum Ro-

mæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxv. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Ita etiam Carolo, alteri Austriæ Archiduci Stiriæque Præfecto, enixe commendat Capitulum Aquilejense, quod in suis bonis administrandis tributo quodam imposito a Goritiensi Magistratu vexabatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 188. f. 131.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Tam perspecta Nobis est probitas, et pietas tua, ut si quid a tuis Magistratibus, vel Ministris minus recte fiat, id insciente te fieri non dubitemus: neque enim aliter fieret. Quod autem fieri nunc accepimus, tale est, Magistratus Goritiæ, quem Convocationem appellant, nonnullos abhinc annos cogit Clerum Ecclesiæ Aquilejensis ex iis bonis, quæ in illo Goritiæ Comitatu possidet, solvere nonnulla sive tributa, sive decimas, sive quæ alio vocabulo appellantur: ex quibus etiam dicitur aut nihil omnino, aut parum admodum ad Nobilitatem Tuam pervenisse. Fructus autem illos etiam distributionum quotidianarum nomine Clero destinatos esse. Superiorum etiam Pontificum literis et decretis cautum esse, distributiones quotidianas non posse decimarum nomine attingi. Illud certum est, fructus hujusmodi Divini cultus causa deberi, eique tantum cultui servientibus persolvi; iis vero aut ademptis, aut imminutis periculum esse, ne Divinus quoque cultus aut omnino deseratur, aut negligentius exerceatur: si quidem Apostolus ait, æquum esse, ut qui serviunt altari, vivant de altari. Hortamur igitur Nobilitatem Tuam pro eo, quantum scimus, cultum hunc tibi cordi esse: scimus autem quam maxime esse, ut huic rei provideas, nec quidquam secus a tuis fieri sinas, quam jus et æquitas postulet. Satis habemus, rem Tuæ Nobilitati indicasse, longiores in hortando esse non debemus, quia nihil Tuæ Nobilitati commendatius Dei honore et cultu esse intelligimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxi. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXVIII. — Quod autem Goritienses Caroli administri id, inscio optimo Principe, facere ausi fuerint, affirmandum esse videtur. Constat enim Principem nullam unquam rerum Ecclesiæ juvandarum occasionem prætermisisse. Atque id colligi etiam potest ex literis, quibus Sanctimoniales Aquilejenses Ord. S. Benedicti, vel ab vetustissimo tempore immediate Sanctæ Sedi subjectas, quas tamen Patriarcha Aquilejensis, violatis Romanorum Pontificum decretis, suæ subjicere jurisdictioni conabatur, penes Gregorium quam commendatissimas esse voluit. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 61.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Dño Gregorio XIII. S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Colendissime.

« Salutem perpetuam Sanctitati Vestræ ex corde precor, cum humili obsequiorum meorum commendatione. Exposuerunt mihi devotæ Moniales Divæ Mariæ Ordinis S. Benedicti extra muros Aquilejensis Civitatis per supplicem earum libellum hic una inclusum, quod licet ipsæ et præfatum Monasterium earum cum omnibus terris, possessionibus et bonis a fundatione ipsius Monasterii citra, et tanto tempore cujus initium hominum memoria non existit, fuerint Sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjectæ et penitus exemptæ ab omni jurisdictione, dominio, superioritate, visitatione et correctione Reverendissimi Patriarchæ Aquilejensis pro tempore existentis, et ejus Vicariorum, ut per diversas literas a pluribus Summis Pontificibus illis et Monasterio earum concessas, et confirmatas latissime constat. Et quamvis alias Sanctissimus Pontifex Clemens ejus nominis VII. felicissimæ recordationis, eas sibi immediate subjectas per literas quasdam subjecerit Reverendissimo Domino Marino Cardinali Grimanno tunc Patriarchæ Aquilejensi, et ita forsitan requirenti, et literas easdem postea cassaverit et annullaverit, ipsas Moniales et Monasterium in pristinum statum, prout erant, exemptionis restituendo et plenarie reintegrando, et hoc intuitu literarum et commendationis Imperatoris Ferdinandi Patris mei quondam charissimi, atque vigore dictæ revocationis et plenariæ reintegrationis fuerint in possessione, vel quasi ejusmodi exemptionis: nihilominus modo Reverendissimus Patriarcha modernus mediante Vicario suo eas sibi omnino subjicere tentet, diversimodeque molestet, contra immunitates et Apostolicas exemptiones prædictas, nec non consuetudines et privilegia earum, dum enim nuper de more Abbatissa ob alterius mortem electa fuisset, et bullæ superinde Apostolicæ obtentæ, illæ per Procuratores ipsius Reverendissimi Patriarchæ in urbe sequestratæ esse dicuntur. Cum itaque Monasterium ipsum extra pertinentias Aquilejæ in territorio meo fundatum, et pluribus bonis, territoriis et jurisdictionibus temporalibus per Comites Goritiæ prædecessores meos dotatum et auctum sit, denique appellationes villarum ipsius in temporalibus ad agentes meos devolvantur, et modo non tantum de ipsius Monasterii particulari interesse, sed etiam meo agatur: nec justum sane sit, ut cum hactenus ab immemorabili tempore citra tantum Sedi Apostolicæ ipsæ Moniales subjectæ fuerint, in futurum ipsi Reverendissimo Patriarchæ, seu Vicario suo subjiciantur. Quare, Beatissime Pater,

cum hujusmodi subjectio sit valde præjudicialis et damnosa ipsi Monasterio pluribus rationibus et causis, maxime vero ratione bonorum et jurisdictionis ipsius Monasterii, quæ sunt contigua et fere mixta bonis et jurisdictioni Civitatis Aquilejensis, et subditorum præfati Reverendissimi Patriarchæ, cum quibus ipsæ Abbatissa et Moniales sæpissime lites habent, tam occasione jurisdictionis, quam etiam aliorum bonorum; unde non immerito ex hujusmodi urgentibus causis tamdiu a prædecessoribus Sanctitatis Vestræ sub protectione Apostolicæ Sedis conservatæ, et a superioritate ipsius Reverendissimi Patriarchæ exemptæ fuerunt, ipsæ oratrices devote et humiliter supplicant, ut Sanctitas Vestra dignetur et ipsa vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, præfatum Monasterium cum omnibus ejus membris, juribus, bonis et pertinentiis tueri sub protectione Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac bona, libertates, immunitates, jurisdictiones et exemptiones confirmare juxta seriem et tenorem privilegiorum jam dudum eidem Monasterio indultorum a pluribus prædecessoribus Sanctitatis Vestræ, idque liberum et immune a molestia et subjectione præfati Reverendissimi Patriarchæ paterne conservare; et ne forsan ipsæ Moniales debitam obedientiam omnino subtrahere videantur, ipsis in judicem et Protectorem deputare Reverendissimum Episcopum Tergestinum, vel alium in ditione mea Prælatum, juxta laudabilem consuetudinem hactenus ab antiquo observatam et arbitrium Sanctitatis Vestræ. Factura in hoc rem mihi longe gratissimam, et pro bono pacis valde expedientem, erga eandem filiali observantia perpetuo recognoscendam, quam Deus Optimus Maximus ad multos annos incolumem ac florentem conservet. Datæ Labaci octavo die Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ
Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

XXIX. — Ingens enimvero tunc pietatis exemplum Carolus edidit, cum Græcii, in urbe Provinciæ suæ primaria, Seminarium, ubi in spem sacerdotii juvenes alerentur, instituere aggressus est. Qua de re Pontificem rogavit, ut huic perficiendo operi adjumento esse vellet. Constituerat enim consilio Feliciani Ninguardæ ex PP. Prædicatorum Ordine, quem Gregorius Visitatorem Generalem hujus Ordinis per totam fere Germaniam, Austriam inquam, Bohemiam ac Moraviam non ita pridem constituerat, redditus cujusdam monasterii sacrarum Virginum Ord. S. Dominici eidem Seminario addicere. (*)

(*) Germania Vol. 28. fol. 34.

Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Colendissime.

« Post officiosissimam meam commendationem, filialis observantiæ perpetuum incrementum. Anno superiori explicavi Sanctitati Vestræ pium affectum animi mei erga Religionem, quam multis jacturis incommodisque subjectam facile cernebam, propter summam penuriam Sacerdotum, qui in officio essent, et veræ pietatis igne arderent. Nam cum ad retinendam avitam catholicamque fidem, ad veteres solidasque christiani cultus cæremonias revocandas, et ad charitatem divinam, quæ jam in humanis cordibus refrixit, excitandam, ac veluti ex silice eliciendam, nihil mihi accomodatius videretur, quam si Seminaria ubique locorum Christiani orbis erigerentur a sacrosancto Concilio Tridentino pie sancteque inventa et excogitata; decreveram in hac mea ditione Seminarium instituere, in quo honesti et bonæ spei adolescentes aliquot alerentur, qui doctrinæ morumque præceptis probe informati cum excreverint, atque ad rectam ætatem pervenerint, Ecclesias hujus meæ ditionis fulcire conservareque, et pedetentim communibus rebus orthodoxæ fidei pristinum sanguinem coloremque afferre, divina aspirante gratia, debeant. Itaque erexi Seminarium in hac mea metropolitana urbe, cum propter meam præsentiam, tum propter commoditatem Patrum Societatis Jesu, quorum curæ et diligentiæ ejus regimen commisi. Cum autem pio desiderio et conatui meo non levem cogitationem movissent sumptus annui Seminario destinandi, quod alios habeam quotidianos et propemodum infinitos, tum in variis multiplicibusque rebus perviendis, tum maxime in arcendo sævissimo molestissimoque hoste communi Turcarum Tyranno a finibus Christianorum, quibus ille perpetua ac formidolosa bella intentat, petii a Sanctitate Vestra, ut paterne concederet, quatenus Novum Monasterium Ordinis Prædicatorum in Valle Saunia ditionis meæ situm Seminario applicaretur. Quo per Sanctitatem Vestram benigne concesso, rebus diligenter postea inspectis, ac subductis calculis animadverti, exiguos redditus illius Monasterii parum sane auxilii et opis Seminario allaturos. Quapropter causa hac cum meis et Patre Feliciano Ninguarda Ordinis Prædicatorum, quem Sanctitas Vestra Commissarium quorundam Monasteriorum ad has partes miserat, quemque propterea huc ex Austria et Moravia accersivi, atque ad hoc tempus usque expectavi, communicata ac mature consultata, rationem Seminario prospicendi commodiorem inivi, quam S. V. nunc exponam, ut S. V. pro sapientia ac benignitate sua concedat, quatenus hoc pium et christianum opus ad Dei gloriam, Ecclesiæ Catholicæ incrementum, multarumque animarum salutem promoveatur.

« In primis cum sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 25. Cap. 5. mandet, quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, et aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita, ut Sanctimoniales ex eis ad nova vel antiqua Monasteria intra urbes vel oppida frequentia reducantur, et in ditione mea Monasterium Sanctimonialium Ordinis Sancti Dominici Studeniz vocatum, sub Diœcesi Aquilejensi situm, sit in angulo quodam ad radices montium extra hominum frequentiam, in quo elapsis annis cum multa inhoneste admissa fuissent, ac Sanctimoniales, quæ ibi erant, partim fugissent, partimque ab officio recessissent neglecta professione, coactus fui alias Sanctimoniales hinc eo destinare, quæ etsi laudabiliter ac religiose vivant, cœlum tamen insalubre aëremque noxium habent, et successu temporis eadem pericula pertimescenda erunt, propter libertatem hominum, quæ non ita contineri potest et coerceri, quam ubi religio floret. Proinde sacrosancti Concilii Tridentini decreto satisfiet, honori publico, Ecclesiæ Catholicæ, Sanctimonialium valetudini ac professioni consuletur, et Seminario absque ullo incommodo providebitur, si illud Monasterium supprimatur, et redditus annui cum omnibus bonis ac gravaminibus ad Seminarium hoc applicentur, Sanctimonialibus huc ad Monasterium suum revocatis, ita tamen ut Sacerdotem Seminarium ibidem alat, qui cultum divinum curet. Quod sine injuria et incommodo ullo fiet, quandoquidem Sanctimoniales illæ hujus Monasterii sunt, excepta una, quæ nuper ibi habitum suscepit. Quoniam vero informatus sum a Patre Feliciano, in oppido Fulnensi prope Viennam Austriæ esse Monasterium Sanctimonialium ejusdem ordinis clausum ac bene reformatum, in quo Sanctimoniales omnes defunctæ sint, duabus exceptis, quarum una semper valetudinaria, altera seniori ætate est, quæ postulaverint ab ipso eum Monasterium visitavit, ut ex aliquo Monasterio aliquot Sanctimoniales eis mitteret, quatenus et cultui divino satisfiat, et in morte ipsarum Monasterium non deseratur, aliquæ ex illis eo loci mitti, et cæteræ hic retineri poterunt.

« Deinde, cum redditus annui illius Monasterii satis non sint alendo Seminario, maxime etiam quod sustentandus est ibi Sacerdos, qui divina celebret, et Œconomus, qui bonorum curam habeat, in mentem quoque venit esse in hac mea ditione multa beneficia simplicia, quorum ego majori ex parte collator sum, et aliqua fuere a diversis secularibus usurpata, quæ male ac negligenter tractari, et in usurpatis quidem sacrum nunquam, in aliis vero, quæ ego confero, vix diebus dedicationis ac patrocinii non sine meo dolore fieri audio, proinde animus mihi esset, illa inspicere, et aliqua ad Seminarium una cum supradicto Monasterio, nec non alio quodam consimili, si necessitas postulaverit, et præfati redditus non sufficiant, ita applicare, ut in posterum divinus cultus in eis, aliisque diligentius servetur ac retineatur.

« Quia vero ditio mea partim est sub Diœcesi Aquilejensi, partim etiam sub Salisburgensi, sub qua est quoque hæc civitas mea metropolitana, oratam velim Sanctitatem Vestram, ut mandare dignetur uni ex Prælatis Diœcesis Aquilejensis, utpote Episcopo Tergestino, vel Labacensi, et alteri ex prælatis Diœcesis Salisburgensis, veluti Episcopo Gurcensi, aut Seccoviensi, quatenus huic executioni interesse debeant nomine Sanctitatis Vestræ, quibuscum hæc omnia tractabo. Nam præter sumptus alendi Seminarii, sunt multæ quoque impensæ in ædificium ejusdem Seminarii faciendæ, et in fabricam collegii Patrum Societatis Jesu, quod nondum perfectum est. Super his omnibus a Sanctitate Vestra paternum et benignum expectans responsum: cui me iterum quam humillime commendo, quamque divina pietas universo gregi Christiano diu incolumem conservet. Datæ in Civitate mea Graz 12. die Martii anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

XXX. — Quo in Seminario condendo Carolus Ferdinandi fratris vestigiis egregie insistebat; hic enim, ut anno superiori retulimus eadem patrabat ingentis pietatis opera: quin etiam in religiosorum Ordinum commodum eadem Seminaria per suam ditionem instituere sibi proposuerat, præsertim Friburgi in Brisgovia. Quapropter Gregorius, tanti Principis consilio laudato, ei animum facit, ut quam primum, quæ pie cogitaverat, perficiat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 147. f. 102.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Vidimus decretum Nobilitatis Tuæ de Monachorum Seminario in Monasterio Sanctorum Omnium constituendo; quod quidem fuit Nobis gratissimum. Verum hoc nequaquam tantum esset, si homini solum gratum accideret: fuit autem acceptissimum Deo, Tuæque Nobilitati ad magnam apud bonos omnes laudem, apud ipsum vero Deum mercedem amplissimam. Providimus jam, ut hoc tam præclarum negotium perficiatur; tuæ vero virtutis erit, illud eadem, qua cœpisti, pietate prosequi, omnemque in eo auctoritatem atque operam adhibere; quæque ad id necessaria esse intelliges, ea ut per ministros tuos, qui Friburgi sunt,

quam diligentissime agantur, curare, majoraque in dies a Deo præmia promereri; tuisque populis, de quorum salute maxime laboramus, hoc singulare remedium comparare. Hæc summopere Tuæ Nobilitati cordi esse, tuamque in his operam præstantissimam futuram non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Gregorius igitur Seminarium hoc Friburgense singulis monasteriorum in hac provincia præsidibus quam maxime commendavit; eosque monuit, ut alumnos suos ad studia litterarum illuc mitterent, eosque Seminarii præfectis dicto audientes esse juberent. En litteras Abbati Salensi Ordinis S. Bernhardi datas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV ep. 140. f. 100.

Dilecto Filio Abbati Salensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil est, quod majore studio atque diligentia agere debeamus, quam curare, ut sint in Ecclesia Dei homines optimis moribus, et syncera doctrina præditi; his enim fundamentis certum est Catholicam Ecclesiam sustineri: vitæ enim Clericorum præsertim exemplum, sive illa integra sit, sive depravata, maximum cæteris vel ad virtutes, vel ad vitia incitamentum est: doctrina vera ut a catholica veritate ducta salutaris est, sic ab ea destituta certissima est pestis animorum. Plurimum autem interesse constat, recte ne quis, an perperam instituatur, doceaturve a puero. Quæ quidem cogitatio efficit, ut curemus opera dilecti filii Ferdinandi Archiducis constitui Friburgi Collegium, præficique ei rectores, ac doctores tum vitæ innocentia, tum catholica doctrina præstantes, quorum opera juventus instituatur, alaturque ad duplicem illam laudem doctrinæ synceritatis, et vitæ ac morum sanctitatis. Quoniam vero scimus, te pro tua excellenti pietate solere utriusque rei causa adolescentes illos, qui volunt religiosam vitam colere, Friburgum mittere, compertumque habemus, non facile posse illos utrumque assequi in privatorum domibus sine diligentissimo rectore et custode, quo ætas illa magnopere indiget; hortamur quantum possumus, ut eos ad Collegium hoc mittas, utque hactenus fecisti, quæ ipsis opus esse intelliges, provideas, jubeasque, ut suis ibi præfectis obediant. Erit hoc Nobis gratissimum, adolescentibus ipsis fructuosissimum, Christi Ecclesiæ gloriosissimum, tuæque pietati ad sempiterna a Deo præmia promerenda amplissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXXI. — In eo etiam Ferdinandi merita extiterunt, cum illud omnium scientiarum athenæum in eadem Friburgensi urbe ab Alberto Archiduce Austriæ superiori sæculo conditum, sibi fovendum duxerit. Prætermittenda non sunt, quæ Bartholomæus a Portia de Principis studio in hoc scientiarum domicilio, deque ejusdem athenæi, eo tempore, conditione et statu refert. [*] Ferdinandus namque eumdem humanissimis litteris efflagitaverat, ut se Friburgum conferret, et totam rem cum Præsidibus et Professoribus Universitatis pertractaret. Consilium Principis erat, ut illa litterarum sedes ingens validumque Catholicæ fidei præsidium et columen fieret, quo multiplices, quæ in proximis Helvetiæ atque Germaniæ provinciis debacchabantur hæreses, sin minus exterminari, coerceri saltem et comprimi possent.

[*] Mantissa document. N. 44.

XXXII. — Quod negotium ex sententia tam religiosi Principis accidit: etenim hujus archigymnasii Præsides Nuntium lætissimo animo ac humanissimis plenisque officio verbis exceperunt, et libentissime sua omnia consilia, quæ in rem essent, ei aperuere. [*]

[*] Germania Vol. 39, fol. 584.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domino Bartholomæo ex Comitibus Purlitiarum, Protonotario et Nuntio Apostolico etc. Domino Nostro Obsequiose Colendo.

« Academiæ nostræ administrationem, Illustrissime ac Reverendissime Dñe, quam qualemque a majoribus nostris accepimus, hactenus fide diligentiaque debitis (quod vere testamur) curavimus auximusque: eademque adhuc forte esse contenti possemus, nisi horum temporum necessitates variæ, præsertim Catholicæ Religionis tum conservandæ, tum, quatenus gratia Dei adjuti valemus, ampliandæ, Academiam nostram, inter plurimas alias solam constitutam Catholicam, in re Theologica absolutiorem perfectioremque postularent et requirerent.

« Quando id vero nostra cura, diligentia, conatibus, labore satis præstari perficique nequit: atque Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra, jam inde ab initio sui in civitatem hanc Friburgensem adventus, præclare admodum erga nos nostramque Academiam benignitatis ac propensionis satis evidentia, cum privatim, tum publice ostenderit testimonia; possitque per eamdem nostris istis necessitatibus optatum præsidium perfacile afferri: confidentius, tum impedimenta absolutioris institutionis, in re præsertim Theologica, tum congruas ad removendum ea, quatenus collatis sententiis judicavimus, ferendas suppetias, eidem Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ jamjam et supplici prece exponimus: scilicet annua Professorum cum omnium, tum Theologorum stipendia tametsi præter Collegiorum sumptuosas structuras, tum restaurandas, tum conservandas, secundo et tertio, ultra veterum traditiones, secundum autem omnes facultates nostras pertennes aucta; nondum tamen cum aliarum Academiarum comparari stipendiis pos-

sunt: ideo viri Theologi, ab Ecclesiarum aliis et aliis Artistibus, partim melioribus stipendiis, partim officiis ac dignitatibus excitati, facilius hinc ad illos commigrant. Quam etiam ob causam nec Theologi alii ad nos se conferunt, neque sine rubore huc eos vocare audemus. Quod malum, quarundam Academiarum intuentes consuetudinem moremque vetustum, ita demum recte pelli, auxiliumque contra praestari posse judicavimus, si e singulis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis vicinorum Episcopatuum, Constantiensis, Basiliensis et Argentoratensis, ad quos e nostra Academia viri pastores ac presbyteri ut plurimum vocantur et exeunt, unius saltem Canonicalis praebendae annui proventus, ex corpore duntaxat, non autem quotidianis (quas vocant) praesentiis redundantes, ad Theologorum Professorum honestam sustentationem sponte hilariterque concederentur. Sunt autem Ecclesiae praecipuae hae in dioecesi Constantiensi, et primum in urbe eadem Ecclesia Cathedralis, Ecclesia Collegiata ad S. Stephanum, Ecclesia Collegiata ad S. Joannem; praeterea in oppido Ebingen ad Neccarum Ecclesia Collegiata, in oppido Waldkirch juxta Friburgum Ecclesia Collegiata, praeter alias multas.

« Deinde in dioecesi Basiliensi Ecclesia Cathedralis, quae hodie apud nos Friburgi satis tuto exulat. Ad haec in oppido Reinfelden Ecclesia Collegiata; in oppido Thann Ecclesia Collegiata; in Lautenbach Ecclesia Collegiata. Item Praepositura in Olenberg, sub ditione Archiducis Ferdinandi, quam satis optimam et Sedi Apostolicae immediate subjectam, ab annis hactenus multis, soli privati et exteri, etiam non residentes, non sine multorum scandalo, et fidelis earum partium populi admodum cum exiguo profectu occupaut. Posset et suam non mediocrem operam Reverendissimus in Christo Pater et Illustrissimus Princeps Abbas Morbacensis, sine majori ejus monasterii incommodo, nobis hac in re praestare.

« Tandem in dioecesi Argentoratensi, et ibidem in urbe Ecclesia Cathedralis, Ecclesia Collegiata S. Petri Junioris, Ecclesia Collegiata S. Petri Senioris, cum aliquibus aliis, tum in urbe, tum in dioecesi, quas ab Ordinario loci nominari rectius posse censemus.

« E quibus ergo Ecclesiis si, quod petimus, auctoritate in primis Sanctissimi Dñi nostri Gregorii Papae XIII., Reverendissimorum Episcoporum, et Serenissimi Archiducis Ferdinandi, Principis nostri benignissimi, intercedente, interpellanteque Illustrissima ac Reverendissima Dominatione Vestra, praestitum liberaliter nobis largitumque fuerit, omnino fideliter conabimur, ut non solum e scholis aut Parisiensi aut Lovaniensi unus, duo, pluresve Professores Theologi propediem huc ad nos vocentur; sed et ex dictis Episcopatibus melioris spei adolescentes, Theologici studii et status Ecclesiastici cupidi, liberaliter satis pro donationum istarum numero foveantur, quorum opera Theologicum studium in dies magis ac magis aurescat et promoveatur.

« Sed erga Illmam Reverendissimamque Dominationem Vestram quam obsequiose nos semper gratos exhibebimus et promptos, unice rogantes, ut, ad tanti momenti rem obtinendam, in extrema hac apud nos Catholicae Religionis necessitate gratiose faveat atque laboret. Deus autem Illustrissimam Reverendissimamque Dominationem Vestram, Ecclesiae suae commodis et nostri faventem, servet semper et custodiat.

Friborgi Brisgoviae, e nostro Academico Senatu, anno Salutis MDLXXVI. Tertio Nonas Martii.

Rmae Dominationis Vestrae

Reverenter dediti

Rector et Regentes Archigymnasii Friburgensis Brisgoviae.

Idem VI. Nonas Augusti alteris litteris praestiterunt [*] [*] Germania Vol. 12, fol. 511.

Reverendissimo Domino Domino Bartholomaeo ex Comitibus Purlitiarum, Protonotario et Nuntio Apostolico etc. Domino Nostro Reverenter Colendo.

Reverendissime Domine.

« Tametsi nulla nostra merita sint, quae gratiam ac favorem Reverendissimae Dominationis Tuae conciliare nobis digne queant, ut confidentia aliqua pro Academiae nostrae promovenda ampliandaque utilitate eidem supplicaremus, ex ea tamen humanitate, benevolentia, propensione ac studiis, quae a primo in urbem Friburgensem ingressu ad ultimum diem exitus, et interea saepe multumque Reverendissima Dominatio Tua erga nos nostrosque abundanter declaravit ac praestitit, spem meliorem concepimus, fore ut, pro ea, qua apud Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, tum apud Serenissimum Archiducem Austriae Ferdinandum, Principem nostrum clementissimum, auctoritate valet, quicquid publicae utilitatis ergo honeste peteremus, solito in nos favore ac benevolentia promoveret, atque impetrare juvaret.

« Enimvero Academiae nostrae res, tametsi nostrorum ab annis aliquot antecessorum, et nostra hactenus provida diligentia ac fidei administratione, cum primis suis collatae initiis plurimum auctae sint, attamen si cum aliarum Academiarum Germaniae, caeterarumque Nationum copiis ac facultatibus conferantur, vix aliquam earum partem aequare sufficiunt. Quo fit, ut nostri in qualibet Facultate Professores, melioribus stipendiis aliarum functionum excitati atque allecti, saepe locum mutent, nec ob id alii possint commode aliunde postulari.

« Huic itaque incommodo atque defectui ut commodis, supplementisque quibusdam solve-

niretur, spe memorata freti, mature deliberavimus, per Reverendissimam Dominationem T. apud Sanctissimum Dominum Nostrum Papam humiliter supplicare, ut aliqua in his partibus Ecclesiastica beneficia Academiæ eidem nostræ, absque ulla tamen Divini cultus imminutione, inscriberentur, adjungerentur, incorporarenturque, quandoquidem ex similibus beneficiis eadem Academia nostra, primum instituta, hactenus laudabiliter sit conservata.

« Primum itaque Præpositura quædam est, Selda nuncupata, itinere unius horæ extra Friburgum sita, ordinis Cluniacensis, diœcesis Constantiensis, quæ aliquandiu hactenus, propter locorum distantiam cæterasque horum temporum incommoditates, ab ejus ordinis patribus neglecta sit, et a variis utcunque libuit administrata, nunc vero a Reverendo Abbate et Conventu S. Petri in Nigra Sylva (absque aliqua speciali commissione Patrum dicti Ordinis, annuente ad hæc, aut saltem non reclamante Serenissimo Archiduce Principe nostro) obtineatur; fieri posse putavimus, et quod illi nulla commissione occupant, Academiæ nostræ a Sanctissimo Domino Nostro Papa legitime committeretur et incorporaretur. Unicus ibidem Sacerdos alitur, qui Ecclesiasticis officiis præest: residuum annui proventus exiguum quidem est, ob pleraque prædia ad Præposituram spectantia oppignorata, posset tamen Academici Senatus fide diligentiaque, progressu temporis, non nihil augeri, idque eum Divini cultus instauratione.

« Est deinde Præpositura alia, itinere sesquidici ab oppido Friburgensi, Mons Oliveti, vulgo Oelberg dicta, diœcesis Basiliensis, ipsaque satis dives. Hujus conferendæ jus occupat Serenissimus Archidux Ferdinandus, Princeps noster. Possidetur vero hodie a Reverendo ac Nobili Domino Sebastiano ab Herbsthaim, Canonico Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis, qui cum ea facile carere possit, nec ibi resideat, haud difficulter Academiæ nostræ, intercedente auctoritate ac mandatis Sanctissimi Domini Nostri Papæ et Serenissimi Principis nostri, ipso etiam Canonico adhuc vivente, tradi posset; aut saltem Sanctissimus Dominus Noster Papa cum Serenissimo Archiduce Principe nostro agere posset, ut, prædicto Canonico defuncto, sua Serenitas Præposituram eam Academiæ nostræ conferret, et incorporari faceret; præsertim eum ipsa, cultum divinum multo diligentius, quam cæteri Præpositi hactenus administrarunt, institueret observari, quemadmodum in pluribus aliis parrochiis sibi incorporatis, a multis hactenus annis, laudabiliter fieri providit.

« Hæc ergo, si a Sanctissimo Domino Nostro, interpellante pro nobis quam humillime Reverendissima Dominatione T., consecuti fuerimus, spondemus vicissim, præter humilitatis obedientiæque obsequia, omnem fidem, diligentiam, studium atque laborem Reverendissimæ Dominationis Tuæ gratificandi, cunctaque præstandi, quæ pietas, religio, æquitas, summorum etiam Magistratuum mandata jure requirent: nostram insuper Academiam, talibus, tantisque beneficiis auctam, modis omnibus illustrare, commendatioremque efficere omnino studebimus, Reverendissimam Dominationem Tuam nostri amantem faventemque paribus studiis ac devotissime commendantes, ut Deus et Pater Dominus Noster Jesus Christus ipsam, Ecclesiæ suæ commodis impendio invigilantem, diutissime incolumem servet semperque custodiat. Friburgi Brisgoviæ, e Senatu nostro Academico, anno supra sesquimillesimum septuagesimo sexto, postridie Calend. August

Rñæ Dominationi Tuæ

Reverenter dediti

Rector et Cæteri Regentes Archigymnasii Friburgensis Brisgoviæ.

XXXIII. — Inter cætera, quæ Nuntio reprehensione digna videbantur, illud erat præsertim, quod nec a Professoribus, neque ab alumnis sapientissima Romanorum Pontificum decreta de libris S. Sedis censura proscriptis haud ita, ut oportuisset, servarentur. Quapropter Gregorius cum Ferdinando amice conqueritur, atque rationem suggerit, qua tanto malo opportune esset medendum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 86 f. 101.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quantam afferant Ecclesiæ Dei perniciem hæreticorum libri, et res ipsa testatur, et Sanctorum Patrum, sacrorumque Conciliorum interdicta declarant. Nam, ut omittamus apertissimas impietates, nihil in illis est, quod quidem videatur habere speciem aliquam pietatis, quod sit vacuum veneno, fuitque hoc summum artificium diaboli, ut, cum vidisset dæmonum templa deserta esse atque apertos Christi hostes eversos, eos excitaret, qui Christianæ pietatis specie et nomine nihil aliud agerent, nisi Christum oppugnarent, fidemque Catholicam, quæ omnis salutis fundamentum est, everterent. Hanc pestem Friburgi nunc magnopere grassari propter summam in ea Civitate et Diœcesi licentiam hæreticorum libros habendi, legendique magno eum dolore accepimus. Itaque cogitavimus fore maxime salutare tres viros et pietate et doctrina præditos constitui, unumque ab Episcopo Constantiensi, alterum tua auctoritate et nomine a Consilio Entishaim, tertium ab Universitate Friburgi eligi, præficique Indici librorum prohibitorum in Synodo Diœcesana edito, ac deinde eorum librorum lectio-

nem et possessionem omnino prohiberi, atque uno tempore et Christi gloriæ et animarum saluti prospici. Rogamus igitur Nobilitatem T., ut in hanc curam omni studio incumbat, quod quidem pollicetur excellens pietas tua. Omnia planius ex venerabili fratre nostro et Legato Cardinali Morono cognoscet Nobilitas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Augusti MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

XXXIV. — Bartholomæus Portis eadem sedulitate Pontificis nomine Seminariis scholisque erigendis apud Germaniæ Episcopos et coram et per litteras operam navabat; atque in primis apud Spirensem, quem imo his litteris graviter de suo munere monet. [*]

[*] Germania Vol. 39. fol. 718.

Reverendissime Domine.

« Maxima me quidem molestia tuus afficit ingravescens morbus, cum ex eo cerni me videam spe destitutum illius collocutionis, quam utrique nostrum jucundissimam, et insigni huic Ecclesiæ fortasse non inutilem fore arbitrabar: quoniam vero id neque isthic ob ea, quæ prudentissime excogitata et examinata fuerunt, assequi potuimus, et nunc causæ permagni momenti deterrent, quo minus in hunc locum, quo me conferre amantissime suasisti, una conveniamus, nostraque omnia consilia interturbat iniqua ista et importuna valetudo, curabo, ut literæ illud ipsum ex parte præstent, quamvis nec inter limites mandatorum Summi Pontificis hoc positum sit, nec ejuscemodi facti exemplum mihi proponere queam, cum omnes Principes, quoscumque jussus sum adire, præsentem me audierint, nec unquam per literas, aut per interpretes agere coactus fuerim. Verum quoniam multa quidem suadent, ipsaque inprimis infirmitas tua monet, ut omnia brevi sermone complectar, officiosa insinuatione omissa ad rem ipsam deveniam.

« Primum igitur illud mihi fuit mandatum, ut Minoritarum Gaudentium Monasterii statum et conditiones diligenter perquirerem, illudque potissimum considerarem, an e re publica foret, atque Catholicæ religionis rationibus conduceret, ut illud secundum petitionem tuam Seminario adjudicaretur; viderem præterea, an tu quoque in eadem pia persisteres sententia. De primo ego jam satis etiam, antequam isthuc venirem, sum edoctus, rem ipsam et Cœnobii sortem probe teneo; alterum unde cognoscam, nisi a te, nusquam est, quem ejusdem Pontificis Optimi Maximi mandatis monitum et rogatum volo, ut omnino in hanc curam incumbas, et quocumque modo scholas istas cures instituendas, ubi liberi et in religione et in bonis literis erudiantur; nihil est enim quod magis conducat, nihil quod labefactam et ferme collapsam Ecclesiasticam disciplinam reficere et restituere possit. Id si in animum induxeris, tibique esse firmiter propositum Pontifici Maximo constiterit, patietur (ni fallor) ab ea se dimoveri sententia, in qua hucusque fuit, unamquamque nimirum Ecclesiam, prout a principio fundata fuit, sic in eadem constitutione esse conservandam, nec non et tuis optatis assentiet, cum primum illic sacram Academiam vere ponendam esse intellexerit; quod et civitatis et diœcesis status atque fortunæ (ne calamitosissima tempora, veritatem oppugnatam, ipsamque jam tot convalescentibus hæresibus et sectis oppressam libertatem nunc frustra recenseam) non desiderare solum, sed et postulare videntur.

« Altera mandati pars fuit, ut quæ causæ Landaviensis Ecclesiæ translationem suaderent, diligenter disquirerem, easque enucleate perpenderem, et tum demum quo in loco res esset ad Sanctitatem Suam perscriberem. Quamvis enim laudibus maximis sit efferendum illorum consilium, qui Ecclesias ex hæreticorum faucibus subducere student, eisque, quantum et hominum mores depravati et tempora patiuntur, prospicere, non tamen desunt viri, et illi quidem gravissimi et prudentissimi, qui optimum esse censent, sacras ædes et inter hæreticos relinqui, quæ illos tacite de avita et Catholica religione impie et imprudenter neglecta commonefaciant, quando nec id minimo adjumento fore sperandum est ad homines in eam, a qua turpiter abhorruerunt, viam redigendos. Quamobrem quid in hac causa expediat cum sit incertum adhuc, deliberatio per Summum Pontificem fuit in illud tempus rejecta, cum de ipsius templi statu, de translationis causis et rationibus perspecta et explorata singula cognoverit, quæ omnia sicuti præsenti colloquio mihi facile innotuissent, sic abs te danda est opera, ut scripto exquisite colligantur.

« Ad hæc mihi fuit etiam injunctum, ut te Pontificis nomine monerem, nihil esse, quod greges magis in officio contineat, quam pastorum sin minus assidua, saltem frequens, et quantum potest sedula visitatio, et accurata; ideo ne differres diœcesim tuam primo quoque tempore invisere, quæ solum non aperto ore hoc flagitat, cum communis trepidatio et metus vocem sibi compresserit, plagas tamen, ut potest, detegit, seque ab Anabaptistis pessimo hominum genere dilaniari, a sacerdotibus, qui contra constitutiones Patrum et Ecclesiasticam traditionem incestis nuptiis sese polluere non pertimescunt, discerpi et dilacerari, totam denique ex fœdi concubinatus licentia spurcissime inquinari, et contaminari se misere conqueritur, et ab hujusmodi sceleribus, flagitiis et turpitudine liberari et purgari a Pastore et Antistite suo postulat. Hæc omnia vitia et morbos ne dum irrepere, sed invaluisse jam in celeberrima ista diœ-

cesi non sine summo animi mœrore Pontifex Maximus audit, quam tamen ab iis facile expurgari et expiari posse censet, cum seditiosi, turbulenti et perniciosi homines, quorum jurgia et convicia bonorum aures sæpe feriunt, nihil magis vociferent, quam detestabilia isthæc facinora, execrandaque crimina tolerari nefas esse. Cætera quanta ex diligenti regionis lustratione bona oriunda sint, quæ ad verum Dei cultum et ad multos abusus tollendos spectant, non patitur pietas aut prudentia tua, ut multis verbis explicentur, cum nemini dubium sit, quin cum primum ad eam animum appuleris, et operam cumulate muneri tuo satis sis facturus.

« Quartum illud mandatorum caput est, quo declarari voluit Summus Pontifex, plurimis jam exemplis esse compertum, quanto sit ad Catholicæ religionis confirmationem et instaurationem auxilio Synodus Diœcesana, quæ tamen non perfunctorie (ut ita dicam) et ex consuetudine quadam celebretur, sed summo et studio et cura ineatur in ea ratio, quomodo errores et abusus, qui in regionis peragratione cogniti et deprehensi fuerunt, emendentur aut tollantur. In hoc Pontifex totum te esse cupit, cujus præcepta et monita si iis, quibus debes, officiis exceperis, Sanctitatem suam ita erga te benignam et amantem experieris, qualem erga omnes tui similes Antistites, et Principes pro vera Dei fide laborantes præstare se omni tempore consuevit.

« His cognitis, audi jam, quid mihi ultimo loco fuerit impositum. Intellexit Sanctissimus Pater, quod Weil, liberum oppidum in Ducatu Wirtembergensi positum, Nemetum autem Episcopo spiritualiter subjectum, multis adversariorum invitamentis, primum hortationibus et illecebris, deinde contumeliis, injuriis et comminationibus constanter adhuc restitit, integramque, et inviolatam Catholicam servavit religionem, servat, et servaturum speratur, dummodo ne quid ipsi desit ad propulsandas finitimorum hostium insidias, qui jam diu in ipsius internicionem inhiant, et exitium moliuntur; tutissimum vero et certum propugnaculum contra omnia tela, et machinas futurum creditur docti et probi concionatoris præsentia et opera, qui inimicorum fallacias patefaciat, fraudes et figmenta detegat, audaciamque retundat, nec cives deterreri, nec veritati fucum fieri permittat. Quamobrem de hoc etiam te commonefieri jussit Summus Pontifex, ut cum primum fieri possit, ad civitatem illam prudentem bonumque virum ableges, qui necessitates cognoscat, opes suppeditet, cives, quod constantes persliterint, collaudet, virtutem in perseverantia esse ostendat, ad illam adhortetur, eos nunquam divino subsidio destitutos fore declaret, humanaque omnia polliceatur subsidia; illud est enim diligentissime cavendum, ne qui propria virtute, et Dei Optimi Maximi ope adhuc sani sunt, injuria aut negligentia nostra contabescant nunc, et pereant. Videbis igitur pro pietate, et sapientia tua, ut sit illis concionator, qui, habita ratione rei, temporis et loci, partes illas sustinere ac tutari valeat.

« Omnibus his de rebus, quæ longiorem orationem desiderarent, nisi et imbecillitas tua et temporis angustia repugnaret, nec non et ipsa brevitas prudentiæ tuæ magis videretur tribuere, quid sentias, (perlectis codicillis, quibus omnem mihi fidem adhiberi jubet Summus Pontifex) quid cogites, quid tui consilii sit, ad me singillatim perscribere non gravaberis; iis enim perspectis videbo, quomodo et Sanctitati Suæ morem geram, et tibi, Ecclesiæque tuæ possim et debeam inservire.

« Scribenti hæc mihi, et jam finem orationi impositaro supervenit Petrus Michaël Jesuitarum Rector, qui licet me a principio exanimaverit, rediisse morbum nuntians, postea tamen non solum recreavit, sed omni etiam me lætitia perfudit illius commemoratio de præclara tua in Catholica religione retinenda constantia, et summa in conservanda Ecclesia prudentia. Difficultates et angustiæ quantæ sint non me latet, quo fit, ut animi tui propositum magis commendem, virtutem et ea, quæ mente et animo versas, admirer atque suspiciam. Si quid autem opis cogitationibus tuis a Pontifice Maximo afferri possit, quo facilius ad fœlicem et optatum exitum perducantur, ipsum Patronum et Patrem semper habebis optimum, et si mihi, quæcunque occurrunt, indicare volueris, quanquam intercessore non eges, mea tamen omnis observantia, fides et sedulitas in hoc tibi et in cæteris omnibus præsto erit. Valetudinem tamen cura diligenter.

Dabam Ratisbonæ die VII. Julii MDLXXVI.

XXXV. — Pontifex ipse in his sui muneris partes non exiguas consistere censuit: quamobrem eos ex Præsulibus, qui in hoc negotium qua oportebat vigilantia incumbebant, laudat, ac præ cæteris Bambergensem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 101. f. 113.

Venerabili Fratri Vito Episcopo Bambergensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Legimus literas Fraternitatis Tuæ, tuique Capituli datas pridie Nonas Decembris, Christianæ prudentiæ et charitatis plenas. Sic enim cognovimus, magnopere dolere vos summam in istis locis tum cæterarum rerum, tum vero Religionis Christianæque disciplinæ depravationem, vehementerque cupere syncerum ubique Dei cultum videre, idque, quantum quidem in vobis est, diligentissime istic curare, magistros Catholicos in scholis juventuti præficere, Seminario ex decreto Sacri Tridentini instituendo operam dare, vestramque in eo diligentiam brevi probatum iri. Quæ

quidem curatio, atque opera a Christi charitate profecta multo majorem habet repositam ab eodem Christo mercedem, quam ut humanam aliquam laudem expectet. Gratulamur igitur vestræ pietati, atque id, quod agitis, quam maxime agatis, inque rem Deo gratissimam, Ecclesiæ vestræ fructuosissimam, vobis ad mercedem amplissimam majore in dies cura et studio incumbatis, quantum possumus, hortamur. De Jesuitis Seminario præficiendis, et vestram optimam voluntatem, et quæ vos difficultates remorentur, ex eisdem vestris literis cognovimus: optavissemus Nos quidem magnopere eos præfici iisdem de causis, quas ex Elgardo audistis, verum si hoc tempore fieri non potest, ut scribitis, facite quod pollicemini, ut interea Catholicos atque optimos viros præficiatis. Hæc non tam ad cohortationem scribimus (nihil enim vos ea indigere persuasum habemus) quam ad nostrum summum desiderium: si quid autem erit, in quo vestram optimam voluntatem nostra auctoritate, atque opera adjuvari posse intelligetis, facite nos certiores; nihil enim libentius faciemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Febr. MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXXVI. — Ingenti vero lætitia prope exultans maximis fert laudibus, præ meritis quidem, Abbatem Fuldensem, quod in urbe sua Fuldensi Collegium Societatis Jesu et Convictorum Seminarium constituerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 232. f. 130

Dilecto Filio Abbati Fuldensi

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Semper amavimus excellentem charitatem, pietatem, Dei gloriæ atque animarum salutis studium et curam tuam, semperque pro ea summam tibi, et sempiternam felicitatem a Domino Deo nostro precati sumus. Nunc autem dici non potest, quantopere simus lætati isto tuo facto tam præclaro, tamque eidem Deo accepto in Jesuitarum Collegio, et tot convictorum Seminario constituendo, quantasque eo nomine Divinæ bonitati gratias egerimus: sic enim perspicimus sacrosanctæ Religioni mirifice consultum esse, provisumque, ne magna illius cum jactura et animarum pernicie liceat Sathanæ latius, diutiusque bacchari: erunt enim ad ejus furias comprimendas parati innocentia, doctrina, Sacramentorum usu, vitæ exemplo Servi Dei; quorum etiam opera et laboris merces magna ex parte ad te redibit. Itaque est, quod tua etiam causa gaudeamus, tibique gratulemur. Ut autem summam ex hoc facto lætitiam cepimus, sic pari desiderio cupimus, ut utrumque locum, quantum quidem ad te pertinebit, certis ac firmis fructibus munias, curesque, ut hoc, quod tanta tua cum laude, et Christi gloria, atque animarum ejus sanguine redemptarum bono institutum est, stabile perpetuumque sit. Utque hoc incredibiliter cupimus, sic nihil longius habemus, quam dum a tua pietate perfectum esse audiamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Maji MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XXXVII. — Maximum studium perpetuo exhibuit Abbas Fuldensis, ut fidei integritatem cum morum sanctitate tueretur. Sed inde vehementissimum odium excitatum est non solum Protestantium, sed ipsorum Monachorum, qui ægre ferebant collapsam regularium disciplinam restitui, nec non illorum Catholicorum, in quibus evangelica animi excelsitate, nihil periculi metuens, cum pravos mores, tum etiam nimiam, qua cum hæreticis utebantur, consuetudinem acriter insectari solitus fuerat. Itaque hi omnes, qui ab aliquot jam annis occultas insidias ei struere nunquam intermiserant, avide opportunum tempus expectabant, quo tamdiu optatam in eum ultionem sumerent. Sumendi autem occasio per summum nefas iis ultro se obtulit. Dum enim Abbas in quoddam ditionis suæ oppidum, cui nomen Hammelbergum, se conferret, ut ibi parochum constitueret, de improviso ex vassallis suis quidam nobiles magna militum manu stipati eum aggrediuntur, comprehensum in vincula conjiciunt: deinde expellunt ac sua ditione exuunt. Seditiosi illi homines unanimi consensu earum terrarum administrationem et jus deferunt Episcopo Herbipolensi, qui eo in loco erat, ubi magna illa tempestas contra Abbatem excitata erat. Verum Abbas ad Pontificem confugit, eumque precatur, ut se in ditionem quamprimum curet restituendum. [*]

[*] Germania Vol. 23. fol. 14.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Dño Dño Gregorio Papæ Decimo Tertio etc. Domino meo Clementissimo.

Post beatorum pedum oscula, humillimamque meorum obsequiorum oblationem.

« Beatissime Pater, in re longa brevis tamen esse cupio, et id me posse spero, cum vix dubitem, quin negotium, de quo scribo, Sanctitati Tuæ per Illustrissimum Dominum Cardinalem Moronum, ad Imperii comitia Legatum a latere, sit jam pridem significatum. Res autem ipsa talis sit, ut non solum Sanctitatem Tuam, (a qua mihi semper plus quam paterna omnia concessa) sed omnes omnino homines, qui jus, æquitatem et religionem sanctam Catholicam amant, maxime possit commovere. Habet autem se negotium hoc modo: diu meditato consilio, cum ego in oppido quodam ditionis meæ, cui Hammelburgo nomen est, ad reparandam collapsam ibi vehementius religionem morarer, eodem conglobati ex improviso infestis animis Capitulares et Nobiles mei Vassalli, magno equitatu pervadunt, et simul die uno post illos Herbipolensis Ecclesiæ Episcopus, quo licet hic, cum

id oppidum paucarum horarum itinere distet ab Herbipoli, aliquot septimanis ante a me fuisset invitatus, (quod jus antiquum constituendi in illo oppido parochum ipsius Ecclesiæ cuperem restituere, aliaque cum ipso conferre, quæ ad salutem animarum facerent) tempus tamen veniendi ita traxit, ut speciem quidem invitationis meæ retineret, causam autem occultam longe aliam haberet. Altero enim ab ipsius adventu die, cum mei illi inobedientes subditi, varias contra me ac falsas, iniquas, frivolas adferrent accusationes, ob quas me ab administratione rejicere, ipsum constituere se velle dicerent, sic totum hoc negotium idem Episcopus tractavit, ut ab ipso ac iis, qui cum eo erant, circumventus, a meorum, quos dixi, insano furore pressus, indignissima et sævissima quæque et audire et ferre me tum oportuerit. Quæ quamvis nec explicari satis nec dici possint, illud tamen inprimis egerunt: oppidanos ejus loci, meæ fidei commissos, adversus me incitant, armatos in custodias disponunt, iisque, ne usque elabendi occasio relinquatur, undiquaque me cingunt; familiares autem meos, quorum paucissimi erant, partim in vincula et carceres conjiciunt, partim suæ fidei mancipant, captos et obstrictos sibi retinent: in primis autem, ne quisquam esset, qui consilio me etiam minimo juvaret, (cum consiliariorum meorum neminem penes me haberem) Patrem quendam Societatis Jesu, cujus ego opera in concionibus et confessionibus utebar, hoc nomine tanquam mihi in aliis etiam consilium daret suspectum, omni sedulitate, vi, impetu, tota civitate ad arma convocata, ex domo mea maximo tumultu, clamore et ululatu traxerunt, circa noctem mediam in domum meam irruerunt, ante cubiculum ipsum armatorum manum constituerunt, id clamantes et dejerantes, nisi consentiam, ut administratio ditionis meæ Episcopo tradatur, non aliter se me ac canem rabidum interfecturos, tum Saxoniæ et Hessiæ Principes in meum gregem immissuros. Quibus ego cum dicerem causam non esse ullam, quam contra me habeant, paratum me, apud quos velint æquos aut æstimatores rationem meæ administrationis reddere: illi interim magis ac magis furere et tumultuari, adeo quidem, ut mihi unius mensis tempus ad deliberandum tandem petenti, et famæ, et vitæ, et Ecclesiæ meæ extremum exitium palam proponeretur. Itaque ut et me et mihi concreditos ab eo instanti et jam jam impendenti periculo atque malo liberarem, non quidem lubens, sed justo metu coactus probare debui, quæ Episcopus Herbipolensis una cum rebellibus subditis a me extorqueret, administrationem permittere Episcopo, subditos juramento solutos, ipsis etiam adversariis lachrymantibus, ipsi tradere, ad omnia oppida circumductum ubique, quæ gererentur, approbare, conceptis ac obtrusis mihi literarum formulis testor hanc meam esse liberam voluntatem, idque ad Cæs. Majestatem aliosque Principes subscribere. Contra ii aliquot aureorum milia quotannis mihi promiserunt. Quæ cum sic gesta essent, ego post Episcopi discessum cum vehementer ab iis, quos reliquerat, urgerer, ut, quemadmodum antea ad Cæsarem me coactum dixi, propositam formulam meis verbis etiam ad Sanctitatem Tuam destinatam subscriberem, qua rogabatur, eam cessionem uti Beatitudo Tua ratam haberet, Episcopum in administrationis munere confirmaret; hinc ego liberior aliquanto factus, in castrum quoddam Rm̄i Archiepiscopi Electoris Moguntini secessi, ut inde tutius ad Sanctitatem Tuam scribere, quæ essent opus, possem. Res igitur talis, Beatissime Pater, ut ejus prima lineamenta videar adumbrasse, reliqua hoc tempore non possim propter festinationem, cupio enim hasce quamprimum perferri, nec audeam propter meam erga Sedem Apostolicam reverentiam Sanctitatem Tuam pluribus gravare: et hoc ipsum satis esse puto, si Sanctitas Tua compositum dolum et immanem vim intelligat. Ego igitur pulsus ditione mea et loco, in quo a Deo et Sancta Apostolica Sede fueram constitutus, quamvis alia omnia, quæ in ea re sunt, perferre possim et animo meo imperare, sunt tamen, quæ me cogunt de illo pacto novo scelere, contra jus et fas omne extorto, me conqueri, conscientiamque me lædere existimarem, nisi id faciam et diligenter faciam. In primis quidem est hæc res hoc tempore, hoc loco in Germania sic acta, pessimi exempli, et via quædam ad Episcopatuum et religionis interitum: neque id me explicare est necesse, maxime Sanctitati Tuæ. Deinde, quod jam nunc video, omnes meos labores, quos impendi ad reparandam religionem, ad constituendum collegium Societatis et Seminarium, ad corrigendum pravos in clero mores, ad redimendum Ecclesiæ Fuldensi oppignorata nobilibus bona, propter quæ non labores modo et pericula prius, et nunc hæc ipsa sustineo, illa, inquam, jam nunc video in nihilum mihi recidere; cum Episcopus administratorem suo loco constituerit Fuldæ, a fide Catholica Romana alienum, cum cives Catholici multis modis vexentur, minima quæsita occasione carceribus includantur, cum pulsi ob hæresim concionatores redeant, cum passim aperte ad se revocent Ecclesiastici concubinas, etiam eas, quæ ditionem meam abjuraverant; itaque hisce rebus motus, pro quibus etiam vitam relinquere velim, iniquum pactum vi, metu, dolo et fraude extortum Sanctitati Tuæ expono, eamque rogo, ut ea quæ adhiberi possunt, ut id rescindatur, adhibeat. Ea autem hæc mihi videntur, primo, ut Sanctitas Tua Serenissimo Romanorum Im-

peratori scribat, ut sicut jam mandavit Episcopo et meis, gravi pœna proposita, omnibusque literis ac juramentis irritis judicatis, a mei muneris administratione recedere, ita Sanctitas Tua eum hortetur in illo perseverare, cum dubium mihi non sit, quin ea fraus, quæ me in periculum induxit, Cæsareæ Majestati insidias sit positura, quibus jam Suæ Cæsareæ Majestatis Commissarii, ad hoc negotium componendum missi, capti quodammodo videntur et irretiti: deinde, ut Sanctitas Tua ipsi Episcopo Herbipolensi, a quo indignissime circumventus sum, cum mori potius maluerim, quam ei male confidere, sub excommunicationis metu scribat, ab ea administratione ut abstineat, quam eo modo occupavit: tum tertio, ut Sanctitas Tua Archiepiscopo Moguntino, in cujus ditione et arce cum meis exul ago, me commendet. Quamvis enim is ea præstet sine commendatione, quæ satis commendari non possunt, multum tamen profuerit, si id studium Sanctitatis Tuæ auctoritate confirmetur, modo ne id a me petitum significetur; poteroque ego consilio, ope, auctoritate ipsius plurimum adjuvari, cum nec aliud fere unde me alam suppetat, cum adversarii mei in literis se obligarint non aliter ad solvendam annuam pecuniam, quam si ego pacto stem injusto quidem illo. Quæ omnia Sanctitati Tuæ festinus, ut hæc tempora ferunt, sic indico, ut sperem et plane confidam, Beatitudini Tuæ hæc maxime cordi futura, suaque paterna clementia me ita sublevaturam, ut hoc exilium, quod Dei Ecclesiæ ac pietatis causa fero, pergam æquiori adhuc animo tollerare: alteros autem suæ iniquitatis et perfidiæ et pœniteat et pudeat. Quod quidem faciet ad Ecclesiæ utilitatem et animarum salutem, ad emovendum pessimum exemplum. Deus Sanctitatem Tuam et diriget et confortabit, qui ut Sanctitatem Tuam quam diutissime incolumem servet, precor. Data prima Augusti anno 1576.

Sanctitatis Tuæ

Obedientissimus filius
Balthasar Abbas Ecclesiæ Fuldensis
Divæ Augustæ Archicancellarius, Primas.
BALTHASAR ABBAS FULD. MPP.

XXXVIII.—Itaque cum Herbipolensis Præsul prævideret quid acturus esset Abbas, ad Pontificem scripsit, ita facti rationem exponens, ut omnem criminis infamiam a se averteret. [*]

[*] Germania Vol. 35. fol. 12.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio ejus nominis XIII. Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post devota beatorum pedum oscula, humillimamque mei commendationem.

« Sanctissime et Beatissime Pater, cur hoc tempore Sanctitatem Vestram literis meis interpellem, causa est, quod sinistrum quendam rumorem isthic de me intelligam dissipari, quasi contra jus et fas Ecclesiam et ditionem Reverendi in Christo Patris, Domini et amici mei carissimi, Domini Balthasari Abbatis Fuldensis occupaverim, variaque ea de re esse judicia: nominatim autem a quibusdam hoc agi, ut in grave odium isthic adducar, et Sanctitatis Vestræ voluntas, quam plane paternam hactenus erga me meamque Ecclesiam expertus sum, a me abalienetur. Etsi autem pro certo habeo, Sanctitatem Vestram, pro sua illa singulari et plane divina bonitate et sapientia de me in dicta causa, nihil sinistri in animum descendere passam esse: tamen omnino faciundum mihi putavi, ut, si quid odii et offensæ mihi conflatum esset, luce veritatis ostensa, dijudicatisque consiliorum meorum gravissimis rationibus ad conservandam et augendam sanctam Catholicam ac Romanam Religionem, qua nihil mihi hactenus commendatius fuit, et stabiliendam publicam communis patriæ tranquillitatem, depellendamque ab utraque Fuldensi et hac mea Herbipolensi Ecclesia imminentem tempestatem, ruinam et interitum, Christiana pietate conformatis mature detergeretur. Itaque Internuncio isthic meo Venerabili viro Vito Crebsio, Jurisconsulto et Ecclesiæ meæ Sancti Joannis apud Novum Monasterium in hac urbe Canonico, in mandatis dedi, ut Sanctitatem Vestram venerabundus adeat de actionibus consiliisque pro salute Fuldensis Ecclesiæ et ditionis salubriter per me susceptis, ne videlicet eadem cum irreparabili et sanctæ Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ detrimento, acerbissimoque dolore Sanctitatis Vestræ inprimis, et omnium piorum Catholicorum, in manus et potestatem aliquorum Romanæ Catholicæ Religioni adversantium, pulso dejectoque nominato Abbate Fuldensi (quod agi sciebam) reducta, tam piis quam nimis seris lacrymis lugeretur. In quo Sanctitati V. persuasissimum esse debet, me, exclusis adversantibus, suaque spe fraudatis, quos Ecclesiæ Fuldensi et ditioni inhiare compertum erat, eam operam dedisse, ut, nisi Deo duce, ego molitionibus ipsorum mature occurrissem, vetustissima et de Sanctissima illa Sede Romana optime merita Ecclesia Fuldensis hac hora in potestate adversariorum cum summa rerum divinarum humanarumque perturbatione existeret: quo Reipublicæ Christianæ nihil fœdius, nihilque acerbius, aut mihi meæque Herbipolensi Ecclesiæ finitimæ tristius hoc alienissimo tempore evenire potuisset. Sed hæc omnia S. Vestra ex Internuncio meo explicatius intelliget, quem, ut eadem Sanctitas V. benigne audiat, humillime oro et obtestor. Cognoscet autem S. Vestra ex Internuncii mei explicatione, me (utcumque hæc inflatius ad Sanctitatem Vestram a malevolis quibusdam isthuc perlata esse videantur) non com-

modi ullius expectatione, non gloriæ siti, non privata aliqua cupiditate incensum, ad hæc consilia suscipiendæ, scilicet administrationis Ecclesiæ Fuldensis, a dicto Domino Abbate, mihi ultro libereque, cum expresso consensu Capituli sui, ulla vi, injuria aut concussione, ne cogitata quidem, cessæ et consignatæ, invitum et reluctantem descendisse, præterquam Ecclesiæ Catholicæ dignitatem, Reipublicæ salutem, quod Deus novit, aliud nihil spectasse: quemadmodum Reverendissimum et Illm̃um D. Cardinalem Moronum etc., ad quem hæc omnia tam meis literis, quam Legatorum meorum, quos Ratisbonæ habeo, sermonibus perlata sunt, pro suscepti muneris ratione ad Sanctitatem Vestram brevi relaturum spero. Quod superest, humillime precor, ut Sanctitas Vestra ea omnia, quæ a Catholico Principe et obsequentissimo filio expectanda sunt, sibi de me tuto polliceatur, meamque innocentiam, si forte in dubium vocata esset, purgatam, consilia etiam et actiones ratas gratasque habeat, cui et longævam ætatem et fœlicissimos successus a Deo Optimo Maximo precor et exopto, meque et Ecclesiam meam Herbipolensem, quo possum studio, religiosissime commendo. Datæ ex Arce mea Montis Beatæ Mariæ Virginis supra Herbipolim 17. Julii anno etc. 1576.

Sanctitatis Vestræ

Devotus et obsequentissimus filius
Julius Episcopus Wirceburgensis.

XXXIX. — Pontifex, hæc ubi cognovit, res Abbatis Fuldensis Cæsari quam maxime commendavit, ab eoque, ut in ditionem restituat suam, gravissimis verbis contendit. [*] [*] Reg. Gregorii XIII Ann. V ep. 12. f. 190.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo Fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil unquam accidit Nobis gravius, ac molestius ex Germania, quam oppressio Abbatis Fuldensis; vere enim judicamus eum propter singularem probitatem et pietatem, perpetuumque Catholicæ Religionis studium semper fuisse illis in locis tamquam rosam inter spinas; eademque de causa rem Majestati Tuæ indignissimam visam esse non dubitamus: vides enim quantum inde scandali consequatur, quis modus futurus sit hominum audaciæ et impietatis, nisi Abbas quamprimum restituatur: hoc jam curasse Majestatem Tuam pro sua insigni pietate facile arbitramur. Quod si quid hactenus impedimenti fuit, hortamur, atque obsecramus per Christi gloriam, perque eam, quæ tantopere ei cordi est, animarum salutem, ut id sine ulla mora provideas, neque sinas tantum malum diutius vigere, optimosque Pastores animis cadere, contra autem audacissimos homines tali exemplo crescere. Aequum erat illos, si quam injuriam sibi factam esse dicerent, judicium sumere, non ipsos sibi jus dicere, Pastoremque suum tumultuosissime adoriri et fugare; quod si toleratur, quis erit unquam locus aut Ecclesiæ Pastoribus, aut cæteris Principibus tutus a coocitatæ multitudinis seditione et furore? Huic igitur malo providere, et curare, ut Abbas quamprimum restituatur, est maxime tuum; constituit enim te Deus Ecclesiæ suæ patronum, inque ista Imperiali celsitudine Sacrosanctæ Religionis non conservatorem modo, sed etiam propagatorem atque amplificatorem. Hæc latius ex Venerabili fratre Nostro Morono Cardinali Legato cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die tertia Septembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eadem perscripsit etiam reliquis S. R. I. Principibus Electoribus Ecclesiasticis, Ducique Bavariæ, ac Cæsaris fratribus Austriæ Archiducibus, et nonnullis præterea Episcopis. [*] Tum Gregorius Herbipolensem Episcopum graviter increpat, monetque, gravioribus ecclesiasticis pœnis intentatis, ut sine mora Fuldensi Abbatiam restituat, nec ullo unquam pacto ejus res sive spirituales, sive temporales attingere audeat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. V epp. 41-52. [*] Ibidem ep. 52. fol 207.

Venerabili Fratri Julio Episcopo Herbipolensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Respondimus superioribus diebus ad literas Fraternitatis Tuæ de Abbate, atque Abbatia Fuldensi, hortatique sumus iis de causis, quas tum scripsimus, ut quantum posses, ageres de Abbate restituendo, quod si forte difficilius esset, statim ejus Abbatiæ possessionem tribueres ei, quem Venerabilis frater noster Moronus Legatus hac ipsa de causa mitteret. Et quamquam speramus id jam, ut oportet, factum esse, tamen quia nihil Nobis magis cordi est, iis scilicet, quas tunc diximus, aliisque gravissimis de causis monemus, ac præcipimus, et mandamus Fraternitati Tuæ in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis pœna eo ipso incurrenda, ut omnem ejus Abbatiæ administrationem statim deponas, Vicariosque et alios Ministros tuos inde amoveas, neque te in aliqua ejus jurisdictione vel negocio, sive temporali sive spirituali, per te vel alium interponas, ejusque possessionem tribuas ei, quem dictus Legatus aut Nuncius noster hac de causa isthuc miserit. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die decima quinta Septembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Abbatem demum Fuldensem de luctuosa calamitate solatur, atque edocet quæ apud Cæsarem, quæ apud reliquos S.R.I. Principes, quæque apud Herbipolensem Præsulem ad ipsius jura tutanda egerat. [*] [*] Ibidem ep. 48. fol. 203.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir etc. Vix ad Nos pervenerat fama earum rerum, quas adversum te novo pessimoque exemplo commiserant homines audacissimi; cum subito scripsimus ad Maximilianum Imperatorem Electum, eumque hortati sumus, ne tantum facinus sic abire pateretur, teque quamprimum restitui curaret, inque eo omnem suam auctoritatem atque operam poneret. Scripsimus item ad Archiepiscopum Moguntinum, ad Episcopum Eystetensem, ad Bavariæ Ducem, quorum voluntatem, atque operam in hac causa egregiam fore judicavimus. Scripsimus denique ad ipsum Herbipolensem Episcopum. Miserat enim quemdam ad Nos cum literis et mandatis, quibus purgabat se de iis rebus, quas suspicabatur ad Nos delatas esse, magna tua cum infamia, dicebatque te postquam vidisses ipsum diu multumque de compositione laborantem nihil proficere, sibi nihil tale quærenti, ac ne cogitanti quidem somma voluntate administrationem detulisse, habereque se ejus rei testes tuas literas, tum ad alios permultos, tum vero ad Maximilianum scriptas. Itaque et sui ipsius Episcopatus, et Abbatiæ salutis, et Catholicæ Religionis tuendæ causa, quibus omnibus videbat certissimum periculum imminere, eam administrationem suscepisse, postulareque, ut vellemus acta illa nostra Apostolicaque auctoritate confirmare. Multa præterea ascripsit, ut omnem a se ambitionis, atque avaritiæ suspicionem dimoveret. Respondimus, quæ tempus ipsum, et causam postulare intelligebamus: summa fuit, non posse illum ulla ratione administrationem retinere, eamque quamprimum ab eo deponi oportere, eique tradi, quem mitteret Venerabilis frater noster Moronus Cardinalis Legatus; hocque ei magnopere convenire, neque posse aliter summam honorum offensionem vitari; Nobis vero nulla ratione licere hujus rei curam omittere. Nunc iterum et ad eumdem ipsum Episcopum, et ad Maximilianum, atque alios alias literas, ut postulas, damus. Volumus, te bono animo esse, certumque habere Nos tibi nulla ratione defuturos. Fœda autem illa Ecclesiasticæ disciplinæ depravatio, Catholicæque Religionis corruptio, quam scribis post tuum discessum consequutam esse, facile declarat quæ causæ totam istam tempestatem concitarint, illa nimirum, quas commemorat sapiens: circumvenimus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Sed tenes, quam præclarum sit culpa vacare, quamque optabile experiri id, quod ait Dominus Noster: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Quo autem intelligimus in tua restitutione versari Christi gloriam, atque animarum salutem, quoque magis utraque causa Nobis cordi esse debet, eo studiosius, diligentiusque de hac ipsa restitutione agemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Septembris MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

XL. — Quæ Pontificis sollicitudo, nec non ipsius Maximiliani erga Abbatem, cui impense favebat, rem facile confecisset, nisi res ad Imperii Ordines, qui Ratisbonæ tum comitia habebant, delata esset. Principes enim Electores laici, quorum major pars Protestantium dogmata sequebantur, impediebant, quominus Maximilianus Cæsar ea, qua vellet, vi et contentione pro Abbate niteretur. Principes etiam optima se voluntate erga eum esse profitebantur, nec se defuturos promiserant, quin apud Imperii Ordines ope ejus rem adjuvarent; neque dubitare sese effici posse, quod vellet, si in locis suæ ditionis liberum cultus exercitium Protestantibus concederet: quam quidem conditionem Abbas, utpote Principi Catholico indecoram, viro ecclesiastico turpem, omnino rejecit. Inter hæc cum Maximilianus diem supremum obiisset, Rudolphus, qui ei suffectus est, consultius fore duxit, ut Imperii Ordinibus assentientibus Magnus Magister Ordinis B. Mariæ Theutonicorum, vir imprimis probatus et catholicæ fidei addictissimus, totius negotii arbiter constitueretur. Qua ratione cautum est, ne Principatus Fuldensis in manus alicujus Principis Protestantis veniret, qui deinceps in perpetuum sibi illum assereret. En quæ Abbas hoc de negotio Pontifici retulit. [*] [*] Germania Vol 23. fol. 16.

Post beatorum pedum oscula et humillimam meorum obsequiorum oblationem.

« Sanctissime ac Beatissime Pater. Quantopere Breve Vestræ Sanctitatis mihi redditum hisce in meis summis difficultatibus prostratum me et pene exanimatum recreavit, scribi a me vix potest. Quid enim in hisce fluctibus, quibus præter omnem spem tam diu jactor, nec adhuc portum prospicere possum, lætius, quam tanta Vestræ Sanctitatis erga me paterna affectio et benevolentia, ut quæ nihil intermiserit, quo ad eam, de qua contra omne jus et fas dejectus sum possessione, restituerer, accidere potuit? Etsi vero præter omnem spem id mihi ita prodesse non potuerit, uti ego mature restituerer: ego tamen non frustra omnino a Sanctitate Vestra tantum laboris susceptum sperarim. Quamobrem et ego me Vestræ Sanctitatis pro tantis divinis et incredibilibus beneficiis ita devinctum esse profiteor, ut verba, quibus grati animi mei erga Vestræ Sanctitatis voluntatem, quam nulla unquam delebit apud me oblivio, ostendam, reperire nequeam. Res vero ipsa, quando exitum hujus meæ afflictionis needum video, me cogit Vestram Sanctitatem certiorem, ea qua decet observantia, reddere, quo in statu causa

ipsa hoc tempore persistat, auxilium et opem, tametsi summo cum animi dolore Vestræ Sanctitatis molestus esse cogor, a Vestra Sanctitate expetens. Posteaquam Imperator Maximilianus piæ memoriæ, Episcopo Herbipolensi, reliquisque meis perduellibus severe satis suis edictis imperasset, uti, exceptione omni semota, ditionem meam mihi restituerent, eoque suos Legatos misisset, qui, quæ mandasset Sua Majestas, ad exitum perducerent: scriptum edidit Legatis Episcopus, quo sese putabat docuisse, ut quando se auctore (uti asserebat) ditio mea ad sese non pervenisset, sed me assentiente, non existimaret se cogi posse, qui possessionem bono titulo adeptam mihi redderet. In hanc rem vero omnia ea, quæ Vestra Sanctitas scribit, Herbipolensem Legatum nomine sui Episcopi Vestræ Sanctitati quoque proposuisse, adduxit: cum tamen interim non obscure fateretur, vi omnia, impressione ac minis peracta, nisi quod sese immunem esse ab eo (cum tamen non negaret rem ipsam ad se pervenisse) noluerit. Quæ cum Imperator intellexisset, vidissetque Episcopo non posse prodesse, ne tamen quicquam sine Ordinum scitu, ut si quid forte severius contra Episcopum agi necesse fuisset, ne hoc Ordines offenderet, perageret, decreto interposito, rem ad Imperii Ordines, ut quæ videantur in ejusmodi negotiis peragenda indicarent, defert, non obscure ipso decreto indicans, inique Episcopum sese mihi opponere et edictis suis parere recusare: id quod præter alia multa manifeste coarguit hoc, quod edicta Suæ Majestatis in hanc rem, uti supra commemoravi, edita, justissima appellat, factumque ipsum pernitiosi esse in Imperio exempli, nec ulla ratione ferri posse, ut subditi sine scitu Magistratus legitimi ejusmodi facinora erga Magistratum moliantur, disertis verbis affirmat. Proinde cum diligentius rem expendisset Senatus Electorum Principum, huic visum est unanimi omnium consensu, uti edictis ab Episcopo et reliquis satisfiat, ac si quid tum habeat vel Episcopus vel reliqui, quod conquerantur, id ea via et modo faciant, qua Imperii constitutiones et leges volunt. Senatus vero reliquorum Principum, etsi facinus ipsum vehementer improbarit, nec ulla ratione ferendum esse testatus sit; tamen ne tumultus exinde forte exoriri posset, quo paci ocioque magis consuleretur, visum est ei, ditionem meam sequestro cuidam tradendam; interim causæ cognitionem per Imperatorem faciendam celerem seu summariam ac brevem, et tunc e re nata restitutionem vel mihi decernendam vel denegandam, ac in auctores sceleris severe animadvertendum esse. Quod vero contra juris communis scita Principum Senatui ita visum fuerit, eo accidit, quod initio sui scripti conquerantur, non se potuisse facti speciem ex prælectione, quæ de scripto fiebat, in tam amplo auditorio ac tanta hominum multitudine recte percipere, quod secus fit in Electorum Consilio; sed vera causa videtur, quod major Principum pars Lutheranæ sint factionis, qui manifeste quoque præ reliquis testati sunt, ut quando ego papisticam religionem, quam vocant, erigere rursus coner, et suæ religionis socios in mea ditione ferre nolim, non posse sese ferre, nec alia ratione ut ego restituar consentire, nisi fide data promittam, liberam me velle in mea ditione cuivis concedere utramvis religionem, uti verba ipsa sui decreti scripto comprehensa manifeste indicant: eoque factum est, ut cum de hac re tractaretur, me accederent nonnullorum Principum Legati, offerrentque mihi, ut si velim hanc in sententiam descendere, sese effecturos, ut reliquorum Catholicorum (qui quemadmodum Electorum Senatus ita et illi indistincte restitutionem ante omnia fiendam volebant) suffragiis octodecim Lutheranorum accederent, ac tunc haud dubie futurum, uti restitutio a majori parte decernatur. Quod ut me movere nec debuit nec potuit, sic effectum est nonnullorum Catholicorum, qui impensius quam æquum fuerat Episcopo studebant, miris hanc in rem technis, uti sic, quemadmodum commemoravi, Imperatori, nomine totius Senatus, cum tamen magnæ parti secus videretur, referretur. Imperator igitur utrique parti satisfacere cupiens, rem suo decreto, ab omnibus Ordinibus comprobato, diremit, cujus exemplum, ne æquo longior sim Vestræ Sanctitati hisce adjunctum mitto. Ego etsi viderem contra canonum sacrorum et legum placita me gravari, quia tamen ita suæ Majestati et Ordinibus placuit, præsertim cum intelligerem, meam ditionem a Cæsare per Legatum seu Commissarium non alio animo occupatum iri, nisi quo commodius et absque difficultate mihi tradi rursus ab Imperatore posset, acquiescendum mihi esse statui. Nominavit igitur Majestas sua, paulo ante obitum, Teutonici Ordinis Magistrum Imperii Principem, cui hoc negotium daretur, et cum, antequam illi scriberetur, sua Majestas vita hac fungeretur, Imperator Rudolphus ei, ut negotium susciperet, literis mandasset, hocque is facere recusasset, rursus ante paucos dies severius, uti mandatum accipiat, imperat. Ad quod quid responsurus et acturus sit, summa cum difficultate et molestia (ut qui prope omnem quam reliquam habui substantiam consumpsi, et me gravissimo ære alieno obstringere cogar, ut, si diutius res protrahatur, inopia pressus optimam causam in medio cursu linquere cogar) expecto. Accedit, Beatissime Pater, mihi et hoc incommodi, quod novus Imperator optimus ille quidem, sed minus hisce in rebus instructus, pendere ex Consiliariorum persuasionibus videtur: nec ausim dicere (quamvis tamen fama et

certissima fert) oppugnari me ab adversariis meis ingenti pecuniæ summa, ut quod illi jure obtinere sese non posse ab Imperatore verentur, id a nonnullis Consiliariis, iis qui hac in re infames sunt, corruptionibus impetrare confidant. Cujus rei non parum indicia adesse videntur. Supplicavi enim aliquoties suæ Majestati, uti sua Majestas, quando iis in locis rari sunt Principes Catholici, nec ullus sit, cui ista provincia commodius demandetur, quam Archiepiscopus Moguntinus, ut, qui et Metropolitanus sit et finitimus, huic hoc negotium daret. Quod si locum habere hoc non possit, petii, uti Archiepiscopo vel Trevirensi vel Coloniensi idipsum demandaret. Ilorum tamen hactenus obtinere potui nihil, quod prætendant Consiliarii, Moguntinum Herbipolensi esse suspectum, propterea quod me ad se tunc, cum, absque capitis mei periculo, apud adversarios meos diutius in mea ditione versari non poteram, fugientem non rejecisset; deinde quod cum eodem de unione Abbatiæ per Cancellarium meum egissem. Quod ultimum uti falsum, vanitatis plenum et confictum est, nec ullum indicium, argumentumve ad fidem ejus rei faciendam adduci possit: ita illud caussam justam recusationis non habet. Quomodo enim rejiciat justa ex causa fugientem hospitem, suismet impensis viventem, in summo periculo vitæ ac fortunarum versantem, nec a se quicquam, nisi habitationem nudam longe a se dissitam petentem? Nam quod addunt, Archiepiscopum pro me apud Imperatorem intercessisse, hoc non magis eum suspectum facit, quam quemlibet alium bonum virum, cui iniquitas hujus negotii nunquam probari non potuit. Quod si vel Trevirensem peto, vel Coloniensem, statim audio nec hosce mihi dari posse, quod nimis longe a mea ditione dissidere videantur, ita ut tandem cum internecione omnium Catholicorum Lutheranus mihi sumendus sit, vel Catholicus talis, qui cupidissimus Episcopi sit, et meæ causæ infensissimus, ut aliud mihi sperandum non sit, quam causæ ad Elisios Campos protractio, aut rerum omnium eversio. Teutonico Magistro igitur, per se bono Catholico, sed uti ipse non obscure fateri videtur, carente iis personis, præsertim vere Catholicis, qui suas vices (cum ipse vix per ætatem possit) gerant, unum ex multis vere Catholicis Consiliariis adjungendum aliquoties, ni prorsus extinctam religionem Catholicam sua Majestas vellet, supplex petii; sed id tamquam supervacaneum, cum tamen nihil magis possit esse ad conservandam religionem necessarium, rejicitur. Decretum quoque exigit, ut mihi interim ex mea ditione Principe digno subsidio provideatur. Et quia hactenus ita in Imperio servatum est, ut sicubi decretæ sunt etiam veræ sequestrationes, ut tunc omnes proventus penes antiquum maneant possessorem et dominum, nisi quod et sequester cum suis inde alatur; ego quia non debere sequestrari meam possessionem, sed saltem pro tuta custodia ab Imperatore recepi, intellexi, petii, uti interim mihi pateret accessus ad ædes meas (vix enim in toto Imperio locum, ubi secure morari possim, habeo) solitas, et omnes fructus, si qui superfuturi essent ex eo quod in sustentationem Commissarii cedit, exemplo aliorum, qui sequestrationes admittere coacti sunt, Tridentinorum scilicet, Trevirensium, Coloniensium, mihi assignarentur, nil tamen aliud auferre potui, nisi Imperatorem, ubi certus designatus fuerit Commissarius, qui commissionem recepturus sit, de eo tunc memorem fore. Cum interim fame, propterea quod incertum est, uter hoc acceptaturus sit, mihi pereundum fuerit, nisi ope meorum mihi provideatur; et quia ego, et prope omnes boni, hactenus aliter decreti sensum intelligere non potuerim, nisi quod Imperator propterea decreto adjecerit, velle se partes ad se vocare, pro amicabili compositione utramque audire, ac, si transigi res non possit, statim suas partes in adjudicanda possessiona interponere, quod scilicet cuperet Episcopum amice mihi tradere possessionem, quo recusante, statuere eam mihi adjudicare, cum, salvis suæ Majestatis decretis prioribus et juribus communibus, aliter intelligi decretum nequeat: tamen unus ex consiliariis præcipui nominis rem alio torquere nititur, eam ad longa subsellia trahere contendens, processumque novum inchoandum esse affirmans. Quæ mens nec Imperatoris unquam fuit, nec ulla tergiversatione opus est, cum hodie et ex ipsis Episcopi et aliorum confessionibus de negotio constet. Cui et hoc accedit, quod Episcopus absque Vestræ Sanctitatis singulari dispensatione administrator, etiamsi legitimo modo (quod hic dici non potest) postuletur, esse nequeat, ut taceam legitime postulatum ante confirmationem administrare non posse, ut cuivis pateat, nec possessionem Episcopum ullam habere, sed juris præsumptionem potius contra se habeat, nec ulla ratione facinus hoc nefandum et conscceleratum, propter exemplum perniciosissimum tamquam contra bonos mores, ullo consensu meo etiam libero (quod tamen longe abest) confirmari aut ratum haberi posse. Quæ cum ita sint, Beatissime Pater, summa qua decet observantia V. S. peto, ne dedignetur ea Cæsaream Majestatem de ipsius rei indignitate, et quod facinus ejusmodi nulla ratione defensionem habeat, admittatve, esseque per se perspicuum, veluti Vestræ Sanctitati per ipsius Episcopi ad hoc ablegati Legati relatas defensiones, ut, quas in hanc rem accurate Vestræ Sanctitati enumerarit, constet, nullo jure Episcopum administrare meam ditionem posse, monere. Et

quia, non bene iis consideratis, Principum Legatis aliud forte alias ob causas visum sit, suaque Majestas statuat per Commissarium ditiunem meam in meum commodum occupare, uti hoc Commissario ejusmodi committatur, ne religio periclitetor, et quia dignas non existimet Vestra Sanctitas recusationes contra Archiepiscopum Moguntinum, eidem, si alius nubt, res demandetur, fructusque interim, quando sequestratio alias hoc casu locum non habeat, qui propter alia necessaria supererunt, mihi tradantur, et absque ambagibus et processu alio mihi in re liquidissima possessio reddatur, negotiumque maturetur, ut quod moram ferre nequeat, vel quodcumque Vestræ Sanctitati alias justum aut æquum visum fuerit a Sua Majestate postulet, et Reverendissimo Vestræ Sanctitatis Nuntio Episcopo Turcellano, Domino Johanni Delphinn, ut idem Vestræ Sanctitatis nomine apud Imperatorem faciat, mandet. Quæ, quia in honorem Dei et commodum Ecclesiæ Suæ redundatura haud dubie sciam, S. V. haud gravate facturam confido, cui me, meosque omnes obnixe commendo. Datum Ratisponæ 10. Novembris anno etc. 76.

Sanctitatis Vestræ

Devotus et obsequentissimus filius
Balthasar Dei et Apostolicæ Sedis gratia
Abbas Ecclesiæ Fuldensis, Divæ Augustæ Archicancellarius etc.
Balthasar Abbas Fuldensis.
mpp.

XLI. — Herbipolensis Præsul cum Pontifice conqueritur de severitate, qua in se usus fuit; cumque exorat, ut modo re melius perspecta secum mitius agere velit. [*]

[*] Germania Vol 26, fol 23.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Dño Gregorio Sacræ Romanæ Catholicæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Decimo Tertio, Domino meo Clementissimo.

Post devota beatorum pedum oscula, humillimamque mei commendationem.

« Sanctissime ac Beatissime Pater. Sanctitatis Vestræ Breve III. Septembris ad me Roma scriptum, et huc XVIII. perlatum, consecutum est aliud XV. Tusculi eodem mense, et ita triduo ante acceptum primum Breve datum, quod legens incredibili dolore animi affectus sum, non obscure nimirum intelligens, Sanctitatem Vestram ad hostiles malevolorum quorumdam insectationes graviter contra me incensam esse. Mandat enim Sanctitas Vestra, denunciata ea pœna, qua gravior et atrocior nulla constituta est, ut Abbatiæ Fuldensis administrationem statim deponam, meos ministros inde amoveam, ne in aliquo me interponam etc., quo nihil tristius et acerbius, sive de salute publica judicium, sive de me privatim fiat, hoc exulceratissimo tempore evenire potuisset. Sed concepti doloris mei acerbitatem mitigat, meque consolatur, innocentiæ meæ conscientis, cujus tanta in utramque partem est vis, ut neque timeant ii, qui nullius culpæ sibi conscii sunt, et pœnarum metu semper trepident, quos suum facinus urget et excruciat. Nec vero satis mirari possum quorumdam præcipitem vim et obreptionem, qua factum est, ut prius essem damnatus quam reus, siquidem non expectata defensione mea, quam ad Sanctitatis Vestræ Breve meæ literæ II. Octubris scriptæ isthuc attulerunt, publicæ invidiæ caput meum, indicta causa, ubjecerint, adeoque perditum, quam servatum malint. Quo justius, Beatissime Pater, fuerit, me malevolorum factione quasi obsessum et oppressum Sanctitatis Vestræ æquitate recreari et erigi. Enimvero quibus causis impulsus, quamque integra mente administrationis Fuldensis onus in me susceperim, quid spectarim, quorsum consilia et actiones meas direxerim, cum prioribus meis, tum novissimis literis perspicue et vere ostendi. Quantam obedientiam, cultum et venerationem Sanctitati Vestræ debeam, ita bene intelligo, ut pro eadem et illa augustissima Sede Apostolica asperrima quæque subire et perpeti paratus sim. Porro quod eam, quam cupiebam, animi et voluntatis meæ significationem in restituendo Abbate Fuldensi, aut possessionem tradendo ei, quem Rñus Dñus Cardinalis Moronus miserat, dare non queam, est sane, cur venia magis, quam Sanctitatis Vestræ indignatione dignior censeri debeam, quod illa tam mandata restitutio, quam possessionis traditio in mea manu, facultate et viribus in præsens posita non sit. Cujus causa hæc est verissima, quod Abbas Fuldensis Ratisponam ad Cæsarem Maximilianum, felicis recordationis, profectus, non conquievit, instando, præhensando, urgendo, donec effecit, ut sua Majestas causæ Fuld. disceptationem ad se, Ordinesque Imperii revocarit. Qua causa diu disceptata, paulo ante, quam dictus Cæsar Maximilianus optime meritum de Christiana Republica spiritum Deo, unde acceperat, reddidit, promulgatum est Decretum, eoque cautum, quid interim fieri debeat, donec causa, intellectis partium juribus, plene diffiniatur, de quo non dubito, Sanctitatem Vestram dudum certiorem factam, ita ut neutrum eorum, quæ mihi a Sanctitate Vestra mandantur, effectum dare possim; utpote cujus in eo nullæ meæ penitus sint partes, vires et facultates. Jam si, (Sanctitatis Vestræ postulatis morem gerendo) Imperatoris decreto coner adversari, non sine gravissima suæ Majestatis et Ordinum Imperii offensa, læsæque Majestatis suggillatione id attentavero, hancque meam, alias satis afflictam, Ecclesiam in extremas difficultates præcipitavero. Proinde ubi hoc negotium cœpit, ibi etiam ut finem accipiat, æquo animo mihi expectandum est. Ex

quo Sanctitas Vestra colligere potest, me ad præcipitem malevolorum accusationem aliquanto inclementius anathematis mucrone peti, quam Fuldensis Ecclesiæ divina benignitate per me conservatæ merita postulant, ut mirum videri debeat, quamobrem ego, qui non solum (quod Deus immortalis novit) a scelere, sed etiam a culpa longissime absum, a Christi fidelium numero segregari debeam. Quod si Sanctitati Vestræ meam innocentiam nondum satis approbasse videor, contrarium mihi non est, ut legitime cognoscatur, utrum pro Religione Catholica et Republica, vel contra eam hac in causa Fuldensi aliquid a me susceptum et gestum sit, quamque inanes et frivolas, ne dicam ipsa malevolentia jejunas, causas de me conquerendi habeat Abbas Fuldensis, nulla unquam a me aut meis injuria lacessitus. Quo nomine Sanctitatem Vestram, quam possum, humillime oro et obtestor, ut, si quid duriusculum in animo ejusdem erga me occuluit, totum illud Christiana mansuetudine et lenitate molliatur. Meminerit Sanctitas Vestra ipsam nostrum communem esse patrem, a quo post Deum non solum hujus Ecclesiæ meæ Herbipolensis, sed universi Orbis Christiani salus et incolumitas pendeat, nihilque eam in summo rerum fastigio divinitus collocatam magis decere, quam lenitatem et clementiam, qua mortales proxime ad Deos accedere, etiam gentilium testimoniis comprobatum est. Quod si Sanctitas Vestra durior erga me esse velit et pergat, quid aliud, quæso, quam Ecclesiam hanc, in qua jam inde a mille annis Christianæ ac Catholicæ Religionis egregia semper viguit exercitatio, infensissimis, quos finitimos habeo, Sedis Apostolicæ adversariis, et quibus præter occasionem nihil deest, lacerandam et vastandam, sua ipsius quasi vineta (ut dicitur) cædens, objecerit? sed valeant, obsecro, apud Sanctitatem Vestram ad moderandam censuræ asperitatem non tam innocentiæ meæ ratio, quam hujus Ecclesiæ Herbipolensis (quæ sævientibus malorum procellis ceu scopulum quemdam et murum, quo et ipsa et vicinæ Ecclesiæ tutæ essent, sese intrepide semper opposuit) multa præclara erga Romanam Ecclesiam merita, pro cujus Religione et dignitate tuenda, cum alias sæpe, tum diro illo et luctuoso bello, quod Albertus Marchio Brandeburgensis ante xx. annos eidem intulit, ea iniquæ sortis vulnera, ea fortunarum detrimenta passa est, quæ memoria recoli non sine summo dolore, et vix demum integro sæculo sarciri possunt. Revocet denique ad animum, obsecro, Sanctitas Vestra, non de mea dignitate privatim, sed de publica borum temporum tranquillitate et salute judicium fieri, quam Deus Optimus Maximus ita florentem et incolumem tueatur, sicuti a Sanctitate Vestra (ut certa clementiæ laus paretur) me meamque hanc Ecclesiam, benigniore jussu, abolito illo tam tristi et duro, siquidem ea, quæ mandantur mihi, propter indicatas causas factu impossibilia sint, felicissime conservatum iri et spero et opto. Hæc in summo animi dolore ad Sanctitatem Vestram scripsi, cui dolori meo nulla alia præsentior levatio adferri poterit, quam ubi animum Sanctitatis Vestræ, quem hactenus plane paternum erga me meamque Ecclesiam expertus sum, non immutatum esse cognovero, cui a Deo Optimo Maximo felicissima quæque precor, meamque hanc Ecclesiam et me ipsum devotissimo animi affectu commendo. Datum in urbe mea Herbipolensi ultima Octobris anno MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

Julius Episcopus Wisceburgensis.

XLII. — Gregorius officiis nunquam intermissis negotium Fuldense denuo Cæsari commendat, rogans, efficiat quam primum, ut Abbas pleno suo jure frui possit. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann V ep 76 fol. 251.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Optatissimum esse Majestati Tuæ facultatem aliquam habere præclaræ voluntatis explicandæ, pietatis declarandæ, justitiæ exercendæ, utriusque tum erga Deum, tum erga bonos viros injuria oppressos charitatis ostendendæ persuasissimum habemus. Harum nunc rerum omnium summa Majestati Tuæ facultas datur in causa dilecti filii Abbatis Fuldensis. Est enim, ut nosti, vir optimus, Catholicæque Religionis studiosissimus, indignissime autem circumventus atque ejectus ab iis, quibus ejus Religio et innocentia summo semper odio fuit. Sed non si Dominus Noster prædicat beatos esse eos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quique propter ejus nomen ejiciuntur, propterea debent Principes Catholicos deserere, quin potius omni ope juvare; summamque Dei bonitatem agnoscere, qui uno tempore et iis, qui injuria oppressi sunt, et iis, qui eos sublevant et tuentur, sempiternam beatitudinem pollicetur, novitque ex aliorum crimine duplex bonum elicere. Sed hoc etiam amplius in hac causa est, quod non unius tantum hominis res, aut injuria agitur, sed totius Fuldensis ditionis, atque innumerabilis multitudinis salus; multum enim interest utramque in partem, vel ad perniciem, vel ad salutem qualis Pastor præsit ovibus: et jam gravissimis testimoniis Nobis confirmatur, quodque spectavit Sathan in Abbate ejiciendo, id non cessare ejus Ministros moliri atque agere, ut Ecclesiasticam disciplinam corrumpant, et quamplurimos possint a fidei sin-

ceritate, atque a Christo abducant et perdant. Accedit etiam exempli pernicies, si enim res sic abire sinitur, nullus erit in Germania non modo Ecclesiasticis Pastoribus, sed ne cæteris quidem Catholicis Principibus constituendi locus, nihil tutum a concitatæ multitudinis seditione et furore. His de causis clarissimæ memoriæ Maximilianus genitor tuus præcepit gravissime Episcopo Herbipolensi, ut liberam Abbatiæ possessionem statim restitueret, eoque etiam Legatos misit, remque sine dubio confecisset, si vita ei largior contigisset. Nunc igitur Imperio ad te delato hortamur Majestatem Tuam, atque etiam rogamus, quantum summa rei ipsius æquitas postulat, quantumque possumus, ut Abbatem quam primum restitui facias. Quoniamque accepimus, jussisse te Abbatiæ possessionem deponi apud Magistrum Theutonicorum, eumque depositum accipere paratum esse, non dubitamus Episcopum Herbipolensem obtemperaturum, seque ab omni possessione atque administratione remoturum. Interim vero rogamus, ut ipsi Abbati, qui legitimus Pastor et possessor est, omnes fructus dentur, dempta ea summa, quam in Ministros impendi oportebit, provideasque omni studio et diligentia, ne quid ibi jurisdictio cæteræque res Ecclesiasticæ detrimenti patiantur. Hæc ita a Tua Majestate contendimus, ut majori studio contendere non possumus; nihil enim longius habemus, quam dum virum optimum, atque insigni pietate præditum restitutum audiamus. Res enim tam fœda est, ut non possit sine summa bonorum offensione, et stomacho diutius tolerari. Neque enim Nos leviter movet studium laudis tuæ: multum interest in omni Principatu, qualia a principio fundamenta jaciantur: illa autem præcipua sunt, atque ad nominis immortalitatem firmissima, quæ sanctæ Religionis et Dei gloria nituntur. Cætera explicabit Majestati Tuæ Nuncius noster, cupimus, ut ei fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decemb. MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Episcopum etiam Herbipolensem litteris adit Gregorius, jubens administrationem susceptam deponere, et Abbatiæ possessionem Magistro Theutonicorum tradere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 77. f. 226.

Venerabili Fratri Julio Episcopo Herbipolensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Cur hactenus non parueris nostris literis in deponenda administratione et possessione Abbatiæ Fuldensis, cognovimus ex literis Fraternitatis Tuæ datis ultima Octobris. Quod in eisdem literis doles de excommunicatione, facimus Nos quoque inviti, ut in Episcopos fratres gravius aliquid decernamus; sed ut illos officio suo respondere maxime cupimus, talesque esse, ut eos omnibus in rebus laudare et probare possimus; sic ipsi nostro muneri deesse nec volumus, nec possumus. Quod si paterna nostra monita attendisses, diligentiusque considerasses, quantum ex ista Abbatiæ susceptione scandali exoriri potuisset, quanta tuæ existimationis jactura, quantæque in ea sint partes Sedis Apostolicæ, quæ illam immediate subjectam habet, nunquam tam longe processisses; præsertim cum videres Abbatem reclamantem, vimque sibi illatam conquerentem, remque omnem patefacientem; quin potius ab incepto destitisses, fratri vero injuria oppresso opem tulisses; unde etiam magna ad te ipsum laus, ad utrumque vestrum securitas pervenisset: nunc autem everso atque ejecto viro optimo, et Catholici omnes stomachantur, et hæretici animos extulerunt, audaciusque multo in vestras res invadent, bonosque vexabunt et perdent. Et quanquam perspicua hæc sunt, oportuitque te nostris monitis a paterna charitate profectis obtemperare; tamen volumus hoc etiam Tuæ Fraternitati dare, ut non ante ad excommunicationis declarationem procedamus, quam intelligamus te omnem Abbatiæ possessionem apud Magistrum Theutonicorum, quem charissimus in Christo filius noster Rudolphus, Romanorum Imperator Electus, nominavit, quique depositum accipere paratus est, libere deposuisse, teque ab omni possessione atque administratione removere. Sed speramus, te, qui semper fuisti vir optimus habitus, nequaquam aures præbiturum pessimis Consiliariis, a quibus hactenus deceptus fuisti, curaturumque, ut optimam opinionem, quam semper de te habuimus, paternamque erga te voluntatem et charitatem retinere valeamus. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Abbatem denique ipsum adeo e suis juribus laborantem erigit; et certiorem facit de iis, quæ cum Cæsare et Episcopo Herbipolensi pro ejus restitutione egisset. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 79. f. 228.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Res tuæ tantopere Nobis cordi sunt, ut nihil possit esse magis. Sic autem judicamus, debere te Nobis esse quam commendatissimum et tuo merito, et nostra etiam propria curatione innocentes viros, pastoresque optimos, et Catholicæ Religionis cupidissimos amplectendi, atque a nefaria impiorum conspiratione tuendi, circumventosque atque oppressos sublevandi. Postquam accepimus tuas literas, certiores facti sumus Magistrum Theutonicorum, apud quem charissimus in Christo filius noster Rudolphus, Romanorum Imperator Electus, Abbatiæ posses-

sionem deponi voluit, eam accipere paratum esse. Itaque scribimus ad Episcopum Herbipolensem, tamdiu Nos dilaturos esse declarationem excommunicationis, quam ei in aliis nostris literis proposueramus, quoad sciamus, eum se ab omni Abbatiæ possessione atque administratione removisse, libereque eam deposuisse. Scribimus item ad Rudolphum ipsum, rogamusque, ut te restitui curet quam citissime, interimque omnes fructus tibi persolvi faciat, necessaria tantum ministrorum mercede detracta, diligentissimeque provideat, ne quid in tua Abbatia jurisdictio, cæteræque res Ecclesiasticæ detrimenti patiantur. Scribimus etiam ad charissimam in Christo filiam nostram Mariam, rogamusque, ut eisdem de rebus cum filio agat: teque utrique commendamus, quantum possumus, neque cessabimus negotium urgere, quoad te restitutum esse audiamus. Hæc te ex Nobis cognoscere volumus; cætera ex Nuncio nostro cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

XLIII. — Cum plurimæ fœdæque corruptelæ Clerum Curiensis Diœceseos in Helvetia temporum perversitate invasissent, Sporenus ex Ordine S. Francisci Minorum Conventualium eidem gravissimo malo sequenti statuto sapienter occurrit. (*)

(*) Germania Vol. 39. fol. 712.

Reformatio Cleri pro Diœcesi Curiensi in Valle Venusta.

« Quum Sacerdotes sint, de quibus Apostolica voce dicitur, ipsos esse ministros et dispensatores mysteriorum Dei, esse sal terræ, ut quibus fidelium debeat vita condiri, summopere illis enitendum est, ut vocationem suam certam faciant, quod dicunt, compleant opere, et non solum vox ipsorum vox sit Jacob Electi Dei, sed etiam manus Jacob sint. Quia porro per legem cognoscitur peccatum, non ad implendum illud, sed ad fugiendum quasi a facie colubri: vobis presbyteris omnibus et singulis, tam curatis quam non curatis, qui estis constituti intra terminos Curiensis Episcopatus in Valle Venusta, postquam vos hortamur in Domino, de commissione Sanctissimi Domini nostri in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, ut quilibet vestrum infrascriptos articulos firmissime teneat et observet.

« Quicumque in diœcesi Curiensi nactus fuerit Ecclesiasticam conditionem, sive pastoralis sit cura, sive beneficium etiam non curatum, sive denique officium cooperatoris per sacrosancta Dei Evangelia Catholicam et Apostolicam fidem profiteatur, nec non debitam promittat obedientiam et reverentiam Sanctæ Sedi Apostolicæ, Ordinario suo, et ejus officialibus.

« Quilibet vestrum peragat suum officium cum maxima devotione ac diligentia, ut satisfiat votis et voluntatibus fundatorum. Et quia constitutum est in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, quum peccata magis ac magis absque horrore committantur et multiplicentur, ultra ordinata sacrificia alia superaddere non intermittat.

« Nullus sibi conscius esse in peccato mortali, sine prævia auriculari confessione celebrare præsumat.

« Præterea vos adhortamur singulis mensibus Sacerdoti confiteri: et per sanctam obedientiam mandamus, tertio quoque mense id ut faciatis.

« Unusquisque vestrum suas horas canonicas diligentissime et summa cum devotione quotidie persolvat.

« Nemo ex vobis nimium communicet sæcularibus rebus: inde vobis inhibemus ad tabernas publicas accedere, nisi hoc fiat urgentibus et rationabilibus causis.

« Quia porro mundi esse debetis, qui fertis et estis vasa Domini, præcipimus vobis, ne corpora vestra exhibeatis ad immunditiam, luxuriam, concubinatum, et ejus suspicionem habentia, ebrietates, lusiones, rixas, odia, et alia peccata, de quibus dicitur: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

« Denique cum non solum corde credere, et ad intus vocationem nostram excolere debeamus, sed etiam ore confiteri atque extrinsece fidem nostram operari, volumus, ut habitus vester quo induimini, honestus sit, et ordini vestro decenter accommodatus, sicque sacerdotes vos, non sæculares esse demonstret. Is vero peculiariter in sacro ecclesiastico officio a vobis habeatur, ubi toga et veste ad talos protensa semper uti debetis.

« Harum transgressor nostrarum constitutionum pœna a nobis vel Ordinario vestro infligenda gravissime punietur. Actum in arce Episcopali Furstenburg die 26. mensis Febr. 1576.

F. Franciscus Sporenus
Commissarius Apostolicus.

XLIV. — Episcopus Curiensis, novis in dies persecutionibus Protestantium impeditus, qui ei et Ecclesiæ suæ ruinam minitabantur, statuerat episcopatum deponere: quamobrem Marcum Cardinalem ab Altaemps Episcopum Constantiensem, eo tempore Romæ commorantem, per litteras supplex adiit, ut hoc negotium cum Pontifice pertractaret. (*)

(*) Germania Vol. 26. fol. 18.

Illme et Rme Princeps, ac Domine Domine Clementissime.

« Primum omnium tuæ Illmæ Celsitudini indignas meas ad Deum preces ac officia, omneque studium submisse offero.

« Illmæ Celsitudinis tuæ litteras humanissime ad me datas, summa cum reverentia accepi, et, quæ iis continebantur, intellexi. Ostendit enim

Celsitudo Vestra se paratum esse ea curare, quæ salutaria meæ Diœcesi vidisset, et cum Sñu D. N. agere, ut aliquis mihi idoneus Coadjutor reperiatur, ob quam suam in me benevolentiam et humanitatem gratias ago, et, quandoquidem opes meæ tantis beneficiis sunt impares, Deum precor, ut tot in me officia et præsentibus et sempiternis bonis compenset.

« Et sane, Illñe Princeps, extrema Diœcesis meæ necessitas unum tantum habet remedium, videlicet, ut Sua Sanctitas una cum Illña Celsitudine Vestra aliisque bene erga nos affectis viris negotium hoc sibi quam maxime cordi habeant, si tamen Ecclesiam hanc ab interitu præsenti custodire velint.

« Profecto contra Capitulum persecutio, quam familia Salensis et perfidi subditi illi adhærentes excitaverunt, quo diuturnior, eo major est, et in dies magis ac magis desævit, et Diœcesi quotidie majus periculum imminet. Ad hæc apud nos parum præsidii est, cum præsertim jam pridem fuerim multis morbis debilitatus et exhaustus, neque negotiis, ut necessitas postulat, interesse possim. Præterea quotidianæ persecutiones, et corporis imbecillitas maxima, aliæque molestiæ ita crescunt, ut quamvis res Ecclesiæ meæ mihi cordi vehementer sint, tamen ope et consilio jam pene nihil amplius possum efficere: continuæ siquidem ægritudines plurimum mihi et ingenii et memoriæ ademerunt. Sunt autem adversarii mei ita potentes, ut in vitæ discrimine quotidie verser, eo quod quæ illi petunt nolim concedere, neque in perniciem Ecclesiæ meæ consentire. Ob tanta quoque pericula et adversariorum sævitiam extra meam Diœcesim coactus sum habitare. Substitui tamen in mea Diœcesi Vicarios et Officiales, qui Ecclesiam administrent. Versor autem quotidie in tristi expectatione, ne forte adversarii quam primum et me et meum Capitulum, et Officiales ac demum universam Diœcesim pervadant, devastent, et nos expellant.

« Unde jam jam summi templi custos suo et aliquorum Canonicorum nomine ad me venit atque certiorem fecit, perfidos Ecclesiæ meæ hostes conspirasse, et statuisse inter se expellere Canonicos exterarum regionum, qui scilicet ex Serñi Archiducis Austriæ et Confœderatorum regionibus non sunt oriundi, et qui eorum factionibus et sectis minime adhærescunt. Quam quidem conspirationem forte juvant nonnulli ex incolis hujus regionis. Et qui hæc mihi nuntiavit, hanc solum ob causam se venisse affirmabat, ut scilicet hæc mihi significaret, et ut peteret, ut tanto malo oportunum remedium adhiberem. Atque ego quidem sub cœlo nullum certius remedium video, quam ut Sñus Dominus Noster et Celsitudo Vestra negotium hoc, et afflictam Ecclesiam in suum patrocinium et tutelam suscipiant, et huic muneri præficiant virum aliquem idoneum, sive Episcopum sive Coadjutorem, qui sua potentia, vel auxiliis amicorum, vel certe hominum gratia et favore tantum valeat, ut se ipsum et hanc Ecclesiam tueri possit, et adversariorum conatus aut reprimere aut impedire valeat: hæc tamen ita occulte et caute sunt curanda, ut nihil usquam ab ullo cognoscatur, donec Electus venerit in possessionem. Atque totum hoc Sñio Domino Nostro et Vestræ Celsitudini committo, et quicquid a vobis constituetur, id apud me omnino ratum erit, dummodo antiquissimæ huic Ecclesiæ et calamitosissimæ Diœcesi subveniatur.

« Quod ad me attinet, ego pensione aliqua, sive moderatis redditibus contentus ero; saltem ut habeam vitæ necessaria. Non video autem apud nos ullius hominis catholici potentis filium, qui sit idoneus, et qui induci possit ad hoc munus obeundum: nisi forte inveniatur vir aliquis gravis, magnæque auctoritatis, qui cum Austriaca Domo et Confederatis Catholicis pacem et amicitiam habeat, et eorum præsidiis et favore nitatur.

« Sanior et religiosior Capituli mei pars mecum egit, ut si quidem mihi vellem Coadjutorem aliquem assumere, eum potius ex Capitulo quam aliunde deligerem. Iis ego respondi, ut ipsi ex Capitulo nominarent aliquem, qui posset Capitulares suos, Diœcesim et se ipsum defendere. Verum cum neque illi, neque ego talem virum ex Capitulo reperire possimus, necessitate compulsus ad Sñum Dominum Nostrum et Celsitudinem Vestram confugio, et iis sum molestus.

« Nuper in baccanalibus fuit apud nos Franciscus Sporenus Ordinis S. Francisci, Summique Pontificis et Illñæ Domus Austriacæ Commissarius, qui ipsemet omnia vidit, et experientia didicit, quo loco res nostræ essent; atque tunc per Sporenum meam Diœcesim, meque totum Sñio Domino Nostro commendavi et tradidi, ut ipse cum tuæ Celsitudinis consilio hoc negotium reciperet et expediret. Rogavi etiam Sporenum, ut Illñæ Celsitudini tuæ omnia diligenter explicaret: nondum autem quicquam Sporenus respondit, neque satis scio, cur id fecerit: est autem periculum maximum in mora.

« Quamobrem si Sua Sanctitas nihil hactenus de hoc negotio decrevit, neque tua Celsitudo quicquam deliberavit, eam suppliciter et humillime rogo, ut suum consilium de his rebus cum Sñio Domino Nostro ita communicet, ut quamprimum huic Diœcesi prudentissime prospiciatur. Namque ego iterum atque iterum me meamque Ecclesiam Vobis cum omni obedientia et reverentia subjicio ac submitto, humillime petens, ne vetustissimum et multis calamitatibus jam divexatum Episcopatum, ac me infirmitatibus afflictum, in tanto periculo constitutum

ope vestra destitutis; nam præter Divinum ac cœleste auxilium, nullum aliud perfugium habeo. Postremo vero, Clementissime Domine, Serñus Archidux Austriæ Ferdinandus, perspecto summo vitæ meæ discrimine, in quo versor, paræciam quamdam mihi contulit, ut si forte me ab Ecclesia mea expelli contingat, habeam quo me recipiam, ne plane calamitosi exulis miseram vitam agam. Quoniam vero, cui præsentationem prædictæ paræciæ committam, et qui confirmationem a Sua Sanctitate mihi impetret, neminem habeo, tuam Illñam Celsitudinem iterum rogo, ne sinistre hoc interpretetur, sed hanc saltem gratiam exhibere velit, ut uni vel ex infimis famulis hoc negotium committat, qui id Summo Pontifici præsentet, et pro expeditione instet: cui a me pro opera, labore, et, si quid insuper impensum fuerit, omni modo sine mora satisfiet. Hæc omnia tuæ Celsitudinis beneficia pro virium mearum tenuitate recompensare conabor, etiam si fortunas meas et sanguinem effundere oporteat: Deumque Omnipotentem ac gloriosissimam Virginem Mariam, totamque Cœlestem Curiam sine intermissione orabo, ut hæc officia diuturna incolumitate, felici regimine, temporali ac perpetua beatitudine remuneret. Ad extremum tuæ Illñæ Celsitudini hisce me, et antiquissimam, impugnatam, et jam pene eversam Diœcesim et Ecclesiam quam humillime commendo. Datum Fursterburgæ XVI. Julii anno MDLXXVI.

Post scripta.

« Si quid obscure et non satis clare a me scriptum est, rogo, ne tua Illña Celsitudo in malam accipiat partem; quia non omnia satis tuto litteris committi possunt. Non enim dubito, quin omnia in particulari satis ex ore Sporeni intellexerit, aut etiam intelligere possit.

Tuæ Illñæ Celsitudinis

Sacellanus obedientissimus
BEATUS EPISCOPUS CURIENSIS,
Deus novit quandiu.

Gregorius, qua erat humanitate ac sollicitudine in omnes Ecclesias, Curiensem Episcopum paterne admodum de injuriis ab hæreticis illatis solatur; jubetque bono esse animo, ac de intempestiva desperataque sententia se abdicandi plane decedere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 32. f. 188

Venerabili Fratri Beato Episcopo Curiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Legimus magno cum dolore literas Fraternitatis Tuæ ad dilectum filium nostrum Marcum Episcopum Constantiensem Cardinalem; sed volumus, te bono ac forti animo esse, neque ullis injuriis cedere, cogitantem, quam gloriosum sit pro Christo dimicare, quamque sæpe præsens auxilium ferat in rebus desperatissimis. Neque tamen interim cessavimus tuæ atque Ecclesiæ istius incolumitati providere, quantum quidem potuimus, humano consilio assequi. Itaque scripsimus ad septem Pagos Helvetiorum Catholicorum, ut omni ratione obsistant, hominesque istos ab illa mente deterreant; (scimus enim, magnam esse illos isthic auctoritatem, facileque posse adversarios ab incepto revocare) id eos quam primum facturos speramus. Nec unquam Fraternitati Tuæ deerimus, teque omnibus in rebus auctoritate, atque opera juvabimus. Istam vero Ecclesiæ deponendæ ac destituendæ, munerisque tibi a Deo assignati deserendi cogitationem omnino abjice, et quoniam, non ut vis, certe ut potes, commissas tibi oves custodi et guberna. Neque vero desunt in ista diœcesi loca, in quibus tuto esse possis; sunt enim nonnulla Catholicorum Principum: est etiam parochia illa, de qua scribis, quam Tuæ Fraternitati libenter concedemus; scimus enim nihil ei curæ impedimenti allaturum esse Episcopatum, cum in eadem ipsa diœcesi sit. Ac si qua alia in re Tuæ Fraternitati gratificari poterimus, non deerimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Augustii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Helvetios porro graviter monet, ut optimo Præsuli adjumento sint, audaciamque hæreticorum coerceant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 33. f. 188.

Dilectis Filiis Helvetiis Septem Pagorum Catholicorum, videlicet Lucernæ, Uraniæ, Svitiæ, Subsilvaniæ, Tugii, Friburgi et Salodori, Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil miramur fuisse vobis grata vasa atque ornamenta ea, quæ ad vos deferri curavimus; decet enim, grata esse optimis filiis omnia paternæ erga se charitatis indicia, quam quidem charitatem perpetuam erga vos fore pollicemur, eamque vestris meritis Nos debere profitemur: vicissimque gratissima Nobis est vestra pietas, atque erga Nos Sanctamque hanc Sedem observantia, quam in vestris literis perspeximus. Ejus nunc pietatis et voluntatis declarandæ summa vobis facultas datur, quam ut toto pectore amplectamini, etiam atque etiam rogamus. Venerabilis frater Episcopus Curiensis gravissime vexatur a nonnullis ejus loci hominibus, qui deserta sacrosancta religione novis hæreticis adhærent. Hi contra Catholicos illius Ecclesiæ Canonicos conspirarunt, moliunturque eos ejicere, summque Episcopo obedientiam eripere, resque in summo atque præsenti periculo est. Omnia circumspeximus, nec præter vestram virtutem, summamque auctoritatem quidquam aliud se ostendit, quod tantæ injuriæ et furori possit opponi. Rogamus vos, quantum possumus per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, ut negocium suscipiatis, neque Ecclesiam illam tam fœde ve-

xari atque everti patiamini, mittatisque eo aliquem cum vestris literis et mandatis, hominesque illus ab ea mente deterreatis, et tum preces, tum, si ita opus esse intelligetis, minas etiam adhibeatis, euretisque, ne Ecclesia illa a talibus furiis detrimenta patiatur; sed summa celeritate opus est, præsens enim, ut diximus, vis et periculum est. Acceptissimum Deo facietis et Nobis gratissimum, et vobis etiam ipsis utilissimum in tam vicino incendio extinguendo. Novimus prudentiam, virtutem et pietatem vestram, itaque optima spe sumus. Cætera ex dilecto filio Jodoco Segissero, cohortis peditum Helvetiorum custodiæ nostræ Præfecto, cognoscetis, eique fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

XLV. — Res Poloniæ ob ancipitem uno tempore duorum regum electionem summa in perturbatione ac discrimine versabantur. Utraque pars per suos Oratores creberrime missos electum regem monebat, ut quam primum pacta electionis, vulgo paeta conventa dicta, jurejurando firmaret, atque in Poloniam ad regnum capessendum contenderet: ille enim regno potiturus videbatur, qui in eo occupando æmulum anteiret. Id revera Transilvano Principi obtigit opera sane hominum de sua factione, qui in eo maturando negotio solertiores sese præstiterant, quam qui partes Cæsaris sequebantur. Stephanus igitur Bathorius VI. Idus Februarii hujus anni in ecclesia parochiali oppiduli Medgyes ab tredecim Oratoribus Polonis, qui una cum ducentis viris, partim ex Ordine Equestri, partim ex inferioribus nobilitatis gradibus adlecti Reipublicæ nomine ad novum Regem salutandum convenerant, Rex est renuntiatus: adstantibus etiam eum primoribus Transilvaniæ viris, tum vel ipsis Oratoribus Valachiæ et Turcarum. Rex medius in tanta illustrium virorum frequentia peculiaribus litteris, ac solemni jorejurando interposito obfirmavit pacta conventa, quæ in Comitiis generalibus pro rege eligendo posita fuere [*] inter ipsum Regem et regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ Ordines. Die insequenti Rex Polonorum Oratores lautissimo convivio excepit, singulisque in donum dedit equum: quæ munera octo millibus acutatorum æstimata fuerunt. En quæ Pestlius quidam amico suo Christophoro a Tiefenbach, qui erat e consilio Cæsaris, Vindobonam de hac re in oppidulo Medgyes peracta mandavit. [*]

[*] Apud Dumont Corps diplom. T. V. P. I. pag. 252 256.

[*] Germania Vol. 41. fol. 151.

« Hoc quoque Generosæ et Magnificæ Dominationi Vestræ significare volui, Dominum Woyvodum Transylvaniensem circa horam undecimam in templo parochiali hujus civitatis Meggesensi hodierno die solemniter et publice in regem Poloniæ promulgatum et pronunciatum esse: ibique coram oratoribus regni Poloniæ, ac coram toto cœtu regni Transylvaniæ, genibus flexis ad altare ejusdem ecclesiæ ad sacrosanctum Evangelium fidem suam vovisse, eumque in regem Poloniæ pronunciatum esse, ibique, cæremoniis peractis, Te Deum laudamus cecinisse, tympana et tubas clangisse, atque strepitus bombardarum per duas integras horas jaculasse.

« Cæterum sciat G. et M. Dom. Vestra, Magnificum Dom. Christophorum Bathory in Woyvodum Transylvaniæ, atque Mag. Dom. Christophorum Hagunassy in generalem capitaneum regni Transylvaniæ pronunciatos esse. Datum Megges 8. Febr. anno 1576.

Ejusdem G. et M. Dom. Vestræ

Servus perpetuus

FRANCISCUS PESTLIUS.

XLVI. — Primus omnium Principum exterorum Stephano de suscepto regno gratulatus est Magnus Turcarum Dominus, qui per Oratorem suum ei suasit, ut quam primum Cracoviam peteret, et se ibi in Regem inungi curaret. Eidem spondet etiam se paratissimum esse ad ejus voluntati obsequendum, copiasque auxilio missurum contra quoscumque, qui ei in capessendo regno impedimento forent, præsertim vero contra Maximilianum Cæsarem ac Moscorum (ut ajebat) ferocem tyrannum, atque adeo, si necesse fuerit, contra ipsum Gallorum Regem. En superbas ejus ad Regem Poloniæ litteras. [*]

[*] Germania Vol. 11. fol. 137.

« Nos Amurates, Deus Terrestris, Imperator totius Orbis, Flagellum Dei, Custos Paradisi, Magni Prophetæ Mahometi fidelis Servus.

« Illustris et Magnifice Domine, amice nobis observandissime, salutem et omne bonum tibi ex animo optamus. Rumores qui ad nos sunt allati, te jam esse electum in Principem in Regno Poloniæ, valde nos delectant, triumphos in urbe nostra Constantinopolitana celebrare mandavimus, quamvis nonnulli Senatores, præsertim spirituales, in detrimentum seu pernitiem Reipublicæ propter privatum suum commodum, ita ut ajunt, Maximilianum Regem Viennæ in alium Principem elegerunt. Usurpant sibi authoritatem Reipublicæ Poloniæ nocivam; tamen te nihil moveat, præsertim cum universi Equites, ad quos magis pertinet electio Principis, animum ad te accommodaverunt, quibus nos, cum necessitas expostulaverit, promptissimos offeremus. Da itaque operam, ut quam citius possis te inferre in primariam civitatem Cracoviæ, nihil hostilitatis et periculi a Polonis suspicans; cum sæpe experti sumus, sicut et antecessores nostri, fidelem constantiam illorum erga Dominos suos: nihil te moveat superbia Regis Viennæ, ferocitas Ducis Moschorum; nam, si alieni, nemini sunt feroces, nisi sibi et suis subditis. Nos tibi promittimus, per Deum vivum ejusque Prophetam Magnum Mahometum, toties quoties tibi opus

fuerit et subditis Regni Poloniæ, cum copiis nostris contra quoscumque hostes in auxilium tibi non defuturos. Et si aliqua pericula a Rego Maximiliano senseris, dabis operam, ut facias certiores exercitus nostros in partibus Hungariæ degentes, qui residuas partes Hungarorum devastare et depopulare non cessabunt, imo semper in auxilio non deerunt, et quia te optime nobis amicissimum cognovimus, tributum proprium celeriori expeditione de Transylvania damus. Accepimus non ita pridem literas ab Henrico Galliarum Rege nobis amicissimo, qui ægre fert sibi a Polonis per incuriam despectum fieri, qui etiam vult aliquando hujusmodi despectum ulcisci. Dabimus operam, ut in Regno Poloniæ sine aliquo impedimento commode regnare possis. Foedera seu pacta perpetua in Regno Poloniæ tenere promittimus. Datum in Constantinopoli 8. Januarii mensis Mohomethæ Prophetæ 984. (An. Chr. 1576.)

XLVII. — Qui partes Cæsaris tuebantur, eumdem etiam atque etiam rogarunt, ut nulla interposita mora ingenti militum vi, magnaque auri argentique copia in Poloniam properaret, tum ad Transilvani asseclas opprimendos, tum ad eorum qui illi adversabantur animos sibi conciliandos. Cum autem Maximilianus nummorum penuria valde laboraret, Pontificem adit rogatque, ut sibi centum millia scutatorum mutuo dare velit ad sumptus, qui ad vindicandum servandumque Poloniæ regnum necesse fore viderentur. Gregorius haud gravate id præstitit. (*)

(*) Reg Gregorii XIII. Ann IV. ep. 151 l. 101.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Exposuit quam dilegentissime dilectus filius Claudius Trivultius, quem ad Nos cum literis et mandatis misisti, quid hoc maxime tempore a Nobis postulet Majestas Tua. Laudamus in primis consilium tuum Regni Poloniæ divinitus tibi delati curationis suscipiendæ, ejusque tuendi, communiumque hostium Turcarum conatus repellendi, idque insigni tua pietate et virtute dignissimum judicamus. Gratissimum item Nobis est, perspectam tibi esse nostram erga te charitatem, volumusque, te omnia tibi a Nobis polliceri, quæcumque potest filius optimus a patre amantissimo. Itaque et ea charitate, qua Tuam Majestatem tuasque res prosequimur, et eo desiderio, quo vehementissime angimur nobilissimi illius Regni salutis, quam in tua præstanti virtute, prudentissimaque moderatione, quodque omnis rectæ regnorum, publicarumque rerum rectionis fundamentum unum est Catholicæ Religionis tuendæ atque amplificandæ cura, sitam esse intelligimus, in maxima ærarii nostri tenuitate, plurimarumque expensarum, quibus undique urgemur, mole, quidquid pecuniarum conficere poterimus, ubi necessitas fuerit, Majestati Tuæ impartiemur ad ea pericula propulsanda, quæ vel nostro sanguine et vita libentissime redimeremus: idque eo libentius etiam faciemus, quod speramus, cæteros Principes nostro exemplo adductos idem facturos, atque ad communem Catholicæ Ecclesiæ causam suam quoque opem collaturos. Hæc atque alia ex Trivultio ipso, atque ex Nuncio nostro fusius cognoscet Majestas Tua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xi. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

XLVIII. — Tandem, rebus sapienter dispositis, Cæsar Viennæ in magnifico Patrum Augustinianorum templo x. Kal. April. inter Missarum solemnia eadem pacta conventa, quæ Transilvanus vi. Idus Febr. juraverat, solemni jurejurando obfirmavit coram Polonis Legatis, pluribusque Episcopis, aliisque selectissimis viris ex primoribus tum Poloniæ tum Austriæ hominibus. Quum autem pactis illis (quæ eadem Henricus Rex Parisiis sanxerat,) nonnulla circa liberum cultus exercitium in gratiam Dissidentium haberentur, quæ in magnum Ecclesiæ Catholicæ detrimentum verterent, (*) Cæsar, postquam id animadvertit, præsertim opera Pontificii Nuntii Vindobonensis, annuit, ab Alberto a Lasko, atque a nepote Archiepiscopi Gnesnensis coram se, præsentibus Nuntio Apostolico aliisque, contra eos articulos protestationem recitari, ne ipse ad eosdem articulos confirmandos in solemni coronationis die adigeretur cum Religionis Catholicæ detrimento.

(*) Mantissa documentor N 15.

XLIX. — Inter cæteros, qui Cæsari favebant, primum obtinebat locum celeber ille Albertus a Lasko, sapiens ac probatissimus vir, rerum bellicarum peritissimus, qui hoc tempore et Cæsaris et Ecclesiæ Catholicæ res juvit maxime. Summum erat in hoc viro studium erga fidem Catholicam, quam paucis ante annis, neotericorum dogmatibus repudiatis, amplexus fuerat. Hujus rei luculentum testimonium faciunt litteræ, quas Vindobona iis diebus, quibus cum Cæsare de ejus in Poloniam profectione agebat, Pontifici misit. (*)

(*) Germania Vol. 24 fol. 11.

Beatissimo Patri et Domino Domino Gregorio Divina Providentia XIII., Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Post beatissimorum pedum osculum. Nihil æque in ardentissimis votis meis habebam, quam commodam aliquam occasionem mihi dari, qua ego ad meam erga Sanctissimam istam Sedem Vestramque Beatitudinem observantiam testandam atque declarandam apte uti possem. Atque cum interim omnium commodissima per præsentem exhibitorem Johannem Dambrowsky,

Olomucensis Ecclesiæ Decanum, mihi meæque familiæ commendatissimum hominem, isthuc proficiscentem sese offerret, ea alacerrime arrepta primum venerabundus ad Beatitudinis V. pedes provolutus, ipsi filii obsequentissimi per meum hunc familiarem reverentiam exhibeo; inde (quod et apud felicis recordationis PP. Pium Quintum Sanctitatis Vestræ prædecessorem ingenti mea cum voluptate feceram) cogitationes, studia, res meas omnes, denique me ipsum totum Beatitudini Vestræ offero atque trado, ita ut his omnibus Vestra Sanctitas ad nutum et arbitrium suum utatur. Mihi enim, Beatissime Pater, ut nihil est suavius, nihil æque in hac vita delectabile, quam scire me filium atque clientem devotissimum Sanctitatis Vestræ esse: ita nec quicquam optatius accidere mihi potest Beatitudinis Vestræ imperio, quam post Deum in terris supremum Pastorem, primarium Patrem atque Dominum meum libentissime habeo et agnosco; summam felicitatem nactum me existimabo, ubi Sanctitas Vestra tantum cogitationum ad tenuibus his meis viribus in causa Religionis Catholicæ utendum adjecerit, quantum mihi in Sanctissimæ istius Ecclesiæ sinu conquiescenti Deus Optimus animi, voluntatis atque desiderii ad suum sanctissimum numen suamque puram Religionem indidit. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram ad universalis Ecclesiæ salutem diu conservet.

Viennæ 19. Februarii Anno 1576.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius et humillimus servitor

ALBERTUS A LASKO.

Hunc tantum virum Gregorius amplissimis fert laudibus, hortaturque, ut in sententia maneat, in tuendaque Ecclesia alacriter pergat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 198 f. 184.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Lasco Palatino Siradiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Lectis literis Nobilitatis Tuæ, quas attulit dilectus filius Joannes Olomucensis Ecclesiæ Decanus, dici non potest quanto gaudio in Domino exultaverimus. Quid enim est, quo magis lætari debeamus, quam filiorum nostrorum pietate et caritate? cujus et in hac vita fructus uberrimus est, et in futura ac sempiterna, supra quam dici possit, amplissimus. Hæc autem sic elucent in tuis literis, ut nihil amplius possimus a charissimo atque optimo filio desiderare. Itaque et eas literas sæpius legimus, et te summa charitate amplexi sumus, tuamque istam pietatem et virtutem Christo obtulimus, proque ea omnem tibi felicitatem precati sumus. Quod Pontificiam dignitatem et potestatem, quam Nobis indignis contulit Dei misericordia, magnopere, ut par est, veneraris; quod in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinu conquiescis; quod id te tum maxime facere existimas, cum Catholicam Religionem tueris, proque ea assidue dimicas; quod cum id totis viribus facis, tamen tibi ipsi satisfacere non potes, summa hæc sunt Divinæ bonitatis in te munera, pro quibus et maximas illi gratias agimus, et Tuæ Nobilitati merito gratulamur: sunt enim bona hæc non terrena et caduca, sed sempiternæ beatitudinis, ad quam facti sumus, certissima pignora. Quod igitur Nobilitatem Tuam ad ea, quæ tantopere facis, hortemur, nihil est; quod Deo gratias agamus, permultum: id vero facimus toto pectore, ejusque bonitatem oramus, ut istam tam præclaram voluntatem et virtutem tuam tueatur, in diesque magis ac magis augeat sua gratia, ad sui nominis gloriam, Catholicæque fidei dignitatem, tuamque perpetuam beatitudinem. De Nobis vero sic pollicemur, neminem esse in nostris charissimis filiis, quem magis diligamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

L. — Utraque factio, Cæsarea inquam et Bathoriana, infestissimas inter se inimicitias susceperant, capitalique odio ita se invicem insectabantur, ut itentidem ad arma concursum fuerit, factæque omnium et domesticarum rerum direptiones ac vastationes. Cum vero ex hac dimicatione Bathoriani superiores discessissent, Transilvanus a suis impulsus Cracoviam recto contendit cursu. Itaque x. Kal. Majas ingenti militum manu stipatus fines regni ingreditur. Kalendis Majis Stephanus in ea urbe et Anna Poloniæ Infans ab Episcopo Cujaviensi Reges solemniter inunguntur; postridie ejus diei nuptiæ inter ipsos celebrantur, quamvis omnibus constaret, illum ejus ingenii esse, ut a matrimonio maxime abhorreret; quippe res unice bellicas intueretur, in easque omnes animi corporisque vires intentas haberet.

LI. — Qui a Cæsare stabant, quorum præcipuus dux Archiepiscopus Gnesnensis habebatur, quum cognovissent, Transilvanum jam jam in Poloniam appulsum, nihil sibi reliquum faciendum esse senserunt ad Cæsari persuadendum, quantocius itineri se dare, regnumque capessere. Has ergo litteras Gnesnensis Præsul Cæsari per Albertum a Lasko dedit, quibus significabat prope ultimum discrimen Christianæ reipublicæ instare, nisi celerrime subsidio occurreret. [*]

[*] Germania Vol. II. fol. 211.

Serenissima Cæsarea Regiaque Majestas, Princeps et Domine Domine Clementissime.

« Valle periculorum cincti, imo interitui ipsi præsentissimo jam tam expositi, hoc solum habemus residui, ut proxime post Dominum Deum Majestatis Vestræ auxilium implorantes supplices oremus: Salva nos Domine, quia perimus. Nihil enim jam aliud restat adversariis Majesta-

tis Vestræ et nostris ad consumendam suam tyrannidem, quam ut bello cruentissimo crudelissimoque nos imprimis, nisi Majestas Vestra celerrime opem ferat, deglutiant, deinde totam Christianam Remp. implicent et pessumdent, et etiam ante se justum exercitum huc nulla mora præmittere, nisi enim jam adsit, perimus; quod avertat omnipotens Deus, et propter gloriam suam et Christianorum salutem ac Vestræ Majestatis dignitatem; prout de his omnibus Majestatem Vestram Dominus Referendarius amicus, cui in scriptis ea mitto plenius informabit et certiorem faciet. Commendo me et obsequia mea deditissima Majestati Vestræ.

Datum Lovicii 15. Aprilis 1576.

LII. — Cum autem Maximilianus Cæsar plurimis gravissimisque Imperii negotiis distineretur, rem non bello, sed pacis artibus transigere maluit, in proximis nempe Comitiis Ratisbonensibus exploratis antea S. R. I. Electorum Principum sententiis. Antequam igitur de auxiliis adversus Turcas comparandis eos consuleret, de Poloniæ regno sibi vindicando cum Principibus et Ordinibus agere cœpit. Subsidium quidem Turcicum non ad bellum, ut recentiorum vocabulis utar, offensivum, sed solummodo defensivum, idque non sine difficultate concessum est. De Poloniæ autem regno, cum Cæsar postulatis Principum Protestantium circa liberum cultus exercitium obsecundare, ut modo enarravimus, renuisset, Principes atque Ordines Imperii minus ei favebant. Huc cum illud etiam accessisset, quod Cæsar verebatur, ne si Turcæ suis exercitibus Transilvano præsto essent futuri, Hungariæ etiam arma inferrent, in regno illo sibi asserendo non admodum laborabat. Denique Maximiliani mors controversiam diremit, ac Transilvano Poloniæ corona sine ulla dimicatione stetit.

LIII. — Illa duorum Regum Poloniæ uno tempore facta electio magnum Pontifici negotium facesserat, sollicitudinemque haud levem attulerat. Incertus enim hærebat, cui eorum Maximiliano num, an Transilvano delatum regnum probaret, an uterque pro Rege sibi esset habendus. In causa erat, quod Transilvanus, quamvis et ipse Catholicæ Ecclesiæ satis se addictum profiteretur, tamen ut Imperatoris Turcarum feudatarius nonnihil timendus esset: præterea magnam super sui fide suspicionem fecerat, quod, a quibus Rex renunciatus fuisset, eorum plerique erronea Neotericorum placita sequebantur. Huc accessit, quod Legatum Pontificis e regno quodammodo exire jusserat, quia se ut Regem habere noluerit, donec id illi faciendi a Pontifice esset facultas. Denique Stephanus ipse animi pendebat, num Pontifici per Legatum electionem suam nuntiaret, eique ex more Catholicorum Principum obedientiam præstaret. Henricus Rex etiam nonnihil impedimenti afferebat, qui, etsi vi exutus regno fuisset, nihilominus jura sua ad illud prætendebat.

LIV. — In hac tanta rerum publicarum fluctuatione et ecclesiastica negotia, quod consequens fuit, valde erant implexa atque impedita. Plura itaque in Ecclesiis Cathedralibus beneficia vacabant: quin etiam nonnullæ episcopales sedes Episcopos desiderabant. Cui malo ut opportune mederetur, Archiepiscopus Gnesnensis, qui Stephano admodum erat invisus, Pontificem exoravit, ut Henrico III., tanquam Regi Poloniæ, indultum ad dignitates ecclesiasticas nominatim designandi, ab Romanis Pontificibus Poloniæ Regibus antiquitus impertitum, denuo confirmaret, quoad alius rerum status induceretur. Quod Pontifex, iniqua temporum conditione permotus, utique annuit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 3. l. 164.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibilem Nobis voluptatem afferunt omnes tuæ literæ, quia semper in iis perspicimus singularem pietatem, atque erga hanc Sanctam Sedem observantiam. Quod Nos cousulis de concessa Henrico Regi facultate nominandi ad beneficia, censemus eam facultatem pertinere etiam ad nominationes in posterum faciendas, inque eo concessimus Henrico eandem potestatem, quam cæteri Poloniæ Reges antiquo Romanorum Pontificum beneficio habuerunt: eademque illa potestate uti æquum est, modo ii, quos nominabit, idonei fuerint, quod etiam ipsis Apostolicis literis cavetur. Idque ut fiat, curabit Episcopus Chelmensis, earum ipsarum literarum executor factus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die II. Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LV. — Stephanus tandem aliquando devictis ac profligatis iis, qui ei hucusque adversati fuerant, rebus suis melius consulens III. Idus Julii de sua in Regem Poloniæ electione certiorem Pontificem facit; ab eoque etiam atque etiam rogat, ut res suas contra intempestivos adversariorum conatus tuendas suscipiat, et facta consiliaque sua nullam in suspicionem vocare velit. Præterea nuntiat, se propediem Romam Legatum missurum, qui suo nomine Sanctæ Sedi Apostolicæ, ipsique Pontifici debitam obedientiam præstet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35. l. 38.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

« Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum, regnique mei, ac dominiorum meorum commendationem. Quod, posteaquam in Dei

nomine regni Poloniæ gubernacula, per solemnem unctionis ac coronationis meæ inaugurationem, cepi, nullos hactenus ad Sanctitatem Vestram Oratores miserim, qui fasces meos regios Sanctitati Vestræ, Christi Dei nostri Vicario, submitterent, meumque nomen apud Sanctitatem Vestram, unicum Sedis Apostolicæ præsidem, inter reliquorum Catholicorum regum nomina profiterentur, ne quæso existimet, neve sibi persuaderi patiatur Sanctitas Vestra, alia de causa factum esse, quam meis primum regnique mei occupationibus summis, deinde vero etiam nonnihil impeditis hoc tempore itineribus usitatis ad Sanctitatem Vestram. Quid enim est, quod alioqui aut prius, aut libentius facerem, quam ut ego, qui per Dei gratiam catholicus semper vixerim, nunc summa Dei benignitate in hoc regiæ dignitatis fastigio constitutus, apud Sanctitatem Vestram, summum universalis Ecclesiæ Pontificem, nomen meum profiterer, in isto orbis terrarum theatro, inter tot antecessores et æquales meos reges Christianos, quorum memoria in benedictione est, et laus in Ecclesia Sanctorum? Verum ejus rei facultatem eripuerunt mihi interea, ut dixi, tempora regni mei maxime necessaria, quæ tamen ipsa, opinor, brevi eam mihi restituent, ac meum desiderium summum in ipso hujus mei regni initio salutandi de more Sanctitatem Vestram per Oratorem meum ad exitum, quod spero, optatissimum deducent. Nunc quoniam initia ista regni mei in quasdam ejusmodi difficultates inciderunt, ut non minus fortassis istic facta, consiliaque mea, quam hic quoque facta consiliaque nonnulla Sanctitatis Vestræ in suspicionem vocari videantur, equidem quod ipse ultro facio, ut de Sanctitate Vestra nihil, quod non sit cum illius pietate et religione, cumque adeo Sedis istius Apostolicæ dignitate conjunctum, persuaderi cuiquam patiar, idem a Sanctitate Vestra his meis litteris peto et quæso, ut si quid forte istuc alienum a perpetuo meo erga hanc Sanctam Sedem studio et observantia ad Sanctitatem Vestram afferatur ab hominibus existimationi meæ periniquis, (quod quidem, nisi his virtuti inimicis temporibus, nunquam mihi profecto alias vereri in mentem venisset) id totum Sanctitas Vestra pro sua prudentia respuat et aspernetur, certum habens ac persuasum, me constantiam religionis meæ catholicæ, quam libenter admodum profiteor, ad extremum usque spiritum per Dei gratiam conservaturum esse. Atque hæc quidem de rebus meis. Quod autem præterea præsentem statum regni mei attinet, perficiat quæso Sanctitas Vestra, ut cum omnium reliquorum regnorum atque imperiorum Christianorum libertates curæ habeat, easque paterno prorsus affectu prosequatur, tum ipsius quoque Reipublicæ Poloniæ, non magis meo, quam ipsius Sanctitatis Vestræ nomini devotæ et addictæ, libertatem tueatur, neque eam, quod absit, sive aperto, sive etiam tacito suo consilio et assensu, (quemadmodum malevoli spargere in vulgus non dubitant) per cujusquam hominis contentionem everti aut labefactari ulla ex parte patiatur. Nam Nobilitati quidem ipsi, et Ordinibus regni mei, quod mihi apud Sanctitatem Vestram dissimulandum non est, certum est, jus suum modis omnibus tueri, atque adeo, si opus sit, tanto libentius pro libertate sua occumbere, quanto crebrius pro aliena etiam libertate ab hostibus nominis Christiani tuenda ac defendenda vitæ discrimen adire non dubitarunt. Quisquis autem se juri ac libertati eorum propriæ opposuerit, is profecto primum pacatam hanc et florentem admodum Rempublicam, ac vere murum totius Christianitatis in maximos ac turbulentissimos motus conjecerit; deinde universum prope terrarum orbem bello funesto et inexplicabili involverit: postremo autem sibi quoque turpissimam illam privatam factionum fovendarum maculam ad omnem posteritatem asperserit, et præterea acerbissimam cum præsentem, tum vero etiam multo magis æternam consciæ menti suæ pœnam divinitus accersiverit. Quæ ego interea, dum tempus est, ad Sanctitatem Vestram libere pro officio meo referenda esse duxi, ut ipsa etiam Sanctitas Vestra cum meum hoc erga se officium in optimam partem accipiat, tum vero his ipsis toti Christianitati perniciosissimis conatibus, pro officio quoque suo patris et pastoris communis, tempestive occurrat. Cætera Deus viderit Opt. et Max., qui mihi regnum hoc peramplum et perhonorificum, uti semel summa sua voluntate detulit, ita nunc jam, quod quidem ipsius domesticas omnes rationes attinet, pacatum prorsus et tranquillum reddidit pro sua misericordia infinita. Ut intelligat Sanctitas Vestra, atque adeo orbis Christianus universus, si qui postea motus in pacata hac Republica exorti fuerint, quod omen Deus obruat immortalis, eos non aliunde sane quam ab externis ipsis hominibus fuisse excitatos. Commendo regnum dominiaque mea omnia in gratiam et protectionem Sanctitatis Vestræ. Datum Varsoviæ die v. mensis Julii anno Domini MDLXXVI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ.
mpp.

Idibus Sept. alteris obsequentissimis quidem litteris Pontificem obsecrat, ut cum mense Septembri, qui de collatione pontificia esse censebatur, Raphael Mstomski Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis vita excesserit, Martinum Lasez aviæ suæ alumnum ex illustri familia, optimisque ornatum moribus atque eruditum, ad illum Canonicatum promoveat. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33 fol 29.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Nostro Colendissimo.

Beatissime Pater.

« Post oscula pedum beatorum, salutem plurimam, perpetua felicitate cumulatam, Beatitudini Vestræ cupio ex animo. Pro eo affectu et pietate, quam a majoribus meis susceptam erga Sacrosanctam Catholicam Religionem gero, flagrans simul desiderio singulari retinendæ dignitatis Ecclesiarum Catholicarum, optarem sane in his auspiciis Regni mei tales personas ad gubernacula earum provehi, quæ huic ipsi retinendæ et amplificandæ etiam dignitati Ecclesiasticæ apti ac idonei esse possint: ideo cum ad præsens in mense isto Septembri, qui in collatione Sanctitatis Vestræ esse censetur, mortuus esse perhibetur vir bonus et pius Canonicus in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Raphaël Mstomski, ut alium in ejus locum provehi necessum sit, commendo Sanctitati Vestræ alumnum Aviæ meæ, et Cancellarium Notarium, discretum ac nobilem ex Illustri familia ortum Martinum Lasez, clericum in minoribus sacris, rite ordinatum, et optimis moribus simul et eruditione non vulgari instructum, ut eum Sanctitas Vestra ad hunc Canonicatum promoveat; per quem simul promovebit Vestra Sanctitas bonum illius Ecclesiæ, et mihi etiam gratificabitur, ut tanto propensior animus et concitacior mea cura fuerit ad conferenda ornamenta in Ecclesias omnes Regni mei. Quod quidem Regnum una cum perpetua observantia mea in gratiam Sanctitatis Vestræ commendo. Datum Mariemburgi die XIII. mensis Septembris anno Domini MDLXXVI. Regni vero nostri anno primo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ
mpp.

Stephanus, nullo responso a Pontifice accepto, Stanislaum Cardinalem Hosium, Protectorem Poloniæ, ineunte mense Novembri rogat, ut apud Pontificem agat pro Episcopo Premisliensi, quo ad Cathedram vacantem Posnaniensem transferri possit. En ejus litteræ, quibus ab invidorum hominum accusationibus hunc Episcopum impense ac fusiori calamo purgandum suscepit. [*]

[*] Polonia Vol. II. fol. 250.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Stanislao Hosio, Cardinali Warmiensi Sedis Apostolicæ Supremo Pœnitentiario, amico syncere nobis dilecto.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæque etc. Princeps Transylvaniæ.

« Illustrissime ac Reverendissime Domine amice syncere nobis dilecte. Promovimus Reverendum Dominum Lucam Kosczielecium Episcopum Præmisliensem ad Episcopatum Posnaniensem, summa ejus virtute et optimis in nos atque Rempublicam meritis, eum illo vocantibus, sicut de his planius in literis promotionis seu nominationis nostræ ad Sñum Dominum nostrum præscribimus. Apud quem, quoniam Illustrissimam Dominationem Vestram gratia atque auctoritate multum valere intelleximus, facere pro nostro offitio, et in rem Ecclesiasticam atque ipsum Koscziclecium studio non potuimus, quin eum etiam cum hac tota sua causa Illustrissimæ Dominationi Vestræ commendaremus. Petimus itaque ab Illustrissima Dominatione Vestra, velit Koscziclecium ipsum complecti et negocium hoc translationis ejus ex Præmisliensi ad Posnaniensem Episcopatum ita agendum suscipere, ut is quamprimum Episcopus Posnaniensis in amplissimo illo vestro collegio dicatur et renuncietur, et nostrum de eo juditium rectum sane et syncerum approbetur, quod alioqui de illo minime interponeremus, si illum ad tantam dignitatem minus idoneum videremus. Et ideo, si quid fortasse, ut plerumque virtuti solet esse comes invidia, minus commode dictum confictumque isthic a malevolis de eo fuerit, ne talibus figmentis ulla fides habeatur, sed valeat ejus spectata virtus; valeat etiam juditium nostrum, quod sane in nullius gratiam, qua minime necesse habemus, contaminare velimus, contra omnes petulantes linguas, si quæ in eum forte exarserint; ob id etiam tanto ardentius negotium hoc ab Illustrissima Dominatione Vestra suscipi et confici velimus, quanto justior et honestior causa hæc per se est, et in utilitatem Ecclesiæ, atque præsidium et ornamentum Reipublicæ Regni mei cedit. Cujus quidem operæ causa Illustrissima Dominatio Vestra meritas gratias et laudes, ut a nobis, ita vero ab ipso Koscziclecio referet, ac nos sibi in perpetuum devincet. Cupimus tandem Illustrissimam Dominationem Vestram benevalere. Datum Thorunii die 17. Novembris anno Domini MDLXXVI. Regni vero nostri anno primo.

STEPHANUS REX.

Anna Regina etiam litteris pietatis obsequiique erga Sanctam Romanam Sedem plenissimis, VI. Idus Octobr. datis, Pontificem alloquitur, nuntiatque se Reginam Poloniæ sacra unctione inauguratam esse, et nuptias cum Stephano Rege celebrasse; denique se et conjugem suum Pontifici maximum in modum commendat. [*]

[*] Polonia Vol. II. fol. 204.

Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime, post oscula pedum beatorum.

« Cum Domino Deo, in cujus manu jura sunt regnorum et imperiorum omnium, ita visum esset, ut me quoque regibus parentibus et majoribus procreatam, in regali tandem digni-

tate, atque adeo in ipsa Divorum majorum meorum sede collocaret, equidem actis per hæc tempora divino ejus numini gratiis, uti ad summam illius majestatem, et ad meam indignæ ancillæ ipsius tenuitatem pertinebat, faciendum mihi deinceps esse existimavi, ut ad ipsam quoque Sanctitatem Vestram majestatis illius in terris Vicarium, de omnibus his rebus pro officio meo referrem, et apud eam gratissimum meum animum pro tanta ipsius misericordia contestarer. Scito igitur Sanctitas Vestra, me, quod faustum felixque sit tam mihi, quam Ecclesiæ ac Reipublicæ Christianæ universæ, Calendis ipsis Maji proximis ad Reginalem regni Poloniæ dignitatem unctam de more et inauguratam esse, eodemque illo tempore in matrimonium concessisse Serenissimi Principis et Domini Stephani regis Poloniæ etc. conjugis mei charissimi et observandissimi. Quam rem equidem uti in primis cupio probari Sanctitati Vestræ, ita libenter sane profiteor, me totum hoc quicquid mihi ex hoc Reginali honore accessit, esse tum ad divini numinis gloriam, tum vero etiam ad Ecclesiarum ipsius, et Sanctæ istius Sedis Apostolicæ dignitatem collaturam. A Sanctitate Vestra peto et quæso, ut me cum Serenissimo ipso Domino et conjuge meo gratia et favore suo complectator, et de utriusque erga sacrosanctam catholicam religionem amore et pietate constanti persuasa, in eorum principum numero habeat, qui auctoritatem Sanctitatis Vestræ omni studio agnoscunt, et omni cultu venerantur. Non dubito, quando ego erga Sanctitatem Vestram mei semper similis sum futura, atque adeo omnes rationes augendi mei erga Sanctitatem Vestram studii semper investigatura, ipsam quoque Vestram Sanctitatem sui saltem similem erga me futuram; neque unquam ab eis officiis esse destituram, quæ ego me a Sanctitate Vestra superioribus meis doriusculis temporibus accepisse, et fateor, et memini, et magnopere lætor. Commendo me omnesque istas accessiones meas in gratiam Sanctitatis Vestræ, quam diu florentem ac fortunatam esse cupio ad laudem et gloriam Dei immortalis. Datum Varsoviæ die x. mensis Octobris, anno Domini MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Filia obsequentissima
Anna Regina Poloniæ.

LVI. — Et ex iis, quæ narrata sunt, quisque videt, quam adnitendum fuerit Bathorio, quanta animi vis præseferenda, quam Dei auxilio fidendum, ut regnum, quod inierat, mediis civilibus tumultibus, partium inter se pugnantibus studiis, tueri moderarique posset. Effecit tamen, quæ nemo alius fortasse effecisset. Quo enimvero robore virtutis, qua ingenii pertinacia præditum esse oportuerit virum, talia molitum; id hujus ad regni proceres orationis, Thoruni in prætorio postridie Id. Novemb. habitæ, stylus et sententia prodit. (*) [(*) Germania Vol. 41. fol. 8]

« Non sum, inquit, in caula, sed homo liber natus. Neque antequam in has terras veni, mihi victus et amictos defuit. Libertatem itaque meam amo, et conservabo, Deo volente. Per vos in Regem vestrum sum electus, vobis postulantibus et instantibus huc veni. Per vos corona capiti meo est imposita: sum igitur Rex vester non fictus, neque pictus. Volo regnare et imperare: non feram, ut quis mihi imperet. Custodes libertatis vestræ estis; sed non volo, vos Pædagogos meos fieri, nec Senatorum. Custodes igitur tales sitis libertatis vestræ, ne hæc libertas vestra in abusum vertatur.

LVII. — Cum Maximiliani obitus Pontificem etiam omnibus difficultatibus, quæ ex potentissima ejus factione objiciebantur, liberasset, Gregorius nullam amplius moram interposuit, quominus Stephanum uti Poloniæ Regem humanissimis litteris salutaret, de suscepto regno gratularetur, atque hortaretur ut, quod antea semper præstiterat, nunc majori Religionem Catholicam studio tueretur: Legatum denique ad suum nomen S. R. Sedi profitendum in obedientiæ testimonium quam primum mitteret. (*) [(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 90 f. 320.]

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Qualis sit Majestatis Tuæ pietas, inque Catholica Religione tuenda, Apostolicæque Sedis et Christi Vicarii dignitate atque auctoritate, ut par est, agnoscenda et colenda constantia, cum multorum sermonibus et fama ipsa, tum ex celebri illa professione, quam tuis verbis fecit apud Nos Orator tuus, multo antequam ad Regiam istam dignitatem pervenires, apertissime cognovimus: opinionemque illam, quam tum cepimus, amantissima semper de te cogitatione retinuimus. Postquam autem in amplissimo Regiæ dignitatis gradu locatus es, persuasum Nobis fuit, te Deo, atque huic Sanctæ Sedi pietate en devinctiorem futurum esse, quo es munere ipso atque officio propinquior. Omnis enim Regis vera ac solida laus, et in hac vita fœlicitas in eo sita est, si velit omnem suam auctoritatem, potestatem, consilia denique omnia Deo, per quem Reges regnant, inservire, in sanctissimo nimirum ejus cultu tuendo, latissime propagando, in quo speravimus tuam operam nemini unquam Catholicorum Poloniæ Regum fidei et virtuti cessuram. Hoc igitur nostrum constans de tua pietate judicium tuis nunc literis confirmari, quæ nostræ, bonorumque omnium expectationi amplissime responderunt, summopere lætati sumus, Divinæque bonitati gratias quantas possumus maximas agimus, te-

que ut filium charissimum amplectimur. Quod Oratorem ad eam, quam solent omnes Reges Catholici, obedientiam præstandam nondum miseris, temporum difficultate id accidisse et Nos hucusque interpretati sumus. Cum venerit, libentissime eum videbimus, honorificeque, ut decet, accipiemus. De nostra autem erga te voluntate falsis sermonibus te non esse permotum, laudamus, et Nobis nihil, quod esset ab optimo et Catholico Rege alienum, de te persuaderi passi sumus. Consilia enim, et rationes nostras ita semper Deo auctore dirigere solemus, ut nemini prorsus præjudicium aliquod, ne minima quidem in re, inferamus. Regnum vero istud, Majestatem Tuam, resque tuas omnes ita commendatas habebimus, ac tanta charitate amplectemur, ut facile intelligere possis, incolumitatem vestram cum Christiani orbis securitate conjunctam esse a Nobis vere existimari. De Tua vicissim Majestate sic Nobis pollicemur, daturam omnem operam, ut nullum pii, ac vere Catholici Regis officium ab ea desiderari possit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Novembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Mox alteris litteris Episcopum Montis Regalis in munere suo apud eumdem Regem confirmat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 78. f. 233.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. De nostra erga Majestatem Tuam voluntate et paterna charitate facile potuisti ex aliis nostris literis cognoscere. Eam autem charitatem tuæ pietati, Sanctæque hujus Sedis venerationi, quam in tuis literis, quibus tum rescripsimus, perspeximus, quamque perpetuam fore pollicebaris, deberi judicavimus. Mandavimus igitur Venerabili fratri Vincentio Montis Regalis Episcopo isto in Regno, jam antea Nuncio nostro et Sedis Apostolicæ, ut eundem Nuncii locum apud Majestatem Tuam teneat, eoque munere apud te fungatur, quo solent Nuncii nostri apud cæteros Catholicos Reges fungi, testisque assiduus sit nostræ paternæ erga te voluntatis, impertiatque nostra auctoritate Tuæ Majestati tuisque Catholicis beneficia spiritualia, quibus indigetis, Nosque in dies certiores faciat, si quid opus erit per Nos vestræ utilitatis ac salutis causa, quæ quidem tantæ Nobis curæ erit, quanta esse potest cujusvis Regni Catholici dignitas et salus. Erit igitur Nobis gratissimum, si ei fidem tribueris omnibus in rebus, de quibus cum Tua Majestate aget nostro nomine. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDLXXVI. Pontific. Nostri anno quinto.

Paullo ante, quod Pontifex gravibus de causis non fecerat, admonere inquam Regem de suo officio mittendi Romam Legatum, ut ab eo Rex appellari et haberi posset, id præstitit (ipso fortasse suadente Pontifice) Cardinalis Comensis, qui ei erat a secretis. Hic igitur officiosissimis litteris Reginam adiit, et exposuit, quibus ex causis tum Pontifex, tum ipse tam longum tempus intermiserint, quin ullas ad eos darent litteras. Cæterum a Deo adprecatur, ut honorem ipsis collatum ad bene gerendam rempublicam fortunare velit. (*)

(*) Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 29. epistol. 138

Serenissima Regina.

Cupiebam ego multo ante regiam istam dignitatem Majestati Vestræ gratulari; sed retinuit me Romanorum Pontificum institutum, qui Reges appellare, et ad eos literas dare non prius consueverunt, quam ab illis de more Catholicorum omnium Principum legatio ad Sedem Apostolicam missa sit: quandoquidem Cardinales Pontifici uti membra capiti convenire debent. Nunc autem cum Serenissimus Rex conjux vester Sanctissimo Domino Nostro scripserit magna cum testificatione optimæ voluntatis suæ, nec dubitetur, propediem missurum eum ad præstandum Sanctitati Suæ obedientiam, nolui amplius differre hujusmodi officium. Gratulor itaque Majestati Vestræ, ac Deum precor, ut in sublimi isto statu quamdiutissime eam cum Serenissimo conjuge fœlicem servet et protegat: optoque, ut studio, opera, et obsequio meo, (quæ prompta semper antehac fuisse in rebus suis meminisse eam arbitror) in posterum rei, cum occasio tulerit, utatur; erit id mihi valde jucundum. Romæ die VII. Novembris MDLXXVI.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

LVIII. — Ut aliquid heic de religionis negotiis, quæ in mediis turbis civilibus, Republica capite orbata, valde languescebant, inseramus, haud prætereundus silentio est Episcopus Vilnensis. Hujus ingens studium extitit erga Patres Societatis Jesu: quorum cum in instituenda juventute mirabiles in dies progressus cognosceret, petiit a Pontifice, ut in eorum Collegio Universitas scientiarum constitueretur, et eidem Universitatum privilegia largiretur, ne juvenes Lithuani ad sublimiores scientias excolendas in exteras gentes proficisci cogerentur. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 9. fol. 81

Beatissimo Patri et Domino Dño Papæ Gregorio XIII. Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Dñe Clementissime. Post oscula beatorum pedum et mei humillimam in gratiam Sanctitatis Vestræ commendationem.

« Ex Collegio Societatis Jesu, quod Dei benignitate in hac civitate Vilnensi per me fundatum est, qui fructus ad Ecclesiam Dei et Rempublicam perveniant, scio Sanctitatem Vestram, cum ea de re etiam ad me indignum dare suas literas dignata sit, non ignorare. Quod etsi non-

dum usque adeo plenam habeat fundationem, spero tamen, si Domini misericordia mihi vitam prorogaverit, accedente Regia liberalitate ac benignitate plenam esse futuram. Ea spe fretus cogitavi maxime e re futurum, si in hoc Collegio Universitas constitueretur, cum in Magno Ducatu Lithuaniæ, qui latitudine Regno Poloniæ comparari potest, alibi nusquam sit, nec esse possit. Video enim huc non solum ex ipsa Lithuania, sed etiam ex Polonia, Prussia, Livonia, imo etiam ex Germania, propter commoditatem victus non parvum fore confluxum, maxime si sciant se in Universitate literis operam daturos, et ex ea non solum literarum fructum, sed etiam testimonium eruditionis relaturos. Quamobrem Sanctitati V. humiliter supplico, dignetur Collegio Vilnensi Universitatis privilegia largiri, ut in eo cum cætera pro more Universitatum fieri, tum Bacalaurei, Magistri in artibus, et Philosophia licentiati, et Doctores in Theologia creari possint, ad majorem Dei gloriam et Catholicorum studiorum amplificationem. Quod non dubito etiam ipsi Regi Poloniæ, quem brevi in Lithuaniam venturum speramus, fore gratissimum, et quicquid privilegiorum Collegio Vilnensi concesserit Sanctitas Vestra, summa voluntate ab illo confirmatum iri. Cum his me et minima obsequia, ac indignas orationes meas gratiæ ac benignitati Sanctitatis Vestræ submisse commendo, et Deum precor, ut Sanctitatem Vestram diu Ecclesiæ suæ servet firmam et valentem. Vilnæ 25. Junii Anno Domini 1576.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus Capellanus

Valerianus Episcopus Vilnensis manu sua.

LIX. — Primores vero Polonorum imprimis filios suos Romam miserunt, ut non magis in litteris, quam in fide Catholica duce et doctore, ut ita dicam, Pontifice educarentur. Ne plura exempla hic congeramus, sufficiat memorare celebrem illum Nic. Christoph. Radzivilium, inter nobiles Lithuanos primum locum obtinentem, qui fratres suos minores natu, quorum alter ab Episcopo Vilnensi Coadjutor constitutus fuerat, eo consilio Romam ad Pontificem misit; quique ab eodem paterna plane affectuum significatione excepti fuerunt. Radzivilio valde doluit, quod tristissima rerum Polonicarum conditio necessitatem imponeret, citius quam voluisset, eos Roma revocandi, maximasque gratias egit Pontifici pro tot tamque insignibus in suos collatis beneficiis. (*)

(*) Polonia Vol. II. fol. 213.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. Divina favente clementia Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater.

Post oscula beatissimorum pedum Sanctitatis Vestræ, precor eidem cum sanitate perenni felicissimos rerum successus.

« Cum fratres meos germanos Illustres Georgium et Albertum Radivilos Romam ablegarem, inprimis hoc illis inculcabam, ut Sanctitati Vestræ humillime servirent, atque gratiam ipsius sibi ita conciliarent, ut Sanctitatis Vestræ inspectione, et Illustrissimorum Reverendissimorumque Cardinalium et Episcoporum ac religiosorum hominum exemplo, doctorumque virorum eruditione et conversatione ad meliora in dies proficerent, et tandem virtutum doctrinæque ornamentis aucti, Ecclesiæ Dei suæque Reipublicæ utiles forent. Quod parvo hoc tempore aliqua ex parte assequutos esse illos confido, ampliusque etiam assequuturos sperassem, si patriæ nostræ status, et ea mutatio absentiam ipsorum ferre diutius potuisset. In eas enim angustias redacti sumus, ut quemque ad Reipublicæ sananda vulnera rerumque suarum conditionem tuendam præsentem esse oporteat, nisi majorem in dies jacturam et dignitatis et facultatum experiri velit. Quapropter tempori obediens domum revocare fratres coactus sum, ut mature sibi consulant, nec meus illis, quo hactenus detineor, morbus obsit, quo minus sub novo Principe res suas stabiliant. Ex quorum litteris abunde intellexi, meique fatalis morbi exinde quædam solatia percepi, quam uberi illos gratia Sanctitas Vestra prosequatur, et ab Illustrissimorum etiam Cardinalium et omnium ordinum singulari benevolentia perfruantur, et ad morum honestatem rerumque usum magnam faciant accessionem. Quæ omnia Vestræ Sanctitati accepta referre, et perpetua ipsi gratitudine obstringi debent. Ego si maxime vellem, tantis beneficiis Vestræ Sanctitatis erga me illosque dignam gratiarum actionem referre non possum; quas tamen possum, pro hac mihi fratribusque meis præstita a V. Sanctitate clementia, humillime ago gratias, precibus ad Deum fusis orabimus, ut Sanctitatem V. diu salvam et florentem ad Ecclesiæ suæ utilitatem servare dignetur. Fratres mei quoad vixerint, benignissimum vultum Sanctitatis V. et tot clementiæ argumenta experti, ardentissime ad gratitudinem præstandam accensi domum venient. Quos ut Sanctitas V. citissime dimittere velit cum ea qua hactenus usi sunt gratia, et sua sancta benedictione, humillime supplico, quo patriæ statum ipsi intueantur et periculis imminentibus consulant. Hoc illis, præsertim Illustri ac Reverendissimo Domino Coadjutori Vilnensi, rogo beneficium Sanctitatis Vestræ accedat, ut a Reverendissimo Patre Generali Societatis Jesu exigat Sanctitas Vestra, quo ei aliquem doctum et pium ex illa religione virum comitem itineris adjungat, cujus opera et conversatione hic etiam ad pietatem magis imbui, et in omni Episcopo necessaria eruditione proficere possit. Quod et alia omnia nobis præstita a Vestra Sanctitate beneficia, per-

petua gratitudine nostra prosequemur. Accepi et sanctum munus inclusi Agnus Dei, a Vestra Sanctitate mihi missum, magna alacritate et animi mei solatio, pro quo et aliis omnibus Vestræ Sanctitati in me familiamque meam tantæ benevolentiæ pignoribus, eas quas possum infinitas, iterum atque iterum ago gratias. Quod reliquum est, Vestræ Sanctitatis pedes exosculor, et meam illi servitutem humillime defero. Datæ Vilnæ die XXVII. Junii anno MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus
NICOLAUS CHRISTOPHARUS RADZIVIL
in Olica et Niesviez Dux, Marschalcus
Curiæ M. D. Lithuaniæ.

Verumtamen Gregorius amantissimis litteris Radzivilium ab inito consilio abducere curavit: suasitque, ne ægre ferret, quod fratres suos, præcipue Georgium Coadjutorem Vilnensem diutius apud se retineret; quippe qui in Theologicis disciplinis magnam sibi jam laudem comparavisset, optimis doctoribus uteretur, quorum facultas haud ita in patria ei suppeteret, spemque de se fecisse optimum Episcopum futurum. Quod vero neque alterum ab se discedere sineret, in causa erat, quod in pluribus Italiæ regionibus, per quas iter essent facturi, sævissima pestis grassaretur; cujus mali ditio pontificia erat expers. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 66 f. 218.

Dilecto Filio Nobili Viro Nicolao Radivilio Duci Olicæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi ex eo tempore, quo primum cognovimus decrevisse Nobilitatem T. ad Nos mittere dilectos filios Georgium et Albertum, una etiam cognovimus optimam in ea re voluntatem et consilium tuum, tamen jucundissima Nobis fuit tua ejusdem ipsius consilii recens commemoratio. In quo etiam semper laudavimus tuam excellentem tum erga Deum pietatem, tum erga fratres tuos charitatem; sic enim, ut scribis, laborasti, ut Deus, vestraque Respublica optimis ministris uterentur, et simul etiam id operasti, quod maximo fratribus ipsis bono et laudi erat. Quid enim majus est, quam in virtutis cultu et doctrinæ studio versantem suas cogitationes atque actiones omnes dirigere primum ad Dei gloriam, tum ad suæ ipsius Reipublicæ dignitatem. Hoc et per se facere, et in aliis optare et curare Divinum quoddam bonum est; in quo etiam tua cura præclare respondet gestis tuis, assiduæque dimicationi pro Catholica Religione et regni istius dignitate. Mirifice etiam fratres ipsi respondent expectationi et desiderio tuo: sic enim sese gerunt, ut magna apud omnes in laude, admiratione atque amore sint. Georgius etiam magnos progressus facit in sacra Theologia, inque eo studio est totus, utiturque præceptoribus doctissimis, neque facile scimus, an posset tales istic reperire: eum vero ab his divellere, quid aliud esset, quam optimi juvenis in studio omnium nobilissimo et fructuosissimo ardorem restinguere, eumque e medio summæ laudis cursu revocare, tardioremque ad eandem laudem postea repetendam reddere? Quod etiam sine magno Ecclesiæ ei commissæ detrimento accidere non posset. Scis enim, quantum Christi ovibus ad summam tranquillitatem atque ad cœlestis Regni spem situm sit in optimi pastoris virtutibus, atque doctrina. Et quamquam agnoscimus fratres tuos magnis de causis a te revocari, tamen majora multo esse judicavimus hæc, quæ a Nobis sunt commemorata. Quam ob rem vehementer cupimus, ut Georgius aliquandiu apud Nos sit, idque etiam Tuæ Nobilitati pro tua insigni pietate atque erga hunc fratrem charitate probatum iri confidimus. Albertum remisissemus; quem etiam hac tempestate majori tibi ac patriæ suæ usui fore intelligebamus, propter eam, quam profitetur, vitæ rationem, sed itinera periculosissima sunt propter maximam vim pestilentiæ in multis Italiæ regionibus gravissime sævientis, tametsi summa Dei benignitas facit, ut nostram ditionem hactenus hujus mali expertem habeamus. Itaque existimavimus, eum tantis periculis minime esse objiciendum, sed eum fratre retinendum, quod tum utrique maxime voluptati erit; (ægre enim inter se divellerentur, qui semper concordissime, conjunctissimeque vixerunt) tum etiam Nobilitati Tuæ confirmamus iterum, ita eos se gerere, ut magna omnium laude atque admiratione versentur, quos etiam, cum redierint, cognosces in sua quemque professione magno cum fructu tempus atque operam posuisse; tantum hortamur, ne eorum reditum urgeas, optimoque animo sis, publicisque et privatis rebus interim tua auctoritate et prudentia provideas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Octobris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LX. — Magnus etiam Moscorum Dux Oratores suos ad Cæsarem et Comitia Ratisbonensia miserat, qui suo nomine cum Ordinibus Imperii de conjungendo contra Turcas fœdere, deque Transilvano repellendo, ne Poloniæ regnum invaderet, agerent. Moscus enim amissa illius regni adipiscendi spe partes Cæsaris simulate fovit. Provido Pontifici, ac in omnem augendæ fidei catholicæ occasionem intento, re cum Cæsare per Cardinalem Moronum Ratisbonæ communicata, visum est, Moscorum Ducem in ea sententia confirmari debere; insuper alliciendum esse studiis atque officiis omnibus ad sanctius cum Ecclesia Catholica fœdus ineundum: id quod in mandatis ei dedit, qui a Cæsare in Moscoviam Legatus missus fuerat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 38 f. 196.

Dilecto Filio Nobili Viro Magno Moscovitarum Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Insignis atque optima voluntas Nobilitatis Tuæ erga sanctam Religionem, et fidem Jesu Christi multorum sermonibus et fama celebrata, et cum excellenti virtute ac potentia, paratissimaque opera in iis, quæ ad Dei gloriam pertinent, conjuncta, facit, ut propensissima et paterna in te voluntate atque animo simus. Speramus enim, te huic voluntati præclare respondere, talemque erga hanc Sedem Apostolicam esse, qualem maxime convenit. Itaque voluimus Nobilitatem Tuam his literis salutare, perque eum, qui eas tibi reddet, nonnulla tecum communicare, quæ quidem judicamus magnopere pertinere ad eam, quam diximus, Dei gloriam, communeque Christianitatis bonum. Gratissimum Nobis facies, si huic ipsi fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xi. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXI. — Inter Principes Protestantes ea ætate erat Joannes III. Svecorum Rex, qui Protestantium doctrinam aversatus illud in votis habebat, ut Ecclesia Svecana, depositis Lutheri erroribus, cum Ecclesia Catholica conjungeretur. Cujus voti quo facilius compos fieret, visum ei est eam rationem inire, qua sensim ac per intervalla rem consequeretur, quin vulgi rumores aut aperti tumultus, aut eruditorum contentiones impedimentum afferrent. Ad quod assequendum animo occurrit, optimum factu esse si Liturgia Ecclesiæ Svecanæ, quæ aliqua adhuc avitæ fidei vestigia retinebat, quoad fieri posset, in eam formam transferretur, quam Catholicæ Ecclesiæ Liturgia, in Missa præsertim, exhibet. Quo consilio sibi suadebat paullatim veram Ecclesiæ doctrinam instaurari posse: propterea quod sapienter quidem animadvertebat, si illi venerandi sanctissimique Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui luculentissimi testes, interpretes ac custodes veræ fidei jure haberi debeant, a suis subditis usurparentur, inque suos mores reciperentur, facile fieri posse, ut dogmata etiam, quæ in illis continerentur, animis complecterentur. Huic operi pientissimus Rex jam inde ab anno MDLXXA. manus apposuerat, applicueratque animum. Quod opus ut conficeretur, correctiora opera Sanctorum Patrum atque ecclesiasticorum scriptorum in lucem edita, qui hoc sæculo disciplinam ac venerandos Ecclesiæ Catholicæ ritus contra vesanas Lutheri, Calvini et eorum asseclarum impugnationes acerrime defenderunt, ex Germania ac Belgio comparari, emique non sine ingenti sumptu, et in Sveciam invehi jusserat. Stanislaus igitur Cardinalis Hosius, Episcopus Varmiensis, elegantissima horum operum exemplaria eidem per piissimam illam Reginam Catharinam ejus uxorem dono obtulerat. Quibus rebus adjutus Joannes Rex tandem una cum clarissimo illo viro Petro Fechtenio, omni litterarum genere, sacrarum præsertim, apprime exculto, quo a secretis utebatur, quique cum aliquanto ante ab impiis Neotericorum placitis abhorreret hisce diebus clam Ecclesiæ Catholicæ nomen dederat, opus innumeris impeditum difficultatibus propius aggreditur.

LXII. — Verum enimvero quod Regis animum angebat maxime, illud erat, quod ecclesia Svecana non secus atque ecclesia Anglicana et Danica, quæ unæ, ut omnes norunt, quamdam episcopalis ordinis speciem retinuerant, quamque hodie dum etiam præ se ferunt, vero legitimoque sacerdotio carebat. Etenim Gustavus Erici Wasa, qui avitam fidem incredibili atque immani furore penes suos Svecos, quos eidem mira constantia addictissimos habuit, persequebatur, et ferro ignique radicitus evellendam per summum nefas aggressus fuerat: catholicis Episcopis vel crudelissima morte cæsis, vel exilio mulctatis, homines laicos nulloque sacerdotali ordine insignitos, novarum doctrinarum asseclas, suffecerat: ut autem suis Svecis illuderet, in Comitiis Arosiensibus anno MDXXVII. eos in Episcopos veteri Ecclesiæ Catholicæ ritu ac cæremoniis inungi sacrarique curaverat. Cui veri legitimique sacerdotii defectui ut consuleretur, opportunitatem advenisse eo tempore judicavit Joannes Rex, cum Laurentius Petri e Lutheri schola, Gustavo Rege, anno MDXXXI. Archiepiscopus Upsalensis, et Primas ecclesiæ Svecanæ constitutus, anno MDLXXIII. vi. Cal. Nov. morte abreptus fuerat. Statuerat ergo Joannes clarissimum virum, et veneratione dignum Comitem ab Hoya, ex veteri Regum Svecorum stirpe procreatum, Episcopum Monasteriensem in Sveciam arcessere, qui Romani Pontificis auctoritate, et Archiepiscopatum Upsalensem regendum susciperet, et temporis progressu Apostolicæ Sedis auctoritate legitimam Episcoporum successionem Sveciæ restitueret. Illud tamen Joannis consilium ad exitum perduci non potuit, quod Præsul ille præstantissimus, omnibus virtutibus ornatus, anno MDLXXIV. e vivis excesserit.

LXIII. — Qui vero piis hisce Joannis conatibus adversatus maxime esset, ipse fuit Laurentius Petri, cujus apud suos ingens erat auctoritas, eum cum tanquam porioris Evangelii patrem in Svecia jactarent; quare, et huic e vivis sublato, Rex Laurentium Petri Gothum, demortui generum, successorem dedit. Erat enim hicce vir mitis ingenii; et adeo diutinorum theologorum Protestantium dissidiorum pertæsus, ut moderatius de Ecclesia Catholica sentiret, Regisque conatibus ad Svecanam ecclesiam cum

illa conjungendam occulte faveret: inde etiam Rex majorem in dies alacritatem ad opus suum afferebat.

Itaque medio fere autumno anni MDLXXIV. Rex electum Archiepiscopum et reliquos Episcopos una cum nonnullis ex qualibet diœcesi parochis, quos sibi faventes noverat, Holmiam convocat; eisque sententiam suam de reducenda ecclesia Svecana ad priscos et venerandos Ecclesiæ Catholicæ ritus aperit. « Quos ibi acturum comparantes, ita narrat J. Messenius, clarus ejus temporis inter Svecos historicus, [*] copioso ipsemet sermone inprimis, deinde per Fectenium, aliosque clementer allocutus, cum gravi quadam detestatione commemorat, quot exorirentur passim in Europa hæreses; quantus inde tumultus in Belgio, Hollandia, Gallia et tota pene Germania grassaretur; quantæque flagrarent dissensiones non inter Sacramentarios tantum et Anabaptistas, sed etiam ipsos Confessionis Augustanæ Theologos; quod horum nonnulli, scilicet Vitebergenses ac Lipsenses, se primitivæ Patrum Ecclesiæ vellent nonnihil accommodare, reliqui autem studerent eandem protervius oppugnare. Immo tantum, porro inquit Princeps, cepit hactenus incendium istud incrementi, ut præcipui Evangelicorum Doctores, de hujusmodi summopere ambigentes doctrina, velut continuam non habente successionem ab Apostolis, suos ablegarent hoc anno nuncios ad Constantinopolitanum in Græcia Patriarcham, Protestantibus cum illa Ecclesia unionem impetraturos!

[*] Scondia illustrata. Tom VII. pag. 30.

« Svconibus propterea consultissimum esse in tanta religionum ubique terrarum discordia, se ad Apostolicam et Catholicam primitivæ fidem Ecclesiæ, sacris utriusque Testamenti, velut etiam Sanctorum Patrum, clarissimis firmissimisque roboratam testimoniis, et horum sanguine obsignatam, quantocius conformare. Nec dubium, inquit, est, quod nostra justo longius a veteri desciverit Ecclesia, cum luce clarius sit, majores nostros, quando non ita pridem errores satagebant veteres in patria eradicare, simul plurimas constitutiones antiquissimas, religiosissimasque penitus evulsisse, non citra grandem avitæ pietatis jacturam! et forsitan in quibusdam ipsiusmet fidei articulis, pariter a veterum semita infallibili exorbitasse. Illud vero potissimum inde constare affirmat, quod, si nostra Missæ forma cum Liturgia Apostolorum, et præsertim S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi, S. Ambrogii atque Gregorii Magni paulisper conferretur, tantum inveniretur discrimen, quantum inter diem et noctem. Atque hinc demum conclusit Rex orator, a Missæ primum conformatione faciendum esse initium, et postea reliquam Fidei et Cærimoniarum indubiam cognitionem, secundum Sacram Scripturam, ex libris sanctorum priscæ Ecclesiæ Doctorum esse hauriendam, velut fontibus limpidissimis, non cisternis Scriptorum hoc sæculo florentium turbidissimis.

« His præsens non gravate Clerus argumentis persuasus, consensit, ut devotior Missæ forma concinnaretur, et modo præfationem Canonis nonnihil immutatam admisit, veteremque in cantu ordinationem Ecclesiastico permisit. »

Rex deinceps sedibus episcopalibus vacantibus consuluit, prout ex usu esse sentiebat, præficiendo Lincopiensibus Magistrum Martinum, scholæ Gevalensis rectorem, Arosiensibus Erasmum, quo a concionibus utebatur: viros tum litterarum sacrarum ac profanarum haud ignaros, tum Ecclesiæ Catholicæ haud quaquam adversantes.

Ita igitur qua erat solertia et prudentia, ut novum Prælatum Upsalensem arctius sibi devinciret, promptiorem ad obsecundandum suis consiliis faceret, eodem anno exeunte scilicet MDLXXIV. iterum ad se accersit in speciem quidem ad sui muneris confirmationem obtinendam, re autem vera ad consilia de reformanda Ecclesia Svecana cum eo communicanda. Pluribus igitur colloquiis cum eo habitis, eidem suadet, ut hisce articulis subscribat, eosque se servaturum promittat. Atque en articuli a Rege ipsomet conscripti, et Archiepiscopo a Petro Fechtenio exhibiti. [*]

« 1. De servanda jurisdictione ecclesiastica usu Catholicæ Ecclesiæ recepta.

2. De officiis et gradibus ecclesiasticis longo usu servatis adhuc retinendis.

3. De ritu et ordinatione Episcoporum more antiquorum observanda.

4. De cæremoniis in Ecclesia olim usitatis, in posterum conservandis, ne eadem sub nomine libertatis Christianæ contemnantur.

5. De diebus festivis rite celebrandis.

6. De Sanctis honorandis, licet non adorandis aut invocandis.

7. De piis sequentiis, hymnis, responsoriis, collectis in Missa usurpandis.

8. De Evangeliis quadragesimalibus prisco more proponendis.

9. De Sacramentis et sacrificiis in Ecclesiæ utilitatem continuo usu servandis.

10. De forma præcationis ante præfationem in administratione Cœnæ Domini proponenda Ecclesiæ.

11. De oratione pro mortuis in sepultura illorum publice recitanda.

12. De vera præsentia, non coexistentia corporis et sanguinis Christi in S. Cœna.

13. De confirmatione puerorum baptizatorum per Episcopum in visitationibus non negligenda.

14. De confessione privata recipienda, licet propter abusum aliquando siluerit.

[*] Cf. Baaz. Epi. Lincopien. Inventar. Eccles. Sveco-Gothorum lib. 3. cap. 18. p. 363. Lincopiæ 1642. 4.

15. De vero usu cœlibatus, ne contemnatur propter aliquorum abusum.

16. De extrema unctione morituris administranda. »

Quis igitur non videt, Regem in his agendis nihil aliud agitasse animo, quam ut Ecclesiam Svecanam paullatim ad genuinum Ecclesiæ Catholicæ typum traduceret; atque eo sane consilio, ut re dein confecta, facilius ac opportunius de utraque Ecclesia unienda Pontifici proponeret?

LXIV. — Sed his non contentus maturius ad destinatum opus properat: namque III. Idus Januarii anni insequentis, i. e. MDLXXV., eundem Archiepiscopum arctioribus etiam vinculis sibi obstringendum duxit. Sponsiones igitur ei proposuit, quibus Præsul ipse profiteretur, se Regis voluntati in Ecclesia Svecana ad disciplinam et dogmata Ecclesiæ Catholicæ reducenda omnino obtemperaturum; pro viribus præterea elaboraturum, ut et reliqui regni Episcopi, nec non Clerus suæ cuique curæ concreditus eadem factitarent. Damus etiam nunc fidejussionem, a Rege ipsomet comparatam. [*]

[*] Fr. Münter Magazin fur Kirchengeschichte u. Kirchenrecht des Nordens Tom. II P. III. p. 41 Altona 1793. 8 o

« Ego Laurentios Petri Archiepiscopus Upsalensis hac mea contestatione notum facio: cum serenissimus ac potentissimus princeps et Dominus, D. Johannes Tertius, dei gratia Svecorum, Gothorum, Wandalorum etc. Rex, Dominus meus clementissimus, deliberatam legitimam et concordem totius cleri hujus regni suffragationem et electionem, qua, post prædecessorem meum in Domino defunctum piæ memoriæ Archiepiscopum Upsalensem, mihi summa Ecclesiarum illius diœceseos inspectio et cura deferebatur, singulari ex gratia et favore ratam habuerit, mihique clementer et liberaliter de annuo prospexerit; itaque et de tanta serenissimæ ipsius Majestatis in me clementia, voluntate ac propensione serenissimæ ipsius Majestati, ut par est, humillime gratias ago maximas, et me ad omnia cum erga Majestatem ipsius Regiam debita obsequia, tum in vocatione mea fidelitatis et diligentiæ officia obligatum vicissim agnosco, et hisce obligo. In primis vero, quia maxime refert, ut sacrosanctum hoc depositum servemus, doctrinam Ecclesiæ, qua Deo unimur, et cujus propagatio nobis commendata est, præcipue mihi curæ erit, ut puram Ecclesiæ doctrinam, traditam in scriptis propheticis et apostolicis, Deo mihi assistente, fideliter tum viva voce, tum scriptis tradam et defendam, et concordiam in ea doctrina toto meæ vitæ spatio cum aliis constanter tuear. Ratione quoque mei officii monebo, cavebo, et, Deo juvante, avertam, quantum potero, ne agnita veritas et confessio veræ doctrinæ in ullo articulo depravetur; neque ullæ opiniones cum perpetuo veræ et Catholicæ Ecclesiæ Dei consensu pugnantes, vel in diœcesi mei inspectioni commissa, vel alibi in regno spargantur et defendantur. Non sine tristi autem dolore accipimus, ad plurimas hujus postremi temporis calamitates accedere ubique locorum fere atrocissima theologorum dissidia et ambitiosa certamina, a multis etiam fanaticas opiniones et damnatas hæreses revocari ac defendi, quibus omnibus et gloria Dei admodum læditur, et piæ mentes graviter perturbantur et offenduntur. Quales inter alias sacrosanctæ cœnæ dominicæ profanationes sunt novæ et commentitiæ speculationes de ubiquitate physica, quæ nostro primum tempore introductæ, et toti orbi Christiano inde usque ab initio ignotæ, admiscentur veræ et salutari doctrinæ de præsentia corporis et sanguinis Christi in dispensatione cœnæ, contra orthodoxam universæ Ecclesiæ confessionem. Movet et illud non immerito pios, quod, sicut olim, non defuerunt, qui gloriosam beatam, et intemeratam semperque virginem Mariam, Deiparam, Dei et Salvatoris nostri matrem admirati, in hanc hæresin elapsi sunt, ut, quod verbo Dei prohibetur, divinum honorem et cultum ei tribuerent, sacrificia offerentes, contra quos Epiphanius Cypri Salaminæ urbis Episcopus, etiam suo tempore graviter scripsit: ita e contrario hodie aliqui eo temeritatis inveniuntur prolapsi, ut nihil non eidem sanctissimæ et honoratissimæ semper virgini detrahere audeant, peccata ei nescio quæ adscribentes, de qua tamen omnium reverendissime et honorificentissime et sentire et loqui nos omnes oportet, quæ digna facta est suscipere in propriis finibus universorum Regem, Deum cœlestem, filium Dei, cujus uterus templum est, et domicilium ad Domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem et admirandum mysterium præparatus, quæ et intellectu et sensu in honore honorata est, velut corpora sanctorum, et si quid amplius ad glorificationem dixerim, ut ejusdem Epiphanii verbis utar. Horum autem et similium errorum non postremam esse causam deprehendimus, quod ejusmodi errorum auctores et defensores piam antiquitatem, testem veræ sententiæ certa auctoritate in Apostolica et Catholica Ecclesia Dei receptæ, vel prorsus negligant, vel non eo quo decet pietatis et veritatis inquirendæ studio evolvant et consulant. Ut igitur veræ doctrinæ puritas tanto melius vel mea opera conservetur et felicius propagetur, diserte polliceor mihi in primis curæ futurum, ut et ipse perpetuum consensum doctrinæ Ecclesiæ in omnibus fidei articulis et controversiis, quæcumque oriri possunt, juxta symbola Apostolicum, Nicenum et Athanasianum, et piæ antiquitatis testimonia inquiram et defendam, et aliis cum Professoribus, Academiæ Upsaliensis præsertim, qui Theologiæ studio ex professo animum adjecerunt, tum pastoribus Ecclesiarum in mea

diœcesi non solum semper auctor et hortator existam, ut cum sacræ scripturæ assidua lectione veteris et purioris Ecclesiæ scripta, et historias sacras seu Ecclesiasticas conjungant, diligenter legant et cognoscant, sed quoque, quantum a me fieri poterit, cum alias semper, tum in omnibus synodis, visitationibus et explicationibus meis monstrabo et quorum veterum Patrum scripta, et qua ratione recte cum judicio et fructu legi debeant. Cumque Serenissima Regia Majestas velit, ut qui hodie in Academia Upsaliensi sicut Professores, præter linguarum et artium professionem, ipsis commendatam singulis septimanis in Theologia prælectionem habeant: itaque ad Serenissimæ ipsius Regiæ Majestatis mandatum ex scriptis Patrum convenientes materias prælectionum singulis distribuam, et inspector ero tum Theologicarum tum aliarum lectionum et operarum, ut sit assiduitas, et proponantur utilia, nec longum tempus in materias inutiles aut inanes cavillationes, quibus aliqui ingenia ostentare solent, collocetur. Quia vero certum est, Ecclesiis ambitionem, pravas æmulationes, cupiditatem vindictæ et factiones exitio semper fuisse, cum collegis Episcopis, et aliis mutuam benevolentiam et concordiam semper tuebor. Si tamen inter me et collegas meos, vel alios inciderit forte controversia de parte aliqua doctrinæ et religionis, non modo ad contentiosa certamina cum ipsis privatim non descendam, nec propterea vel pro concione vel contumeliosis scriptis aut sermonibus eos lædam, sed quicquid fuerit controversiarum, id pro rerum ratione vel ad synodi alicujus vel bonorum virorum cognitionem et dijudicationem deferam, et res controversas veritatis inquirendæ atque conservandæ studio amice et placide finiam. Sedulo etiam admonebo Ecclesiarum pastores et administros sui officii, ut tam in cultu quam vita et moribus, ita ut sacerdotes decet, honeste se gerant, ne aliis malo exemplo et scandalo sint: nec deero mihi commisso officio contra delinquentes. Non tamen vel odio, vel in aliorum gratiam, quamquam injuria afficiar, non abutar ecclesiastica jurisdictione et potestate, ut neque in constituendis, vel ab officio amovendis Ecclesiasticis personis lucri et quæstus causa indignum Episcopo quicquam agam, sed in omnibus gloriam solius Dei, Ecclesiæ utilitatem et tranquillitatem publicam mihi ante oculos statuam, et sollicite quæram. Dabo etiam operam assidua admonitione et diligenti inspectione, ut sacerdotes studia et exercitia pietatis, jejunia, sobrietatem, castitatem, preces etc. ament et præstent, ac eo deducantur, ut pias Ecclesiæ cæremonias in publicis Ecclesiæ congressibus, in usu et administratione sacramentorum, in ægrotorum visitationibus et funerum exequiis etc. item dies festos celebriores cum usitatis piis cantionibus, hymnis et lectionibus de tempore et festis, quantum fieri possit, et pro temporum circumstantiis, observent, idque juxta constitutiones Ecclesiasticas hujus regni, quæ vel jam decretæ sunt, vel in posterum publico consensu decernentur; ad quas me quoque communis tranquillitatis causa et refero et obligo, nihil novi in Ecclesiam mea auctoritate introducturus, vel ab aliis introduci passurus, quod in synodis disputatum, conclusum, et constitutum, et a Serenissima Majestate Regia comprobatum prius non fuerit. In eam quoque rem diligenti incumbam studio, ut pastores populum ad pietatem semper hortentur, nec patiantur in se desiderari quod ad eam rem promovendam faciat. Breviter in doctrina, in vita, inque omnibus quæ mei sunt muniі, non aliter ac si omnes partes in specie enumeratæ essent, ita me acturum polliceor, ut, quantum in fragilitate humana cum divino auxilio a me præstari possit, non prætermittam, quod vel solus vel cum aliis fideliter communicato consilio sciam ad Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem et publicam tranquillitatem, bonumque ac decentem ordinem spectare ac prodesse. Honore quoque et integritate nominis interposita spondeo atque promitto tantum abfuturum, ut cujusque vel nomine vel auctoritate vel persuasionibus ab hac declarata mea sententia, et aliis, quæ pia, vera et recta sunt, abduci me patiar; ut potius veris rationibus allatis omnes corruptelas veræ doctrinæ, et fanaticas aliorum opiniones et errores impugnem, et contra quosvis constans permaneam, recta, utilia, et verbo Dei et piæ antiquitatis perpetuæ sententiæ consentanea dicendo et agendo. Ad hæc Serenissimæ Majestati Regiæ fidem, obsequia et paratissima studia mea, pro ratione meæ vocationis spondeo et promitto, Serenissimæ ipsius Majestatis, ejusque Majestatis dilectissimæ conjugis, Serenissimæ Principis Dominæ Catharinæ, Svecorum, Gothorum, Vandalorum etc. Reginæ et natæ Poloniæ Principis etc. utriusque Majestatis carissimorum liberorum dignitatem, utilitatem, commodum et salutem rebus omnibus meis anteponam, quantumque in me erit tuebor et defendam, aliosque tum in clero tum in populo ad eandem debitam Serenissimæ Regiæ Majestati, Serenissimæque Reginæ et utriusque Majestatis liberis observantiam et obedientiam præstandam diligenter invitabo, et sedulo hortabor: incommoda quoque et damna, quæ ejus Majestati, Regnoque vel clam strui vel manifeste parari, (quæ mala tamen Deus clementer avertat) aut ipse perspexero, aut ab aliis admonitus cognovero, et mature indicabo, et quibus potero modis, summo studio, summa diligentia et fide impediam et avertam. Hæc præmissa omnia libere, sponte, et non coactus promitto et spondeo me firmiter facturum et curaturum, sic me Deus quoad cor-

poris et animæ salutem adjuvet. Quam meam contestationem certitudinis majoris causa mea subscriptione, meoque sigillo subsigno et confirmo. Datum Stokholmiæ xi. die mensis Januarii anno Christi MDLXXV.

Ego Laurentius P. Gothus
mea subscriptione et sigillo confirmavi
et confirmo.
(L. S.)

Cui quidem formulæ mox, mutatis mutandis, nempe Nicolaus Olai Episcopus Stregnensis postr. Id. Martii, pluresque deinde ex præcipuis regni parochis subscripserunt.

LXV. — Incredibile dictu est, quanta id lætitia Regem affecerit, qui ex inclinatis horum Episcoporum in suam sententiam animis magnam in spem venit, sua sese proxime vota assecuturum: quare occasionem perficiendæ rei haud esse dimittendam ratus, Episcopos cæteros ac ex clero eos, qui humaniores ac doctiores erant, omnes præterea qui ex laicis litterarum fama erant insignes, mense Februario anno MDLXXV. Holmiam convenire jussit: eosque consulit, quid de Liturgia reformanda sentirent. Omnes in ejus sententiam iverunt, suaque sponte convenerunt, antiquos ritus in sacris procurandis nefario novatorum ausu abolitos magna ex parte restituendos esse: puta, manus lavandi, genu flectendi, cruce se signandi, jungendarum et extendendarum manuum, altaris deosculandi, aliosque ritus, quos Rubricæ Missalis Romani pro celebranda Missa præscribunt. Eodem in conventu decernebantur sapientissimæ leges de sacria utriusque fœderis Scripturis, non ad cujusque arbitrium, sed juxta unanimum Sanctorum Patrum, veterisque Ecclesiæ consensum interpretandis, de bonis operibus, de Sacramentis Confirmationis et extremæ Unctionis, tum etiam de solemnioribus quibusdam diebus festis, qui antea celebrabantur, restituendis: cujusmodi erant solemnitates Corporis Christi, Assumptionis et Nativitatis B. Mariæ Virginis, Sancti Laurentii martyris et plures aliæ. Quas leges hucusque ineditas publici juris fecimus in opere nostro de rebus Sveticis. (*)

(*) Schweden etc. T. III Doc. N.o CXII.p.157.

Joannes Rex felici adeo rei successu alacrius in dies ad suum negotium maturandum progreditur; quare mox alterum episcoporum conventum, ad mensem Junium hujus anni MDLXXV., Holmiam convocat. Eo convenerunt præcipuarum Sveciæ nec non Gothiæ et Finniæ urbium ecclesiastici viri, professores præterea Theologiæ Universitatis Upsalensis, et proceres regni, et regii administri. Qui conventus celebrari cœpit postridie Id. Junii die S. Basilio Magno sacro, qui et incidit in dominicam quartam post Pentecosten; atque ut augustior fieret, placuit Regi, ut Archiepiscopus solemniori modo ab Episcopis Wexiensi et Aboensi veteri Ecclesiæ Catholicæ ritu consecraretur. Qua consecratione peracta, Archiepiscopus electos Episcopos Lincopiensem et Arosiensem iisdem ritibus, assistentibus Episcopis Wexiensi et Aboensi, consecrat. Et quatuor post dies et reliquis deinceps diebus de religionis negotiis fuit consultum. Tum demum Rex magna eloquentiæ vi convocatis patribus necessitatem reducendi Svecanam Ecclesiam ad sanctiorem primævæ Ecclesiæ Catholicæ formam non modo circa ritus et disciplinam, sed etiam, quod plurimi interesat, de dogmatibus demonstrat: iisdem nunciat opus hoc gravissimum ac sanctissimum auspicato initum, prospere progressum brevi tempore, Deo adjuvante, ad summam regni felicitatem absolutum fore.

Postquam extremo eodem anno Rex opus suum Liturgicum absolverat; id ineunte hoc anno MDLXXVI. Holmiæ prelis excudi, atque universo regni Clero transmitti jussit, et præscripsit, ut in sacris peragendis ab omnibus adhiberetur, rejectis quibusvis aliis id genus libris, quos ab anno MDXXXVII., quo Svecia truculenta Gustavi Erici Wasæ tyrannide ab Ecclesia Catholica impie conatu abscissa fuerat, novorum dogmatum inventores Sveci conscripsissent. Opus istud, cui est titulus: LITURGIA SVECANÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET ORTHODOXÆ CONFORMIS, Stokholmiæ excudebat Tobernus Tidemannus an. 1576. lingua latina et svecana conscriptum. Constat sex et septuaginta foliis, vel duabus et quinquaginta supra centum paginis, in folio parvo in binas distinctis columnas, quarum altera textum latinum, altera versionem Svecanam exhibet.

LXVI. — Liturgia hæc magna ex parte de Missali Romano deprompta est: exhibet Ordinem et Missæ Canonem, iis solummodo demptis, quæ usui a Protestantibus in peragendis sacris usurpato nimia aperte adversantur. Rex enim in hac Liturgia conscribenda, ut sæpius fassus, Missali Romano, jussu Pii V. anno MDLXII. nova recensione Romæ edito, usus fuit. Quod si Regi in conscribendo textu Protestantium ingenio aliquoties indulgendum esse visum est; id tamen summopere præstitit pius Rex, ut in adnotationibus, quas creberrimas vel pluribus orationibus vel singulis Missæ ritibus apposuit, veros ut plurimum Ecclesiæ Catholicæ sensus exprimeretur atque explicaretur; identidem etiam defenderetur, qualibet tamen polemica contra novorum dogmatum auctores procul semota. Quod ad harum animadversionum rationem attinet, quæ græco vocabulo scholia audiunt, eæ quidem non sine laudabili delectu vel ex Sacra Scriptura vel ex Sanctorum Patrum, qui priscis sæculis floruerunt, operibus desumptæ sunt. Eam antecedit Archiepiscopi Upsaliensis præfatio, quam omni ex parte uti veteri Ecclesiæ Catholicæ vel maxime consentaneam commendat: monetque, ne quis tamen animo teneat, hasce liturgicas

constitutiones novas ac Romanorum Pontificum commenta esse; sed et pro certo habeat, sapienti orthodoxæ Ecclesiæ antiquitati prorsus usitatas fuisse.

Abs re nostra omnino esset, hanc Svecanam Liturgiam ad examen revocare, ac singulatim discrimen, quod eam inter et Ecclesiæ Catholicæ Missam intercedit, persequi: id cumulate præstitimus in opere nostro de rebus Sveticis, ubi satis copiose hac de re, de vero hujus Liturgiæ auctore, de turbis, quas eadem in Svecia quam maximas suscitaverat, egimus. [*] Rex hujus Liturgiæ unus auctor habendus est, qui eam ne verbum quidem ulli catholico sacerdoti faciens elaboraverat; usus solummodo Petro Fechtenio, viro sacris in litteris admodum versato. Illud vero a proposito nostro haud alienum esse duximus, gratumque facturi lectoribus visi sumus, si Liturgiam istam versione Svecana alias omissa inter documenta nostra ad calcem hujusce voluminis reciperemus; [*] quippe cum maximi sit momenti, tum summæ raritatis est, ut in Svecia ipsa paucissima exemplaria inveniri liceat; nam Carolus Sundermanniæ Dux, germanus Regis frater, qui Joanni, Sigismundo ejus filio regno exuto, successerat, ad ultima religionis Catholicæ vestigia in Svecia obliteranda, quotquot hujus Liturgiæ exemplaria deprehendi potuere, flammis comburenda dedit. Huic adjungimus earum animadversionum delectum, quibus eam Joannes Rex adornaverat, quæque ad ejus de restauranda Ecclesia Catholica in Svecia consilium declarandum apprime admodum valent. Quo in opere recudendo usi sumus exemplari, quod ipsemet Rex per celeberrimum illum virum Antonium Possevinum, dignissimum S. Ignatii de Lojola filium, in Svecia anno MDLXXVIII. ad curanda religionis negotia commorantem, Gregorio XIII. Pont. Maximo dono obtulit, quod hodie in Archivio Societatis Jesu Romæ asservatur. Fridericus quoque Münterus, vir inter Protestantes magni nominis, exquisitæ eruditionis, idemque episcopus Seelandiæ in Dania, eamdem Liturgiam extremo sæculo exacto recudendam curaverat in promptuario suo historiæ ecclesiasticæ regnorum septentrionalium, idiomate Theutonico conscripto; et adjecerat insuper commentarium historicum omni genere mendaciorum et scommatuum contra Ecclesiam Catholicam refertissimum; sed et hic liber rarus est, et in paucorum manibus versatur.

[*] Schwedenete T. I. pag 238-118.

[*] Mantissa document. N 15.

LXVII. — Rebus ita compositis Rex opportunum jam esse tempus, quo sibi tandem daretur facultas tam arduum negotium perficiendi, existimavit. Itaque vix Liturgia in regno accepta, haud distulit, quin consilium suum de hoc gravissimo negotio cum Romano Pontifice communicaret. Cum autem id non esset ejusmodi, ut litteris tuto committi posset, exeunte æstate misit ad eum oratores suos Pontium a Gardia, Gallum, Hugonottorum sectæ addictum, ast rei catholicæ faventem, rei militaris in Svecia Præfectum, virum rerum tractandarum experientia illustrem, et Petrum Michaelis Fechtenium, Cancellarium suum, quibus has litteras ad Pontificem perferendas dedit. [*]

[*] Germania Vol. 58, fol 268.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater.

« Salutem, et rerum, consiliorum atque actionum omnium prosperrimos successus ad nominis divini gloriam imprimis propagandam, ad summam Sanctitatis Vestræ et Ecclesiæ consolationem, tum denique christianæ Reipublicæ felicitatem, tranquillitatem ac pacem perpetuam Sanctitati Vestræ ex animo precamur, cum omnium officiorum et observantiæ nostræ diligenti commendatione.

« Occurrerunt nobis nonnulla magni momenti negotia, quæ certis de causis cum Sanctitate Vestra communicare voluimus. Quæ cum non satis tuto literis committi posse viderentur, in mandatis dedimus fidelibus nobis dilectis, generoso Domino Ponthe de la Gardie, Equiti aurato et Baroni in Eckholm, nec non ipsi adjuncto Secretario nostro Petro Michaelis, quorum fidem et integritatem nobis plane exploratam et perspectam habemus, ut ad Sanctitatem Vestram de iis nostro nomine debita cum observantia referrent. Quapropter a Sanctitate Vestra majorem in modum petimus, ut et in iis, de quibus apud eam nostro nomine agent, plenam et indubiam illis fidem Sanctitas Vestra tribuat, et negotia ipsa sibi quam commendatissima esse velit, proque rerum horumque temporum ratione secreta habeat, ut in spe de Sanctitate Vestra amplissime concepta confirmemur. Cupimusque, ut Sanctitati Vestræ persuasissimum sit, nihil nos malle, quam occasionem nobis dari, qua propensum, benevolum, et Christiani Regis addictissimum animum Sanctitati Vestræ declarare ac probare possemus. Quam Sanctitatem Vestram interea in florenti omnium rerum statu salvam, felicem et incolumem quam diutissime valere ex animo cupimus et optamus. Datum in Regia nostra Stockholmia 18. die mensis Augusti, anno MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus in Christo filius
Joannes Tertius Dei gratia Svecorum,
Gothorum, Wandalorum etc. Rex.
JOANNES R. S.

Regina etiam Catharina, Joannis uxor, negotia hisce oratoribus concredita quantum potuit Pon-

tifici commendat, quo faciliora ejus auctoritate fiant. [*]

[*] Germania Vol 56 fol. 369.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine.

«Deditissimæ mentis meæ studia et obsequia, ac omne genus observantiæ Sanctitati Vestræ perquam diligenter et accurate summa cum reverentia commendo.

« Quemadmodum singularem paternam Sanctitatis Vestræ in me benevolentiam mihi plane exploratam et perspectam habeo, quod reverenter sane agnosco, et quidem non sine magna animi mei voluptate: ita Sanctitati Vestræ omnino de me confirmo, nihil me magis cupere, quam ut Sanctitati Vestræ quam optime sit, omniaque ex voto succedant ad salutem et utilitatem Reipublicæ Christianæ. Cujus meæ voluntatis ac observantiæ contestandæ officium volui partem esse mandatorum, quæ commisi fidelibus mihi dilectis, Generoso Domino Pontho de la Gardie, Equiti aurato et Baroni in Eckholm, aulæ nostræ magistro, nec non Secretario ipsi adjuncto Petro Michaelis, ut ad Sanctitatem Vestram nomine meo perferant. Quibus ut Sanctitas Vestra pro sua pietate, inque me propensissima paterna voluntate plenam fidem tribuat, meaque et Serenissimi Regis Domini mariti mei dilectissimi negotia Oratoribus illis nostris credita sibi quam commendatissima habeat, suaque auctoritate, quæ summa est, faciliora reddat, a Sanctitate Vestra quam diligenter debito cum honore et summa cum observantia peto. Cui Sanctitati quoque Vestræ me et officia mea omnia omni cum obsequendi promptitudine commendo iterum, a Deo Optimo Maximo petens ardentibus votis, ut Sanctitatem Vestram diutissime servet sanam et incolumem ad Christianæ Reipublicæ felicitatem, tranquillitatem et pacem perpetuam. Datum Stockholmiæ XVIII. die mensis Augusti anno Christi MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissima in Christo filia
Catharina Dei gratia Svecorum, Gothorum,
Wandalorum etc. Regina et nata
Poloniæ Princeps.
CHATARINA.

Quanto autem Petrus ipse in honore ab iis Regibus haberetur, oppido patet ex litteris Catharinæ ad Pontificem, quæ totæ sunt in ejus laudibus persequendis, cum prope incredibili ejus apud Gregorium commendatione. [*]

[*] Germania Vol. 56. fol. 370.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Dño Dño Gregorio XIII. Divina Providentia Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Dño Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine.

« Addictissima et paratissima mea obsequia atque omne genus observantiæ Sanctitati Vestræ perquam diligenter et accurate commendo.

« Cum illis libenter, ut par est, cupiam optime consultum, quorum in me fidelia extant officia, nolui committere, ut meis Serenissimique Regis Domini mariti mei cum mandatis istuc proficiscentem fidelem nobis dilectum Secretarium Petrum Michaelis, hominem Svecum, Sanctitati Vestræ non commendarem, confidens me quod velim a Sanctitate Vestra non difficile impetraturam. Hoc enim Sanctitatis Vestræ in me singularis, paterna, perpetuaque mihi cum primis persuadet benevolentia: illud vero fidelis servitoris erga me studio et obsequio dandum existimavi; tantoque magis quod Serenissimus quoque Rex, dominus maritus meus, eundem Secretarium suum, cum propter eruditionem non vulgarem, tum propter singularem fidelitatem ipsius, præcipua gratia prosequitur, eoque uno omnium cum aliis in rebus, tum in latinis scribendis literis plurimum utitur. Et si quis alius catholicæ ac orthodoxæ religioni est inter hujus gentis homines addictus, is vel primus est, multumque in magni momenti rebus, quæ religionem concernant, hic præstitit. Neque etiam dubitamus, propter eam quam apud nos summæ integritatis et constantiæ testificationem deposuit, quin posthac etiam in reliquis eodem modo perrecturus sit. Velim igitur, Sanctitas V. sibi persuadeat, et me omni studio petere, et majorem in modum mihi gratum acceptumque fore, si præfatum Secretarium sibi quam commendatissimum habuerit. Quod ut Sanctitas Vestra pro singulari sua benignitate faciat, debita cum observantia et reverentia eam rogo. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram salvam et sospitem diu nobis conservet, omniaque et cœpta et consulta ejus ad optatum finem, et eundem sibi gratum acceptumque perducat. Stockholmia III. die mensis Octobris anno Christi MDLXXVI.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissima in Christo filia
Catharina Dei gratia Svecorum, Gothorum,
Wandalorum etc. Regina et nata
Poloniæ Princeps.
CATHARINA.

LXVIII. — Hoc anno alterum etiam Rex indubium desiderii studiique ad religionem Catholicam in Svecia provehendam argumentum dedit, cum Laurentio Nicolai Norwego e Soc. Jesu, quem, inscio conjuge, Regina in Sveciam arcersiverat, quique mense Aprile Holmiam appulerat, facultatem fecerit scholam publicam instituendi, juvenesque Svecos Romam mittendi sacras doctrinas in Collegio Germanico ab ipso fidei Catholicæ fonte hausturos. Et ad hæc eidem Laurentio, quo commodius operi tam salutari

et pio daret operam, pervetustum amplumque monasterium, ubi olim Patres S. Francisci minores Conventuales consederant, assignavit, et promisit, se annuum censum suppeditaturum, quo juvenes in sacris ac profanis litteris alerentur atque erudirentur.

LXIX. — In Gallia res tum civiles tum religiosæ ob diuturna Hugonottorum molimina hoc anno quam perturbatissimæ se habuerunt. Rex enim suopte ingenio ad concordiam pronus, et qui ei a consiliis intimis et arcanis erant, ut Alenconium Ducem ab seditiosorum societate subtraherent, ac ut impendens externi exercitus periculum devitarent, assentiebantur, vel amplissimas conditiones concedi, quas aut interdictis regni comitiis, aut alia data opportunitate non observare decreverant: quæ tractationes dum ob interpositas ab iis, qui præsentem rerum statum ægre ferebant, difficultates longius proferuntur, res improvisa et inopinata ineundam mox concordiam impedivit. Rex Navarræ vigesimum et secundum ætatis suæ annum agens, elato vividoque ingenio, exemplo et æmulatione cæterorum Principum æqualium excitatus, se male, ac fere despectui in aula haberi impatiens, dum Alenconius Dux, levissimi ingenii juvenis, et Condeus Princeps, nec ætate, nec dignitate secum comparandus, illius factionis imperium sibi arrogarent, cui ipse dominari consueverat, nec amplius ferre volens asperos difficilesque Reginæ uxoris mores, quos dissimulare in aula manens cogebatur, aut suo fato, aut proprii animi impulsu ad ardua magnaque facinora tentanda pertractus, statuit aula abire, atque in Aquitaniam, cui præerat, secedens eam sibi sumere potentiam, quam alii proceres a Rege discordes inter se partiebantur. Hæc autem exequi difficillimum erat; nam o regia cohorte, quæ honoris specie apud ipsum excubabat, diligentissime custodiebatur; ac etiam hi, qui ei ab intimo cubiculo erant, Regis Reginæque matris voluntati obsequentes, ac summe devincti, spem modo, modo timorem injicientes, ut facilius eumdem in officio continerent, blandis verbis lactabant, asserebantque fore, ut ei suprema armorum potestas, quæ Alenconio, uti notæ inconstantiæ juveni denegata fuerat, traderetur. Consilio igitur cum amicis communicato, Rex Navarræ paucis nobilibus viris comitantibus, ac nonnullis famulis, quorum in se fidem exploratam habebat, Kalendis Februariis Lutetia egreditur, eo habitu, eo apparatu perinde ac cervos venatum esset iturus, cui venationis generi ipse insueverat, deceptisque hac specie custodibus summa cum celeritate in Aquitaniam contendit. [*] Pontem Salmurii veniens, ad sibi Hugonottorum animos conciliandos, libello quodam, vaferrimo ingenio conscripto, subitæ ex aula discessionis causam disseruit: inter cætera illud adducebat, quod Catholicam religionem quatuor ante annos complexus fuisset, non quidem sua sponte, sed vi instantis cruentæque mortis metu adactus. Quo facto ad sacra Hugonottorum publice redivit.

[*] Vide suas litt. de fuga apud Berg de Xivrey: Lettres etc. de Henri IV T. 1 p. 834. Paris 1843.

LXX. — Quæ Regis Navarræ deliberatio in causa fuit, ut Alenconius (qui ab Henrico Rege fratre suo defecerat, et exercitui Hugonottorum, copiisque auxiliaribus, quas duce Casimiro Comite Palatino Princeps Condeus ex Germania exciverat, præerat) ac si dignitatis suæ splendor novo hoc lumine Navarræ Regis, Condeique Principis amplitudine imminueretur, qui ob vetus obsequium, probatamque dominationem majori apud factiosos existimatione florebant, ideo idem Dux Alenconius ad concordiam ineundam proclivior factus est, probe noscens, illis verum cessurum imperium, hujusque titulum et speciem sibi tantum fore; nam hinc Navarræ Rex, cum facile Aquitaniæ dominatum atque Rupellanorum clientelam sibi adscivisset, illinc Condeus externis copiis imperans, ipsum fere precariam, et quantam illis deferre libuisset, potentiam habiturum; quippe qui, ei uti Regis fratri summe obsequi ostendentes, cæteroqui deliberationum rerumque agendarum summam sibi reservabant, cum ei tantum pauci rerum novarum cupidi adhærerent.

LXXI. — Verumtamen tum Condeus Princeps, tum Navarræ Rex, qui moleste ferebant, Alenconium Ducem principem eum locum occupare, quem ipsi antea tenuerant, eumque fructum percipere, ac gloriam tum præteritorum tum præsentium suorum laborum, ad pacem devenire cupiebant, qua inita, Alenconius ad aulam et in gratiam fratris rediret, ipsisque factionis imperium remaneret, putantes, sicut illo apud ipsos manente, maxime eorum auctoritati, perficiendisque summi momenti deliberationibus obstare, et officere videbatur, ita, si eidem a Rege fratre catholici exercitus imperium deferretur, ab illo bellicarum rerum fere rudi, non una daretur ipsis occasio propriæ fortunæ conditionem firmandi augendique; quamobrem prævalente horum sententia, et Alenconii Ducis genio, tandem decretum fuit, ut Regi proponerentur pacis conditiones, quas postulabant, quibus admissis, firmanda pax foret, si vero rejicerentur, constanter bellum esset gerendum. Gravia erant, ac intollerabilia, quæ ab ipsis exposita petebantur, verum propensior Rex unaque eorum qui a consilio erant, voluntas, ad concordiam ferebantur, cum ut impendentibus externi exercitus periculis liberarentur, tum etiam a maximis impensis, quæ, effuso jam regio ærario, a subditis, longo bello defessis et ad inopiam redactis, necessario extorquendæ, eorum fortunas funditus evertebant. Quamobrem Regina cum variis ex indiciis intimam Regis animi delibera-

tionem conjectasset, in castra, ut consueverat, venit ad Alenconium, mense Majo ineunte, et post leves altercationes, pacis conditiones firmavit, quas in septuaginta tria capita digestas ratas habuit Rex, et pax pridie Id. Maji evulgata est coram Rege in Parisiensi Senatu.

LXXII. — Hæc fuit quinta pax cum Hugonottis constituta, qua, præteriti belli tempore, offensionibus obliteratis, concedebatur Hugonottis amplissima conscientiæ libertas, nulla temporum, aut locorum ratione habita, publicusque illorum religionis cultus, data insuper facultate, ad instituendos suos, collegia extruendi, sacra, et matrimonia illorum ritu celebrandi, synodosque cogendi, pari, qua Catholici utuntur, libertate, omnibus quoque illius religionis viris permittebatur magistratus, ac munera quæcumque exercere, sublata, quæ antea data fuerat Catholicis, prælatione; promittebatur iisdem in quocumque regni Senatu collegium pari ex utraque religione Judicum numero constituere ad Hugonottorum lites definiendas: ad securitatem Principibus octo urbes tradebantur, donec promissa explerentur: civitates hæ fuere Belloquadra, Aquæ mortuæ in Septumania, Petrocorium et Veroduni Rupes in Aquitania, Nionum et Serra in Delphinatu, Issoriacum in Avernis, et Senna magna turris in Provincia. Revocabantur, irritæque factæ sententiæ in Molam et Coconasii Comitem, Colignium Classis Præfectum, Briquemautium, Cavagnium, Mongomerium et Mombrunum latæ; Carnuti item Vidamo et Bellovacensi Colignio crimini non daretur quæcumque tractatio adversus Galliæ regnum habita cum Regina Angliæ. Alenconio Duci alimentorum nomine, quæ tribui regum filiis ac fratribus solent, Bituricensis et Turonia Provinciæ et Andegaviensis Ducatus, amplissimæ opulentissimæque Galliæ ditiones, unaque centum aureorum millia singulis annis tribuebantur. Condeo Principi Piccardiæ Præfectura, ac ad præcipuum sui præsidium Perona urbs munitissima ad Oceanum sita; Casimiro Principi Thierii ditio et annua pensio quatuordecim aureorum millium, insuper ut perpetuus turmæ centum lancealiorum dux esset, exteroque exercitui stipendia ad hanc diem merita persolverentur, quæ decies centena ducentaque millia nummum aureorum summam conficiebant. Arausiensi Principi ditionum, quas jam in Gallia possidebat, fiscoque rebellionis nomine addictarum, restitutio, et tandem ad semestre regni comitia coactum iri promittebatur, in quibus exponenda Regi forent onera, quibus subditi premebantur, deliberandumque de ratione, qua levari eadem possent. Hæc conditio apposita fuit a Principibus ad honestandam moti belli caussam, testandamque populis probam ipsorum in gestis jam rebus mentem; eidem libenter facileque assensus est Rex, utpote quæ ipsi ansam opportune præbere poterat, abrogandis dissolvendisque hujusmodi concordiæ pactis.

LXXIII. — Hæ conditiones et plures aliæ minoris momenti, non tamen minus iniquæ, ubi Catholicis innotuere, adeo omnium fere animos commoverunt, ut non modo de Rege detraherent, et contumeliose dicerent, ac si demisso animo mollique inter aulicas delicias hebesceret, itemque de Regina matre, veluti si Alenconium Ducem ad sanam mentem ut revocaret, religionis majestate neglecta, regni universi salutem in extremum periculum adduxisset. Plures quoque jam ad seditionem armaque capienda parati erant ad intervertendas tam iniquas concordiæ pactiones, quas observari non posse putabant, nisi brevi deprehendissent, Regem, Reginamque matrem, tantum ut Alenconium Ducem ad pristinum officium reducerent, verbis unice assensos fuisse conditionibus, quibus nullo modo stare decreverant; nam dimissis exteris copiis, solutaque Casimiro Principi stipendiorum parte, pro altera ad cautionem pignori eidem dedere, et gemmas, et Lotharingiæ Ducem fidejussorem, cumque promissa Alenconio integre exsolvissent, ea tamen, quæ in concordia conventa fuerant, et spectabant ad Hugonottos, Condeum Principem aut Navarræ Regem, non implebantur, quinimo connivente taciteque probante Rege undequaque Hugonottorum conventus vi disturbabantur, et Condeo Principi Piccardiæ Prefectura, Peronæque urbis possessio retardabatur, et Judicum promissam in unoquoque regni Senatu designationem, varias prætexens Rex caussas, differebat, et ex tot Senatoribus eligendis, cum ipse Arenesium tantum ex iis unum, qui firmandæ pacis operam dederat, Senatus Parisiensis præsidem designasset, idem Senatus connivente fere Rege illum admittere recusabat. Hæc sane, etsi regii animi sensa aperte denotarent et ab iis inter Catholicos probarentur, qui nullo partium studio affecti publicas res perpendebant, ac majorem hominum quietis cupidorum partem suaderent, ad expectandum comitiorum exitum, quæ a Rege indicta Blesis habenda erant die decima quinta Novembris.

LXXIV. — Cum Rex hisce rerum angustiis premeretur, summaque in difficultate nummaria esset; cum ad exteras copias e regno emittendas multa opus esset pecunia, Parisiensem Episcopum Romam legavit, qui de tristissima Galliarum conditione Pontificem doceret, seque apud eumdem purgaret, quod invitus, plane necessitate impulsus, pacem cum Hugonottis firmaverit. Et ad hæc nuntiaret, tamdiu exoptatam cum Alenconio Duce concordiam, opera imprimis Archiepiscopi Nazareni, Pontificii scilicet Legati, et Reginæ matris, initam fuisse; et exoraret, ut alienationem bonorum ecclesiasticorum

immobilium ad centum millia aureorum annui redditus concederet. Quam gratiam Rex et Regina mater jam per Albinum Roccapoceum, novum Romæ Oratorem, qui Pugneo ab initio hujus anni suffectus fuerat [*], a Pontifice efflagitaverant, nunc iteratis litteris petierunt. [*] Rex insuper pecularibus litteris rationes initæ cum Hugonottis pacis exponit; [*] quod et sequentibus præstitit Cardinalis Borbonius. [*]

[*] Mantissa document. N. 47.
[*] Ibid. N. 48
[*] Ibid. N. 49.
[*] Lit. Principum Vol. 31. fol. 117.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime Pater post beatissimorum pedum humillima oscula.

« Perspectum satis et exploratum Sanctitati Vestræ arbitror a Ducis Aleneonii ex Regia discessu, tantam in Gallia rerum omnium perturbationem extitisse, et illa perculsa et prostrata funestissimo bello jacere omnia, ut cum miserior res numquam accederit, tum ne difficilior quidem deliberatio. Cum enim nullus esset, tam parum de sua et hujus Christianissimæ Reipublicæ salute cogitans, qui non paci, quæ nihil impietatis et insidiarum esset habitura, consulendum, aut festinanter armis nefarios conatus hominum pugnandi cupidorum vindicandos putaret, altera parum honesta, altera periculosa ratio videbatur. Sed quoniam morbus initio quantumvis exiguus diuturnitate invalescens tandem perimit, Regi Christianissimo Reginæque matri visum est nascenti occurrere, et eam ob rem ipsa cum Aleneonio Duce, quod publicæ salutis intererat, extorquere se posse confideret, sibi communicandum putavit, multisque de pace ineunda verbis ultro citroque habitis, menses aliquot consumpsimus, frustra tamen quod hostes in consilium cogitationum suarum desperationem adhibentes, obstinato et pertinaci animo pacis omnino conditionem repodiarunt, nisi prius illis impietatis hæreticæ dogmata impune profiteri liceret, cui cum tam luctuoso et pestifero malo, omni cura studio et contentione obsisterem, nec quicquam in tanta hominum perfidia et iniquitate proficerem, ex isto consessu me continuo subduxi. Eo itaque res rediit, ut reliqua spes omnis in Deo uno sita videretur, quoad Rex suorum pacem efflagitantium luctibus evictus, et precipuo quodam dolore labentis et occidentis Galliæ ita augeretur, ut pacis et conditionibus subscriptis Reginam matrem (idque Principibus cæteris et nobilissimis sui consilii viris uno ore deprecantibus) oraverit, rursus ad Aleneonium Ducem remeare, ut dum de externis copiis, quas sibi asciverat militiæ sacramento, solvendis coram ageret, eum subducere e manibus hostium tentaret, atque me a Principe Condeo nepote (si quis esset pietati locus) idem efflagitaturum profectionis suæ comitem esse voluit. Sed o fallacem spem et inanes contentiones nostras! Qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximæ molestiæ et tempestates extiterunt: atque hoc unum tandem crebris contentionibus sum assecutus, ut ipsi, per quos tam nefaria et impia res agebatur, ex omnibus rebus, quas initio de Comitatu Venaissino et Avenione vestra proposuerant, et in quibus pertinaciter hærebant, id tantum, quod a Rege fuerat antea concessum, obtinerent. Quemadmodum a Sanctitatis Vestræ Nuntio, viro integerrimo, quem ego de omnibus cumulate certiorem feci, prescripta arbitror, præterea quem in locum res deducta sit, qui exitus, plane et fidelissime enucleabit fidelissimus Dominus Parisiensis Antistes dignissimus. Ea enim me non sinit dolor Sanctitati Vestræ recitare, quoniam tamen præstitimus quod debuimus, moderate, quid preter spem eveniat ferendum est, conscientia consiliorum meorum me maxime consolatur, nec in communibus miseriis ita demittam animum, quin omnia mea studia, curas et cogitationes in Ecclesiæ Catholicæ utilitatem, et in perpetuam Sanctitatis Vestræ, cui me totum devovi, servitutem conferam.

« Deum Opt. Max. rogo, ut eamdem Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ sanctæ atque toto urbi Christiano quamdiutissime felicem conservare dignetur et incolumen. Parisiis die XVIII. Junii anno Domini MDLXXVI.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS DE BORBON.

LXXV. — Regis precibus de subsidio ex bonis ecclesiasticis conferendo, [*] aliqua ex parte, gravate licet, generalis Cleri Gallicani conventus suffragabatur, et rem ad Pontificis voluntatem referebat, ut patet ex litteris, quas ejusdem Præsides Pontifici per eundem Parisiensem Episcopum dedere. [*]

[*] Mantissa document. N. 50.
[*] Gallia Vol. 10 fol. 512.

Post humillima beatorum pedum oscula.

« Beatissime Pater, cum nobis ex parte christianissimi Regis denunciata esset venditio et alienatio bonorum Ecclesiæ immobilium ad summam centum millium scutorum auri annui reditus; quod undique se premi magna pecuniarum penuria diceret, ut Germanorum exercitum in ruinam nostram conductum emitteret: nos quantum potuimus, obstitimus: neque tamen tantum apud eum valuimus, quin urgentibus nos bellorum angustiis super hac re mature consulendum duceremus. Itaque cum in unum convenissemus in Monasterium Sancti Germani a pratis, ut aliquam regi excusationem prætexeremus, nihil commodius existimavimus, quam si ad Vestram Sanctitatem velut sacram ancoram confugeremus, ut habita ratione extremæ necessitatis, qua rex premitur, et ejusdem propensionis in Ecclesiam et clerum; restituendorum etiam privilegiorum et immunitatum, quas personis ecclesiasticis debere fatetur, super hac re sanciat, quomodo publicis angustiis succur-

ratur. Attendat vero Sanctitas Vestra ex annuis proventibus magnam hanc summam confici non posse, cum propter ordinarias et extraordinarias impositiones, quibus vix clerus sufficiat, tum etiam propter bellorum saevitiam, quae nec dum multis suis fructibus uti permittit. Nos vero quicquid ex Vestrae Sanctitatis beneplacito profectum fuerit, amplectemur. Haec autem et caetera fusius vestrae Sanctitati significabit Reverendus Episcopus Parisiensis. Deus Optimus Max. Sanctitatem Vestram nobis atque Ecclesiae suae quamdiutissime servet incolumen. Parisiis die xx. Junii MDLXXVI.

Vestrae Sanctitatis humillimi servi
CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON
LUDOVICUS CARDINALIS A GUISIA
ALOYSIUS CARDINALIS ESTENSIS.

LXXVI. — Rex et Regina mater Archiepiscopum Nazarenum, qui missus fuerat, ut concordiam inter eundem et Alenconium instauraret, Romam revertentem summis laudibus extollunt, ac Pontifici summopere commendant. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 31.

LXXVII. — Gregorius Regis precibus de ecclesiastico ei subsidio concedendo satisfecit, misso ea de re diplomate [*] xv. Kal. Augusti ad Cardinales Carolum Borbonium, Ludovicum Guisium, et Ludovicum Estensem tunc in Gallia agentem, nec non ad Antonium Mariam Episcopum S. Papuli, Nuntium Apostolicum, Petrum Gondium Episcopum Parisiensem, (qui ad illud impetrandum missus fuerat a Rege Romam) Florentium Regnardum Carnotensem et Bonum Broé sanctae Capellae regiae Canonicos. Quod promulgatum fuit in Parisiensi Senatu VI. Idus Septembris; absque tamen approbatione clausulae diplomati insertae, distractio nimirum bonorum fieret etiam invitis et contradicentibus possessoribus; et aliis quibusdam additis conditionibus in favorem Cleri.

[*] Extat in Collect. Negotior. Cleri Gall. T. II. P. 2. p. 155.

LXXVIII. — Rex, ut decuit, per litteras [*], et per Episcopum Parisiensem Pontifici de tam insigni beneficio grates reddidit; atque per eundem Episcopum spondet ejus votis de religionis rebus, praesertim in ejus Comitatu Avenionensi, pro viribus satisfacturum. [*]

[*] Mantissa documentor. N. 32.

[*] Gallia Vol. 10. fol. 623.

Beatissimo Domino Domino Nostro Totius Ecclesiae Catholicae Pontifici Maximo.

Post humillima pedum oscula.

« Beatissime Pater, cum regni Regisque negotiorum angustiis urgerer, ad majestatem illius, quantum potui matare, regressus sum, ut paternum vestrae Beatitudinis affectum intelligeret: quem expressis verbis, non modo mihi, sed et convocatis Reverendissimis Cardinalibus significare, quin et ipso facto contestari dignata sit, cum rerum Gallicarum publicae necessitati ad dimittendum extraneum militem prompte succurrendum esse decrevit. Hanc paternam mentem laetis animis utriusque principis nostri majestas venerata est, et, ne quod in mora dispendium fiat, illius diploma pro alienatione bonorum Ecclesiae ad summam reditus quinquaginta millium scutorum Reverendissimo Domino Vestrae Sanctitatis Nuncio communicandum, et pleno tandem in consessu Senatus promulgandum statuerunt. Hi vero, quos Vestra Beatitudo ad executionem et discretionem alienationis decrevit, infra duos aut tres dies simul ex Vestrae Sanctitatis nuncio summam agendorum accipient, sperantque tanta se fide, probitate et diligentia quae sibi injuncta sunt executuros, ut eadem Vestra Sanctitas eorum officia probatura sit, et manifestum erit expressioribus ad eam literis. Quod autem ea spectat, quae pro Avenione et comitatu Regiae majestati significanda mihi V. Sanctitas credidit: etsi forte quidam aliter insusurrarint, certo tamen testari possum, me promptissimos et ad hoc officium paratissimos Regem et Reginam matrem reperisse; adeo ut summo sibi honori et laudi ducant, si, ad instar praedecessorum suorum, sua omnia Sanctissimae V. Sedis obsequiis devoverint. Eapropter mareschalco Comiti Retensi fratri meo, cum ille nuper ad regimen sibi commendatae Provinciae proficisceretur, expresse utriusque majestas injunxit, ut, quantum illorum vires patientur, studeat gratum Vestrae Sanctitati officium exhibere. Ego vero, quam liberali mente et affectu obsequentissimo idem frater meus vestra amplectatur, iis remitto, quae, Dei comite gratia, ipso facto inclarescent, eum beatum se judicet, si quod huic Vestrae Sedi sedulum obsequium praestiterit, cui se suaque omnia devovit. Haec autem cum alii tum ipse frater meus Vestrae Beatitudini significabat. Quoad caetera quae mihi Vestra Sanctitas injunxit, ne minimum quidem omisi, ut nec in posterum omissurus sum, si quo mandato me illa dignabitur: verumtamen nondum illorum majestas super his consilium suum ad perfectum deduxit. Interim vero summum illud divinae Triados numen supplex invoco, ut Vestram S. ad annos plurimos Ecclesiae suae servet incolumem. Lutetiae 1576. Augusti 26.

Ad humillima Vestrae Sanctitatis oscula
devinctissimus et obsequentissimus
P. GONDY EPISCOPUS PARISIENSIS.

LXXIX. — Rex deinde alterum subsidium quadraginta millium aureorum, quae desiderarentur ad explendum numerum centum millium pro solvendo Helvetiis militibus stipendio, Pontifice efflagitavit [*], quod utique ei concessum est. [*]

[*] Mantissa document. N. 33.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 187. f. 272.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Majestatis Tuae, quas postremas accepimus, cognovi-

mus, quantopere postulas summam quadraginta millium aureorum, quæ reliqua est ex centum millibus, quos Tuæ Majestati solvendi Helvetiis stipendii causa polliciti eramus. Et quamquam res nostræ Avenionenses et Venusinæ nequaquam compositæ adhuc sunt, qua quidem compositione maxime nititur postulatio tua; tamen noluimus deesse. Mittimus igitur eam summam; ac sic speramus te, cum videas Nos in maximis difficultatibus, atque augustiis Sedis Apostolicæ, maxime niti tua causa, pro illius scilicet Provinciæ tranquillitate, atque animi nostri quiete. Omnia fusius narrabit Majestati Tuæ dilectus filius Aurelius Savinianus noster Secretarius, cognoscesque ex eo hac in re, atque in cæteris de tota nostra voluntate et desiderio. Cupimus, ut ei fidem tribuas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXX. — Quamvis Gregorius tam incliusto esset in Regem animo, regnumque Galliæ et ipse quietum pacatumque exoptaret vehementer; tamen de pace, quam Hugonotti minis armisque extorserant, cum eo conqueritur. Neque ulla ratione eam excusari posse dicit, nisi Rex ea suprema necessitate motus fuerit, quæ omne consilium superat, seu quæ prævenit et impedit quamcumque deliberationem, et addit de hac necessitate judicium fieri posse ab omnibus Catholicis, si ipse Ecclesiam tueatur, et hæreticos totis viribus deprimat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 23. f. 182.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas Majestatis Tuæ venerabilis frater Episcopus Parisiensis, exposuitque ea, quæ Nobis narrare voluisti, de ista recenti cum hæreticis, et Christi tuisque rebellibus compositione, deque tua summa nummaria difficultate ac necessitate utrumque, et tuum, et hostium tuorum exercitum dimittendi. Huic Nos necessitati pro nostra paterna in te, ac regnum istud charitate subvenimus, quoad Nos facere posse existimavimus, eamque alienandorum Ecclesiasticorum bonorum facultatem permisimus, quam ex nostræ concessionis literis intelliges. Id autem fecimus ea cogitatione, quia speramus, te pro tua pietate majore cum fœnore Ecclesiis ipsis aliquando restituturum tum ea, quæ hoc tempore tuis necessitatibus conceduntur, tum cætera omnia, quæ præsens bellorum calamitas, atque hostium impietas ademit. Id ut facere possis, inque eo tuo ipsius muneri, nostroque summo desiderio satisfacere, Deum Opt. Max. orabimus. De ista vero compositione incredibiliter dolemus, eam talem esse, quæ non modo Nobis, qui nullo nostro merito hoc tantum onus a Deo impositum sustinemus, sed omnibus Catholicis, et sanctæ Religionis zelu incensis in primis misera, et luctuosa esse videatur, quæque nulla alia ratione possit excusari, nisi summæ necessitatis, quæ omne consilium superat, cogitatione; hanc vero unam in causa fuisse, tum demum omnes judicabunt, si Catholicis in posterum omnibus in rebus, ut debes, favebis, atque hæreticos deprimes, quantum poteris; sic enim spes erit, sacrosanctam Religionem brevi restitutum iri, alioquin non tam de hac ipsa religione, (ea enim certe nunquam interibit, tametsi detrimentum capiet) quam de te, atque universo isto regno actum erit. De Episcopis, ut postulas, monendis Nobis curæ erit, id autem magna ex parte in tua auctoritate et vultu situm erit, si ostenderis te libenter videre eos, qui in suis locis omni studio, et diligentia suam operam navant Christo, eorumque conatus tua quoque ope, atque auxilio juveris, curaverisque ut sancti Tridentini Concilii decreta, ad recte pieque vivendum pernecessaria, quam diligentissime serventur. Quod per eundem Episcopum polliceris summam curam adhibiturum in personis ad Abbatias, et Cathedrales Ecclesias nominandis, nec quemquam Nobis propositurum, nisi doctrina et pietate præstantem, nullaque in re optimi, et Christianissimi Regis officio defuturum, laudamus tuam istam voluntatem, tibique gratum faciemus in rejiciendis iis, quos minus idoneos esse intelligemus. Illud autem inter cætera absurdissimum est, quod in quodam istius compositionis capite est, ubi inter homines ecclesiasticos et sæculares lis aliqua fuerit, Ecclesiasticus litigare debeat apud ea Tribunalia, quæ vocantur Cameræ bipartitæ, cum enim Cameræ illæ (quod quidem instar monstri est) constent ex judicibus partim Catholicis, partim hæreticis, necesse est Ecclesiasticos a tali judicio liberos esse, qui etiam si maxime vellent, tamen non possent salva professione sua et juramento, atque animarum suarum salute tali sese judicio subjicere: tempora etiam ut vides, alienissima sunt, hæreticorumque animi sunt Ecclesiis ipsis, earumque rebus et personis multo, quam unquam antea fuerint, infensiores. Reliqua ex eodem ipso Episcopo Parisiensi cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII. Julii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eadem fere scribit Cardinalibus Conventus Cleri Gallicani præsidibus, quos subsidii ex Ecclesiæ bonis Regi concessi juxta eas, quas ipse conditiones posuerat, executores constituit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 24. f. 191.

Dilectis Filiis Nostris Borbonio, Guisæ et Estensi Cardinalibus.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii nostri salutem et Apostolicam

benedictionem. Quantum profectum fuerit recenti ista concordia, res ipsa declarabit, tantum scimus, nullam esse concordiam majorem, quam de Deo, deque Catholica fide consensionem: neque contra, ullum majus dissidium, aut graviores inimicitias, quam de fide, et de Religione susceptas, unicumque esse fidei fundamentum Christum, eumque nequaquam esse Nobis cum hæreticis communem; illos enim, tametsi appellantur Christiani, semperque habent Christum in ore, tamen facere sibi quendam alium Christum longe diversum ab illo uno, et nec quem profitentur, venerantūrque Catholici, tamque posse istos cum illis congruere, quam lucem cum tenebris, Deum cum Belial, tranquillitatem cum tempestate. Fecimus tamen in hac tanta calamitate, tamque gravi Catholicæ Religionis jactura, ut Regi, quoad possemus, subveniremus. Nostræ autem alienandorum Ecclesiasticorum bonorum concessionis, vos ipsos una cum Nuntio nostro, nonnullisque aliis executores fecimus. Curabitis igitur, ut in hoc negotio omni cum diligentia et fide versemini, nostramque concessionem, conditionesque in ea ascriptas, aliasque, quas ex Nuntio nostro intelligetis, nulla in re transgrediamini. Vestrum quoque erit omni studio, atque ope conari, ut sancta Religio tam graviter afflicta Regis ipsius pietate, atque opera erigatur, Christoque sua gloria restituatur, tamque multæ piorum animæ ex summo, certissimoque periculo eripiantur. Id vos pro vestra insigni pietate omni conatu curaturos esse non dubitamus. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Parisiensi cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXXI. — Alenconio quoque Duci, qui animo adhuc elato discessionis suæ ex regia aula causam ineunte hoc anno apud Pontificem egerat [*], Gregorius reconciliatam cum Rege fratre voluntatem gratulatur, monetque eum, ut Ecclesiæ causam, quæ ex illa cum Hugonottis restituta concordia non exiguum detrimentum acceperat, tueatur. [*]

[*] Mantissa document. N. 54.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 16. f. 171.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alansoni.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Semper optavimus, ut quam æquissimis, quamque optimis inter vos conditionibus ab armis discederetis, quo scilicet facilius possetis conjunctis animis, et viribus in istius Regni administrationem, inque Catholicæ Religionis causam incumbere. Et quamquam in ista pace recenti multa sunt, quæ huic causæ adversantur, tamen magna Nos spes consolatur sinceritatis et pietatis tuæ, gaudemusque oblatam tibi esse summam facultatem ejus declarandæ, congruenterque tuæ, majorumque tuorum virtuti, et gloriæ Catholicæ Religioni inserviendi. Sic enim persuasum habemus, eas conditiones, quæ efficiunt, quominus plenum perfectumque sit nostrum gaudium, nequaquam a tua voluntate profectas esse, sed ab iniquissima rerum ac temporum ratione, et quadam connivendi necessitate, speramusque te nullam omissurum opportunitatem sacrosanctæ Religionis tuendæ, restituendæ, amplificandæ: neque ullo pacto permissurum, ut tuis in locis, in quibus etiam invito te non possunt hæretici sanctam Religionem violare, pestis Sathanæ per illorum conciones et sermones grassetur summa cum Christi injuria et animarum ejus sanguine redemptarum pernicie. Hæc ut facias, nostræque ac bonorum omnium expectationi et desiderio respondeas, neve gravissimam plagam imponi sinas Sanctæ Matri Ecclesiæ, in cujus sinu educatus atque altus fuisti, etiam atque etiam hortamur Nobilitatem Tuam per eundem ipsum patrem Christum, cui in baptismo infans olim nomen dedisti, sanctissimoque et indissolubili te sacramento obstrinxisti. Habemus tuas literas in ipso discessionis initio ad Nos missas, quæ Nos de tua præstanti virtute et pietate dubitare non sinunt. Oramus interim Divinam bonitatem, ut tibi semper adsit sua gratia, perdatque consilia et conatus omnes nostrorum, tuorumque et Regis fratris tui hostium, hoc est, hæreticorum omnium ad sui nominis gloriam, domusque vestræ amplitudinem, Catholicæque Ecclesiæ suæ tranquillitatem. Cætera ex Nuncio nostro cognosces, cui omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXXII. — Alenconius adeo paterne ac liberaliter a Pontifice habitus, quod sibi singulari fuit lætitiæ, animos sumpsit remissiores, inclinarique magis in rem catholicam cœpit. Spondet igitur se rebus fidei catholicæ in Gallia promovendis omnem operam studiumque navaturum; Regem fratrem ob pacem cum Hugonottis recens firmatam apud Pontificem purgat. [*] Quamobrem Gregorius eundem alteris iisque amantissimis litteris hanc optimam ejus voluntatem probat maxime, et monet, id factis confirmet. Quod ut faciat in rebus Comitatus Avenionensis cum Hugonottis ex dignitate Sedis Apostolicæ componendis, etiam atque etiam rogat. [*]

[*] Mantissa document. N. 55.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 20. f. 186.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alansoni.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Mirifice consolatæ sunt Nos literæ Nobilitatis Tuæ, testes tuæ præclaræ voluntatis et pietatis, perpetuæque in Catholica Religione tuenda, atque amplificanda clarissimæ Domus tuæ laudis. Sic enim scribis, vehe-

menter obstitisse te iniquissimis novæ istius Sectæ postulationibus, summaque necessitate factum esse, ut ea concederentur, quæ et Christianissimo Regi fratri tuo, et tibi magnopere displicerent, quia scilicet videbatis, ea adversari Dei gloriæ, atque animarum saluti: neque te unquam auctoritate, atque opera, quibuscumque in locis poteris, utrique causæ defuturum: quæque hoc tempore adversariis negari non potuerunt, provisurum te, ut paulatim ipsa die magis ac magis debilitentur, atque evanescant: nec quidquam magis curaturum, quam ut Dei gloria, Catholicæ Ecclesiæ amplitudo, regni istius dignitas salva sit. Nihil erat, quod quidem amplius optare possemus in tanta hominum perfidia ac temporum iniquitate. Nec dubitamus Divinam gratiam, atque opem tuæ optimæ voluntati et conatibus affuturam, si quidem ista ipsa voluntas ejusdem ipsius gratiæ munus est. Quod autem a Tua Nobilitate hoc tempore magnopere postulamus, illud est: scis, quo in statu sit Civitas et regio nostra Avenionensis, æquum erat, ut quæ nulla sua culpa fuerat superiore bello gravissime afflicta, ex præsenti nunc concordia aliquem quietis fructum perciperet, essentque hostes contenti iis, quæ Nos illis, quantum quidem salva nostra dignitate potuimus, concessimus. Id eos facturos speramus tua auctoritate atque opera, si ad Marescallum Anvillam aliquem miseris, cumque eo egeris, ut hostes ex nostris locis discedant iis conditionibus, ad quas descendimus, quæ certe illis magnopere utiles sunt. Hoc ut facias, inque eo tuam pietatem, atque erga Nos charitatem declares, etiam atque etiam rogamus, cujus etiam facti semper memores erimus. Aget etiam eadem de re cum Tua Nobilitate Nuntius noster, ei omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Paternæ Pontificis cohortationes tantam vim habuerunt apud Alenconium Ducem, ut is omnia tentaturum promiserit Pontifici, nec ante quieturum, quam ii, qui vi injuriaque Ecclesiæ patrimonium, id est, Comitatum Avenionensem occuparint, oblatis conditionibus discesserint; id quod litteræ Episcopi Mimatensis, quo Alenconius Cancellario utebatur, ad Gregorium datæ docent. [*]

[*] Lit Principum Vol. 34 fol 131.

Sanctissimo Domino Domino Nostro PP.

« Beatissime Pater, post humillima beatorum pedum oscula. Accepimus literas, quas Reverendissimus Nuntius Sanctitatis Vestræ ad nos misit, reddendas Serenissimo Principi nostro Duci Andegavensi, fratri unico Christianissimi Regis, quibus singularem Sanctitatis Vestræ benevolentiam testatam habet, quæ res illi mirum in modum grata fuit. Nihil enim ei prius est, quam ut tuæ Sanctitati omne studium obsequiumve tribuat, et in nulla re Religioni orthodoxæ deesse, aut tuum imperium repudiasse videatur. Nam si quid his temporibus concessum est, quod amplitudinem et authoritatem Ecclesiæ diminuere videatur, ad id eum invitum coegit imminens Reipublicæ Gallicæ calamitas, ut populo quasi ex magna jactatione terram videre liceret. Posthac vero providebitur, ne quid desiderari possit ad Ecclesiæ Catholicæ pristini et antiqui cultus restitutionem, quod autem Sanctitas Vestra a Principe nostro exoptat, ut qui patrimonium Ecclesiæ vi injurisque occupant, ab iis locis discedant conditionibus oblatis. Quæ res populo tuo provinciæque tuæ pacem, otium, concordiamque afferat, ex voto successurum putamus. Et in eo negotio conficiendo nullum obsequii genus prætermittemus: id ut fiat, et ut ea qua cœpit Princeps fiducia, eadem etiam constantia ad finem usque perseveret, modis omnibus conabimur. Scripsit jam in eam rem amplissime, et misit, qui id negotium conficiendum curaret, nec conquiescet nisi re perfecta. Cæterum si quid Sanctitas Vestra nobis imperarit, impense operam sumus daturi, ut ex animi tui sententia succedat; quod obnixe spondemus. In illam autem curam incumbemus, ut nunquam ex Principis nostri animo evelli possit singularis erga Ecclesiam Catholicam et Sanctitatem Vestram tanta, tam penitus insita, tam vetusta fides, Religio et observantia catholica: perpetuam vero tuæ Sanctitati observantiam, cogitationem, mentem denique consecramus. Datum in castro Plessiaco prope Turones die 17. mensis Septembris 1576.

Sanctitatis Vestræ

Humillima Creatora

DESEAUNE EPISCOPIS MIMATENSIS.

LXXXIII. — Rex iterato a Pontifice petiit, ut Carolum Lotharingium, vix sex annos natum, Episcopum Virdunensem constitueret, dato eidem Episcopo coadjutore; [*] quod et Ludovica Regina [*], et Catharina Regina mater, [*] et ipse Dux Lotharingius, designati Episcopi pater, a Pontifice efflagitarunt, qui tot tantisque obsecrationibus victus votis eorum annuit; rejecta tamen altera Ducis Lotharingii petitione de subsidio quodam ecclesiastico concedendo. [*]

[*] Mantissa document. N. 34.
[*] Ibidem N. 36.
[*] Ibidem N. 36.
[*] Reg Gregorii XIII. Ann IV. ep. 191. f. 134.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Lotharingiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Satisfecimus, quoad potuimus, Nobilitati Tuæ in iis, quæ postulabas de Episcopatu Virdunensi, multoque amplius fecimus, quam cujusvis hominis causa fecissemus: multa enim obstabant; vicimus tamen omnia, quoad quidem licere intelleximus: teque hoc facto a Nobis contentum esse debere existimamus. De subsidio, quod scribis, nulla ratione facere potuimus; nihil enim haetenus cuipiam concessimus; neque posteris simile exemplum tradi convenire existimamus. Acce-

dit etiam ad rei ipsius novitatem rerum isthic conditio, et summa Cleri inopia. Est autem, quatenus oporteat parentem filio, quo loco te semper in Christo habuimus, concedere. Omnia fusius cognosces ex eo ipso nuntio, quem ad Nos misisti. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXXXIV. — Instabat etiam Henricus Rex, ut Paulus Fuxius designatus Archiepiscopus Tolosanus tandem confirmaretur; [*] cujus in fidem catholicam studium, operamque in Rege Navarræ cum tota regia domo reconciliando valde laudat. [*] Ad Infulam Cardurcensem Antonium Genebrardum etiam nominatim designat. [*] Ad hæc iterato Pontificem adprecatur, ut Biragum, Cancellarium suum, et Scipionem Gonzagam in sacrum Patrum Cardinalium senatum cooptare velit. [*] Et tandem summis precibus exorat Pontificem, ut privilegia, indulta, aliasque gratias a Romanis Pontificibus Galliarum Regibus circa ecclesiastica negotia concessas, nec non concordata inter eosdem Reges et Sanctam Sedem denuo rata habere ac sancire velit. [*]

[*] Mantissa document. N. 57.

[*] Ibidem N. 58.

[*] Ibidem N. 59.

[*] Ibidem N. 60.

[*] Ibidem N. 61.

Eodem religionis studio adductus idem Henricus Præpositum Generalem Ordinis S. Francisci Assisiensis, qui hisce diebus disciplinæ regulari instaurandæ in Gallia plurimum insudaverat, commendatione apud Pontificem singulari prosequutus est: a Pontifice præterea petiit, ut res hujus Ordinis vel ab antiquis temporibus Galliarum Regibus carissimi sua gratia compleeteretur. [*]

[*] Ibidem N. 62.

LXXXV. — Burdegalenses quoque Pontifici enixas preces adhibent, ut Ordinem Patrum Societatis Jesu, horumque Collegium Burdegali situm sibi imprimis auctoritate et gratia fovendum existimet. [*]

[*] Ibidem N. 63.

LXXXVI. — Cum providentissimus Pontifex ex relatione Parisiensis Episcopi atque ex Nuntii sui crebris litteris cognovisset, plurima damna non in Ecclesiam modo, sed et in universam rempublicam neglecto a pluribus Episcopis Galliarum residentiæ officio redundare; gravibus verbis eos cohortatur, ne hac in re muneri desint; quamobrem Nuntio etiam suo Parisiensi mandat, ut singulis Archiepiscopis harum litterarum exempla transmittat, eos admonens, ut Suffraganeis suis eadem communicent, atque vehementer ad residentiam servandam hortentur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 40. f. 196.

Venerabili Fratri Joanni Mariæ Episcopo Sancti Papuli Nostro et Sedis Catholicæ in Galliis Nuncio.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Scribimus ad venerabiles fratres Archiepiscopos Galliæ, hortamurque eos, ut in suis Diœcesibus maneant, omnique studio et vigilantia commissum sibi a Domino gregem custodiant, idque eo majore studio faciant, quo majores sunt isthic Sathanæ conatus, quoque in dies ingravescit intestinum malum, proposita scilicet pestiferis hominibus impie eredendi, docendique impunitate. Volumus etiam, ut Archiepiscopi eadem quoque ipsi moneant suos Suffraganeos nostris verbis, literasque nostras illis communes faciant, quarum etiam exemplum ad tuam Fraternitatem mittimus. Curabis igitur, ut nostræ literæ ad singulos Archiepiscopos perveniant; scribes etiam ipse ad eos, excitabisque illos, atque incendes ad omnia, quæ in nostris literis sunt, quæque tibi Spiritus Sancti gratia suggesserit ad Dei gloriam, Catholicæque Ecclesiæ dignitatem, animarumque salutem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

En Pontificis litteras singulis datas Archiepiscopis. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 39. f. 195.

Venerabili Fratri Archiepiscopo N.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quam gravi, quamque multiplici in negocio et periculoso versentur Episcopi in Ecclesia Dei, non dubitamus et legisse sæpius Fraternitatem Tuam in sacris libris, sanctisque Interpretibus, et re ipsa quotidie experiri. Nihil enim frequentius monemur, quam Episcopos esse a Christo constitutos pastores, hoc est custodes animarum ejusdem ipsius Christi sanguine redemptarum, nihilque esse, quod tam illos laborare oporteat, quam ut gregem sibi commissum, quoad possint, salvum atque incolumem reddant, seque ipsos omnibus Sathanæ fraudibus ac machinis opponant, ac, si quid dissipatum fuerit, colligant, si quid infirmum, corroborent, si quid ægrum, sanent, si quid confractum, alligent, deque suo ipsorum munere perpetuo cogitent, idque in eo potissimum situm esse intelligant, ut privata omni ratione neglecta, Christi gloriæ gregisque ejus commodis inserviant, suorumque vulnera sua ipsorum propria ducant, illorum vero interitum inconsolabiliter defleant. Qui etiam cum id agere debeant, ut alienos omni studio atque opera ad Christum adducant, quamque plurimos possint, tutissimo in portu, atque in Ecclesiæ sinu locent; suos abduci et perdi, quanto cum sensu et dolore accipere debent? Quod si ullum unquam fuit tempus, cum oporteret Episcopos in ea, quam diximus, cogitatione atque actione versari, hoc certe illud est, in quo debent omnes Galliæ Episcopi omnibus viribus atque opibus laborare, ut omnes Sathanæ ministrorumque ejus conatus frangant. Vides enim, quanta isthic sacrosanctæ Religionis sit facta jactura, quibus furiis detracto Ecclesiasticæ disciplinæ freno, permissaque im-

pie credendi et docendi impunitate, quacumque libuerit excurrendi potestas sit data; quam gravis hoc facto sit Christo Catholicæque ejus Ecclesiæ injuria illata, quanta inde consecutura sit strages animarum. In hoc igitur tanto tamque præsenti malo necesse est, ut Episcopi sese ipsos colligant, atque in suis diœcesibus præsentes tum corporibus, tum animis sint, neque ullo minimo momento a gubernaculis discedant, nec oculos unquam dejiciant, sed tanquam in maxima tempestate omnibus remis velisque contendant; non illi quidem ut Christi naviculam salvam reddant, (nam ea certe nunquam interibit) sed ut omnes, qui in ea sint, servent, neque eos ulla vi fluctuum ac tempestatis abduci atque absorberi sinant, suosque confirment exemplo vitæ, Sacramentorum vi, sinceritate doctrinæ, quæ quidem brevissime continetur decretis sacrosancti Concilii Tridentini. Hæc pro nostro munere et ad Fraternitatem Tuam perscribere, et per te Suffraganeis tuis significari voluimus, nostrarumque harum literarum illis copiam fieri; volumus enim esse omnibus communes, cæteraque moneri, quæ sibi Spiritus Sancti gratia suggesserit, atque omnino provideri quoad fieri poterit, ne quid Catholica Religio detrimenti accipiat. Expectamus tuas literas, ex quibus intelligamus, quid feceris, quid quantumque profeceris, illud etiam qui Episcopi a suis diœcesibus absint, qui in suo munere ea, qua decet, cura et diligentia versentur: cupimus enim de his omnibus a te certiorem fieri. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Quas litteras Nuntius Parisiensis hac epistola ad eos mittit. [*]

[*] Gallia Vol 10. fol. 630.

Illustris et Rm̃e in Christo Dñe.

« Cum Pontifex Maximus intelligat, quam gravi periculosoque in statu versentur in hoc Regno ea, quæ ad fidem ac religionem christianam pertinent, cum ob alia multa, tum præcipue ob istam licentiam et libertatem vivendi, qua cuivis credere ac docere quod libuerit, licet, ad Archiepiscopos scribendum esse judicavit, eosque de suo munere commonendos, et ad fidei causam, defensionemque suscipiendam excitandos, si opus esset, vel certe incitandos. Id autem censet commodissime fieri posse, si Episcopi in suis Diœcesibus commorentur juxta sanctiones Ecclesiasticas, et ipsimet coram oves sibi commissas pascant, et ab hostium impetu defendant. Ejus literas, cum ad me delatæ fuerint, ut singulis reddendas curarem, nunc ad te mitto, atque una mearum exemplum. Neque vero arbitror opus esse adhortatione mea ad illud præstandum et exequendum, quod Summus Pontifex justissime petit; nam prudentia et sapientia tua efficit, ut existimem vel solam voluntatis ipsius significationem satis esse, ad ea omni cura, studio ac diligentia perficienda, quæ ad honorem Dei et animarum salutem cognoscis pertinere. Quare id tantum dicam, ut illam coram Deo consolas, illam audias, illi obtemperes, ita enim fiet, ut non id solum, quod Summus Pontifex optat, verum etiam, Spiritus Sancti gratia juvante, alia plurima ad Dei gloriam, Ecclesiæ Catholicæ dignitatem et animarum salutem perficias. Illud etiam a te peto, ut, cum rescripseris, ad me litteras mittas, quas ad Summum Pontificem perferendas studiose diligenterque curabo, ut simul etiam cum de reliquis rebus certiorem facere possim. Cura, ut valeas. Lutetiæ Parisiorum die XXX. Augusti MDLXXVI.

LXXXVII. — Nemo profecto unus ex Gallicis Præsulibus promptiori, studiosiorique animo Pontificis voluntati paruit, quam clarus ille Archiepiscopus Ambrunensis. Hic maxime dolebat vicem miserrimam Episcoporum, qui non possent, ut antea, obsistere hæreticorum conatibus, neque eos acriori contentione coercere ob conditiones pacis, ad quam servandam publici decreti sanctione essent obstricti. Affirmabat in tam alto pastorum somno, insidiantibus ovili rapacibus lupis, quantum possit advigilare et excubias agere; se quidem in omnes partes suæ diœcesis præcones verbi Dei misisse, eosque adeo egregiam navasse operam, ut magna opinionum morumque mutatio consecuta fuerit. Multa denique narrat de seditiosorum hominum vaferrima arte ad corrumpendos sui gregis animos. Legendæ sunt, quas litteras pluribus verbis scriptas ad Pontificem dedit; dignas sane Præsule curæ suæ gregis omnia posthabente. [*]

[*] Gallia Vol 10. fol. 606.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater.

« Accepi a Sanctitate Tua literas datas Romæ octavo Idus Sextilis, quibus me, pro singulari illo tuo in Rempublicam christianam amore, proque paterni animi in ea conservanda sollicitudine amanter admones et adhortaris, ut muneri meo sedulo incumbam, illi calamitosis temporibus ne desim, nec a statione mea longius abeam, sed in hac pastorali vigilia, in qua sacrosancta Sedes Apostolica me collocavit, diligenter excubem atque pernoctem. Quod si unquam antea, nunc certe rerum nostrarum status hoc a nobis exigere et exposcere videtur, ne in hac dissoluta vivendi licentia gregem nobis creditum erroribus imbui et contaminari sinamus, sed repulsemus a nobis impia hæreticorum dogmata, illaque modis omnibus; sed verbo Dei præcipue refellamus: odium vero malorum hominum in Ecclesiam Romanam et doctrina et vitæ exemplo compescamus. Qua de re Suffraganeos nostros a nobis admoneri Sanctitas Tua desiderat. Ego Beatissime Pater, cum primum divino favore ad hæc sacra gubernacula accitus sum, clavumque tenere cœpi hujus nostræ

divexatæ et periclitantis Ecclesiæ, nullum unquam laborem detrectare, nullum periculum effugere visus sum, ut eorum animos, qui se in fidem et disciplinam meam dediderunt, immunes ab omni injuria conservarem, erroribus prohiberem, devios in viam revocarem, amentes denique et hujus sectæ pravitate delirantes in sanitatem mentis reducerem. Quæ quidem officia, jampridem a nobis Ecclesiæ nostræ fideliter præstita, et Sanctitati Tuæ explorata, et universæ Galliæ perspecta esse existimo; verum hæc mea voluntas pacis nuper compositæ conditionibus magna ex parte impedita est. Non enim licet ministros illos scelerum malorumque omnium auctores et satores tam aperte, tamque libere, uti antea, ab ovilibus nostris repellere, non tanta contentione pugnare, non tanta vi, tantoque impetu obsistere, ne pacem violare videamur, ad cujus observationem publici decreti sanctione astringimur. Ego tamen, Beatissime Pater, cui nihil Christiana pietate, nihil fide Catholica, nihil studio erga Apostolicam Sedem charius esse debet, aut antiquius, non cessabo, neque desinam propterea bellum cum gente inimicissima gerere: ubi ero, pugnabo, nec in mediis fluctibus clavum deseram: sed clamabo unus, et in tam alto multorum pastorum somno lupos istos sanguinis nostri avidos, qui se jam liberius grassari posse, gregemque impune mactare existimant, clamore saltem et voce a septis nostris longissime profligabo. Quicquid enim mali, et superioribus annis, et nunc demum, huic nostræ Galliæ adlatum est, (quæ quidem ita afflicta concussaque est, ut ad interitum tota inclinata videatur) id omne a ministris istis et seditiosis concionatoribus contigit, concessa illis publice cum populo loquendi facultate. Neque vero sperandum est, diuturnam fore hujus pacis firmitatem, quæ tam iniquis et impiis conditionibus inita sit. Ex qua nihil aliud, quam odia, simultates, insidias et futuri belli veluti semina spargi, et in vulgus diffundi conjicimus. Nec salutaris populo esse potest ulla pax, quæ licet bonis fortunisque hominum prospiciat, aufert nihilominus et eripit salutem animis et felicitatem. In hac igitur veteris disciplinæ perturbatione diligenter in omnes Ecclesiæ meæ meorumque Suffraganeorum partes animum, oculosque converti, illic, quæ fracta et collapsa erant, instauravi et restitui; quæ vero sana et integra, in eodem statu retinui et confirmavi. Sæpenumero autem per literas Regem, Regisque Consiliarios, supremosque judicum ordines sum obtestatus, ut in sacris restituendis mihi tam justa de causa laboranti subvenirent, efficerentque pro imperio, ut solemnia Missarum sacrificia ad pristinum cultum et venerationem revocarentur; idque maxime in valle Quadratii, quæ Angroniæ valli finitima est, sub ditione Illmi Sabaudiæ Ducis positæ. Hæc loca ministrorum fraudibus valde commota et perculsa fuerunt, non enim verbis, uti ab initio, et artificiosæ orationis insidiis animos male cautos inescabant; sed ferrum flammamque minitantes, imbelles in verba sua jurare adigebant. Neque tamen id totum illis ex voto successit: permulti etenim constantes et intrepidi abjecta omni formidine in antiqua fide permanserunt, nec periculorum magnitudine animos ad ullam ab Ecclesia Romana defectionem inflexerunt. Qui favor nobis cœlitus adeo dimissus est: nec defuerunt nobis vires præsidiaque Dñi de Gordes, hujus provinciæ Proregis dignissimi; nec Senatus quoque in hac causa nobis auxilium unquam suum denegavit, qui antiquæ religionis custos, et acerrimus vindex semper extitit. Egregiam quoque navarunt operam divini verbi præcones, et concionatores, qui a me in eas omnes partes, quas hic error labefactaverat, dimissi sunt. Quibus tanta fuit in verbo Dei enunciando divinitus concessa vis atque authoritas, ut illorum conciones mirabilis secuta fuerit opinionum morumque mutatio. Fana si quidem, quæ humi prostrata dirutaque jacebant, paulatim exurgere et refici, sacra quoque, sacrorumque initia et ritus, qui neglecti et fere antiquati fuerant, rursus peragi et sancte celebrari cœperunt, Sacerdotesque, qui fugati ab hostibus procul patria extorres vagabantur, ad sacerdotia jam sua, ad sacra denuo faciunda redierunt. His vero conatibus nostris inimicorum improbitas et audacia summopere obstitit; hi enim illos in vulgus sermones spargebant, ut a suscepta fide infirmos dimoverent, cædes videlicet, incendia, direptiones, ingentem denique malorum omnium molem illis ab Angronianis impendere. Quibus minis ita multorum animi commoti sunt, ut rursus ad arma deventum sit, et denuo pugnatum; adeo ut grex noster varie misereque dispersus fuerit, sitque iterum nobis colligendus. Tot enim animarum jacturam et æternum interitum ferre nullo modo possumus, quæ cum fere decem millia sint, major tamen ex his numerus earum est, quæ a fide Romana nunquam desciverunt. Quæ viribus quoque forent superiores, sed ab Angronianis, qui cum adversariis nostris libere et impune se conjungunt, mirabiliter impediuntur. Cæteris vero in locis Ecclesiæ nostræ, Suffraganeorumque nostrorum, pace nobis restituta armorumque compressa licentia, sacra ubique peraguntur. Quod quidem ut in posterum quiete tranquilleque et sine ulla offensione perfici continuarique possit, summa a me et perpetua dabitur opera: nec parcam hac in re labori et vigilantiæ, vitæ vero meæ multo minus, quam in tam justa piaque causa profundere et optandum et beatum semper existimavi. Quod vero Suffraganeos reliquosque omnes Ecclesiarum Præfe-

ctos assiduos in Diœcesibus suis esse, in illisque perpetuo residere S. T. imperat, ab omnibus hac in re Sanctitati T. satisfactum est, exceptu Episcopo Dinniensi, qui admonitus aliud non obtendit, quam quod Reginæ Navarrorum sit in familia illius obsequio addictus. Ad me vero quod attinet, decem tantum adhuc dies huc concessi, ut publicis provinciæ comitiis interessem, quibus pro more institutoque majorum vocati adesse cogimur, quod non sine Ecclesiæ nostræ commodo sapienter constitutum est. Sed vereor, ne longioribus his meis literis sim molestus, finem faciam, si modo Sanctitatis Tuæ pedes submisse et humiliter ante fuero deosculatus.

« Deus Opt. Max. Beatitudinem Tuam ad salutem et defensionem totius Ecclesiæ Catholicæ salvam et incolumem diutissime conservet. Gratianopoli XVI. Septembris MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et observantissimus servus
G. Archiepiscopus Ambrunensis.

LXXXVIII. — Ex quibus nemini mirum esse debet, Gregorium tristissimis Ecclesiæ Gallicanæ temporibus, præ paucis ejusmodi alacritatis et laboris pastoribus, Archiepiscopi Narbonensis obitu indoluisse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 112. fol 97.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Narbonensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Dolemus graviter, non diuturnum fuisse gaudium nostrum de Simone Archiepiscopo vestro et pastore, quod quidem gaudium summa cum illius meritorum, tum vestræ pietatis testificatione concepisse vos declarastis iis literis, quas Nobis reddidit superioribus mensibus dilectus filius Archidiaconus Ecclesiæ vestræ. Quibus literis idcirco antea non rescripsimus, quia volebamus, nostras afferri vobis ab eodem Archidiacono, a quo vestras acceperamus. Nunc autem placuit Deo, ut in rescribendo una et gratulationis et doloris partes susciperemus. Gratulamur vestræ uptimæ voluntati, summoque desiderio animarum saluti, pestilentissimarumque hæresum extirpationi consultum videndi. Dolemus autem, non potuisse vos utraque in re frui virtute atque opera Archiepiscopi vestri. Sed est etiam, quod ejus obitu lætemur, et illum suæ uptimæ voluntatis fructum a Deo tulisse, et vos duplicem mercedem ab eodem Deo expectare, et gaudii in hujus pastoris adeptione, et doloris in amissione. Quod restat, interim Ecclesiam istam quam diligentissime regite, quæque ad Christi gloriam atque ad animarum salutem pertinere intelligitis, omnia summo studio curate; Nos quantum quidem poterimus, Divina ope adjuti nitemur, ut non diutius in mœrore atque in optimi Pastoris desiderio sitis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

LXXXIX. — Cum igitur recens eum Hugonottis pax impedimento esset Episcopis, quominus religionis negotia ex animi sententia, et qua oportuerit libertate curarent; cumque ex hoc ipso Hugonottorum insolentia in dies cresceret: tandem Catholici somno excitati rebus suis prospiciendum esse senserunt. Primi id aggressi sunt, et auctores cæteris sese præbuere Guisii, qui ad captandam intenti quamlibet amplificandæ propriæ potentiæ opportunitatem, asserendæque Catholicæ religionis, quod mire eorum rebus conferebat; tanta arrepta occasione, initium dedere conflando occulte inter Catholicos in universi regni provinciis fœderi, specie obsistendi hæresis progressibus; hæc enim ex concordiæ pactis maxime probari et firmari videbatur, sed revera, ut Catholicæ partis vires in unum coactæ, ac proinde validiores effectæ satis essent, cum ad se ipsos tutandos, tum ad firmiorem eam partem reddendam, in quam dimanabantur. Henricus Guisius Dux, Carolus Mayeunius Dux, et æque ac hi Ludovicus Cardinalis Guisius frater tertio loco natus, non modo paternæ amplitudinis atque existimationis, et Catholicæ partis dominatus hæredes fuerant, verum etiam propria virtute industriaque maximam adepti erant famam, paremque populorum amorem sibi conciliaverant, quos partim insita sibi benevolentia allexerant, partim studio animique ardore in defendenda religione, cujus, cæteris rebus postpositis, acerrimos propugnatores sese præbebant. Hi, cum quibus sentiebant Dux et Eques Humalii, Hellebovius Dux, Mercurii Dux una cum fratribus, licet Regis leviri, omnes tamen ex eadem Lotharingica gente, ut firmatam ratamque habitam præter expectationem concordiam perspexere, initam pactis tam iniquis et Catholicam fidem lædentibus, itemque suam factionem labefactantibus, ira et indignatione, quæ animorum sensa prodere solet, concitati maxime suspecta habere consilia et mentem regiam cœperunt. Videbatur enim iis, Regem natura ipsa bellicoso erectoque ingenio ad tam indecoras ac fœdas subditorum temeritate extortas pactiones non descensurum fuisse, alto nisi animo premeret graviora consilia, majoresque deliberationes molitetur. Quamobrem, licet ipse per Reginam matrem communesque amicos iisdem significasset, se decrevisse, aut imminuere aut infringere concordiæ pacta occasione et ope Comitiorum Blesis brevi habendorum, et ideo hujusmodi concordiæ se assensisse, ut Hugonottis tam grande propugnaculum, Alenconium scilicet fratrem subtraheret, at huic malo opportune remedium præsto futurum, non tamen hisce dictis acquiescebant Principes; verum in dies variis ex indiciis certins Re-

gis consilia conjicientes, magisque indignati ex antenacto decreto, quo in speciem omnibus, sed re ipsa sibi tantum intercedendi, impetrandique beneficia pro clientibus Catholicæque partis addictis facultas adimebatur, et suspicione maxima concepta de Regis animi ab se alienatione, decrevere, aut hac opportunitate suam potentiam firmare, aut consilia, quæ Rex agitabat, intercipere. Valido hoc impedimento injecto clientum scilicet sectatorumque viribus in unum solidumque corpus redigendis, stabili firmaque reddita ea potentia, quæ ampla licet ac vasta, sanguinis instar per venas, longe lateque in Galliæ corpus diffundebatur, et quia præsens tempus mirum eis commodum præbebat raptandi honesta specie hominum animos, suæque voluntati obsequentes reddendi, cum terrore timidos, tum iræ ardore eos, qui ex inita concordia satis erant concitati, tentare cœpere Parisiensium civium Piccardorumque animos. Illi enim Catholicæ religionis studiosissimi semper fuerant, atque hi Condei Principis dominationem reformidabant, cui hujus provinciæ Præfectura designata fuerat. Opportunitatem ad fœderis consilium propagandum præbebant religiosæ laicorum societates, quas paulo ante instituendas Rex curaverat, sive suæ pietatis impulsu, sive sensu Bernardini Castorii e Societate Jesu aliorumque piorum virorum. Etsi enim, qui nomen iis societatibus dabant, convenire debebant diebus præstitutis ad supplicationes, seseque flagellis cædendos, aliasque religiosas exercitationes, ut divinam iram placarent, atque ad opem remediaque discordiis et vigentibus calamitatibus, animorum concordiam, quietem, atque tranquillitatem Galliarum populis impetrandam; tamen in ipsis conventibus occasionem de rebus politicis sermonem habendi arripiebant, deplorandique infelicem conditionem, ad quam ob animorum dissensionem hæresisque incrementum regnum universum devenerat; inde colloquentes de ratione, qua publicæ res modo administrabantur: haud erat difficile viris religiosa instituta professis, aliisque forte solertioribus ac satis consciis mentis principum virorum partis Catholicæ semina spargere, fundamentaque jacere hujus fœderis, quod mire congruebat piæ causæ, ob quam a Catholicis cœtus passim habebantur.

XC. — Primus huic tractationi operam dedit Jacobus Humerius Peronæ, Monti Desiderii et Royæ præfectus, qui clientelis et opibus ea in regione præstabat, atque ob privatas causas Momoransiis infensus, et consequenter Condeo quoque Principi, cujus auctoritatem oderat, potentiamque metuebat, verens, ne dignitatibus obtentis exueretur. Hic igitur conventuum occasione, qui inibi frequentius quam cæteris in locis habebantur, hortari cœpit Peronæ cives, ne pati vellent eorum civitatem hæresis receptaculum domiciliumque evadere, et apud illos incendium illud ali, quo mox communis patria, cæteræque Galliarum regiones conflagraturæ essent. Ostendebat, primum diem, quo Condeum Principem excepissent, eorum libertatis supremum fore; hæreticorum enim tyrannidi, itemque seditiosorum hominum ac externorum inservientes, fortunarum suarum possessione, uxoria patriaque potestate excidissent; omnia hæc enim in avare crudeliterque dominantis prædam cessura essent. Et addebat, quicumque fuisset rerum eventus, hunc semper in ipsorum perniciem futurum; nam prævalentibus Hugonottis, in acerbum Anglorum dominatum ipsos deventuros, quibus, ut notum erat, ex fœderis legibus Princeps in Piccardia urbes arcesque tradere pactus fuerat: contra vero, si felicior sors Catholicis obvenisset, non erat ipsis aliud expectandum, quam obsidionis, belli, famisque calamitates; non alia enim de causa illius urbis possessio adeo ardenter expetebatur, quam ut eadem natura et arte munitissima adversus iniquam fortunam postremum esset præsidium atque tutamen. Quibus rationibus commotus populus, consentientibus civibus proximarum urbium Montis Desiderii, Royæ et Durlanii, fœdus inter se inierunt ad arcendum Principem Condeum ab illius urbis acquisitione et e Piccardiæ Præfectura, ut Catholicam religionem ea in provincia sartam tectamque conservarent. Non minori successu de eadem hac re Lutetiæ agi cœptum fuerat, ubi plebis ardens erga Catholicam religionem studium, apertumque in Hugonottos odium hisce consiliis fovendis mire conferebant: quamobrem cum non paucis ex Parisiensi Senatu viris et urbanarum regionum Præfectis, Eschevinos vocant, multi quoque religiosi viri cum in piis conventibus, tum in hominum coronis fœdus hoc dextere promoverent, jam plures cujuscumque conditionis homines jurejurando illi sese obstrinxerant. Et ad Piccardorum et Parisiensium exemplum sese composuerant Pictonum ac Turenæ viri nobiles, uti priores regionibus ab Hugonottis possessis et magis eorum dominationi expositi, auctorem ac principem se præbente Tramulio Duce, Toarsii Dinasta, clientelis ob veterem nobilitatem nominisque existimationem potente, verum turbulenti vastique ingenii homine. Et his se addiderat major Ecclesiasticorum pars, et ex plebe quamplurimi. Nec aliis in provinciis deerant, qui in hujusmodi societatem jam pronos homines traherent, quæ honesti ac plausibilis nominis specie ab auctoritate solertisque ingenii pollentibus viris proposita, vel a sagacioribus fidem captans, longe lateque per provincias atque urbes mire diffundebatur.

XCI. — Cujusce fœderis sanctin subscriben-

da ab iis, qui eidem assentiebantur, hujusmodi erat.

« In Sanctissimæ Trisdis nomine, Patris, Filii et Spiritus Sancti, nostri solius ac veri Dei, cui honor sit et gloris. Fœdus inter Principes, Proceres et Nobiles viros Catholicos ad hoc fit, ac faciendum est, ut Dei lex, ejusque cultus in pristinum statum dignitatemque restituantur juxta præscripta a Sancta Ecclesia Catholica Apostolica Romana, ejuratis omnibus adversus hæc erroribus: secundo, ad asserendas Henrico III. Regi ejusque in regno successoribus Christianissimis dignitatem et debitam in subditos potestatem, uti in postulationibus præbendis eidem in regni Comitiis juxta ea, quæ in sua inauguratione observanda sacramento se obstrinxit, professus nihil acturum adversus ea, quæ ab regni Comitiis statuta atque præscripta forent: tertio loco, ad restituenda tam hujus regni Provinciis, quam externis, quæ in Regia ditione sunt, non modo vetera libertatis, privilegiorum, immunitatumque jura, quibus a tempore Chlodovei Christianissimi primi regis fruebantur, verum etiam majora atque utiliora, si hujus fœderis beneficio inveniri possint. Si quæ tamen ad supradicta perficienda seditionis rebellionisve impedimenta a quovis aut quavis ex parte opponantur, fœderati obstricti tenebuntur suas fortunas, vitamque ad extremum usque spiritum effundere, ut persequantur, meritamque pœnam repetant ab iis, qui obsistere ausi fuerint, et in armis esse, donec promissa perficiantur revera, impleanturque. Si autem contigerit, quod aliquis ex fœderatis, aut eorum subditi, amici, aut clientes hanc ob causam molestia a quovis afficiantur, itidem debeant fœderati omni conatu hanc injuriam omnino vindicare, aut juris actione, aut armorum vi, nulla hominum conditionis habita ratione. Si qui autem hujusmodi Societati jurejurando jam adscripti, inde ab eadem discedere voluerint quacumque allata excusatione, (quod absit) refractarii hi, officii atque propriæ conscientiæ contemptores, insectandi erunt omni conatu uti rebelles ac Dei et publicæ quietis hostes, quin adversus fœderatos hac ex causa inquisitio ulla, aut publica, aut privata accusatio haberi possit. Ex pactione jurejurando confirmata profitebuntur socii prompte atque ingenue inservire constituendi fœderis principi, eumdemque consilio, ope adjuvare ad fœderis hujus substentationem et adversariorum exitium, nullo habito ad quamcumque conditionem aut eorum statum respectu, et in illos, qui pacta infregerint, aut ab iisdem desciverint, animadvertet fœderis princeps, cujus imperatis ab unoquoque sociorum obtemperandum erit. Catholici omnes in urbibus pagisque degentes monendi secreto erunt ab Prætoribus, suadendique, ut huic societati sese adjiciant, sufficiantque milites, arma, aliaque usui necessaria pro uniuscujusque facultate ac viribus. Vetitum insuper erit sociis inimicitias inter se exercere inconsulto societatis principe, cujus arbitrio componendæ discordiæ erunt, terminandæ ejusdem judicio tam de privatis rebus, quam de honore contentiones, et unusquisque in hæc certa verba jurabit: Ego per Deum omnium rerum Creatorem juro, Evangeliis tactis, meque, ultro subjiciens execrationis æternæque damnationis pœnæ, huic sacro Catholicoque fœderi nomen dedisse ad formulam libelli, quæ modo mihi perlecta est, cui me sine dolo ac sincere addixi, paratus animo aut imperandi aut parendi, prout jussus fuero, ac spondeo vitæ meæ et honoris periculo in eadem societate perstiturum ad supremum usque spiritum, nec ab eadem discessurum, aut contra eamdem facturum quacumque de causa, jussu, prætextu, excusatione, occasioneve quovis modo data. »

XCII. — Et hujus libelli exempla tanta arte compositi a Guisiis, qui Regi obsequi, eumque defendere palam profitentes, occulte tamen ac revera omni auctoritate subditorumque obedientia exuebant, ut in societatis pactæ principem easdem transferrent, quam maxime caute spargebantur per solertes viros, ipsisque arcte addictos; tanta autem sagacitate usi, ut sensim diffunderentur longe lateque, auctoribus, qui eos submittebant, minime apparentibus: quamobrem hi libenter ab omnibus excepti, eorumdem animos ad res novas jam longo usu pronos summo, sed latenti progressu occupant, et brevi in arctam societatem devinxere eos, qui aut religionis privative commodi studio, vel novarum rerum cupiditate, aut in Hugonottos Principes odio impellebantur. Verum ad sustentandum alendumque tantæ societatis corpus, illudque a Regis potentia tutandum, paranda erat pecunia validumque quærendum patrocinium, intendentesque Guisii mentis aciem extra Gallias, putarunt licere pro Religione sibi exterorum Principum favorem ac præsidium comparare; id quod fecere Hogonottorum exemplo, qui ab Anglica Regina impetrata ope ac Protestantium Germaniæ Principum armis usi fuerant.

XCIII. — Et hæc volunt initia fuisse pestilentissimi illius fœderis, quod plures post annos erupit contra ipsum Henricum Regem, incentore Henrico Duce Guisio, quem per innominatum præfectum in conditionibus fœderis hoc anno compacti designatum, intellectum multi existimant. Quod ut verum sit, haud tamen existimamus eum jam hoc tempore ad regni fastigium aspirasse, cum adhuc videret Regem, ejusque fratrem juvenes, et aptos ad gignendos successores, sed tantum ad imperium armorum regiorum, quod pater ejus exercuerat: postquam autem et mortuum Alenconium Ducem (qui deinceps Andius dictus est post obtentum a

Rege nobiliorem ejus principatum,) et Regem sine prolis spe esse, ac Principes sanguinis longe semotos vidit, tunc demum id cogitasse, quo sibi ipsi justo Dei judicio perniciem procuravit.

XCIV. — Quod vero Hugonotti jactarunt, Gregorium Pontificem consensisse huic primo fœderi; et quemdam libellum promulgarunt Nicolai cujusdam Davidii, advocati Parisiensis nomine confectum, de tractatu super eo habito seu habendo cum Pontifice in gratiam Guisii, et restitutionem antiquæ lineæ Carolovingiorum, e qua se ortos Guisi profitebantur: merum fuit hoc otiosum nugatorum et calumniatorum inventum, adeo inepte concinnatum, ut vel sola lectione manifestissime impostura appareat. Nam hic aliique id genus libelli tam incredibilibus, immanibus et commentitiis narrationibus repleti erant, ut omnium opinione dolo malo excogitata sparsaque esse existimatum fuerit, ac ut obtrectationi, odio, suspicionique hominum Guisios objicerent, qui pernegantes constanter hæc mandata ab ipsis Davidium unquam accepisse, cum, si quidem hujusmodi scripta forte reperta fuerint, pro insano emisso per amicos scripto bane famæ suæ obtrectationem refellere curaverunt, ostendentes, quam absurda ac aliena longe a vero essent, quæ inique objiciebantur.

Quod vero ad Pontificem attinet; etiamsi daremus, apud Davidium hominem (ut Thuanus ipse narrat [*]) prostituti pudoris ac fidei ejusmodi argumenti scriptum, seu quod ipsemet conflasset, seu ab aliis conflatum Romam detulisset, repertum fuisse; Gregorium tamen ei suffragatum esse, neque eo scripto proditum fuit, neque ullo alio argumento probari potest, neque, cum Guisius Dux aperte se detexit, Pontifex aliqua ratione in fœdus consensit, quemadmodum ex ipso Serrano seu ejus continuatore, utroque hæretico ac proinde Pontificum hoste, aperte intelligitur, dum ad finem anni MDLXXXIV. scribit, oblatum tunc fuisse fœdus Gregorio, ut illud approbaret, tanquam pro ornamento et propugnatione Ecclesiæ Romanæ conditum: Gregorium quoque annuisse, ut contra hæreticos ageretur; at nequaquam motus illos populares comprobare voluisse, quibus cerneret involvi Reges Christianissimum et Catholicum; sicque nuncios inanes dimisisse.

[*] Histor. sui temporis Tom III. p. 176. ed. 1626.

XCV. — Hugonottorum commentum de Romana Davidii legatione non dubitarunt in suis historiis inserere Thuanus et Davila. Quanta autem cum impudentia, ne dicam impietate, illa conficta fuerit vel ex eo apparet, quod Salviatus apud Regem Christianissimum Nuntius Apostolicus in suis planis ad Pontificem atque Cardinalem Comensem litteris de hoc homine omnino silet; sed idem præterea Nuntius, vir rerum imprimis expertus, qui intima Regis regiæque gentis, nec non ipsorum Guisiorum consuetudine utebatur, cuique adeo omnia aulæ regiæ arcana patefacta esse oportebat, solummodo in suis secretioribus litteris leviter hujus fœderis mentionem attingit: id vero ita facit, ut se valde illud improbare significet: timebat enim, ne idem magis ad seditionem fovendam, quam ad Religionem tutandam, auctoritatemque regiam nutantem firmandam excogitatum confictumque esset. Catharina quoque Medicea, ut idem Salviatus refert [*], ab initio huic fœderi adversabatur, Regemque filium monebat, ne eidem utpote ab impotenti Guisiorum regnandi cupidine excogitato adsentiretur.

[*] Mentione document. N. 84.

Quid vero de Gregorio dicamus, qui sui Nuntii consilia prudentia plena sequutus nunquam huic fœderi adsensus est? Perlegimus quidem attentissime omnes ejus ad Regem et viros regiæ domus, et ad ipsosmet Guisios longo sui Pontificatus tempore magno numero conscriptas litteras, in quibus nullam hujus sibi propositi fœderis mentionem facit. Quid amplius desideres ad nefaria Hugonottorum commenta refellenda, asserentium, Gregorium huic horum Catholicorum fœderi assensum fuisse, illudque pro viribus promovisse?

Cæterum haud inficiandum est, fœdus illud in prima sua origine innoxium fuisse, vel tale videri potuisse: quod patet ex libello, quem tres regni Ordines, Nobiles inquam, Ecclesiastici et Cives Regi paucos ante dies, quam Blesis comitia inaugurarentur, nempe postridie Calendas Decembres obtulerant. Versionem italicam hujus libelli, utpote rarissimi et nullibi, ut videtur, relati, quam Nuntius Apostolicus Pontifici miserat, ad calcem hujus voluminis prodemus. [*] Et Nobiles eadem die alterum libellum pro conservanda in Galliarum regno una Catholica religione Regi exhibuere. [*]

[*] Ibid. N. 85

[*] Ibid. N. 86.

Hoc unum ab initio fœderis socii sibi proposuerant, quod ex ipso libello constat, ut sarta tectaque fides Catholica servaretur, eaque contra intollerabilia Hugonottorum postulata defenderetur; itemque Rex et regia auctoritas ab diuturnis Politicorum molitionibus vendicaretur. Cum singulæ quoque provinciæ fœdus iniissent, spoponderunt, sese Regi et milites et pecunias suppediturus. Illud enim vero dolendum est, quod Guisii temporis progressu singula hæc fœdera in unum contraxerint; eoque obtentu quidem religionis re suis commodis augendis, vel contra ipsam regiam auctoritatem usi fuerint.

XCVI. — Quod si Catholici hoc tempore fœdera inierunt pro defensione fidei Catholicæ, (quod tamen inscio Rege fieri non debuisse videtur) qua fronte id iis hæretici objectare potuerunt, qui illis imo tot exempla præbuerunt coitionibus suis et fœderibus non solum intra regnum, sed maxime cum omni exterorum gente-

re, tam contra Regem apertissime, quam contra religionem initis ?

Novissimum hujus rei exemplum Hugonotti præbuerunt in percelebri illa conventione, quam, auctore Condeo Principe, v. Kal. Decembris anni elapsi cum Duce Casimiro Comite Palatino Rheni fecerant. Ex quo pacto Palatinus Comes cum magna militum Germanorum Protestantium copia ad eorum subsidium in Gallias evolare deberet, non modo ad sua jura, quibus jam dio regni legibus potirentur, vindicanda, verum etiam ad conquirendum, vel potius ad extorquendum manu armata integrum cultus religiosi exercitium per totum Galliarum regnum; ad sibi insuper comparanda jura civilia in omnibus reipublicæ muniis fungendis, ad quæ Catholicis tantum erat jus. Auctores hujus conventionis (quam nescio an unquam vulgo edita sit, quare ex eadem pauca quædam, quæ religionis res respiciunt, damus, [*])ad rationem sui fœderis peculiari vocabulo distinguendam, Ligam eam appellarunt; vocabulo alioquin scriptoribus medii ævi usitato [*] quo etiam Catholici in eodem fœdere utuntur, aperteque annuunt, Hugonottos jam inde ab anno MDLXIV. ejusmodi fœdus inter se inivisse. Statui id omnino posse videtur, quod Hugonottorum fœdus anno MDLXXV. factum ab initio generale fuerit, atque complectebatur omnes quotquot Calvini dogmata in Gallia profitebantur; fœdus vero Catholicorum ab suis exordiis non nisi ad singulas regni provincias pertinuerit. Quare haud longius a vero aberraverit, qui dixerit, fœdus hoc vel Ligam Hugonottorum anno MDLXXV. Ligæ Catholicorum originem dedisse.

[*] Mantissa document. N. 67.

[*] Videsis vocem Ligæ in DuCange Gloss. mediæ et infimæ latinitatis T. IV. p. 197 Parisiis 1733.

XCVII. — Henricus Rex in tanta rerum perturbatione, ærumnosaque regni conditione, quod a Politicis Hugonottisque aperte oppugnatum erat, et a Catholicis fœderatis latenter insidiis petitum; spe concepta sua perficiendi consilia comitiorum regni ope, eadem Blesis cogere sollicitabat, quam in urbem ipse una cum matre et Alenconio fratre pervenit decima Novembris die; cumque per epistolas provinciarum nuncios, ut quam citius adessent, monuisset, adeo sollicite advenere, ut postridie Nonas Decembris initium datum comitiis fuerit. Mens erat Regi inhærenti consiliis, quæ susceperat, ut in hujusmodi conventu pax certa firmaretur, a qua, uti communi totius nationis consensione inita, nemini recedendi occasio esset, et hæc concordia diu et religiose observata, remissis studio ac factionum ardore, temporis opportunitatem sibi daret, captas deliberationes exequendi, minuendarum scilicet utriusque partis virium, ut eas postremo opprimeret. Sperabat quoque, concordiam hanc gratam acceptamque cujuscumque conditionis hominibus futuram: Ecclesiasticus enim ordo, cui, vigente bello, utpote religionis causa suscepto majus sustinendi illius onus incumbebat, majorem impensam facere cogebatur; Nobilitas etiam laboribus attrita, opibusque exhausta erat; et plebs gravibus vexata vectigalibus in agris vastitatem a militum excursionibus illatam patiebatur, et in urbibus ob intercepta commercia belli damna sustinebat: ideo a cunctis pax avidissime exoptari videbatur. Apud comitia itaque Rex gravi et efficaci oratione commemorare cœpit miseram, atque infelicem Gallici regni conditionem, quod florens quondam ac potens, modo e pristina sua dignitate et summa amplitudine dejectum in infimum miserandumque fortunæ statum, discordiarum vi prolapsum jaceret. Periisse jam asserebat, obsequium illud Gallicæ nationis, semper peculiare erga regiam Majestatem, ab privatis odiis atque intestinis vinculum illud caritatis in communem patriam apud bonos dissolutum atque rescissum. Fuisse improba civilis diuturnique belli licentia afflictum et prostratum Justitiæ robur una cum Magistratuum dignitate, infectosque vitiorum contagione antiquos mores. Se probe scire populorum calamitates tribui malæ Principis in rebus publicis administrandis rationi; tamen conscientia sua fretum non dubitare, eos, qui recte res expendunt, mente volventes infirmam Regis fratris suique ipsius ætatem tunc cum hæ turbæ initium habuere, omnem ab eo culpam remoturos. Palam esse omnibus, quot labores et ærumnas sustinuerit Regina mater, ut exorientibus populorum calamitatibus occurreret, quarum causa satis superque nota erat; ejusdem autem constantiæ, providentiæ animique magnitudini referendam esse regni salutem, indemnitatemque patrimonii regiæ domus et pupillorum, tot artibus insidiisque impetitam, ac aperte tanta vi oppugnatam. Si autem ipsius Reginæ gravi morbo, et vel in exordio ipsius vehementissimo, mederi non valuerit, id forte Divina permittente providentia contigisse, ut principis unaque populi peccata punirentur. Constare tandem omnibus, quid ipsemet egerit ad præsentium ærumnarum caussas removendas; expertum se, regnante fratre, fuisse relatis toto orbi notis victoriis, si armorum vi morbi ardor restingui potuisset: ex intestino civilique bello Catholicæ religioni, quæ pace augescit, non levia damna inferri, ita ut tantum abesset, ut errantium animæ ad sanitatem adducerentur; quin potius proborum Catholicorum animæ periculo exponerentur. Quamobrem, etiam priusquam Poloniæ regnum adiisset, studuisse pace composita Galliæ calamitatibus finem imponere, et postquam Gallicum imperium susceperat, omnia tentasse, ut quietem ac tranquillitatem suo regno daret; ideo se comitia regni indixisse, ut proborum fideliumque subditorum consiliis ratio inveniretur, qua instantibus ærum-

nis provideri posset. Si hæ finem habituræ non essent, optabiliorem sibi fore vitæ exitum: advenisse vero tempus, quo communibus consiliis adhibendum erat salubre aliquod remedium, cujus ope, repressis odiis, partium studiis ac discordiis, bellisque, restitui temperatis modis posset pristinus Catholicæ religionis candor, contineri que homines in obsequio erga Regem et justitiam, vitia ac perniciosos recens invectos mores eliminari, eosque ad antiquam integritatem revocari, darique tandem quietem sacris et nobilibus viris atque plebi a periculis, ab oneribus ac damnis. Nam grandia vectigalia bellorum causa imposita, non modo continuanda erant, sed et magno cum omnium dolore in immensum augenda. Arbitrari se ad recensita bona assequenda nihil conducibilius atque efficacius, quam moderatam et permanentem concordiam; nihilo minus se pronis auribus accepturum, si quæ contra aut diversa a sua sententia consilia afferentur, ut commodiora atque utiliora seligerentur; hortari ideo ardenter unumquemque, ut privatis studiis sepositis sincere eas rationes proponeret, quæ suo judicio aptas putaret ad sublevandam miseram regni conditionem, sedandasque turbas; nam, uti ipse decreverat, una cum iisdem, præsentibus necessitatibus consulere, ita, quæ unanimiter caperetur deliberatio, se effecturum, ut omnino executionem haberet.

Prosequutus deinde est, sed prolixiori oratione, Regis sermonem Biragus Magnus Cancellarius, de iisdem disserens et concludens, postquam summæ Reginæ matris prudentiæ, Regisque virtuti ac animi magnitudini Galliæ salus inter tot turbas et pericula debebatur, modo ad comitia pertinere communi studio communem ac salubrem afferre sententiam, qua, sublevato a præteritis ærumnis regno, futuris quoque occurreretur.

XCVIII. — Primo loco de Religione agebatur: stabili enim facta deliberatione nullam aliam, præter Catholicam religionem, in Gallia esse permittendam, cui rei nec Rex aut aliquis ex nuntiis, etsi plures occulte contra sentirent, obstare ausus fuisset, omnis eodem tempore concordiæ spes intercidebat, et bellum Hugonottis indicebatur. Interea Lugdunensis Archiepiscopus Ecclesiasticorum, et Baro Senesseus Nobilium hominum nomine proposuere, assentiente quoque Petro Versorio, plebeji ordinis præcipuo nuntio, Guisiorum cliente, maximeque Catholico fœderi addicto, a Rege petendum, ut, inductis recens novæ religionis ritibus interdictis, Catholica tantum religio retineretur, omnesque Galliæ populi eam unice amplecterentur. Quam in sententiam plures ex Nobilibus ivere, quamvis ex eodem ordine non pauci repugnarent, non ut Catholicæ religionis integritati adversarentur, sed ut belli caussam removerent, cupientes profecto fidei puritatem sartam tectam esse, avocarique eos, qui ab ea defecerant, sine ulla armorum vi. Assensit quoque popularis ordo novissimæ eidem sententiæ: is enim præ cæteris vectigalium onere premebatur ad bellum sustinendum, mercatores scilicet, agricolæ et artifices. Non defuerunt etiam ex hujus ordinis nunciis, qui Ecclesiasticorum ac Nobilium virorum sententiæ adhærentes, a proposito pacis illius consilio abhorrebant. His repugnavit inter cæteros Joannes Bodinus, unus ex popularibus nuntiis, qui conatus est longo sermone demonstrare quam perniciosam funestamque fore belli renovationem, revocatis ante oculos periculis et calamitatibus transactis; verum suæ orationis vi prohibere non potuit, quominus majori suffragiorum parte fieret deliberatio postulandi a Rege, ut omnino ac unice Catholica religio in Galliarum regno servaretur, Calviniana prorsus rejecta. Illud unum assequi potuit Bodinus, ut supplici libello a populari ordine Regi porrecto quædam verba intersererentur, quibus significabatur, exoptari quidem fidei integritatem absque armorum strepitu, atque evitata belli necessitate.

Hæc comitiorum deliberatio Regi relata, qui occultas ordinum tractationes deprehenderat, ejus animum induxit, ne in posterum obsisteret, probe noscens sibi adversorum suffragiorum numerum obesse; verum ut nuntiorum postulata arte eluderet: nam obsistendo arma in se conversum iri prævidebat a fœderatis Catholicis, quæ modo adversus Hugonottos parabantur. Quamobrem curans oblique deliberationem hanc intervertere proposuit comitiis, suasitque, ut priusquam deliberatio firmaretur, legati ad Regem Navarræ, Condeum Principem ac Damvillium Marescallum mitterentur, qui eosdem hortarentur et suaderent, ut comitiorum voluntati parere vellent, ne rem ad novam belli necessitatem adducerent. Sperabat enim Henricus Rex hujus moræ beneficio modum invenire, quo nuntiorum fere omnium mentes a suscipienda deliberatione, in quam pertinaciter propendebant, averteret. Lecti ad Navarræ Regem legati fuere Viennensis Præsul, Rubempratus, et ærario Præfectus Menagerius, ad Condeum Principem Augustoduni Episcopus, Mommorinus et Petrus Ratus, ad Damvillium vero Puteanus Episcopus, Rupefortius et Toleus causarum patronus, ad postremam eorum deliberationem excipiendam. Navarræ autem Rex de comitiorum animi inclinatione certior factus, impendentem tam gravem procellam circumspiciens, dum Blesis consultationibus ob opinionum varietatem, interpositaque impedimenta multum temporis teritur, animo ad bellum deliberato undequaque milites legebat, moliebaturque in suam potestatem plures urbes, arcesque ad sustinendam

factionem aptas redigere: quod et ei prospere cessit.

XCIX. — Pace cum Hugonottis jam tum inita, Dux Alenconius de Comitatu Avenionensi et Venusinu scribens ad Pontificem eam spem injicere volebat, quod in illa Pontificia ditione omnia possent facili ratione componi. [*] Verum Avenionenses, ac Venusini qui post pacis illius promulgationem graviora mala ab Hugonottis multo audacioribus patiebantur, Legatum mittunt ad Pontificem, eumque adprecantur, ut eos in tot tantisque periculis versantes suo consilio, gratia, auctoritate velit juvare. En literas Venusinorum ad Pontificem. [*]

[*] Mantissa document. N. 68.

[*] Avignone Vol. 3. f. 322.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater, post beatorum pedum vestrorum oscula.

« Non dubitamus ad Sanctitatem Vestram multorum literis tum et Christianissimi Regis Francorum, ac Nuncii Sanctitatis Vestræ, qui ad latus ejusdem Regis assidet, jamdudum delatum fuisse, pleneque certiorem effectam, quibus modis honestisve conditionibus fuerit Regia sua Majestas astricta concordiam inire cum hæreticis. Post cujus pacis publicationem, cum nobis hujus V. Comitatus fidelissimis, et integræ fidei subditis perfidi et rebelles istius Vestræ provinciæ magis ac atrocius quam antea molesti essent, literis Illustrissimi et Reverendissimi Cardinalis Armeniaci (quem colimus, cui honorem et obsequium libenter præstamus) et Comitis Martinengui militiæ Præfecti ad Civitatem Avinionensem evocati, tam eorumdem voto, quam Dominorum Prælatorum, Vassallorum, Communitatum istius Vestri Comitatus consensu delectus fuit nuncius et orator hic Joannes Michael, ut ad pedes Sanctitatis Vestræ evolaret, quo eidem apperiat rerum, quæ hic geruntur, statum, ac eorumdem hostium conatus ac minas, et ut preces nostro nomine Sanctitati Vestræ humilissimas effundat, ut nos subditos suos tantis in periculis constitutos adjuvet, sua continua ac paterna pietate protegat, quem humanissime audire ac excipere Sanctitas Vestra dignabitur. Et nos, Sanctissime Pater, Deum Optimum Maximum pro Sanctitatis Vestræ vita longiore, ac hæresum integra extirpatione deprecabimur. Carpentoracti die v. Julii 1576.

Sanctitatis Vestræ

Devotiñi oratores et fidelissimi subditi

Electi Patriæ Comitatus Venaysini.

C. — Pontifex legatum hunc Michaelem Pertusium humanissime excepit, et re accurate cum Sacro Cardinalium Senatu deliberata statuit de concordia agendum cum Hugonottis, ne amplius Avenionenses vexarentur, iis tamen præstitutis conditionibus, quæ efficerent, ne causa religionis et dignitas Sedis Apostolicæ detrimentum pateretur. In iis conditionibus hæc præcipue continebantur: Hugonotti omnia loca occupata in Comitatu Avenionensi, in primis Minervæ oppidum restituerent; ab omni religionis exercitio se abstinerent; nulla publica munera in ea ditione gererent. Ex quibus intelligitur magnum discrimen intercedere inter illas pacis conditiones, ad quas firmandas induci passus est Henricus, et illas, quæ præscribebantur in concordia nomine Pontificis ineunda. Iis præstitutis conditionibus, Cardinali Arminiaco et Comiti Villæ Claræ mandata dedit, ut quæ ad pacem firmandam pertinerent, cum Marescallo Damvillio colloquerentur. Huic etiam Gregorius per literas humanissimas rationem consilii sui aperit, eum laudat, quod ad sedandas iis in ditionibus turbas, et ad pacis negotium maturandum trium mensium inducias cum Hugonottis pacisci curaverat. Verum de iis omnibus, quibus negotium illud commissum fuerat, postea conqueritur Pontifex, quod præter ejus voluntatem plura adjecerint in illa concordia, quæ ab Apostolicæ Sedis dignitate aliena existimanda erant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 17. f. 178.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Anvillæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quia semper existimavimus, te optimum Catholicæ Ecclesiæ filium esse, inque eo nihil a tuis majoribus degenerare, magnam spem habuimus, tuam vicinitatem in tanta superiorum temporum, bellorumque iniquitate magno adversus hæreticorum vim adjumento futuram rebus nostris Avenionensibus, judicamusque res illas, tametsi graviter afflictas, majorem tamen calamitatem, absente te, accepturas fuisse. De induciis trium mensium tua potissimum auctoritate factis, unde etiam quies interim illi regioni parta est, gratissimum Nobis est. Sed quoniam pax necessaria est, ut Nobis restituatur Minerva, cæteraque loca ab hostibus occupata, atque arma utrinque deponantur, hostesque ex nostris locis discedant, postulamus, quantum possumus, ut hoc ipsum tua auctoritate perficias iis conditionibus, quas Cardinalis Arminiacus et Marcus Antonius Martinengus explicabunt nostris verbis, quibus quidem conditionibus nullas possent hæretici a Christi Vicario expectare mitiores ac benigniores. Quæ autem hi Ministri nostri pollicebuntur, ea omnia inviolate præstabimus, tuamque adversariis, si ita opus erit, de Nobis fidem dabis. Breviores sumus, quia omnia planius ex Joanne Michaele Pertusio, qui huc ad te literas defert, cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviii. Julii mdlxxvi. Pontificatus Nostri anno quinto.

CI. — Rex certior vix factus, Pontificem consilium inivisse, ut de concordia cum ditionis suæ hostibus ineunda ageretur, exhilaratus, missis legatis ad Cardinalem Arminiacum [*] et Dam-

[*] Mantissa document. N. 69.

villium Marescallum, ad eam quam mature conficiendam sedulam navavit operam : quod statim Pontifici nuntiavit, eumque adprecatus est, ut Lenoncurtio e secretiori Regis consilio, viro miræ in rebus tractandis dexteritatis, Episcopo Antissiodorensi, quem ad Damvillium pro concilianda pace miserat, Cardinalatus honores nec non regni Cancellario et Ludovico Remensi Archiepiscopo designato deferrentur. [*] Quas preces tum Rex, tum Regina mater sæpenumero iteraverunt. [*] Quanto studio Lenoncurtius præstiterit in fide Catholica tuenda, litteræ Cardinalis Borbonii ad Pontificem apprime demonstrant. [*]

[*] Mantissa document. N. 70.

[*] Ibid. N. 71.

[*] Gallia Vol. 10. fol. 331.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Beatissime Pater, post sanctissimorum pedum humillima oscula.

« Cum Rex Christianissimus literas ad Sanctitatem Vestram perferendas daret, quibus ab illa, ut in sacrosanctum Cardinalium collegium Reverendum fratrem Dominum de Lenoncourt, nuper Antissiodorensem Episcopum, cooptaret et asciceret, suppliciter et obnixe precaretur, deesse mihi non potui, quin has eidem postulationi socias adjungerem, cum propter defuncti Cardinalis de Lenoncourt ipsius patrui viri, dum viveret, clarissimi, gratam recentemque memoriam, atque mutuam illam benevolentiam, quæ mihi cum illo ab ineunte ætate intercessit, et ad hunc usque diem firma constansque permansit, tum propter vitæ ejus integritatem, doctrinam singularem et Catholicæ religionis non obscurum studium, quod aliquando erga fratrem meum Navarreorum Regem comprobatum reliquit, quando eum adversus omnes hæreticorum technas, quibus in errorem Principum mentes allicere conabantur, in Catholicæ nostræ religionis integritate sanctissimis suis consiliis feliciter ita retinuit, ut tandem pro ea tuenda vitam cum sanguine profuderit. Quamobrem eum Sanctitati Vestræ gratius aut optatius nihil esse possit, quam ut his turbulentissimis temporibus Ecclesiæ Catholicæ splendor multis doctrina et pietate præstantibus viris eniteat, hoc unum ab ea demisse petendum censui, ut ad eam voluntatem quam sua sponte erga omnes de Republica Christiana bene meritos Vestra Sanctitas habet, ad Christianissimi Regis non vulgarem commendationem tantus humillima mea postulatione cumulus accedat, ut ad exoptatissimum tanti honoris insigne Sanctitatis Vestræ beneficentia obtinendum illi minime videar defuisse.

« Deum Opt. Max. rogo, ut eandem Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ Catholicæ atque toto orbi Christiano quamdiutissime felicem conservare dignetur et incolumem. Parisiis die XXV. mensis Aprilis anno Domini MDLXXVI.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON.

Alenconius quoque Dux totus erat in votis Pontificis ad jungendam pacem prosequendis. [*]

[*] Mantissa document. N. 72

CII. — Cardinalis Arminiacus et Comes Villæ Claræ, ut ab Pertusio Avinionem Roma reverso consilium Pontificis de rebus Avenionensibus ad pacem componendis acceperunt, extemplo Oratores, Deputatos dicunt, ad Damvillium Marescallum Montem Pessulanum mittunt, qui, eo præside, cum Hugonottorum ex Pontificiis ditionibus Deputatis de pace firmanda agerent. Nulli profecto labori Damvillius pepercit, ut Hugonottos remissioribus animis affectos ad æquas Pontificis conditiones admittendas induceret. Ea deinde pax inter utriusque partis Deputatos, Præsidentibus Cardinali Arminiaco et Comite Villæ Claræ, tandem Avenione IX. Kal. Octobr. firmata fuit, ac sane iis conditionibus, quas Gregorius Pertusio Romæ dictaverat. Et damus easdem ex apographo Romam misso, [*] propterea quod quas Dumontius publici juris fecit, valde mancæ mutilatæque sunt. [*]

[*] Ibid N. 74.

[*] Corps Diplomatique T. V. P. I. p. 275.

Damvillius, qui ex prospero conjunctæ pacis successu ingentem ceperat lætitiam, statim plenis officio et obsequio litteris Pontificem et Cardinalem Comensem certiores fecit. [*]

[*] Mantissa document. N. 71.

CIII. — Verumtamen hæc non diu stetit pax, quod sane haud mirandum fuit. Quam enim fidem facerent perduelles isti, quorum in more positum esset, cum commodum accideret, quælibet vel sanctissima fœdera nihili facere, impieque perfringere? Itaque etiamsi Rex ipse, Dux Alenconius et Marescallus Damvillius suam fidem apud Pontificem interposuissent, qua juberent pro certo habere, religiose ab Hugonottis pacis conditiones servatum iri, tamen mox eas violare nihil dubitavere: namque diuturnis incursionibus, incendiis, rapinis, aliisque hoc genus flagitiis ditiones pontificias infestaverunt ac pessumdederunt. Ad hæc, oppida ante pacis tractationem ablata restituturos se esse negarunt. Frustra Lenoncurtius conabatur eos Regis nomine ad saniora consilia revocare. [*] Idem cum eis præstitit Damvillius, qui Pontificem per legatum de nefariis perduellium gestis docuit, spopónditque, se omnia experiturum, quo homines isti, quæ adhuc retinerent, quam primum restituerent, et pactis conditionibus starent. [*]

[*] Ibid. N. 75.

[*] Ibid N. 76.

Avenionenses quoque per Michaelem Pertusum de afflictis profligatisque suis rebus Pontificem certiorem faciunt, adprecanturque, ut tot damnis occurrere velit. [*]

[*] Avignone Vol 8. f. 490.

Sanctissime Pater.

« Magnam pacis et quietis spem conceperat hæc tua devotissima Avenionensis Civitas ex tractatu illius, quem Illmi Cardinalis ab Armaignaco Collega et Comes Martinengus una cum Generosissimo Marescallo Franciæ Domino de Damvilla superioribus diebus ceperant; verum unius quidem Ferrier temeritate et audacia, qui

Arcem Minerbiæ occupat, et nullis suasionibus flecti potuit, ut eam ditioni tuæ, a qua erepta est, restitueret, et ad optatum exitum pervenire non potuerit: quo fit, ut non solum, Beatissime Pater, hæc tua Civitas, quæ tandem respirare afflicta tamdiu belli calamitatibus sperabat, sed etiam universus tuus Comitatus Venayssinus hostium sanctæ fidei incursionibus et depopulationibus misere infestetur, itineraque obsessa sint latrociniis, et deprædationibus, ita ut undecumque cervicibus incolarum gladii Hugonottorum ac latronum immineant. Vixque nullibi tutum sit in hac patria; nam undique nobis parari insidias intelligimus. Quocirca in iis tantis malis, quibus quotidie opprimimur, ad te confugimus, Sanctissime Pater, quem nobis Deus Optimus Maximus Principem ac pastorem præfecit, ut pro tua singulari humanitate et clementia velis nos devotissimos tuæ Beatitudinis filios, et subditos deditissimos protegere, et tueri adversus hos infestissimos hostes, nec patiaris, humiliter petimus, hanc patriam, beati Petri patrimonium, invadi et dilaniari ab immanissimis et impiissimis hostibus. Pluribus miserias, in quibus versamur, scriberemus, nisi exploratum haberemus, omnia quæ hic aguntur, accuratissime perlaturum et numeraturum Dominum Joannem Michaelem Pertusium concivem nostrum oratorem. Illud tantum petimus, ut huic patriæ pene labenti opem feras, et sub protectione tua et Sanctæ Sedis Apostolicæ perpetuo conserves, sicut hactenus pro tua eximia pietate fecisti, qui nullis sumptibus parcere voluisti, ut nos vindicares ab impiis manibus ferocissimorum hostium: nihil aliud dies noctesque moliuntur, quam hanc tuam Civitatem et Comitatum invadere, et sacra templa incendio consumere, soloque æquare. Quorum tantorum tuorum, et Sanctæ Sedis Apostolicæ in nos beneficiorum memoriam nulla unquam nobis, et posteritati nostræ delebit oblivio. Nos vero eidem Beatitudini tuæ, et Sanctæ Sedi Apostolicæ perpetuam fidem et obedientiam spondemus, et pro tuitione sanctæ fidei Catholicæ et Romanæ vitam resque nostras vovemus et dicamus, Deumque Optimum Maximum orabimus, ut te quam diutissime in Sede Petri nobis et orbi Christiano felicissimum conservet, tuisque semper foveat votis. Avenioni die decima Novembris MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obedientissimi subditi
CONSULES AVENIONENSES.

CIV. — Cum Gregorius iniqua facinora Hugonottorum cognovisset, Alenconium monet, ut eos ad pacis conditiones servandas impellat. Addit se vehementer mirari, quod rebelles pactis non steterint, postquam aliqua etiam concessa fuerint per suos Ministros, quæ gravia nimis sunt, et ipsam Sedis Apostolicæ dignitatem lædunt. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 87. f. 238.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Alansoni.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex litteris Nobilitatis Tuæ datis VIII. Septembris, atque ex re ipsa facile cognovimus, quanto studio negocia nostra Avenionensia amplexus fueris, deque iis cum Marescallo Anvillæ egeris; itaque certissima spe sumus, te pari voluntate atque opera, quod restat, curaturum, ejusque provinciæ tam misere afflictæ et vastatæ tranquillitati atque incolumitati provisurum, neque passurum, ut ipsa sola communi totius Galliæ quietis et pacis fructu excludatur. Novit Nobilitas Tua, quibus conditionibus die 23. Septembris res compositæ fuerint inter Ministros nostros et rebelles. Cupimus ut tua præstanti auctoritate atque opera ex his conditionibus nonnulla adimantur, quæ nostram dignitatem vehementer lædunt, quæque graviora sunt, quam ut ea facile probare possimus, de quibus ex nostris Ministris Avenionensibus explicatius cognosces. Id si obtineri non poterit, ac necesse erit ea accipere, quæ summa rerum temporumque iniquitas fert, illud certe cupimus, ut cures ea, quæ conventa sunt, servari, difficultatesque eas amoveri, quas adversarii sine ulla causa aut colore opponunt, in rebus tanta ipsorum cum utilitate et nostra jactura constitutis, dum illis condonavimus ea, quæ justissime amiserant, permittimusque, ut possint ea vendere, aut si maluerint, per procuratores Catholicos retinere, quod quidem non leve ipsis videri debet, nec causa est, cur recuseut nostra Nobis loca, quæ injuste occupant, restituere, præsertim cum eas conditiones propriis subscriptionibus firmaverint, interponente etiam se Marescallo Anvillæ. Omnium autem iniquissime se gerit Ferierus, qui Minervam occupat. Is negat sibi quidquam esse cum Anvilla, nec quemquam alium nosse præter te, cumque locum tua auctoritate et nomine tenere se dicit. Quo etiam exemplo cæteri, qui Brant et Pillum Comitatus Venusini loca occupant, sese confirmant, atque a conditionibus retrahunt. Rogamus Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut, quoniam adversarii dicunt omnia in tua potestate esse, seque totos ex te pendere, mittas proprium nuncium ad Ferierum et alios, jubeasque, ut ex iis locis, quæ occupant, quamprimum discedant, eaque Nobis restituant, pactisque conventis (siquidem nihil mutari potest ex iis, quæ Nos lædunt) stent. Iniquissimum est enim, et toleratu indignum, cum Nos tam duris conditionibus stare velimus, ipsos contra, quod æquissimum est, quodque polliciti sunt, recusare, et tum suam ipsorum fidem fallere, tum nostram auctoritatem ludibrio habere, præsertim cum rei ipsius indignitatem tegant tua auctoritate et nomine, idque ut certo scimus, falso: tuam

enim præstantissimam voluntatem atque operam perspeximus, reque ipsa experti sumus. Iterum igitur rogamus, ut hoc negocium perficias, fidemque tuam interponas, Nos omnia, quæ in illis conditionibus sunt, inviolate servaturos. Nos enim sic pollicemur Nobilitati Tuæ. Illud etiam pollicemur tui in hac re facti memoriam gratissimam Nos semper recordatione conservaturos. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eadem Damvillio scribit, eumque monet, ne injuriam illatam ab perduellibus, publica fide sibi data simul atque violata, inultam esse permittat; adeo ut, si adhortationes, si minæ frustra fuerint, vi curet eos ad officium cogendos. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 98. fol. 233.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Anvillæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. In iis conditionibus, de quibus convenit inter Ministros nostros et rebelles, multa comperimus, ut illis utilissima, sic a nostra dignitate atque ab eo, quod illis tribuere cogitaveramus, longe aliena. Quo etiam nunc miramur magis ipsos recusare, quodque Nobis propter rerum scilicet iniquitatem faciendum omnino esset, id illos conari, ut a conventis discedant, præsertim propria subscriptione adhibita, tuaque etiam auctoritate atque opera interposita, Ferierumque, qui Minervam, et alios qui Brantem et Pillum occupant, nolle inde decedere, eaque loca, ut conventum est, Nobis restituere, proque nihilo habere et fidem suam frangere, tum una etiam auctoritatem tuam contemnere. Confidimus te tantam indignitatem minime laturum, sed cum hortationibus, tum minis, tum etiam, ubi opus esse intelliges, vi effecturum, ut adversarii promissis stent, si tamen de tam multis rebus ipsis concessis nihil poterit adimi, id quod fieri et honestum esset, et ut tentes, Nobilitatem Tuam rogamus. Sic autem pollicemur ea, quæ pacta et conventa fuerint, Nos inviolate servaturos, tuæque in hoc negocio operæ memoriam gratissimam perpetuamque apud Nos futuram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Novembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CV. — De pacis Avenionensis conditionibus etiam Galliarum Regi scribit, affirmans plura in iis contineri ab sua dignitate alienissima, populique saluti maxime adversa, quibus nullo pacto acquiescere possit. Igitur eum rogat, ut ea capita deleri jubeat, occupataque loca restitui. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 100. f. 246.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. De conditionibus pacificationis Avenionensis omnia fusius cognovimus ex eo, quem ad Nos misit Marescallus Anvilla, multa in iis comperimus, et ipsa per se iniqua, et a nostra dignitate alienissima, et ejus provinciæ bono, populorumque saluti maxime adversaria, ut nullo pacto acquiescere possimus. Itaque mittimus ad Majestatem Tuam dilectum filium Aurelium Savinianum Secretarium nostrum: primum, ut tibi gratias agat nostris verbis, quod illam pacificationem tantopere susceperis, quodque de ea actum certos homines miseris; facile enim intelligimus, sine tua auctoritate adversarios ne ad has quidem conditiones, tametsi iniquissimas, perventuros, longeque iniquiores postulaturos fuisse: tum ut te roget, ut jubeas ea, quæ dicimus, capita tam iniqua, tamque indigna deleri, efficiasque, ne hæretici Nobis subjecti plus auferant, quam indicavimus: Nos permissuros esse tum cum nostram sententiam cognoscere voluisti, quam etiam meminimus probasse tum Majestatem Tuam sic judicantem, nihil posse a Nobis amplius salva nostra dignitate concedi. Et quia adhuc, qui Minervam, Brantem et Pillum occupant, recusant ea loca Nobis restituere, maxime vero Ferierus, (is enim apertissime negat, se unquam sine tuo jussu Minervam restituturum, interimque totam eam regionem prædatur et vastat magna cum occidione) rogamus, ut jubeas tum huic homini, tum cæteris, a quibus nostra loca occupantur, ut ea restituant. Ea enim sentina exhausta, et afflicta provincia respirabit, et reliquis conditionibus, quibus dolemus, non magno, ut speramus, negocio providebitur. Erit hæc tua opera Nobis eo gratior, quo magis hæc res Nobis cordi est: nulla autem magis est, sicque pollicemur hujus tui facti memoriam ounquam Nobis ex animo discessuram. Omnia planius ex Aurelio ipso cognoscet Majestas Tua; ei ut fidem tribuas, rogamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Damvillium demum alteris litteris pro ejus in componendis Avenionensibus rebus præstata opera laudat; quamquam quæ inter suos administros et hæreticos rebelles convenerant, ab sese probari non possent. Cum autem neque ea ratione perfidus Ferierus Minervam restituere noluisset, nuntiat eidem Damvillio se eam ob causam Savinianum Secretarium suum ad Regem ac Alenconium Ducem misisse: seque non dubitare, quin quæ ab his decreta fuerint, ipse pro sua optima in Sedem Apostolicam voluntate omni studio diligentiaque sit facturus. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 99. f. 244.

Dilecto Filio Nobili Viro Anvillæ Marescallo Regni Franciæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Accepimus binas literas Nobilitatis Tuæ, cognovimusque ex Nuntio tuo omnia, quæ per illum Nobis

narrari mandaveras. Laudamus summopere optimam voluntatem tuam erga Nos, atque erga hanc Sanctam Sedem Apostolicam, cujus etiam documentom dedisti, tum cæteris in rebus, tum proxime in negotio pacificationis Avenionensis, neque aliam voluntatem par erat expectari a tua excellenti nobilitate, et pietate, ac disciplina, in qua educatus fuisti, congruenterque nimirum clarissimæ memoriæ Comestabilis patris tui vixisti. Et quamquam in iis conditionibus, de quibus coovenit inter Ministros nostros et rebelles hæreticos, multa sunt Nobis indignissima, atque ab iis, quæ Nos permissuros esse ostenderamus, alienissima, quæ omnia ex eodem Nuntio cognosces, tamen tantam semper spem in tua virtute habuimus, ut nihil putaremus posse esse tam grave, quod non tuæ fidei præstantissimæ Nos committere posse existimaremus. Itaque non dubitamus, omni studio et diligentia contendisse te, ut res, quoad fieri posset, ex nostra sententia et dignitate componerentur. Postquam autem ne sic quidem perfidus ille, qui Minervam tenet, statuit inde decedere, eamque Nobis restituere; idque etiam pernegat, perspeximusque sententiam tuam, quæque polliceris, ex tuis literis atque Nuncii tui sermone cognovimus, decrevimus mittere ad Regem Christianissimum atque ad Ducem Alansoni unum ex nostris Secretariis, postulatum, ot tantis malis provideant, curentque, ut nostra ista provincia honesta aliqua conditione aliquando quiescat. Qua in re, quidquid illi per te agi voluerint, speramus te executorum eo studio ac diligentia, quam res ipsa postulat. Est enim negotium hoc Dei primum, tum nostrum atque hujus Sanctæ Sedis, quæ te tuo magno merito plurimum diligit, quod etiam eo studiosius acriusque amplectaris, quo certius scis totum hoc cum Rege et Duce agendi consilium tuum esse, ut merito exitus ipse debeat esse Tuæ Nobilitati quam commendatissimus. Versabitur hoc tua opera Nobis semper in animo gratissima atque amantissima recordatione, quæ etiam ad cæteros Pontifices successores nostros summa tus cum laude perveniet. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CVI. — Quo furore, qus vi et impietate Hugonotti in finitimo Arausoniensi Principato (qui hoe anno in Regis Gallorum potestatem venerat) in res sacras et Catholicos homines debaccharentur, facile est intelligere ex litteris Episcopi hujus ditionis ad Pontificem datis. Vigilantissimus enim Episcopus omnibus precibus eum exorat, ut Regem Galliarum, Alenconium Ducem et Marescallum Damvillium, tunc primum Gubernatorem Principatus Arausoniensis factum, nec non Principem ipsum Arausicanum per litteras adeat, quorum opera impia illorum hæreticorum facinora comprimantur. Denique Pontificem obsecrat, ut Jubilæum suæ Diœcesi concedat, supplicatqoe, ut potestatem hæreticos absolvendi et in fidem Catholicam recipiendi, quo facilius ad rectam viam reducantur, ei prorogare velit. [*] [*] Avignone Vol. 5. f. 331.

Sanctissimo Domino Nostro Papæ.

Sanctissime Pater.

« Ea fuit superioribus temporibus hæreseon pestis, ut infectis totius fere regni Franciæ partibus et inclusis regionibus, civitatem quoque Auraicensem adeo corruperit, ut, ni salutari antidoto ei succurratur, vehementer verendum sit, ne altera tandem Gebenna maximo totius Comitatus Vestri damno existat. Et vero hunc esse hæreticorum in ea habitantium finem et scopum, ad quem omnes suas actiones dirigunt, Ecclesiastici omnes et potentiores alii Catholici extorres exulesque facti ab eo tempore, quo ea civitas a Glandajo insigni hæretico capta, posteaque a gubernatore ejusdem perversæ doctrinæ propugnatore recepta fuit, Divinum officium cessatum, Dei sanctissima templa, quæ vice dirutorum substituta erant, eorum perniciosissimis exercitiis subservientia demonstrant. Perverso illorum consilio ut occurrerem ego, qui Vestra immensa humanitate hujus miserrimi gregis custos sum constitutus, pro viribus enixus sum, enixi et sunt omnes boni, frequentes legationes ad Principem Auraicensem mittendo: nunquam tamen eorum factione obstante, quantumvis nostris precibus annuente Principe, frui votis potuimus. Quapropter humillime S. V. deprecor, deprecantur et omnes Catholici, ut præsentaneo remedio infinitis malis Catholicis omnibus imminentibus et necessario subituris, si ad finem perditum proveherentur, succurrat, ne scilicet tot animæ fideles in ea civitate hactenus, paulatim a fide orthodoxa desciscant, ne templa sacra, res, bona, reditus Ecclesiæ et Ecclesiasticorum hæreticæ doctrinæ propagandæ subserviant, ne quandoque suum venenum in propinquas Vestri comitatus urbes ea civitas effundat, quo imbuto suavissimum Christi jugum excutiant, ne Apostolicæ Sedis subditi latronum, sicariorum et hæreticorum excursionibus et rapinis, quæ ex ea frequentissime fient, si quæ bellorum moles ingrueret, quemadmodum et experti sumus, subjaceant, ne urbes, vici, pagi vestri comitatus expugnentur, quæ facillima illis forent, ea nempe civitate in medio comitatus constituta. Quo autem his occurratur omnibus, obnixe V. P. exoro, ut, si ita illi videbitur, ad magistrum militum Danvillanum, gubernatorem nunc primum totius principatus Auraicensis factum, et ad Principem Pedemontanum, cujus apud Marescallum Danvillanum maxima auctoritas, scribat, necnon et ad regem Francorum, ut ad Principem Auraicensem literas mittat, ut Eccle-

siastici et Catholici omnes in pristinum statum tute et secure restituantur; quod eum effecturum arbitramur, tum ob maximam Vestram in eum auctoritatem, tum quod jam aliquam id perficiendi voluntatem habet. Ut autem et Deum annuentem votis habeant Catholici, submisse V. S. obsecro, ut eumdem Jubilæi thesaurum diœcesi mihi commissæ concedat, quem aliis concessit: extra enim jurisdictionem Principatus viginti parochiæ catholicæ per totum Vestrum comitatum dispersæ supersunt. Vestram etiam Sanctitatem supplico, ut potestatem hæreticos absolvendi et in gremium Ecclesiæ recipiendi a V. S. mihi concessam unius anni spacio præfinitam dignetur prorogare, quantum ei viderit, ut facilius hæretici ad rectam viam, a qua deflexerant, reducantur. Quæ omnia, ut eadem V. Sanctitas concedat, humillime exoro post Sanctissimorum pedum oscula. Avinione die quinta mensis Decembris MDLXXVI.

Humilis et devota ejusdem S.V. creatura
J. DE TULLIA EPISCOPUS AURAICENSIS.

CVII. — Quod si in Gallia Episcopis contra Hugonottos laborandum valde fuit, nihilominus Hispaniæ Episcopis ad mores corrigendos fuit insudandum. Salamanticensis in primis Episcopus omni studio reformandis corruptelis, quæ temporum iniquitate apud utrumque Clerum tum sæcularem tum regularem invaluerant, sedulam dabat operam. A qua tamen cum identidem abstraheretur, propter controversiam ipsum inter et Abbatem Metinensem Ord. S. Benedicti, jam inde ab antecessoribus ortam de pluribus jurisdictionis capitibus, vehementissime obsecrat Pontificem, ut lata tandem sententia, huic caussæ, quæ in tribunali Sac. Rom. Rotæ agebatur, finis imponatur: seque non vincere eam velle, sed quietem nancisci cupere affirmat. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 8 fol. 133.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Post humillima pedum oscula. Ex litteris Ximenii (qui isthic mea gerit negocia) intellexi, epistolam nostram Sanctitati Vestræ gratam, et quæ in ea referebam, justa et salutaria visa fuisse: tum vero Sanctitatem Vestram paternam quandam erga me benevolentiam declarasse et propensum animum fovendi piis nostris conatibus: quo quidem ego nuncio mirifice sum delectatus, et permagno sane gaudio perfusus. Nam in iis tantis molestiis, quas in hujus episcopatus administratione sustinemus, nihil mihi potuit accidere, aut jucundius aut gloriosius, quam nosse industriam operamque nostram Sanctissimo Christi Vicario probari. Ego vero, Pater Beatissime, ab eo die, quo divino in primis Dei Optimi Maximi, deinde vero Sanctitatis Vestræ beneficio Ecclesiæ Salmantinæ præfectus sum, in eam curam et cogitationem dies atque noctes incumbo, ut muneri officioque meo pro virili parte satisfaciam. Itaque totus versor in moribus reformandis, in extirpandis vitiis, in examinandis atque in officio continendis sacerdotibus, in cogendis parochis ad residentiam personalem, in componendis monasteriis monialium, in publicis criminibus corripiendis, tollendisque quam plurimis abusibus, qui ob quorundam negligentiam et ob diuturnam hujus sedis vacationem in hanc Diœcesim irrepserunt. Qua in re quantum per Dei gratiam profecerim hactenus, et proficiam quotidie, magis malo Sanctitatem Vestram ex aliorum testimoniis, quam ex meis literis cognoscere. Sed est quædam Episcopis Salmantinis cum Abbatibus Metinensibus vetus et perniciosa controversia, quæ mihi maximo est impedimento, et quæ me ab hoc pastorali officio sæpe revocat, et ad novas quotidie lites contentionesque traducit, et non me modo, sed alios etiam quam plurimos Episcopos prædecessores meos perplures annos vexavit. Cogor sæpe deserere munus meum, et servire novis litibus, quæ passim exoriuntur. Lis est de jurisdictione, visitatione Ecclesiarum, litteris dimissoriis, et conferendis ordinibus: nec prodest nobis sententia, quæ in Episcoporum favorem jam diu pronuntiata est, nec prosunt sacri Concilii Tridentini decreta, quæ apertissime decernunt, quid Episcopis et quid Abbatibus (intra eorum Diœceses consistentibus) tribuendum sit. Sed Abbates isti nec sententiæ, nec juri, nec decretis cedunt, faventibus præsertim Metinensibus, hominibus litigiosis, qui variis artibus fovent hanc causam: Abbatibus patrocinantur, neque eos quiescere patiuntur, et eo sunt ingenio, ut abierit tam apud nostros in proverbium: Metinæ neque Papam beneficium, neque Regem officium conferre. Cupio, Beatissime Pater, iis explicari molestiis, ut liberius muneri meo vacare possim. Res agitur apud judices Rotæ, opto vehementer causam hanc ab illis quam primum cognosci et breviter terminari, quod intelligam hoc esse unicum remedium istarum molestiarum. Neque vero moleste feram, privari me illius Abbatiæ cura, dummodo iis caream molestiis: non ego jus alienum, sed pacem quæro. Optime mecum actum esse putabo, si finem hujus controversiæ videro; finiri causam, non vincere cupio: egregie me vicisse putabo, si lata sententia, me iis difficultatibus explicatum videro. Quapropter te, Pater Beatissime, oro, et tuis Sanctissimis pedibus provolutus per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu Christi obsecro et obtestor, ut jubeat Sanctitas Vestra hanc causam Rotæ a judicibus breviter absolvi, quæ tot jam annis tot Episcopos et tot tribunalia vexat. Nam finem imposuisse huic molestæ, antiquissimæ et perniciosissimæ controversiæ erit sane et Sanctitati Vestræ gloriosum et huic Episcopatui salutare, et mihi ma-

cessoribusque meis cum utile atque necessarium, tum vero gratissimum, quod quidem de summa bonitate et incredibili sapientia Sanctitatis Vestræ facile mihi polliceor, et futurum spero. Ego vero, Gregori Sanctissime, quod ad exequendas literas Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ mandata pertinet, curavi semper et curo, atque deinceps etiam curabo diligenter, ut ita me perpetuo geram, quemadmodum filium obedientiæ decet. Neque intermittam unquam sacrificiis orationibusque meis Deum Optimum Maximum solicitare, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ Sanctæ et nobis diutissime servet incolumem. Salmanticæ pridie Kal. Octob. 1576.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus,
qui ejus Sanctissimos pedes osculatur,
T. Episcopus Salmanticensis.

Illud etiam Episcopos ab suo munere revocabat, quod sæpe, ut idem Salmanticensis per litteras et per nuntium apud Pontificem queritur, homines laici, regii judices nempe, Episcopis in reformandis Cleri moribus impedimento erant, facinorosis quibusque Clericis in suam clientelam acceptis. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. fol. 129.

Beatissime Pater.

« Post humillima pedum oscula. Multa se mihi quotidie offerunt impedimenta, cupienti hunc episcopatum Salmantinum, Sanctitatis Vestræ benignitate mihi commissum, reformare. Nam habeo intra ipsa civitatis mœnia varios Judices, nempe Prætorem Regium, Scholasticum Salmantinum, qui facinorosos Clericos studiorum titulo jurisdictioni nostræ sæpe subducit. Habeo etiam Judicem Metropolitanum, a quo plerumque crebris appellationibus interpositis eripiuntur nobis causæ, et in oculis nostris aliquando Clerici scelerati impune versantur. Ut interim prætermittam Abbatem Metinensem, qui, non contentus me hic variis litibus avocasse ab officio meo, Romam est profectus, ut difficilibus mihi isthic negotium facessat, cogor itaque sæpe ad Sanctitatem Vestram tanquam ad sacram Ecclesiæ anchoram confugere, ut ejus velut benignissimi Patris et supremi pastoris ac Domini Nostri auxilium, consilium, auctoritatemque requiram. Et quoniam aliis meis litteris nonnulla Sanctitati Vestræ significavi, quæ mihi correctione digna videbantur, ne nunc longioribus literis videar gravissimas Sanctitatis Vestræ occupationes interpellare, decrevi, ea, quæ se modo mihi offerebant scribenda, committere Licentiato Didaco de Montoya, in Romana curia generali procuratori Sanctæ Generalis Inquisitionis Hispanicæ, homini industrio, summi ingenii, spectatæque virtutis, mihique dum in supremo Inquisitionis Senatu versabar satis cognito, qui et hanc meam deferet epistolam, et S. V. meo nomine Sanctissimos pedes osculabitur. Oro igitur humiliter Sanctitatem V. ut et iis, quæ ab eo meo nomine dicentur, fidem adhibeat indubitatam, et dignetur etiam (quod spero) meis honestis conatibus, qui omnes in hoc episcopatu reformando versantur, favere. Deus Optimus Maximus S. V. Ecclesiæ suæ sanctæ atque nobis diutissime servet incolumem.

Salmanticæ pridie Kal. Decembris 1576.

Beatissime Pater,

Sanctitatis V. humillimus servus
T. Episcopus Salmanticensis.

CVIII. — Hoc anno finem habuit celeberrima illa causa Bartholomæi de Caranza, Archiepiscopi Toletani, qui illustribus natalibus ortus, alumnus incliti Ordinis FF. Prædicatorum, suis meritis præclarissimis ad sublimiora quæque Ecclesiæ, et Reipublicæ munia viam sibi straverat. Hic inter insignes sui temporis theologos recensitus Concilio Tridentino sub Paulo III. et Julio III. interfuit, et apud Cardinales Legatos, Concilii Præsides, et reliquos Prælatos ob eruditionem, prudentiam et probitatem summo in pretio habitus; Legationibus deinde in Anglia, et in Belgio pro fide catholica summa cum laude et Ecclesiæ utilitate perfunctus erat. Hic idem vir, et doctrinæ laude, et meritis in Ecclesiam conspicuus, ob nonnulla scripta, ac præsertim ob catechismum, quem hispanico idiomate edidit, causam offensionis præboit, et tanquam de hæresi suspectus ad tribunal Inquisitionis Hispanicæ delatus anno MDLIX. Deinde postulatum fuit a Romano Pontifice, ut Archiepiscopus in vincula conjici, et de eo judicium institui posset. Missi sunt Roma judices, inter quos erat Hugo Buoncompagnus, qui auctoritate Romanæ Sedis judicium ferrent. Verum cum longum tempus transactum esset, quin judicium absolvi posset, Pius IV., et postea Pius V., postulante ipso Bartholomæo, causam Romæ judicandam decreverunt. Obstitit per aliquod tempus Philippus II., qui postea mandatis Romani Pontificis acquievit. In Urbem pervenit Bartholomæus die 28. Maji an. MDLXVII. Romanus Pontifex pro judicio absolvendo quatuor Cardinales, et quatuor Episcopos delegit, quibus duodecim addidit ex theologis et juris utriusque doctoribus. Ob varias causas judicium dilatum est usque ad diem 14. Aprilis anni MDLXXVI., quo post maturam deliberationem Gregorius sententiam tulit in Archiepiscopum Toletanum tanquam graviter de hæresi suspectum. Quam ob causam eum adegit ad ejurandos errores, de quibus in suspicionem venerat, et ad quinquennium eumdem ab Ecclesiæ administratione prohibuit, aliis etiam pœnis adjectis.

CIX. — Ex arce S. Angeli ad ædes Magistri Generalis Ord. FF. Prædicatorum eductus, absolutus fuit. Feria secunda post Pascha in majorum Urbis Basilicarum visitatione peragenda, sibi ex pœnitentia injuncta, stranguria captus

est, quæ adeo sævüt, ut brevi ad extremum vitæ perduxerit. Referunt Jacobus Quetiffus et Jacobus Echardus [*] ipsum Eucharistiam a Priore Minervitano sibi delatam jam prope sumpturum hunc sermonem habuisse.

[*] Scriptores Ordinis Prædicator. recensiti T. II. p. 250.

« Testes appello curiæ cœlestis incolas, judicem accipio supremum hunc Dñum, huic sanctissimo præsentem sacramento, ipsique astantes sanctos Angelos, quos ut patronos semper colui: juro per hunc eumdem Dominum, et per proximi transitus mei præsentem statum, perque rationem, quam divinæ suæ Majestati statim a me reddendam certo scio et expectu, me toto illo tempore, quo in Religione legi aut postmodum scripsi, prædicavi, docui, disputavi in Hispania, Germania, Anglia, ad id semper et maxime attendisse, ut fidem Domini nostri Jesu pro virili extollerem, hæreticosque impugnarem. Placuit divinæ suæ Majestati sic me in hoc suo juvare negotio, ut sua desuper accedente gratia hæreticos plurimos ad fidem Catholicam revocarim in Anglia, dum nostrum regem en sum comitatus: cujus accedente mandato præcipuorum illius temporis hæreticorum cadavera exhumari ac summa cum sanctæ Inquisitionis auctoritate cremari curavi. Catholici et hæretici me primum fidei defensorem dixere, licet id de me asserere vel sentire non præsumam, me tamen inter primos semper extitisse, qui sancto huic allaborarunt negotio, possum affirmare, plurimaque circa id a me peracta jussu ac nutu Domini nostri regis, plurimorum quæ hic refero testis optimi: quem colui et dilexi, colo ac ex corde singulariter diligo, quem nec ullus e filiis suis tam firmo tamque sincero, quo ego Majestatem suam, prosequitur aut prosequetur amore. Præterea non modo toto vitæ meæ decursu aliquam hæresim, vel quodlibet vero ac genuino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensui contrarium, nec prædicavi, nec docui, nec propugnavi, aut defendi: nec in ullum, de quibus me suspectum habuerunt, dicta propositionesque meas in absonum alienumque ab eo, quo a me probatæ fuerant, sensum interpretantes, errorem prolapsus sum. Sed juro per supradicta, perque eumdem Dominum, quem mox accipiam judicem, ne vel leviori quidem hactenus cogitatione similium aut eorum, quæ mihi sunt in processu objecta, fuisse me contaminatum, nec circa id ullatenus a me dubitatum aut imaginatum; sed contra legisse semper, scripsisse, docuisse, prædicasseque firmiter et sincere fidem hanc veram, quam modo credo, quam et moriens profiteor. Nihilominus sententiam in mea causa a Sanctitate Sua datam ut justam suscipio et agnosco, quippe datam a Jesu Christi Vicario, quam ut talem accepi, utque talem habeo, cum judex in ea causa, præterquam quod Jesu Christi Vicarius est, prudentissimus, rectissimus, doctissimusque sit. Insuper per agonem et transitus angustias, quas patior, non solum omnibus, qui in hac causa adversum me egere, libenter modo condono et ignosco; verum et ipsis semper ignovi, quicquid in me tentaverint, ac quodcumque mihi gravamen inferre voluerint. Nunquam in Dominum nostrum peccavi, odium in eorum aliquem retinendo, quin semper pro eis Divinam Majestatem suam exoravi, et nunc ipsos omnes in corde gero ad locum, quo divino nutu divina et superveniente misericordia migraturum me spero: coram hoc tribunali supremo adversus illorum quempiam proferam nihil, sed pro omnibus Dominum nostrum supplex orabo. »

Hisce prolatis sanctissimo Eucharistiæ sacramento devote refectus est. Inde morbo de die in diem jugiter ingravescente, maximisque doloribus usque ad VI. Nonas Majas conflictatus, ejusdem diei hora tertia matutina anno MDLXXVI., ætatis suæ LXXII. migravit ad Dominum. Ejus tumulo hæc inscriptio, ipso annuente Pontifice, apposita est.

D. O. M.
BARTHOLOMÆO CARANZÆ
NAVARRO
DOMINICANO ARCHIEPISCOPO TOLETANO
HISPANIARVM PRIMATI VIRO GENERE VITA
DOCTRINA CONCIONE ATQVE ELEEMOSYNIS CLARO
MAGNIS MVNERIBVS A CAROLO V.
ET PHILIPPO REGE CATHOLICO SIBI COMMISSIS
EGREGIE FVNCTO. ANIMO IN PROSPERIS MODESTO
ET ADVERSIS ÆQVO.
OBIIT AN. DOM. CIƆ.IƆ.LXXVI.
DIE II. MAII ATANASIO SACRA
ÆTATIS SVÆ LXXII.

Anno MDLXXVIII. die XIII. ac XIV. Junii solemni ritu ac pompa pro more, jubente Gaspare Cardinali de Quiroga ejus successore, ab Ecclesia Toletana eidem est parentatum in aula majore Capituli, ubi sedis illius Antistites suo quisque ordine a S. Eugenio hujus nominis primo ad vivum depicti conspiciuntur, suo loco reposita est illius effigies, et inscriptio superior apposita supra limina sacrarii, ubi Archiepiscoporum antiqua series asservatur, posterisque committitur memoria.

CX. — Gregorius Regem Catholicum de re Romæ gesta in causa Archipræsulis Toletani mox certiorem reddidit. Rex Pontificis sollicitudinem commendat, quod ipsius opera judicium illud fuerit absolutum. [*] En hasce Pontificis litteras. [*]

[*] Mantissa document. N. 77

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 302. f. 139.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis in-

telligimus ad Dei gloriam atque populorum salutem pertinere, tum omnes Catholicos Principes universe, tum proprie Episcopos ab omni plane crimine atque adeo suspitione abesse: eo gravius dolemus non potuisse Nos hoc, quod summopere cupiebamus, in Bartholomæo Archiepiscopo Toletano perspicere. In quo etiam persuasum habemus, Majestatem Tuam propter magnam hominis dignitatem pari nobiscum desiderio ac dolore versari. Scis enim nihil posse in talibus viris obscurum esse, ac non maxime eminere, præsertim ubi in suspitionem venerint non recte in iis, quæ ad Catholicam fidem pertinent, sentiendi. Tam gravi aotem illos macula aspergi, proprio quodam ac præcipuo dolore dolendum est, non illo tantum communi, quem Christiana charitas affert, ut fratrum nostrorum malis æque doleamus, ac nostris. Postquam igitur Archiepiscopi causa diu multumque cognita, non potuimus illum innocceotem reperire, quod quidem magnopere optabamus, id fecimus, quod jus postulare, quodque faciendum esse intelligebamus, ut cum vehementer suspectum judicaremus, abjuratisque curam Nobis, ac venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sanctæ Inquisitioni præfectis, aliisque iis hæresibus et erroribus, de quibus in suspitionem venerat, eas illi pœnas imponeremus, quas convenire judicavimus. Hæc Majestatem Tuam ex nostris literis cognoscere voluimus, cum quibus etiam publicum sententiæ atque abjurationis exemplum mittimus: nihil a tua cura alienum rati, quod ad populorum tibi creditorum religionem, ac puræ fidei candorem conservandum pertineret. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Mox eadem de re Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Toletanæ scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 204. f. 110.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Toletanæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Molestissimum vobis fuisse tamdiu vestri Pastoris præsentia et conspectu carere, certum habemus: multo autem molestius tam gravi de causa carere: cujus quidem causæ exitus omnem superioris temporis molestiam abstergeret, si is esset, queni et vos semper sperastis, et Nos magnopere optavimus vestra potissimum, vestræque istius tam insignis Ecclesiæ causa; amamus enim vos unice, idque vestræ pietati et merito Nos debere agnoscimus. Sed ut nihil gravius est, quam sanctæ Religionis Antistitem in eadem ipsa Religione offendere: nihil fuit, quod juri et justitiæ anteponeremus. Fecimus igitur id, quod necesse fuit, ut quoniam vestrum Archiepiscopum non potuimus, ut optabamus, innocentem reperire, judicaremus id, quod erat, eum vehementer suspectum esse: factaque ab eo coram Nobis, et venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sanctæ Inquisitioni præfectis, multis etiam aliis præsentibus, earum hæresum et errorum, de quibus in suspicionem venerat, abjuratione, eas illi pœnas imponeremus, quas et justitiæ judicavimus et misericordiæ convenire. Quamvis enim ea dignitate virum, qui tam nobili Ecclesiæ præesset, tanquam semper ab omni ejusmodi suspicione remotæ, quo majorem innocentiam præstare par erat, eo graviore animadversione dignum judicaremus: memores tamen ejus in terris Nos licet immeritos vicem gerere, qui summam justitiam summa clementia temperavit, justitiæ simul et misericordiæ rationem habere voluimus. Quoniam aotem inter alias pœnas Archiepiscopum ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum ab istius Ecclesiæ administratione suspendimus, Nobisque Administratoris electionem reservavimus, interea dum statoerimus, quem præficiamus, eumdem confirmavimus, quem hactenus habuistis, cui ea, qua decet, modestia obtemperate, attentissimaque in vosmet ipsos cura et vigilantia custodite, omniumque in vos oculos conjectos esse cogitate: nostram autem auctoritatem, atque operam vestris semper meritis responsuram credite. Exemplum sententiæ vobis mittimus, ut omnia planius perspicere possitis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Anoulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXVI. Pootificatus Nostri anno quarto.

CXI. — Postr. Kal. Maji alteris litteris iisdem Canonicis obitum Præsulis nunciat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 257. f. 156.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Toletanæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam certiores vos fecimus exitus causæ Bartholomæi Archiepiscopi vestri, existimavimus etiam convenire, quid consecutum sit vobis significare: voluimus illum hac æstate habitare hic Romæ apud fratres sui Ordinis in Monasterio Sanctæ Mariæ, quod appellatur supra Minervaoi; ibi cœpit graviter laborare ex reddeodæ urinæ difficultate, quo etiam morbo interclusa via brevi interiit. Quod vestrum interea sit munus, non ignoratis. Curate quantum quidem in vobis est res istius Ecclesiæ, quæque vos posse ac debere agere intelligitis, omni cum diligentia præstate, proque anima Pastoris vestri, atquo optimo soccessore Deum orate. Datum Romæ apod Sanctom Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Maji MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXII. — Bartholomæus Caranza non pauca egregia opera in summam Ecclesiæ utilitatem conscripsit, quæ Jacobus Quetiffus et Jacobus

[*] Loco citat. p. 230.

Echardus accurate recensent [*], quorumque quædam adhuc inedita sunt, et manu propria auctoris firmata in Bibliotheca nostra Vallicellana inter codices manuscriptos (signata Litt. K. n. 37 - 42.) adservantur. Qui ad præclara merita Bartholomæi in fide tuenda respicit, necnon ad animi virtutem, qua judicii diuturnitatem et gravitatem passus est, incredibile furtasse putabit, Bartholomæum in eam suspicionem devenisse, ut merito damnaretur. Verum contra judicii æquitatem nihil proferri posse ex iis ipsis, quæ allata sunt, aperte colligitur. Nam constat nihil non egisse Gregorium, ut diligenti maturoque examine a viris omni exceptione majoribus causa judicaretur. Insuper Gregorius in literis ad Regem Hispaniæ et ad Capitulum Toletanum summo animi dolore testatur se, contra id, quod optabat, reperisse Archiepiscopum Bartholomæum vehementer de hæresi suspectum. Demum ipse Bartholomæus iis verbis, quæ prope moriturus protulit, antequam Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficeretur, licet protestetur se perpetuo fidei catholicæ adhæsisse, tamen affirmat justam esse sententiam de se a Gregorio non tantum ut a Christi Vicario, sed etiam ut ab judice doctissimo, rectissimo, prudentissimoque prolatam, eamque ut talem se accipere, et tenere.

CXIII. — Tam diuturna pastoris absentia haud fieri potuit, quin magnum Toletana Ecclesia detrimentum caperet. Plurimæ eæque gravissimæ corruptelæ universum Clerum pervaserant: quibus e medio tollendis Gregorius summopere studuit. Scribit itaque ad Regem Catholicum, eum hortatus, ut hanc plenam negotii difficultatisque rem curandam Apostolico Nuntio permittat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 67. f. 127.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus Ecclesiam Toletanam aut nullum hactenus, aut certe modicum fructum percepisse ex decretis Concilii Tridentini; id autem accidisse propter diuturnam Archiepiscopi absentiam, cujus operæ, ut conveniebat, negotium hoc reservabatur, postquam ejus causa fuisset expedita. Interim igitur cognovimus, multa in Ecclesia illa facta esse, quotidieque fieri ab ipsius Concilii decretis aliena, ut necessario providendum sit: quæ enim forte alibi leviora essent errata, in tam nobili Ecclesia non possunt non gravissima judicari. Volumus hoc M. Tuam docere, quia perspectum habemus studium, et zelum tuum, cum in omnibus rectis rebus, tum vero in iis, quas intelligis ad Divinum cultum pertinere. Esset autem hoc providendi tempus maxime opportunum, dum scilicet Ecclesia illa sine Pastore est. Possetque huic rei operam dare Nuncius noster magno cum fructu, et propter eam, quam habet a Nobis auctoritatem, et propter magnam ejus tum in cæteris rebus, tum in hoc genere experientiam, rerumque Hispaniarum, in quibus jamdiu versatur, peritiam, speramusque illi hac in re nihil aliud propositum fore, nisi Dei gloriam, hominum illorum bonum, universæque ipsius Ecclesiæ dignitatem, sapienterque omnia curaturum; indeque etiam ad Majestatem Tuam magnum gaudium perventurum propter nobilissimæ Ecclesiæ exemplum cæteris omnibus istius Regni Ecclesiis ad imitandum propositum; certo enim scimus, Majestatem Tuam percupere omnia ubique recte agi, congruenterque Christianæ professioni, et Sanctorum Conciliorum, Sanctorumque Patrum decretis. Erit igitur Nobis gratissimum, si Majestas Tua voluerit, hoc quamprimum agi. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima Octobris MDLXXVI. Pontific. Nostri anno quinto.

CXIV. — Valde quidem Gregorii animum recreare debuit designatio a Philippo Rege facta Præsulis Ilerdensium in Archiepiscopum Tarraconensem, quam ipse Pontifex interpositis officiis ab Rege postulaverat. Litteræ enim hujus optimi doctissimique Episcopi ad Pontificem insignem pietatem ac demissionem animi prorsus evangelicam spirant. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. f. 70.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII.

Beatissime Pater.

« Cum propter bonæ memoriæ, Gasparis Cervantis, Sacræ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis mortem Tarraconensis ecclesia pastore careat, placuit Philippo Regi Nostro Catholico a Sanctitate Vestra postulare, ut me, qui in hoc minore grege Ilerdensi operam inutilem consumpsi, cæteris præferat, et provinciæ totius oves committat. Quodque magis miror, id Beatitudinis Vestræ auctoritate ac precibus adeo factum fuisse, qui solus potuit, ac fortasse debuit, id ne fieret, impedire. Nosti enim, Pater Sanctissime, jamdiu humeros meos non esse tanto oneri pares, quod vere Aetna gravius dici possit: quippe cum et a primo illo tuo Gregorio vere dictum sit et a Concilio Tridentino repetitum, Pontificis cujusque munus onus esse angelicis humeris formidandum. Mihi vero tanto magis timendum est, qui imbecillitatem meam novi. Quamobrem videat Sanctitas Vestra, ne pluris olim amici nunc clientis honori deferat, quam quantum ex officio summi pastoris debeat. De me autem ita sibi polliceatur, vel ob summi amoris indicio, quæ multis modis ostendere non est aspernata, vel ob hoc ipsum, de quo agitur, munus impendens, memorem et gratum semper futurum. Quod si Sanctitati V. visum fuerit, ut de hoc calice bibam, se quoque erga me liberalem ostendat, ut olim piæ memoriæ Pius IV. fecit, cum me ex Allifana in Iler-

densem ecclesiam transtulit. Si eodem exemplo uti hoc tempore non licet, Sanctitas Vestra detrahat, quod ei commodum videbitur. Me quidem certe in qualicumque fortuna mea ita habebit jussis suis obsequentem, ut vivo cedam nemini. Deus Optimus Maximus diu nobis Beatitudinem Vestram conservet incolumem: ut digne possit cœlesti postea frui perpetuo præmio. Datum Ilerda Nonis Novembris anni Christi salutis MDLXXVI.

Ejus Sanctitatis Vestræ

Humilis servus

A. A. Ilerdensis Episcopus.

CXV. — Barcinonenses cum leges novas tum ex privilegio, tum ex antiqua consuetudine ad commodius suæ civitatis regimen condidissent, intima venerationis et omnimodæ observantiæ sensa erga Pontificem testati sunt, ab eo implorantes, ut easdem Apostolica auctoritate firmaret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 186.

Sanctissime et Beatissime Pater et Domine.

« Propter Reipublicæ utilitatem et negotii mercantilis conservationem statuta quædam nos et consilium ordinarium hujus civitatis, prout nobis tam vigore regiorum privilegiorum quam antiquitate consuetudinis ab ævo longævo, temporeque immemoriali observare licitum est et permissum, statuere decrevimus, hoc pacto adjecto, videlicet si de Sanctitatis Vestræ processerit beneplacito, et non aliter, quorum copiam præsentibus mittimus introclusam. Quare Sanctitati Vestræ humiliter supplicare decrevimus, quatenus statuta dicta, omniaque et singula in eisdem contenta decreto Sanctitatis V. approbare et confirmare dignetur. Quæ si ita fiant, ut speramus, licet in maximam et necessariam Reipublicæ utilitatem cedere videamur, nos etiam qua ratione animi vere memoris et grati, quas poterimus, et longe majores Sanctitati Vestræ referimus gratias; Deum supplices exoramus, quatenus in Ecclesiæ Dei Pastorem per longævos dies cum salute Sanctitatem Vestram conservet incolumem. Datæ Barcinone 16. die mensis Aprilis anno a Nativ. Domini 1576.

Sanctitatis Vestræ

Humiles obedientiæ filii

et oratores, ejusdem pedes osculantes

Consiliarii Barcinonæ.

CXVI. — Philippus II. ad sedem Middelburgensem in Belgio, vel ab anno MDLXXIII. pastore suo orbatam, Joannem Stryenium Zelandum designaverat. Hic adeo tertius a fundata episcopali sede hujus urbis Episcopus confirmationem a Pontifice postulavit, facta eidem Diœcesis suæ, undique ab hæreticis circumdatæ, tristissimæ conditionis descriptione. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. fol. 184.

Sanctissimo Domino Nostro.

Beatissime in Christo Pater et Domine Clementissime.

Post humillima pedum Sanctitatis Vestræ oscula.

« Quemadmodum ante sesquiannum placuit Omnipotenti Deo ex præsentis calamitosissimi sæculi miseriis ad vitam feliciorem evocare quidem Nicolaum de Castro, primum Episcopum Middelburgensem, ita paulo post in mentem venit Serenissimo Regi Catholico, Principi ac Domino multis nominibus mihi colendissimo dicto, vacantis Episcopatus successionem mihi sponte et ultro deferre. Cujus quidem nuncii novitate haud vulgariter ab initio perculsus, inficias ire nequeo, quin diu multumque in ancipiti versatus, ægre admodum ad exitum deliberationis pervenire licuerit: nam ex una parte miris modis me terrebat horridissima rerum ejusdem vacantis Ecclesiæ facies, præsertim cum ignorare nequierim, vix universo orbe Christiano magis afflictam, magisve deformatam Ecclesiam hisce temporibus reperiri posse. Quis enim, ut cætera omittam, non perhorrescat, cum ejusmodi monstruosis subditis perpetuo conflictari? Ab altera vero parte graviter pulsabat animum assidua cogitatio justi obsequii, quod sciebam me Regi tam insigniter Catholico, nec non laborantis Ecclesiæ quasi unico Protectori, simul ac Principi meo naturali multas ob causas debere, ut, ne hoc taceam, quod summopere verebar, ne si qua temere a me profecta fuisset oblatæ conditionis repudiatio, multis persuasum fuisset, me non tam ad magnitudinem animi sublimiora quæque aspernentis, quam ad qualitatem angustissimi Episcopatus respexisse. Et ob id animo mecum expendens perpulchram præberi mihi occasionem, omnibus patefaciundi non solum candorem meæ intentionis, verum etiam nec paupertate, nec ullis laboribus quantumcumque ærumnosis ullatenus terreri posse, quo minus urgente necessitate publica me promptum exhibeam, durissimam quamlibet provinciam inter Pastores militantis Ecclesiæ Dei fortiter sustinere, credidi me tandem consulto facturum, si fretus fiducia Divini auxilii oneri imposito me humiliter subjicerem.

« Quocirca eandem V. Sanctitatem supplex, et quam possum demisse rogo, quatenus pro singulari sua in afflictissimos pietate dignetur beneficium confirmationis apostolicæ mihi nedum clementer, quinimo et gratis impertiri; quod quidem ipsum pluribus ab eadem Vestra Sanctitate obtestarer, nisi Orbi, simul ac universæ Urbi notissimum esset, inter omnes Episcopatus Belgicos omnino nullum reperiri, cujus calamitates ulla ex parte comparabiles sunt cum miserrima Ecclesia Middelburgensi; nam illius non solum universa templa profanata, convulsa, diruta et conculcata, verum etiam ipsa Civitas cum potiori parte totius Diœcesis a sectariis hostibus detinetur.

« Superest, Deum Omnipotentem vere ex animo ut rogem, quo dignetur eandem Vestram Sanctitatem ad nominis sui exaltationem et Orthodoxæ Religionis Catholicæ tutamen et protectionem quam diutissime nobis incolomem conservare. Bruxellis Calendas Februarii 1576.

Sanctitatis Vestræ

Perpetuus ac devotus orator
Joannes Stryen
Designatus Middelburgensis.

CXVII. — Catholici Angli et Hiberni consilia cum Rege Hispaniarum communicaverant de Maria Scotorum Regina ex dura, qua ab Elisabetha Angliæ Regina detinebatur, captivitate liberanda, et de majorum suorum fide in Hibernia restituenda. Negotium hocce in aula Hispanica tractabant imprimis Franciscus Enghelfildius et Thomas Stuckeleus, viri natalium, et virtutum, ingeniique splendore illustres, nec non Guilliclmus Alanus presbyter, de Ecclesia Catholica in Anglia optime meritus. Cum ipsi deinde Romam se contulissent, ut rem nomine Regis Catholici cum Pontifice agerent, Nicolaus Sanderus hæc in horum virorum laudem Cardinali Comensi scripsit. [*]

[*] Anglia Vol. 2. fol. 62.

Illm̃e et Reviñe Domine.

« Me ad scribendum hoc tempore partim officium impellit, cum probe sciam, et quantum nostri omnes tuæ Illm̃æ Dominationi debeant, et quantæ gratiarum actiones tam constanti bene de illis merendi proposito debeantur, partim opportunitas invitat, quia eos jam in Urbe adesse intelligo, quorum laudes tacere nec possum, quia virtutes eorum semper colui, nec debeo, quia quod in illos beneficii confertur, in totam nostræ patriæ causam plenissime confertur. Dominus Franciscus vir antiquæ nobilitatis, raræ virtutis, judicii singularis, et authoritate semper plurimum domi forisque valuit, et nostra plurimum interest, ut jam majore auctus, non tam sibi quam patriæ suæ quod reliquum est vitæ impendat. Porro Doctor Gulielmus Alanus natalium dignitate satis conspicuus, etiam ingenio, doctrina, pietate, prudentia, et, quæ his virtutibus paritur, auctoritate tantum potest, valetque, ut de illo, ex nostris quidem solo, vere dici queat, eum rerum susceptarum magnitudine omnem omnium invidiam superasse. Quam vero sit ad res magnas et natus et aptus, id unum inter alia multa declarat, quod vix dum ducentos aureos magnis laboribus et vigiliis sibi in singulos annos acquisierat, cum jam de nostratium collegio apud exteros erigendo peregrinus ipse atque exul spem concepit, initium rei dedit, nec a sancto proposito destitit, donec fere octoginta exules omnibus bonis ob fidem exutos tum hospitio reciperet, tum cibo pasceret, tum omnibus scientiis eruditos ad omnem perfectionis laudem informaret. In paucis administrandis jam prudens et fidelis, divinæ sapientiæ judicio supra multa constituendus esset.

« Cum viro sapienti pauca verba sufficiant, ex his quæ jam dixi tua Illm̃a D. facile intelligit, hos viros duos in suo quemque gradu et vitæ statu omnium hominum capaces existere, qui vel tantæ ipsorum virtuti, vel tantæ nostrorum expectationi, vel ad finem tam eximium, vel a tanta Suæ Sanctitatis beneficentia, vel per tantam tuæ Illm̃æ Dominationis authoritatem exhiberi possunt. Erit sine controversia magnus error, si in his, quæ ad nostratium personas spectant, in omnibus causis primæ his duobus viris non deferantur: nec meo tantum, sed et aliorum nomine hæc scripsi, magis ne meo deessem officio, quam quod in aliorum causas me temere ingeram, aut serias tuæ Illm̃æ Dominationis occupationes libenter impediam, cui potius omnia mea studia, et officia in æternum addictissima esse cuperem, siquidem ea essent, quæ alicui usui esse possent. Quod ex nostra parte deest, adaugeat et multiplicet benignitas et liberalitas Dei. Datum Mantuæ Carpetanæ pridie Cal. Aprilis anno Domini 1576.

Tuæ Illm̃æ Dominationis

Addictissimus Servus
Nicolaus Sanderus.

Eadem ad eundem Cardinalem scribit Episcopus Midensis, Hibernus, qui aliquot ante annos ob fidem patria extorris, a Philippo Hispaniarum Rege hospitio exceptus fuerat. [*]

[*] Hispania Vol 20. fol. 300.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Suo Domino Cardinali Comensi.

Illustrissime et Reverendissime Domine.

« Tanta est erga me tuæ Illustrissimæ Dominationis humanitas, ut non possim quin semper eamdem in memoria teneam; etsi hoc studium meum non factis, saltem literis ostendam: agnosco enim me plurimum tuæ Illustrissimæ Dominationi devinctum esse ob munus mihi necessarium, a sua Sanctitate anno elapso (tua Illustrissima Dominatione mediante) collatum, et cum condignas referre non possim, ingentes ago gratias. Et quia certum est, omnia bona a Deo procedere, Illustrium ac strenuorum militum, Jacobi videlicet filii Mauritii et Thomæ Stuchii corda adeo mota fuisse credendum est, quod non modo seipsos pro restitutione catholicæ religionis in Hibernia mortis periculo exposuerunt, verum etiam post longa itinera suam Sanctitatem, ad quam regnum Hyberniæ jure pertinere dignoscitur, ad hoc ipsum adventaverint, ut illius Sanctitatis authoritate et potentia (hæreticis et schismaticis expulsis) populus Hyberniæ catholicæ fidei et religioni restituatur, quod quam pium et Deo gratum fuerit, declaratione non eget. Et cum pœnitere tuam Illustrissimam Dominationem benefactorum suorum nunquam possit, sed potius in benefaciendo progredi sem-

per soleat, sat scio, eidem molestum non erit, si quantis possum precibus rogavero, ut piissimam illam religionis restituendæ causam et meam senectutem sibi commendatissimam habeat, tandemque suæ Sanctitati commendare pergat: et uti quemadmodum sua Sanctitas nuper voluerat, provisionem in minori Britannia mihi dari, ita nunc, interveniente tua Illustrissima Dominatione, perficere dignetur. Hoc autem non ideo peto, quod pro tempore peregrinationis meæ in Hyspania sumptus mihi defuerint, sed quia intensissimos Hyspaniarum calores ferre non possum, quemadmodum experientia superioris æstatis compertum habeo. Verum minoris Britanniæ solum propter vicinitatem, quam ad Hyberniam habet, Hybernia magis convenit: et cum fit frequens concursus Hybernorum cum Britannis, possum quandoque ex Britannia saltem literis, cum aliter non licet, gregem meum exhortari. Denique quam molestum sit mihi peregrino stipem, a Catholico Rege mihi concessam, e manibus laicorum singulis mensibus extorquere, tuo prudentissimo juditio relinquo, simul et meos canos et de me quidquid fieri tuæ sagacitati videbitur committens. Deus tuam Illustrissimam Dominationem nobis et toti Reipublicæ Christianæ diutissime incolumem servet, et omni gratia sua et honore adaugeat.

Matriti die 5. Maji 1576.

Tuæ Illmæ Dominationi deditissimus
WILHELMUS EPISCOPUS MIDENSIS.

In idem quoque præ primis incumbebat Episcopus Rossensis, clarus fidei confessor, qui res Reginæ Scotorum apud Regem Christianissimum curabat, quemque ideo Gregorius Regi iterum atque iterum commendat litteris ad Præsulem Parisiensem datis. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 37. f. 192.

Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Commendavimus alias et per literas, et per Nuncios nostros tum Carolo claræ memoriæ, tum Henrico nunc Regi Christianissimo venerabilem fratrem Joannem Episcopum Rossensem. Habes cognitum eo hominem, et ejus calamitatem, in qua versari maluit privatus patria, Episcopatu, patrimonio omni, quam inter impios vivere, quæque a Catholica Religione aliena sunt, videre. Amplexus est Rex pro tua pietate virum optimum, suamque benignitatem testatus est suis literis, quibus constituit ei pensionem annuam duarum millium librarum, quoad daretur facultas alicujus beneficii Ecclesiastici ei tribuendi. Ea nunc benignitate ut Episcopus frui possit, tua opera tum apud Regem, tum apud Reginam Matrem curari magnopere cupimus, deque ea re coram tecum egissemus, nisi tam dubius fuisset discessus tuus. Gratissimum Nobis facies, si id omni studio diligentiaque curaveris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXVIII. — Cum Mexicano Præsule alioquin vigilantissimo Gregorius conqueritur, multa in sua civitate committi a viris ecclesiasticis haud secus ac laicis ab omni honestate alienissima, hortaturque etiam atque etiam, ut hasce corruptelas quam primum et quam fortiter proscribere et extirpare velit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV. ep. 139. f. 110.

Venerabili Fratri Episcopo Mexicano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Scribit istinc quidam servus Christi, multa in ista civitate committi a christiana modestia, atque ab omni honestate alienissima, eaque publice, maximaque cum licentia, et sine ullo Divinarum atque humanarum legum metu. Inter cætera autem audiri nocturnos cantus summa verborum turpitudine, atque obscœnitate refectos, inque iis apertissime pronuntiari, quæ vel Ethnicos homines puderet proferre: unde necesse est, plerasque tum puellas, tum matronas, quæ antea pudice vixerant, alias hujusmodi cantibus corruptas pudicitiam abjicere, alias firmiores non leviter vexari, et lædi ipsa turpissimorum verborum auditione et memoria, universe autem omnes, ad cujus fores talia concinuntur, gravissimam existimationis jacturam facere; ut enim sunt homines fere ad male suspicandum propensi, sic cogitant, aliquid inter illas atque istos Sathanæ ministros convenire. Hinc puellarum collocationes impediuntur, sermones non boni de bonis sparguntur, innocentes apud suos nullo suo delicto in suspitione ponuntur, odia, jurgia, inimicitiæ, cædes consequuntur summo cum Sathanæ, qui his artibus grassatur, lucro et animarum interitu. Hæc magnopere Fraternitatem Tuam, ut bonum Christi gregis Pastorem decet, dolere persuasum habemus, quæ si ipse tua auctoritate prohibere potes, nihil est, quod majore studio curare debeas: sin minus, conveni istius civitatis magistratum, sive aliquem superiorem, cujus civilium istic rerum curatio sit, cumque eo nostro etiam nomine age, quantum potes, quantumque debes Christi causa, cujus res maxime agitur, ut talia fieri ne permittat, graviterque animadvertat in bonorum morum corruptores, animarumque Christi sanguine redemptarum interemptores. Aliud quoque est, cui ipse tuo jure mederi potes: scribitur enim ad Nos, multa mala committi in iis processionibus, quæ noctu fiunt in hebdomada sancta, aut aliis temporibus: jube ea fieri interdiu. Speramus, te pro tua pietate, et Christi gloriæ animarumque salutis studio hæc quam diligentissime curaturum, et si qua alia sunt vitia, quæ Nos lateant, extirpaturum, nullumque, quantum quidem in te erit, diabolo locum relicturum. Idque

ut facias, hortamur in visceribus Jesu Christi, a quo tibi tuisque ovibus omnem salutem et felicitatem precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Februarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Eidem Præsuli porro gratulatur fidei in sua provincia prolatandæ curam et laborem; indulgentias et reliquias Sanctorum, quas petierat, mittit. Ex ejus litteris incredibilem se cepisse voluptatem affirmat, seque maximam spem inivisse ingentes ipum collecturum animarum fructus; præsertim sese non dubitare, quin hac in re magno ei adjumento foret Patrum Ignatianorum opera, quorum in laudem deinde Gregorius se effundit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. IV. ep. 183. f. 127.

Venerabili Fratri Petro Episcopo Mexicano.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil est, quod tam vehementer debeat Christianus quisque optare, tamque votis omnibus a Deo flagitare, quam ut sancta fides Catholica quam latissime propagetur. Spectat enim hoc tum ad Dei ipsius gloriam, tum ad ejus sanguinis fructum, animarumque salutem; in quo etiam optando, orando, et quoad fieri potest, curando elucet duplex illud præceptum charitatis, diligendi Deum propter se, proximum propter Deum: utrumque facere te ex tuis literis cognovimus; nam et lætaris vera istic Domini Dei Nostri cognitione, et eam quam latissime propagari cupis, et quoad potes, conaris. Itaque, et Deo gratias agimus quantas possumus maximas, et Tuæ Fraternitati gratulamur, Divinamque bonitatem oramus, ut mortalium omnium animos sua luce compleat, eosque perpetua ac perfecta charitate devinctos teneat. De Indulgentiis non putavimus negandum postulationi tuæ, idque ex aliis nostris literis, quibus eas largimur, intelliges. Reliquias item nonnullas mittimus, in quo etiam tuo optimo desiderio, quantum quidem possumus, satisfacimus. Sic autem speramus, et Sanctorum illorum orationibus atque ope, et tua singulari prudentia sanctam Religionem, et syncerum Dei cultum majorem in dies futurum, maximumque ad tuum nostrumque gaudium cumulum accessurum. Ut autem ex tuis literis incredibilem voluptatem cepimus, sic gratissimum Nobis facies, si de eo, quem speramus, fructu Nos certiores feceris, perscripserisque, ecquid hactenus profectum sit, quid post tuas literas sit consecutum, quid in posterum speretur. In quo non dubitamus, magno tibi adjumento futuram operam Jesuitarum: novimus enim illorum Christi servorum studium, et zelum Christi gloriæ, animarumque salutis, expertique sumus, quotidieque experimur illorum tum hic Romæ, tum aliis in locis præstantiam in hominibus ad fidei synceritatem, atque ad vitæ sanctitatem instituendis, quod idem intelligere te persuasum habemus. Itaque nihil est, quod eos Tuæ Fraternitati commendemus. Si quid præterea erit, in quo nostra auctoritate possimus Christi causam istic juvare, fac Nos certiores; nihil enim libentius faciemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

Et idem Præsul, quamplurimis de spirituali munere grates redditis, Gregorio exeunte hoc anno nunciat, Generalis Præpositi Societatis Jesu missu jam Mexicum duodecim ejus socios advenisse, ibique maximo animarum bono versari. Itaque se in incredibili desiderio esse cum cæteris provinciæ Episcopis, ut eumdem Generalem jubeat alios etiam Patres e Societate Jesu ad vineam Mexicanam excolendam quamprimum mittere. [*]

[*] Armar. VII. capa 3. N. 13.

« Sanctissimo in Christo Patri nostro Gregorio ejus nominis XIII. Petrus Moya de Contreras Archiepiscopus Mexicanus S. P. D. et Apostolicam benedictionem implorat.

« Quantopere, Pater Sanctissime, tuis ex literis, quas nuperrime accepimus, delectati simus, hoc est calendis Octobris præsenti anno a partu Virginis MDLXXVI., Romæ a Beatitudine tua eodem etiam anno exaratas nono calendas Aprilis, Pontificatusque tui anno quarto, non est quod expliceam.

« Etenim et Sanctorum reliquias atque etiam sacratissimas indulgentias ex Christi thesauro depromptas nobis te concessisse universi apertissime cognoscimus. Quas quidem partim et summo Mexicanæ Ecclesiæ templo, partim vero Divæ Mariæ (ut vulgo ajunt) Guadalupæ sacello donatas, tuamque paternam erga nos benevolentiam, atque humanitatem omnes ex eisdem literis experti sumus. Atque ideo Sanctitati tuæ ingentes immortalesque gratias pro tali munere, et quidem eximio cuncti nos agimus, majores etiam habemus.

« Quæ omnia quam primum una cum optatissimo societatis Jesu patrum adventu, ac miro ea de re desiderio flagrantes expectamus, ut tali tantoque munere in hac tua Mexicana diœcesi summo cum gaudio perfruamur. Illud te non latere desidero reliquorum, societatis Jesu Generalem duodecim socios, summa virtute, eruditione ac pietate præditos viros ad has Indorum regiones proximis hisce diebus elapsis ad nos misisse. Qui quanto animarum zelo apud nos ardere videantur, quantaque bonorum operum luce atque splendore, eum ubique terrarum, in hoc præsertim provincia elucent. Unde non modo nostri Indorum Neophiti ab eisdem societatis patribus in rebus spiritualibus adjuvari desiderant, atque omnia novæ hujus Hispaniæ oppida certatim patres summis precibus, summisque votis efflagitant, sed omnes etiam regionis

hujus episcopi maximo cum desiderio ad se adduci afferrique conantur. Quare omnium nostrorum Antistitum nomine ego minimus etiam atque etiam oro, obsecro, atque obtestor, ut per societatis ejusdem Generalem magnum aliquem patrum numerum continuo ad nos mittere ne obliviscaris; eidemque Generali tu ipse hoc præcipere digneris.

« Messis quidem Gentilium multa, operarii autem pauci. Neque vero (quo ad nos attinet) diu noctuque dominum messis, ut in hanc Mexicanorum vineam optimos operarios, et quam plurimos quidem mittere dignetur, rogare, deprecarique cessamus, quo Gentilium animi in orthodoxa fide ac sacro Christi Evangelio firmissime (quod maxime optandum est) fundentur optimeque constituantur. Nam soror nostra parvula est, (ut canticorum verbis utar) hoc est Mexicana provincia, clericorumque numero minima est, ac sacri evangelii ubera (ut decet) non habet. Quid igitur faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Hæc omnia ea de re Beatitudini tuæ scribenda putavi, nedum veritatis explicandæ causa, quando quidem ea luce clarius Sanctitati tuæ apertissima esse sentio, cum id ipsum tuo sermone tuoque exemplo comprobes atque confirmes. Nam visis tuis literis summa omnes, quotquot hic adsumus, consolatione atque lætitia affecti sumus, propterea quod Jesuitarum religionem et maxime faciendam esse existimas, et obviis ulnis a nobis amplectendam esse hortaris.

« Utinam, Pater Sanctissime, quæ a societatis patribus bona opera patrata retuli, eadem ab aliis etiam religiosis, qui hic versantur, pro munere mihi a te commisso impræsentia recensere possem.

« Quare ut eodem etiam modo, ut Sanctitas tua effecit, finem epistolæ meæ imponam, nos omnes episcopi, qui hic versamur, et in hisce vagamur regionibus, summis precibus summisque votis Beatitudinem tuam obsecramus, atque etiam obnixe obtestamur, ut in sanctis tuis sacrificiis pientissimisque orationibus apud Deum nos assidue commendare digneris, tuamque Apostolicam benedictionem nobis quoque impartiri velis. Extremam ergo literis periodum impono, et sanctissimos mente et animo pedes tuos osculans, Deumque Opt. Max., ut te sospitem atque incolumem pro majori Dei gloria, bonoque totius ecclesiæ universo conservare quam diutissime dignetur, deprecans in dies fere persevero, ac de rebus aliis maximique momenti novæ totius Indorum Hispaniæ, ad Apostolicam Sedem præsertim pertinentibus, longissimas quidem literas et proprium et fidissimum nuncium ad te quam primum missurum excogitavimus, ut possis plenissime (ut par est) omnibus de rebus ad salutem animarum necessariis ab universis episcopis, atque a me ea ratione, eoque nuncio a nobis misso certior fieri. Bene valeat Sanctitas tua. Mexici decimo sexto calendas Januarias MDLXXVI.

Beatitudinis Tuæ

Minimus servus

P. ARCHIEPISCOPUS MEXICANUS.

CXIX. — Quo etiam anno Rex Coccini in India Orientali, Lusitanorum amicus, licet infidelis, audita Gregorii virtutum et pietatis ac beneficentiæ fama, gratiam ejus sibi conciliare ambitiose quæsivit, misso ad eum legato cum litteris demisse scriptis. [*] Legatus morbo Olyssipone correptus, suas et regias litteras Pontifici deferri curavit, qui ex iis capta occasione Regem ad veritatem Evangelicam amplectendam, et ad veteres Christi fideles, Thomistas dictos, ac cæteros recens in India conversos tuendos excitavit. [*]

[*] Manilsan document. N. 74

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 97. f. 313.

Illustri Regi Cocinik.

GREGORIUS PP. XIII.

« Illustris Rex, veræ felicitatis agnitionem atque adeptionem. Laudamus magnopere humanitatem tuam, quam perspeximus in tuis literis ad Nos datis II. Januarii: sic enim scribis, te Christianos, qui in tuo Regno sunt, non secus atque eos, qui tuam legem sequuntur, tractare, quin etiam favere omnibus, qui volunt ad sacrosanctum Baptisma, atque ad Jesu Christi Dei et Dñi Nostri fidem pervenire; inque eo charissimi filii nostri Sebastiani Portugalliæ Regis zelo satisfacere. Quoniam autem fides nostra docet: Christianos omnes ubicumque terrarum sitos esse unius quasi Christi corporis membra; magnas tibi gratias agimus, nihilo minores, quam si eadem ista humanitatis ac benignitatis officia, quæ in Christianos filios nostros confers, in Nos ipsos, qui ejusdem Christi misericordia ipsius vicem in terra gerimus, conferres, rogamusque, ut in ista voluntate perseveres, atque etiam aliquid addas nostra causa: facit enim humanitas tua, ut speremus, te hoc Nobis libenter daturum. Nos vicissim, quia hoc tempore aliud non possumus, optamus tibi, ut initio ascripsimus, summæ veræque beatitudinis tum agnitionem, quam docet vera Religio, tum ejus adeptionem, quo quidem ducit vita pie, sancteque, atque ex hujus Religionis regula et præscripto acta. De Archiepiscopo Anguamalis nihil possumus statuere, quia ignoramus, quibus injuriis deterreatur, quominus eat ad Synodum Provinciale, quo ipsum accersiri scribis, aut quibus de causis bis jam in carcerem conjectus fuerit; ubi quid certius cognoverimus, id statuemus, quod jus, æquumque esse intelligemus, neque illum injuria opprimi patiemur. Indulgentias, quas postulas nomine Georgii Archidiaconi, libentissime concedimus, deque iis proprias literas confici et expediri mandavimus. Si quid præterea erit, in quo Nos tibi gratificari posse intelligemus,

non deerimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Decembris MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

En quas ejusdem Regis Legato scripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 98. f. 241.

Dilecto Filio Cocinik Regis Oratori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Fuerunt Nobis redditæ tuæ literæ, cum his etiam literæ Cocinik Regis, quas libentissime legimus, eique gratificati sumus de indulgentiis, quas postulavit Georgii Archidiaconi nomine, earumque literas confici mandavimus, cumque his ad te mittimus: reddes eas Regi, bonamque ejus voluntatem, quam ostendit erga Christianos, quoad poteris, firmissimam reddere curabis; forte enim Deus, ut est ditissimus in misericordia, hanc illius voluntatem remunerabitor amplissimo suæ gratiæ munere, ut Christianam scilicet veritatem et fidem aliquando agnoscat et colat, quod quidem Nos Divinam bonitatem oramus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXX. — Res Italiæ hujus anni ab funestissima pestilentia ordiemur, quæ præcedenti anno orta, præsenti et sequenti immaniter tota Italia grassata est, cujus contagia a Tridenti urbe (ubi cuncti fere incolæ ejus vi absumpti) Veronam primum illata, et postea Venetias ad septuaginta vel etiam centum millia hominum ibi abstulisse memorant, ac per reliquam ditionem pari pene strage sævisse. Mediolani, Cremonæ, Papiæ innumeri quoque perierunt; Carolo Borromæo, Nicolao Sfondrato et Hippolyto Rossio Cardinalibus earum urbium Episcopis nullam non diligentiam, nullum non pietatis et humanitatis officium adhibentibus, ut ægris solatio et rebus contra tam dirum malum necessariis in tempore subveniretur. Carolus imprimis ægros solabatur; et quasi de contagione securus, seu verius ut bonus pastor vitam pro ovibus suis exponens, eos sedulo visitando paterno reficiebat affectu, et Ecclesiæ sacramenta propriis manibus administrabat; humillimisque interim precibus reconciliator accedens, publica supplicatione indicta, fune sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam offendiculo cruentatis, crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat: et præter totam supellectilem domesticam, ne relicto quidem sibi lectulo, in eosdem alendos collatam, super nuda imposterum tabula ipse decumbebat. Cujus egregius imitator Augustinus Valerius Veronensis Episcopus, postea etiam Cardinalis, diligentem et ipse sui gregis curam gessit.

CXXI. — Gregorius tam feralem calamitatem dolens, cives singularum urbium, quas pestis invaserat, suavissimis pietatis caritatisque plenissimis litteris solatur; hortaturque, ut sibi ultro citroque præsto esse veliut; pœnitentiæ et caritatis operibus Deum sibi demereantur, ejusque iræ placandæ studeant. En ejus litteras ad Mediolanenses. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V Vol. 29. epist. 27.

GREGORIVS PP. XIII.

« Universis Christifidelibus in Civitate et Diœcesi Mediolanensi existentibus salutem et Apostolicam benedictionem. Facile experimur omnes in hac vita duo maxime versari mala, peccatum et pœnam. Primum illud procul dubio debemus Nobis ipsis ascribere; alterum Domini Dei Nostri justitiæ tribuere; sed non ita justitiæ ut non maxima quoque ex parte misericordiæ. Tum enim maxime medetur Deus, cum sauciat: hic enim efficit, ut in ipsis plagis sentiamus nostram imbecillitatem, humanarumque rerum caducitatem, spei denique in his rebus locatæ et fixæ inanitatem, et, quod caput est, Divinæ gratiæ vim, dum iis curis exsoluti, quibus humi jacentes detinebamur, erigimur ad cogitanda et optanda bona illa cœlestia et sempiterna, ad quæ sumus ab eodem ipso Deo facti et vocati. In quo etiam dupliciter exercetur pietas: ea enim ex parte, qua premimor, Divinam opem imploramus, qua vero sublevamur, immensæ ejusdem Dei bonitati gratias agimus. Atque ut quisque debet hoc animo esse in suis malis, sic nemo debet in alienis tantum spectator esse, eaque nihil ad se pertinere existimare, sed periculis ex aliorum, atque ex suis ipsius incommodis et malis affici, et quacumque ratione possit subvenire; itemque Deo gratias agere; offerri sibi ab eo duplicem facultatem tum pietatis erga ipsum exercendæ, tum erga proximum charitatis, summamque ejus benignitatem agnoscere, quæ nihil patitur mali evenire, unde non soleat multa, maximaque bona elicere, nosque ad ea invitare. Exprimit hoc gravissimis verbis Cyprianus in ea pestilentia, quæ tum latissime grassabatur, docetque, quod cujusque sit munus, tum eorum, qui morbo ipso correpti jam sunt, tum qui integri a Deo servantur. Pestis ista, inquit, et lues, quæ horribilis et feralis videtur, explorat justitiam singulorum, et mentes humani generis examinat, an infirmis serviant sani, an propinqui cognatos pie diligant, an misereantur servorum languentium domini, an deprecantes ægros non deserant medici, an feroces violentiam suam comprimant, an rapaces avaritiæ furentis insatiabilem semper ardorem vel metu mortis extinguant, an cervicem flectant superbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus caris, vel sic aliquid divites indigentibus largiantur et donent sine hærede morituri. Ut nihil aliud mortalitas ista contulerit, hoc Christianis et Dei servis plurimum præstitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non temere. Exercitia sunt nobis ista,

non funera, dant animo fortitudinis gloriam, contempta mortis præparant ad coronam. Cupimus, filii carissimi, ut monita hæc saluberrima, atque ad suam cujusque conditionem accommodata vestris animis infixa habeatis, ac si quid istic pestilentiæ fuerit, vosque Deus hoc pacto visitaverit, parati vos ipsos ad percipiendos Divinæ misericordiæ fructus, neque aut in peccatis jacere, aut ægris ulla in re deesse velitis, ac sic cogitetis gravissimum esse, atque omni calamitate deterius, nequaquam fieri plagis meliores; ægros autem, et jacentes deserere, ac morbi gravitate et solitudine ipsa perterritos, flentes, circumspectantes, vestram opem implorantes destituere, ab omni humanitate alienissimum esse. Hortamur igitur vos omnes, quantum possumus, clericos, laicos, viros, mulieres, quocumque in statu estis, ut pro sua quisque parte tum ægrorum, tum cæterorum hominum a communi cœtu propter morbi suspicionem exclusorum necessitatibus succuratis, nec tam præclaram facultatem summæ a Deo Opt. Max. gratiæ promerendæ abjiciatis, certumque habeatis vestrum laborem, atque operam multo magis vestræ, quam eorum ipsorum, a quibus morbum propulsabitis saluti profuturam; vos enim illis tantam hanc brevem et fugacem vitam prorogabitis; vobis vero ipsis ad certissimam sempiternamque felicitatem munietis. Nec quicquam est, quod contagionis periculum paveatis; sic enim credite, aut vos Divina ope evasuros, aut si vos quoque ad se vocaverit Deus, nihil optabilius esse, quam ejus Majestati inservientem, acceptissimumque ei voluntatis sacrificium offerentem, in ipsa contentione et labore ex hujus vitæ miseriis eripi. Facile erit hoc persuadere iis, quos Dei charitas incendit: ubi enim illa semel animum occupavit, nullum est aut laboris, aut periculi, aut tormentorum generis, quod nos terreat, quin ea ultro appetimus ipsi, et suavissima ducimus. Ut autem in his pietatis et charitatis operibus alacriores sitis, summa Dei misericordia confisi commisimus dispensationem pretiosissimi thesauri sanguinis Dñi Nostri Jesu Christi, meritorumque gloriosissimæ Virginis ejus matris Mariæ, beatissimorumque Apostolorum Petri et Pauli, atque omnium Sanctorum dilecto filio nostro Carolo tituli S. Praxedis presbytero Cardinali, et pastori vestro, cujus semper experti estis summum Christi gloriæ zelum, vestrumque omnium salutis studium, et in utraque causa vigilantiam atque operam singularem. Huic igitur tribuimus potestatem largiendi indulgentias etiam plenarias arbitratu suo Catholicis omnibus, qui vel morbo ipso correptis, vel suspectis servierint, aliquidve eorum fecerint, quæ in aliis nostris literis ad eundem Cardinalem datis continentur. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die x. Septembr. MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXXII. — Quæ Romæ pius ac vigilantissimus Pontifex in hoc universali Italiæ luctu egit, narrat his verbis Mucantius. [*]

« Die 12. Octobris fuit Consistorium, in quo inter alia determinatum de Jubilæo et processione indicenda ad pestem avertendam, quæ tunc crassabatur Venetiis et Mediolani et aliis in locis, quod Jubilæum fuit impressum. Variæ fuerunt consultationes de modo et habitu ipsius Papæ et Cardinalium in dicta processione, et Sanctitas Sua remisit negotium ad Congregationem Rñorum DD. Cardinalium super cærimoniis deputatorum. Quare habita fuit congregatio in Palatio Rñi Dñi Cardinalis Farnesii, die 18. ejusdem mensis, (qui pridie ab oppido Caprarolæ redierat) ubi me vocari jusserunt, quæsieruntque quid mihi videretur: quibus respondi, me ejus rei multiplicem usum vidisse, præsertim tempore fel. rec. Pii Papæ V., qui frequens in hujusmodi processionibus fuit. Is enim aliquando solemniter et cum sacris paramentis et mitra cum Cardinalibus similiter paratis ivit; aliquando minus solemniter, id est sine sacris paratibus, sed tantummodo succinctus veste laxiori et oblonga, quam faldam vocant, in habitu quotidiano cum stola, cujus posteriores fimbrias nobilior laicus, anteriores Cubicularii domestici deferebant, Cardinalibus eum cum cappis violaceis subsequentibus; aliquando etiam multo simplicius, nempe cum suo habitu quotidiano et stola absque d. falda, Cardinalibus in eorum brevibus mantellis subsequentibus, prout vel lætitiæ vel mœstitiæ casus suadebat. Sed si meam sententiam requirerent, putare me omni casu cum sacris paramentis in processionibus eundum esse, habita distinctione, si pro causa mœsta, ut paramenta sint simpliciora et coloris violacei cum modico vel nullo auri ornamento quoad Cardinales et Prælatos; quo vero ad Pontificem pluviale rubrum simplex cum mitra simplici: si vero pro causa lætitiæ, tunc paramenta sint preciosiora coloris vel albi vel rubei, pro qualitate festivitatis et lætitiæ, cujus rei plura exempla adduci possunt ex superioribus Pontificibus, eaque paramenta adhuc simpliciora humilioraque, vel preciosiora sumptuosioraque haberi, prout vel lætitiæ vel mœstitiæ major minorve causa erit; sed omnino convenire, ut omni casu ipsi apostolici Sacerdotes in processionibus publicis non quotidiano, sed sacro habitu induti prodeant pro majori cultu, reverentia et devotione totius populi. His per me sic relatis exivi aula, ubi prædicti Rñi DD. Cardinales erant congregati, qui tandem concordes fuerunt, ut processio fieret cum sacris paramentis, sed sine baldachino juxta meam sententiam, adducente ad hoc exemplum Rñо D. Cardinali Sirleto de Honorio Papa III. ex quibusdam litteris apostolicis antiquis, qui in hujusmodi processioni-

[*] Diarior. Cærem. Vol. II. f. 365.

bus Cardinales iverunt cum signis sacerdotalibus, quæ nil aliud sunt, quam ipsa sacra paramenta, et sic fuit conclusum et relatum Sño Dño Nostro, qui talem resolutionem laudavit et approbavit.

« Eadem die 18. seu die præcedenti Sanctissimus D. N. equitavit ad septem Ecclesias, videlicet quatuor antiquas in Urbe existentes et tres nuper per Sanctitatem Suam additas, hoc est Sanctæ Mariæ de Populo, S. Laurentii in Lucina et Sancti Petri ad Vincula loco aliorum trium extra Urbem existentium, videlicet S. Pauli, Sancti Sebastiani et S. Laurentii extra muros, durante suspitione pestis, ad hoc ne contingeret forte aliquem advenam morbo ejusmodi infectum eum nostris civibus commisceri, aut Urbem ingredi, eamque contaminare. Equitarunt cum Papa pauci Cardinales et sui domestici, prout alias consuevit. Tenor autem literarum Sñi D. N. Papæ deputationis dictarum trium Ecclesiarum est, ut sequitur, videlicet: Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Cum inter cæteras etc.

« Eadem die Sanctitas sua dedit benedictionem novæ Sodalitatis Corporis Christi in Ecclesia S. Augustini in atrium magnum Palatii coadunatæ, intercedente pro ea R. P. D. Fratre Augustino suæ Sanctitatis et Palatii Sacrista.

« Die 19. Octobris. Cum jam de mandato S. D. N. Papæ fuisset intimatum omnibus Sodalitatibus, Religiosis et Clero Urbis per curiam Rñi D. Vicarii S. Sanctitatis, ut hac die hora xm. convenirent ad Basilicam S. Petri, ibique fusis precibus irent processionali ritu ad Ecclesiam B. Mariæ de Populo, paruerunt, sed non potuerunt tam cito congregari et in ordinem redigi præ multitudine illarum; providi quantum potui, ne circumeundo Basilicam simul confunderentur, sed ut unaquæque Sodalitas, prout prior accedebat, exiret ab alia porta, nec curam poneret, quæ earum prior, quæ posterior in processione ambularet, ne nimium temporis ea in re consumeretur, cum jam per edictum Rñi D. Vicarii esset provisum, ne propterea intelligeretur cuiquam præjudicium inferri. Itaque hora jam xv. Sanctitas sua in aula lecti paramenti, ubi jam Cardinales omnes erant induti sacris paramentis, accepit sua paramenta, hoc est amictum, albam, cingulum et stolam, et super ea pluviale rubrum, leve et sine cauda. Inceperunt progredi officiales soliti ante crucem, hoc est Scutiferi, Cubicularii, Acoelyti, Auditores Rotæ cum eorum vestibus rubeis, sed Cubiculari portabant caputia super humeros, et Subdiaconi cum cottis supra rocbettis. Advocati non venerunt ob differentiam, quam habent cum Cubiculariis extra cameram. Unus ex Subdiaconis paratus planeta ante pectus plicata coloris violacei portavit crucem medius inter duos Accolytos ceroferarios. Post crucem ibant Pœnitentiarii parati planetis, quæ ipsis fuerant a Canonicis d. Basilicæ commodatæ, ita jubente Rño D. Cardinale Farnesio d. Basilicæ Archipresbytero, eum ipsi Canonici illas dare recusarent, quorum duo, qui alios præibant virgas oblongas manibus gestabant juxta eorum ritum in signum eorum officii et facultatis. Post Abbates, Episcopi et Archiepiscopi pluvialibus et mitris induti, mox Rñi DD. Cardinales Diaconi planetis ante pectus plicatis, Presbyteri planetis, Episcopi pluvialibus coloris violacei, ultimo Sanctissimus D. N. paratus ut supra, medius inter duos Diaconos assistentes pedibus suis incedens, per aulam regiam et scalas Palatii descendit ad Basilicam D. Petri; ingredienti Ecclesiam non fuit oblata crux, nec incensum, quod nullus, quod sciam, advertit, nec forte erat necessarium, eum d. Basilica censeatur tanquam ejus residentia, cum sit conjuncta Palatio Apostolico; statim ingressus accessit ad Altare Sanctissimi Sacramenti, ante quod genuflexus diutius oravit. Interim Cantores inceperunt Litanias, eas prosequendo usque ad versiculum S. Petri etc. inclusive, quod fuit bis repetitum. Tunc Pontifex surgens deposuit seorsum crepidas, relinquens arbitrio Cardinalium si qui vellent excalceati incedere, sed pauci aut forte nulli se excalcearunt. Ipse Pontifex sic excalceatus in soleis tantum caligarum per totam viam lutosam et madidam ex pluvia præterita quum cœlum serenum esset, supradicto ordine pedester ivit, sine baklachino, et sine ullo, qui posteriorem partem pluvialis sublevaret, cum nec esset opus ob illius brevitatem, tantummodo quædam flabella ex pennis et plumis facta per ejus familiares hinc inde ab ejus lateribus portabantur ad arcendos solis radios. Via fuit, transacto ponte Adriani, per plateam Pontis ad sinistram secus Tyberim ante Carceres Turris Nonæ, ubi carcerati maximo clamore vitam Sanctitati suæ deprecabantur, et libertatem supplices exorabant, pergens deinde ante domum Rñi D. Cardinalis de Sermoneta versus plateam Nicosiæ pervenit ad viam rectam tendentem ad portam Flaminiam et Ecclesiam beatæ Mariæ de Populo, quæ fuit delecta tanquam brevior. Maxima populi multitudo per totam viam, sed nulli Pontifex benedixit, sed manibus junctis continuo processit, quod, ut poto, fecit, ut majorem ostenderet mœstitiam et pœnitentiam: puto tamen non fuisse errorem, si eundo benedixisset; tantummodo enim reperio hujusmodi benedictionem prohiberi feris vi. in Parasceve, ob memoriam Passionis Domini; pariter nec ullum unquam verbum aut colloquium cum Cardinalibus, aut aliis sibi adhærentibus habuit; totus devotioni, orationique intentus, quoties imagines Crucifixi videret, quæ plurimæ a d. Ecclesia redeuntes apparebant, caput et humeros illis

inclinabat. Tandem perventus ad d. Ecclesiam genuflexus in porta illius super tapete et pulvino, osculatus fuit crucem sibi a Rmo D. Cardinali Sabello priori presbyterorum porrectam, tum imposuit incensum in thuribulum, et aspersit se et circumstantes aqua benedicta, porrigente eidem navicula et aspersorio eodem Cardinali, a quo demum stans capite cooperto triplici ductu incensatus fuit; dein ingressus Ecclesiam ivit ante gradus Altaris, ubi genuflexus oravit, et interim Cantores dixerunt psalmum Deus auribus nostris etc. licet fuisset ordinatum, ut dicerent alium, videlicet Deus noster refugium etc. quo finito Papa surgens dixit versiculos et orationem ad id ordinatam, omnibus in genuflexione manentibus. Tum secessit aliquantulum in sacristiam, ubi caligas mutavit ac crepidas resumpsit, nec non vestem longam, quam faldam vocant, et pluviale amplum rubeum, et statim ad Ecclesiam rediit, ubi jam Cardinales omnes et Prælati paramenta deposuerant, et acceperant cappas. Itaque absque alia genuflexione, stans ante Altare ad dexteram Rmi D. Cardinalis Commendoni celebrantis incepit confessionem pro missa, qua finita ascendit ad solium sibi præparatum prope columnam primam a latere dextero seu Evangelii Altaris, ubi Cardinales omnes præstiterunt ei reverentiam in cappis more solito. Missa celebrata fuit de mortalitate, videlicet ordinaria, et alia pro gratiarum actione, et tertia de B. Virgine, quia in Ecclesia Virginis; fuerunt observatæ genuflexiones et orationes prout in die Cinerum, quia Missa erat ferialis. Diaconus et Subdiaconus habuerunt planetas violaceas ante pectus plicatas. Evangelium fuit cantatum vertente Diacono faciem ad Altare, prout regulariter fit in Capella Papæ in Vaticano præsente Papa, quod tamen, ut audivi, fuit ab aliquibus reprehensum, et male, cum nesciant causam cur ita fit, quam explicat Paris Crassus in quodam suo tractatu de Cærimon. papal. cap. 72. et in Cærimoniali Bononiæ impresso lib. 1. cap. 39., quam modo referre non curo, ne sim prolixior. Episcopi per errorem sederunt ordine præpostero, quia digniores erant in ultimo loco, et Prothonotarii in primo, quos cum monuissem, ut reciperent locum convenientem, videlicet propinquiorem Altari, noluerunt se amplius movere, ne detegeretur error, prout vere a paucis fuit cognitus. In fine Missæ, dicto per Diaconum Benedicamus Domino, Papa dedit benedictionem solemnem, sed nullæ Indulgentiæ publicatæ, cum jam esset omnibus concessa plenaria propter Jubilæum. Tandem Papa reversus ad sacristiam licenciavit Cardinales in Ecclesia, ipse vero cum suis domesticis equitando rediit ad Palatium. »

CXXIII. — Verum ad lætiora transeamus. Hoc anno optatissima pax inter Januenses in factiones distractos maximo clarissimæ illius urbis bono firmata fuit. Cardinalis Moronus, qui jure quidem tantæ felicitatis auctor ferebatur, novis Reipublicæ legibus suis sub auspiciis ab Oratoribus Cæsaris et Regis Catholici conditis, Romamque missis, ut a Pontifice confirmarentur, ad Urbem iter parabat. Quod vero Maximiliano Cæsari ingratum admodum accidit; verebatur enim, ne tanto viro absente inveteratæ Januensium discordiæ reviviscerent atque invalescerent, et opus pacis tot laboribus ac tractationibus compositum plane disjiceretur; quare et Cæsar semel atque iterum officiosissimis litteris Pontificem adiit, oravitque, ne Moronum discedere Janua sineret. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33 ep. 11

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Quid hactenus per Sanctitatis Vestræ Legatum, nostrumque ac Serenissimi Regis Catholici etc. Oratores et Commissarium de negotio Genuensis dissensionis actum fuerit, ac quo in statu res ea hoc tempore constituta sit, cognovimus. Quum igitur de præcipuis articulis inter ipsos ministros eo usque conventum esse intelligamus, ut leges sancitæ primo quoque tempore publicandæ, ac in Civitatem istam Genuensem introducendæ, de cæteris autem articulis componendis minus difficultatis fore nobis persuasum sit, nihil dubitamus, quin Sanctitas Vestra, pro suo solito quietis et tranquillitatis publicæ promovendæ conservandæque studio, præfato Legato (quem tamen alioqui etiam nihil in se desiderari passurum esse nobis pollicemur) id negotii datura sit, ut iis, quæ agenda supersunt, ad concordiam reducendis, una cum dictis nostro et Serenissimi Hispaniarum Regis Oratoribus et Commissario, pari diligentia atque cura incumbere velit. In quo Sanctitas Vestra rem piam, suaque laude dignam, nobis vero maximopere gratam factura est. Cui, quod reliquum, filialis nostræ observantiæ officia deferimus, eandem prosperrima valetudine ac optato rerum successu frui ex animo cupimus. Datum in Civitate nostra Vienna, die xv. mensis Januarii anno Domini MDLXXVI. Regnorum nostrorum Romani XIV. Hungarici XIII. Bohemiæ vero XXVII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

MAXIMILIANUS.

Quæ vota mox alteris renovat litteris, urgetque vehementius, ne Cardinalis Moronus, quem suum carissimum amicum appellat, inde nondum re transacta discedat: quin etiam, si forte

iter ingressus fuerit, sua auctoritate efficiat, ut quamprimom Casalem redeat, factamque compositionem eadem, qua hactenus fide et diligentia usus fuit, ad exitum deducere curet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35 ep. 12.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Divina Providentia Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Sommo Pontifici, Domino Reverendissimo.

« Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Relatum nobis est, Rmum in Christo Patrem, amicum nostrum carissimum, Cardinalem Moronum etc. ante eorum, quæ inter ipsum, tanquam Sanctitatis Vestræ Legatum, ac nostrum Serenissimique Hispaniarum Regis Catholici etc. patruelis, fratris et generi nostri carissimi Oratores et Commissarium, in negotio Genuensis dissensionis nuper acta conventaque fuerunt, publicationem, nedum illorum, quæ etiamnum in controversia sunt, determinationem, sicque re infecta, discessum parare. Cum vero negotium hoc tanti momenti sit, ac non solum Civitatis istius, verum etiam totius Italiæ ac universæ Reipublicæ Christianæ tam magni referat, omnes illas controversias prorsus sopiri, neque tale quid relinqui, quod novis dissidiis et difficultatibus fomentum atque materiam præbere possit, nos prætermittere noluimus, quin Sanctitati Vestræ hac de re scriberemus, eamdem filiali studio etiam atque etiam rogantes, ut pro solito suo pacis tranquillitatisque promovendæ studio, præfato Cardinali Morono, Legato suo, serio committere, suaque auctoritate efficere velit, ne hoc tam importuno tempore, ac antequam res omnis transacta, et ad concordiam, cujus causa tota hæc transactio primum inita susceptaque est, redacta fuerit, de discessu cogitet; quinimo, si forte jam iter ingressus esset, quamprimum Casalem, vel eum ad locum, ubi noster et præfati Regis Hispaniarum ministri fuerint, redeant, ac cum iisdem cœptæ compositioni ad optatum finem deducendæ, eadem, qua hactenus, fide atque diligentia incumbat. In quo rem piam, et ad communem quietem conservandam pernecessariam, nobis vero longe gratissimam præstitura est Sanctitas Vestra, cui, filialis nostræ observantiæ studia atque officia deferentes, eandem prosperrimo rerum omnium successu frui ex animo optamus. Datum in Civitate nostra Vienna, die decima nona Januarii anno Domini MDLXXVI. Regnorum nostrorum Romani XIV. Hungarici XIII. Bohemici XXVII.

Ejus Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius
MAXIMILIANUS.

CXXIV. — Nihil moræ Gregorius interposuit, quominus leges nuper jussæ et ab ipso recensitæ ac confirmatæ quam primum ad Janniensium Magistratus deferrentur: admonens, ne quid in eas mutationis inferrent, utque cives ad concordiam revertentes summa cum caritate excipiant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 138. f. 93.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci, et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem, et Apostolicam benedictionem. Postquam Dei benignitate et gratia effectum est, ut ea decernerentur, quæ vestræ Reipublicæ maxime utilia et salutaria judicata sunt, inque eo æqualiter versatur hoc tempore nostrum gaudium, atque olim in vestra dissensione versabatur dolor, obtinuimusque a Dei bonitate id, quod omnibus votis expetivimus, quodque ut assequeremur, summopere, ut scitis, contendimus, immortales, ut debemus, eidem Deo gratias agimus. Mittuntur nunc ea decreta istuc ad vos; vestrum erit iis uti ex animi æquitate et moderatione, quam pollicetur vestra prudentia, eaque quam diligentissime sine ulla cujusquam rei mutatione servare. Reperietis magnam esse habitam rationem tum communiter universæ Reipublicæ libertatis, tum privatim civium pacis concordiæque studiosorum tranquillitatis; provisumque esse, ut omnes in sua Republica cum dignitate sint. Vestros autem cives revertentes summa cum charitate, ut par est, excipite, fraterneque cum iis vivite, vestramque amplitudinem et gloriam communi studio conservate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quarto.

CXXV. — Pontifex id lætitiæ ex compositis Genuensium dissidiis percepit, ut statim Cæsari, Regi Catholico, et reliquis Italiæ Principibus utpote de re quæ ad eorum omnium commodum Italiæque tranquillitatem pertineret, gratulabundus effususque in gaudium scripserit. Documento sint, quas ad Venetos litteras misit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann IV ep. 140. f. 95.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Reipublicæ Venetæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Immortales gratias agimus Domino Deo nostro, Deo pacis, atque omnis consolationis, cujus ope et gratia factum est, ut post tantos tamque assiduos fere annui temporis labores, a nobis atque a charissimis in Christo filiis nostris Maximiliano Imperatore Electo, et Rege Catholico, nostroque Legato, atque eorumdem principum ministris Genuensium rerum componendarum causa susceptos, optima ratio et via reperta sit ejus Reipublicæ gubernandæ tranquilleque in ea et cum charitate vivendi, quod unum semper incredibiliter optavimus. Eo autem loco res est, ut nihil aliud restet, nisi ut ea, quæ sunt sapienter decreta et constituta, eo mittantur, diligentissimeque serventur, nihilque

verendum sit, ne aliquorum hominum seditiosorum importunitate atque audacia disturbentur; summa enim cum iis, quos diximus, principibus animorum consensione curabimus, ne tot labores frustra suscepti sint, paratissimique sumus in eo omnes nostros conatus ponere. Hunc autem exitum tam optatum, tantoque cum labore adeptum ideo voluimus vos atque istam rempublicam ex nostris literis cognoscere, quia illum vobis pro vestra charitate summoque Italicarum rerum pacis, et tranquillitatis desiderio jucundissimum esse non dubitamus. Rogamus autem, ut, si quos senseritis ab alterutra parte motus excitari, si decreta perfringi, mittatis eo aliquem, qui vestro vestræque Reipublicæ nomine nunciet, non defuturum vestrum auxilium nobis, cæterisque principibus, qui hoc negotium susceperunt, quique hæc ita decerni et servari curarunt. Erit hoc vestra insigni virtute dignissimum, nobis omnibus gratissimum, reipublicæ illi utilissimum, maximeque salutare. Datum Romæ etc. die XXII. Jan. MDLXXVI. Pont. Nostri anno quarto.

CXXVI. — Viri delegati ex veteri Januensi nobilitate, qui tunc temporis Finarii adhuc commorabantur, principes omnium Pontifici de compositis civium dissidiis ex animo gratulati, eique acceptum referendum esse, quod sibi in libera patria cum dignitate vivere posthac liceret, professi sunt. Cum vero nondum ipsis satis constaret de Senatus Januensis voluntate, Pontificem exorant, ut alteris litteris eos viros cohortaretur ad novas Reipublicæ leges, auctoritate sua confirmatas, amplectendas. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 216

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Etsi nos latet, quas nobis leges Illustrissimus Cardinalis Moronus cæterique ejus collegæ Principum Ministri imposuerunt, nihil tamen amplius quærendum existimavimus, cum intelleximus eas Sanctitati Vestræ placere; hoc enim unum nos, non modo omni molestia et cura liberat, sed facit etiam, ut ex hoc tempore voluptatem et lætitiam, qua summa tum afficiemur, cum in lucem venient, præcipiamus, nos qui eo semper animo fuimus, ut ne latum quidem (quod ajunt) unguem ab illis, ut se haberent, recedendum esse putaremus. Quid tandem censendum, si præter Reipublicæ libertatem, sine qua vita nobis esset acerba, non pacis modo et concordiæ, sed unius cujusque etiam dignitatis ratio habita est? Certo scimus, hoc nobis nec opinantibus, neque unquam tantum sperare ausis, bona divino consilio, et Sanctitatis Vestræ benignitate contigisse. Quamobrem, quod ad nos attinet, Sanctissime Pater, non patiemur hac in re officium, studium, aut voluntatem desiderari nostram: quin et omnium opinionem antevertere, et expectationem superare parati sumus, ubi vel minimam in iis civibus, qui in urbe restiterunt, sedati, et ad concordiam propensi animi significationem cognoverimus: neque enim Sanctitatem Vestram præterire putamus, quæ dudum Genuæ sint acta: nam cum eo profectus esset Paulus Odiscalcus Episcopus Pennensis, vir gravissimus, et in Senatu Illustrissimorum Ministrorum mandata exposuisset, non eo, quo decuit, Senatus consulto remuneratus est: si quidem senatus censuit, nequaquam admittendas esse leges, quas sapientissimi arbitri pro creandis hac una vice consiliis et magistratibus ferendas esse duxerunt. Quod licet ita se habeat, futurum tamen fore speramus, ut de sententia decedant, si verbis gravioribus (quod jam factum audimus) suam arbitri, suorumque Principum voluntatem declaraverint: id autem facilius fiet, si severioribus litteris Sanctitas Vestra istud ita factum reprehendendum esse existimaverit: quæ si eam, quam merentur, auctoritatem apud illos obtinebunt, nihil erit, quod doleamus; sin minus, veremur etiam atque etiam, ne et simul omnium rerum confusio (quod malum Deus avertat) consequatur. Quodcunque erit, nos, qui fuimus, ii semper erimus, interimque animis beatissimos Sanctitatis Vestræ pedes, quam maxima possumus humilitate deosculamur. Datæ Finarii decimosexto Calendas Martii MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi atque obsequentissimi filii servi
STEPHANUS CICADA – BENEDICTUS SPINOLA – JACOBUS NIGER – NICOLAUS DORIA – PAULUS VIVALDUS – PETRUS BAPTISTA CATANEUS – BAR. LOMILLINUS – JO. BAPT. SPINOLA ET LUCAS GRIMALDUS DEPUTATI NOBILITATIS VETERIS GENUÆ.

Verum enimvero eorum dubitatio plane nullo nitebatur fundamento; nam Januenses eadem ac ipsi animi alacritate jussis Pontificis paruerunt; id quod ipsi nobiles, Finarii commorantes, prope lætitia gestientes Gregorio referunt. [*]

[*] Genua Vol. I. fol. 239.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

« Statim atque nunciatum est, concives nostros, qui in urbe restiterant, Illustrissimorum Ministrorum leges accepisse, tanta in ordinis nostri civibus visa est animorum alacritas, quantam Sanctitas Vestra postremis suis in litteris desiderare videbatur: nam plerique omnes tamquam signo dato ad urbem convolarunt: id quod nosmetipsi tres quatuor post dies sumus imitaturi. Ea etenim est hujus nostri, quo fungimur, muneris ratio atque conditio, ut tametsi tranquillitatis et communis concordiæ tam simus avidi, quam qui maxime, non possimus tamen animi studium et contentionem tam celeri, quam

alii, in patriam reversione declarare. Nostra auctoritas intercedat necesse est in tradendis Reipublicæ reintegratæ oppidis, castellis et arcibus, quæ ditionis nostræ sunt: in quo nulla erit mora statim ac iidem Illustrissimi Principum Ministri faciendum esse imperaverint. Jam quo perfusi simus gaudio, quantum hoc ipsum sit, quod Sanctitati Vestræ acceptum ferimus, insigne Reipublicæ conservatæ beneficium, quantumque eam ob causam eidem gratiam habeamus, quando nedum unius epistolæ brevitate, sed ne justo quidem volumine satis explicari potest, Nicolao Doriæ nostro mandavimus, ut apud Sanctitatem Vestram earum rerum quam præclarissimum testimonium et amplificatæ erga Sedem Apostolicam devotionis nostræ vestigia relinquat, non pressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed ad memoriam fixa hominum sempiternam. Cujus quoque rei testificandæ gratia nosmetipsos animis in præsentiarum ad Sanctitatis Vestræ beatissimos pedes abjicimus, eosque etiam atque etiam deosculamur. Datæ Finarii Nonis Martiis MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Humillimi et obseqũi filii et servi

BENEDICTUS SPINOLA – JACOBUS NIGER – NICOLAUS DORIA – PAULUS VIVALDUS – PETRUS BAPTISTA CATANEUS – JO. BAPT. SPINOLA ET LUCAS GRIMALDUS DEPUTATI NOBILITATIS VETERIS JANUÆ.

CXXVII. — Et tandem XVI. Kal. April. eæ novæ leges plaudentibus atque exultantibus universis civibus promulgatæ fuere.[*] Qua de re Januenses et per litteras et per Legatum cum singulari grati animi significatione Pontificem certiorem reddunt. [*]

[*] Mentione document. N. 79.

[*] Genua Vol. I. fol. 138.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri et Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Non ignoramus pacem et tranquillitatem, quibus nihil est apud mortales amabilius, a Sanctitate Vestra nobis Reipublicæque nostræ restitutam esse. Et quamquam scimus præclarissimos Principes pari studio, industria et amore in his contendisse; attamen, qui pari dignitate et auctoritatis amplitudine, quibus maxime opus erat, libertatem nostram tuendam susceperit, neminem. Quamobrem nulli mirum erit, si quantum Sanctitati Vestræ debeamus nulla ratione consequi poterimus: illud tamen affirmare audemus, omnibus reipsa semper demonstraturos quantum in quamcumque partem enitendum cognuscamus, ut nos gratos, memoresque omnino intelligant, quod pro nostra observantia S. V. jam pridem judicatum et exploratum habere non dubitamus. Interim vero nec possumus, nec debemus Sanctitati Vestræ gratias non agere immortales. Quod licet jam declaravimus tum per litteras, tum per legatum Romæ tunc agentem; mittimus tamen Magnificum Lucam Fornarium, civem legatumque nostrum, ut id ipsum verbis coram exponat. Quare S. V. rogamus, ut eum benigne audiat, eique fidem illam habeat, quam nobis haberet, si adessemus, et beatissimos pedes osculamur. Genua VI. Id. Majas MDLXXVI.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi et obseqũi filii atque servi

DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ GENUENSIS.

Vidit *Jo. Bapt. Pallavicinus.*

Antonius.

Pontifex Legatum, Lucam inquam Fornarium, honorifice excepit; et eidem quædam viva voce Januensibus deferenda cum litteris hisce dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 13. f. 171.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Gratissima vobis fuisse, ut scribitis, nostra in vos officia, summumque studium pacis et tranquillitatis, hoc est rei ab omnibus mortalibus summopere expetendæ, Deo acceptissimæ, vestræ Reipublicæ ad incolumitatem pernecessariæ, etiam sine ullis vestris literis, aut cujusquam hominis confirmatione persuasum habebamus; decet enim optimos cives tali animo esse, talemque amantissimi parentis voluntatem omni charitate amplecti. Quod autem antea certum habebamus, id ex vestris literis, atque ex sermone dilecti filii Lucæ Fornarii Legati vestri, viri prudentissimi, vestrique amantissimi summa cum voluptate recognovimus. Vidimus igitur illum libentissime, vestrisque per eum postulatis, quoad potuimus, satisfecimus. Oramus Divinam bonitatem toto pectore, ut perpetuam vobis tranquillitatem et felicitatem largiatur. Cætera ex Fornario ipso, cujus vobis perspecta est fides, cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDLXXVI. Pont. Nostri anno quinto.

CXXVIII. — Moronum Cardinalem, ob res prospere gestas in reconciliandis Januensium animis, Romam redeuntem amplissimis, atque jamdiu usurpari desitis honoribus Gregorius excepit. En quæ hac occasione Mucantius narrat. [*]

[*] Diarior. Cærem. Vol. II. fol. 343.

« Die Sabbati 14. ejusdem (Aprilis) fuit Consistorium publicum, quod die præcedenti fuerat intimatum per Cursores Cardinalibus pro hora XII. de mandato Sanctissimi pro recipiendo Rmo D. Cardinali Morono Legato ad Urbem redeunte, quamvis fere in desuetudinem abierit, ut Legati sic recipiantur, et male; deseritur enim Majestas Sedis Apostolicæ, cum debitæ ac diu observatæ cæremoniæ negliguntur. Præparato igitur, ornatoque loco solito apud monasterium Divæ Mariæ de Populo, summo mane convenerunt omnes Cardinales illuc, quibus omnibus Legatus obviam ivit usque ad finem scalarum,

post adventum Cardinalium Palatinorum inceperunt equitare more solito, primo Episcopi, deinde Presbyteri, postremo Diaconi Cardinales, et omnes bini, ipse Legatus medius inter duos antiquiores Diaconos ultimo loco. Præcedebant Mazerii cum suis maziis elevatis, bini, sed confuse; in ultimo tamen loco immediate ante Cardinales Episcopos equitabant duo Mazerii duorum Cardinalium Episcoporum digniorum, et medius inter eos Mazerius Legati. Via fuit ordinaria, et dum appropinquassent Castro S. Angeli inceperunt bombardæ magno sonitu reboare ab una parte, et post transitum arcis ab altera, licet in libro Cærimoniali non reperiam annotatum exonerari debere bombardas in tali actu pro Cardinali novo vel Legato, præsertim tempore mœstitiæ, ut erat dies hodierna post Dominicam Passionis, sed ita majoribus placuit. Apud portam palatii Apostolici duo antiquiores Diaconi Cardinales, relicto Legato in medio Cardinalis S. Sixti Presbyteri a sinistris et Cardinalis Vastavillani Diaconi a dexteris, præiverunt ad vestiendum Summum Pontificem. Reliqui Cardinales omnes desilierunt ex mulis in atrio superiori, ubi est cisterna, præter duos primos, videlicet Tridentinum et Farnesium, qui voluerunt equitare per scalas usque ad primum planum, asserentes sic faciendum esse, quod nusquam memini me legisse, licet pluries viderim ita fieri olim per Cardinales Ferrariensem et Vitellium bo. me. Legatus vero medius inter duos proxime dictos Cardinales progressus est in aliud parvius atrium, ubi descendit apud scalas, quæ ducunt ad aulam regiam, simulque cum dictis duobus Cardinalibus pervenit ad cappellam Sixti, ubi facta oratione ante altare sederunt expectantes. In Consistorio autem, quod habitum est in prima aula post aulam paramentorum, ubi fieri solet semper pro Cardinalibus, præstita reverentia Pontifici per omnes Cardinales, duo illi primi Diaconi assistentes, antequam inciperet Advocatus proponere, iverunt ad dictam Cappellam Sixti, aliqui dicebant debuisse illos in eorum loco inter alios parumper sedere, antequam discederent, quod non reperio in Cærimoniali expressum, sed usus sic se habet. Advocatus incepit stans, stantibus etiam cæteris ejus collegis hinc inde. Paulo post venerunt duo Cardinales supradicti, et præstiterunt reverentiam Sanctissimo; interim Advocatus cessavit præstita reverentia per illos, et non prius Cardinales omnes surrexerunt, illos resalutando, qui iverunt ad locum suum inter alios, prosequente Advocato suam propositionem. Mox, aperta janua, præcedentibus ejus familiaribus, Legatus ingressus fuit medius inter duos prædictos Cardinales Diaconos, fecit bis reverentiam profunde inclinando caput et humeros, et alia more solito, cui redeunti a solio omnes Cardinales assurrexerunt, et non prius, factisque invicem congratulationibus Legatus ivit ad locum suum. Advocatus prosequutus est usque ad finem. Tum Legatus rediens ad Pontificem petiit osculum pedis pro suis familiaribus, quod Sanctitas sua concessit, et sic finis impositus Consistorio.

CXXIX. — Non defuere inter Januenses perditi quidam homines, quibus novus rerum ordo incommodus recidit, ideoque illum evertere moliti sunt. Quare et Gregorius Joanni Austriaco gratulatus est, quod a Rege Catholico ad Insubres missus fuisset, ut publicæ tranquillitati conservandæ prospiceret. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 7. f. 107.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Legimus libentissime literas Nobilitatis Tuæ, quas attulit Leopoldus Secretarius tuus, audivimusque ea, quæ exposuit tuo nomine. Gratificati sumus postulatis tuis, quantum quidem potuimus. Istam vero profectionem tuam prosequimur paterna benedictione, quia certum habemus consilia, et rationes tuas omnes ad Catholicæ Ecclesiæ tranquillitatem et dignitatem spectare. Magnopere autem ad hanc causam pertinere judicamus, Genuenses quiescere, rebusque nostra et Maximiliani Imperatoris Electi, Catholicique Regis Philippi auctoritate decretis stare, omnemque motuum materiam (neque enim res illæ, ut vides, ab omni plane metu liberæ sunt) quamprimum extingui. Hoc in tua maxime auctoritate et prudentia situm est, si eos coram monueris et nostro, et Catholici Regis nomine, ne quid audeant novare, ostenderisque id magnopere utrique nostrum curæ esse, eosque a perniciosis inceptis deterrueris. Hoc ut facias, quantum possumus, hortamur, atque etiam si pateris, rogamus. Cætera ex Scopedo ipso cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Junii MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Quod si Januenses turbarum auctores, vel quos suspiciebant, in custodiam conjecerint, valde sibi probari dicit. Verum et prudentissimus et christiana caritate præditus Pontifex eos admonet, ut, si cognita causa illos innocentes esse intelligant, absolvant, ne specie boni publici odia privata exerceantur, quod saluti eorum Reipublicæ haud minus adversaretur. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 98. fol. 241.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Laudamus summopere vestram prudentiam, et patriæ Reipublicæque vestræ tranquillitatis et salutis tuendæ et conservandæ curam in prehendendis, conjiciendisque in custodiam iis, quos adversus eam conspiras-

se suspicabamini. Laudamus autem non tantum illa communi laude, quæ optimis civibus, patriæque amantissimis debetur, cuique studere Catholicus omnes vehementer cupimus, sed nostro quodam proprio vestræ incolumitatis atque amplitudinis desiderio; scitis enim quantopere de vestra salute et dignitate solliciti fuerimus, quantumque pro eo curam et laborem susceperimus, ut non possimus non gravissime commoveri eorum crimine, quos adversus ea, quæ tanto labore sunt constituta, aliquid molitos esse existimemus. Sapienter igitur facietis, si in rei ipsius veritate indaganda et comperienda, inque sontibus, et publicæ salutis, rerumque tantorum Principum auctoritate constitutarum violatoribus puniendis omnem curam et diligentiam adhibueritis. Sed ut boe summopere laudamus, sic contra hortamur ac monemus, ut si illus innocentes esse intelligetis, eos absolvatis, caveatisque, ne privata odia suscitentur atque exerceantur. Hoc enim vestræ Reipublicæ tranquillitati, cujus vos studiosissimos esse scimus, æque adversarium esset, atque ipsum illorum crimen. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXXX. — Antequam spectatissimus pietate Dux Joannes Austriacus Neapoli Insubriam versus solveret, exeunte Februario sanctam Beatissimæ Mariæ Virginis Lauretanam Domum ex voto invisit. Haud quidem sine summa animi voluptate legi possunt, quæ Tursellinus e Societate Jesu de præclara tanti viri erga Sanctissimam Deiparam pietate in admirationem posterorum elegantissime refert. [*]

[*] Aed. Laureta histor. lib. IV cap. 34. p. 261.

« Nec illa tempestate Aedes Lauretana populorum spectaculis, quam procerum præsentia celebrior extitit. Joannes Austriacus vir Carolo Quinto Imperatore patre dignissimus, nec paterna gloria, quam sua virtute clarior, eodem ipso anno Lauretum voti causa aliquando perrexit. In quinquennio ante adversus Turcas navali prœlio dimicaturus Lauretanæ Virgini voverat, si superstes ipse partæ de Barbaris victoriæ foret, Lauretum utique ad eam iturum. Cæterum voti compotem publica negotia alia ex aliis morata erant, quominus ante id tempus posset fidem exsolvere. Itaque cum Neapolim victrici classe tenuisset, non horror sævientis hyemis, non publicæ privatæque negotiorum curæ, non procerum populorumque preces flectere eum potuerunt, ut ne summa hyeme, itineribus glacie ac nive obsitis, fluminibus passim turgentibus, Lauretum ad Beatam Virginem iter intenderet. Et horrida tempestas insigniorem pietatem optimi Principis fecit. Recinetensem portum equo prætergressus, ut procul Aedem Lauretanam conspexit, venerabundus caput aperuit, ac Deiparam Virginem salutavit. Inde velut alienato a sui cura ad cœlestis Reginæ venerationem animo, nunquam neque imbris, neque cæli inclementia perpelli potuit, ut semel apertum operiret caput: adeo se caputque suum Beatæ Virgini devoverat, cujus præsidio se incolomem credebat esse. Postquam ad sacram Aedem pervenit, totius anteactæ vitæ noxis confessione expiatis, grates B. Mariæ ingentes agit: protinus vota persoluta satis magnæ pecuniæ cumulat dono. Comites insuper et voce et exemplo ad parem pietatis laudem accendit. Voti pietatisque munere perfunctus Neapolim regreditur, ingens Lauretanæ Virginis desiderium secum ferens.

CXXXI. — Gregorius hoc quoqoe anno ardentissimo sacri belli contra Turcas instaurandi desiderio tenebatur, quare et Maximiliano Cæsari idem cogitanti animum addit, ut præclarum suum consilium Magnum Muscorum Ducem atque Persarum Regem ad hujus belli societatem vocandi perficiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 72. f. 222.

Charissimo in Christo Filio Nostro Maximiliano Hongariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorum Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis venerabilis fratris nostri Moroni Cardinalis Legati sæpius cognovimus id, quod certissimum habebamus, summa scilicet voluntate atque animo esse Majestatem Tuam de fœdere adversus Turcam jungendo, deque Moschorum Principe, et Persarum Rege ad belli societatem vocando. Quoniam autem eorum potissimom opera indigemus, quos ad hanc rem maxime idoneos esse arbitramur, gratissimum Nos Tuæ Majestati facere existimamus in hac etiam cogitatione suscipienda. Versatur apud Nos jamdiu Prior Angliæ, vir magna nobilitate, prudentia, rerum usu, cujus etiam fidem hoc ipso negotio vehementer probarunt inclytæ memoriæ Ferdinandus pater tuus, et Catholicus Rex Philippus; cum quidem de hac ipsa conjunctione et fœdere prudentissime cogitassent, extant eorum literæ. Voluimus hunc proponere Tuæ Majestati; id quod etiam fecimus Regi Catholico. Sed quia omnis mora Nobis gravissima est, et tardius forte, quam volumus, responsum ex Hispania afferetur, possetque interim Majestas Tua aliquem alium legare, opportunum esse duximus hunc Priorem, quem etiam hujus gloriosissimi incepti cupidissimum esse cognovimus, paratissimumque omnem in eo operam, et laborem suum ponere, interea ad Tuam Majestatem ire, deque re ipsa agere, dum responsum ex Hispania expectatur, quod quidem minime dubitandum est, quin sit futurum nostro, tuoque optimo desiderio congruentissimum. Quoniam autem ex ipso Priore omnia, quæ ad hoc negotium pertinent,

planius fusiusque cognoscet Majestas Tua, cupimus ut omnem ei fidem tribuas, eumque quam commendatissimum habeas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Octobris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXXXII. — Itaque summopere laudat Lusitaniæ Regem, quod Turcas ex Fessano Africæ regno expellendos statuerit: eique petitum subsidium, ita dictum ecclesiasticum, ad id bellum libentissime concedit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 28 f. 161

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Laudamus summopere prudentissimum consilium Majestatis Tuæ in providendis malis, quæ a Turca tam vicino imminent rebus Christianorum, imque curando, ne pestis tam certa, tamque exitiosa latius grassetur, sed quamprimum arceatur comprimaturque. In quo et tua pietate, et majorum tuorum laude dignum facis. Illi enim non solum hostes Christi a Christianorum finibus repulerunt, sed ipsos etiam fines virtute atque armis latissime propagarunt; estque hoc unum summum Catholicorum Regum, ac Principum omnium munus, felicesque habendi sunt non tum, cum res humanæ illis prospere atque ad voluntatem fluunt, sed cum quidquid potentiæ ac virium a Deo acceperunt, id omne ad ejusdem Dei cultum amplificandum conferunt. Itaque libentissime concessimus subsidium id, quod postulabas, quod etiam planius ex literis Oratoris tui, atque ex aliis nostris literis, quæ super hoc subsidio expedientur, planius cognosces. Perge modo, ut facis, toto pectore in istam causam incumbere; sic enim et Deus ipse aderit tuis optimis conatibus, et Nos paratissimos habebis ad hoc ipsum subsidium, quamdiu quidem Dei gloriam et publicam utilitatem postulare intelligemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Augusti MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

CXXXIII. — Cum et juvenis ille Rex ad bellum illud proficisci, et copiis non modo præesse, (*) sed et in acie adesse militibus vellet, ne regnum eo absente detrimenti aliquid caperet, Gregorius eidem suasit, ut patrui sui Henrici Cardinalis Infantis Portugalliæ et Archiepiscopi Eborensis prudentia et opera in regni administratione uteretur. (*)

(*) Santiesa document. N. 60.

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann V ep. 92. f. 310.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cardinalem patruum tuum ad te venisse, atque una fuisse, lætati eramus; sic enim sperabamus, te illum accersisse, ut apud te retineres, amantissimisque ejus consiliis ac fidelissima opera utereris. Suadebat id tum propinquitas ipsa, tum excellens ejus prudentia et pietas eximia, tum perpetuus et singularis in te amor, quibus etiam de causis illum Tuæ Majestati in ista Regni administratione, ut antea fuerat, sic nunc utilissimum fore judicabamus. Postquam autem accepimus, illum ad Ecclesiam rediisse, voluimus nostrum de eo revocando et retinendo iis de causis, quas breviter commemoravimus, consilium Majestati Tuæ indicare. Neque enim minus apud te operam navabit Deo, quam faciat in sua Ecclesia. Itaque mandamus ei, ut si eum revocaveris, ne cunctetur venire. Et quamquam id facturus est suo incommodo, tam affecta scilicet ætate, tamque infirma, ut accepimus, valetudine; tamen speramus, illum Nobis Tuæque Majestati obsequendi studium suis omnibus rationibus longe antepositurum, iis præsertim in rebus, quas ad Dei gloriam atque ad publicum istius Regni bonum pertinere intelliget. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

Cardinalem quoque ipsum, qui in perlustranda diœcesi tunc versabatur, monet, ut si a Rege accersitus fuerit, votis ejus satisfaciat; et pro certo habeat, se non minus apud Regem, quam apud suam diœcesim Ecclesiæ profuturum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 93. f. 310.

Dilecto Filio Nostro Roderico Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali, Infanti Portugalliæ Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quod in tua Ecclesia sis, vehementer probamus; novimus enim, quantopere doctrina, vitæ exemplo, auctoritate, opera Christi ovibus istic prodesse possis. Sed videtur ei operi anteponenda ea, quæ ad ejusdem Christi gloriam universo Portugalliæ Regno præbetur. Eam autem posse præbere te, si apud Regem fueris, judicamus. Itaque ei consulimus, ut te revocet, tuaque prudentia et perpetua charitate in ipsius Regni administratione uti perseveret. Si revocaverit, volumus, ut statim proficiscaris, cæteraque omnia omittas: ea enim leviora existimamus præ iis, in quibus potest tua prudentia atque opera magno cum ipsius Regni bono et Dei laude versari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Decembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno quinto.

I. — Rudolphus Cæsar exeunte mense Februario Oratores suos ad Pontificem misit, qui ex more nomine suo Summo Pontifici atque ipsi Sanctæ Romanæ Sedi solitam ac debitam obedientiam profiterentur. Ne vero putes id speciem quamdam vanæ urbanitatis potius fuisse, quam germani debitique obsequii, iisdem Oratoribus hoc dedit negotii, ut nonnulla, quæ ad suam in Romanorum Imperatorem electionem pertinerent, Pontifici exponant. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35 fol. 35.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime.

Post officiosam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum.

« Mittimus ad Sanctitatem Vestram venerabilem nostrum et Imperii Sacri devotum dilectum Philippum Flaccum a Schwartzenburg, Militiæ ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani supremum Magistrum, et honorabilem, doctum, nostrum et Imperii fidelem dilectum Joannem Tœnnerum a Truppach juris utriusque Doctorem, Consiliarium nostrum aulicum, ut Sanctitatem V. nostro nomine venerentur, ac nonnulla, quæ ad nostram in Romanorum Regem, et Imperatorem Electionem pertinent, Sanctitati Vestræ reverenter exponant. Quare Sanctitatem Vestram obnixe rogamus, ut eosdem Oratores nostros benigne audire, illisque eam ipsam fidem, quam nobis præsentibus adhibitura esset, præstare velit. Nos vicissim Sanctitati Vestræ, Sanctæque Sedi Apostolicæ, quod a nobis expectari merito potest, lubenti animo exolvemus, pro fide, pace atque unitate Ecclesiæ omnia, quæ Christianum decent Principem, constanter procuraturi. Quod reliquum est, Sanctitatem Vestram eidem Ecclesiæ per annos plurimos incolumem felicissimamque præesse ex animo optamus. Datum in Arce nostra Regia Praga die 24. mensis Februarii anno Domini 1577. Regnorum nostrorum Romani secundo, Hungarici quinto, Bohemici itidem secundo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

Rudolphus.

Oratores Rudolphi pridie Kal. Maji sollemniori pompa Urbem ingressi sunt. Quamdiu autem Romæ commorati, a Cardinali Madrutio Episcopo Tridentino magnifice et opipare excepti hospitio fuere.

II. — His vero non ante vi. Idus Julii, aliis gravibus negotiis expeditis, sacer Patrum Cardalium Senatus publice datus est. Et sacrum Consistorium ingressi, ubi Pontifici Imperatoris nomine obedientiam præstiterunt, electionis diploma (instrumentum appellant) Rudolphi in Romanorum Imperatorem et ab Imperii Ordinibus subscriptum proferunt, precanturque, ut eidem Pontificia accedat auctoritas. Gregorius quidem jam Kalendis Juliis id effecerat hoc diplomate, quod ex ipso autographo exscriptum exhibemus. [*]

[*] Armar. II. caps. 1 n. 2.

« Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Romanorum, ac Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri salutem et Apostolicam benedictionem. Cum vices illius, qui regnat in cœlis, et per

quem Reges in terris dominantur, et Principes imperant, Apostolicæ Sedis specula, meritis licet imparibus, sola ejus miseratione et gratia freti sustineamus, muneris nostri partes esse intelligimus, quæ communi utilitatis, salutis et præsidii causa comparata noscuntur, atque ad S. R. Imperii statum et amplitudinem præcipue pertinent, judicii et auctoritatis nostræ munimine roborare. Proinde cum piæ mem. Maximilianus Romanorum Rex in Imperatorem electus genitor tuus, haud multo antequam e vita decederet, sentiens breve sibi vitæ spatium superesse, quod variis corporis morbis assidue et periculose affligeretur, cernensque Sacri Romani Imperii, et totius Christianæ Reipublicæ res magno in discrimine versari propter infestam omnibus et perpetuo imminentem Turcarum tyrannidem, atque ob varia utique de Religione ac aliis rebus exorta et aucta dissidia, et ingentes ex omni parte insurgentes afflictiones et calamitates, publicæ saluti optime consultum fore judicasset, si de adjutore et successore idoneo sibi quamprimum provideretur, atque hanc ob causam se Ratisbonam contulisset, et convocatis illuc Imperii Principibus, cum eis egisset, ut Majestatem Tuam ejus Filium Primogenitum in Romanorum Regem eligerent, in cujus singulari virtute et animi magnitudine, quæ ad tutandam Rempublicam opus essent, expectari merito deberent: iidem Principes consilium hujusmodi salutare sequuti statuta die ibidem convenientes, Te, qui Hungariæ et Bohemiæ Rex eras, unanimi consensu divina favente clementia in Romanorum Regem futurum Imperatorem solemniter elegerunt, Tuque electionis hujusmodi oblato tibi de more decreto, qua decuit humilitate consensisti, ac deinde solito per Te in manibus Ven. fratris nostri Archiepiscopi Moguntini præstito juramento, aliisque solemnibus rite peractis, in eadem civitate argenteam illam coronam, qua Carolus cognomento Magnus in civitate Aquisgranensi coronatus fuisse dicitur, de manibus ejusdem Archiepiscopi more et pompa solita recepisti. Quoniam vero electionis coronationisque negotium hujusmodi nuper per dilectos filios Philippum Flaccum, Priorem Prioratus Germaniæ, Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani, et Joannem Tœnner U. J. D. eximios viros omnes tuos speciales coram Nobis proponi fecisti, petens omnia præmissa per Nos Apostolica auctoritate confirmari, cæremoniis servari solitis in iis debite observatis; Nos de præmissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, et re cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus diligenter perpensa, et mature considerata, ingenti in primis gaudio de eadem electione affecti, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, gloriosissimæque ejus Genitricis Mariæ, ac Beator. Apost. Petri et Pauli, necnon ejusdem Romanæ Ecclesiæ et Sacri Imperii exaltationem electionem de persona Majestatis Tuæ in Regem Romanorum, futurumque Imperatorem, et coronationem in dicta civitate Ratisbonensi factas, ob prestantissimas animi et corporis tui dotes, luculentissimaque earum indicia et testimonia, ac certissimam spem, quam de Te in Sanctæ Fidei et Religionis Catholicæ ac nostræ et Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum et bonorum defensionem, propagationem conceptam habemus, Te eorumdem fratrum nostrorum et unanimi assensu auctoritate Apostolica, et ex certa nostra scientia et de Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, omnesque et singulos juris et facti defectus, qui aut ratione formæ vel loci coronationis ejusdem, aut personarum electorum eorumdem, seu etiam ex eo, quod idem Maximilianus electus Imperator de manu Romani Pontificis auream coronam non susceperit, seu quavis alia ratione vel causa in hujusmodi electione et coronatione quovis modo forsan intervenerint, supplemus, Teque sic electum et confirmatum ad suscipiendum Imperialis dignitatis culmen suis loco et tempore dignum et idoneum etiam decernimus, et declaramus, non obstantibus præmissis et quibusvis aliis forsan concessis. Quibus etsi ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, et expressa individua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua forma observanda esset, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat auctoritate, scientia, potentia et tenore præmissis specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, suppletionis, decreti, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Kal. Julii. Pontificatus Nostri anno sexto.

✠ Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus Subs.

(L. S.)

Joannes Card. Moronus Eps. Ostiensis.
Ego Jac. Card. Sabellus.
Ego Jo. Ant. Card. S. Gregorii.
Ego Alois. Card. Camerinus.
Ego Ant. Card. Granvellanus.
Ego J. Franc. Card. de Gambara.
Ego Pt. Card. Comensis.

P. Card. Santacrucius.
Zach. Card. Delphinus.
Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Fla. Card. Ursinus.
Ego Benedictus Card. Lomellinus.
Ego Hul. Card. Sirletus.
Ego F. Michael Card. Alexandrinus.
Lud. Card. Madrutius.
Ego Franciscus Card. Alciatus.
Ego Marcus Ant. Cardin. Maffeus.
Ego Nicolaus Card. de Pellevé.
Jul. Ant. Sanctorius Card. S. Severinæ.
P. Card. Carsius.
C. Card. Rambouilletus.
F. A. Card. Theanensis.
F. Felix Card. de Montealto.
Vinc. Card. Justinianus.
Ego Jo. Hier. Card. Albanus.
Ego Ph. Boncompagnus Card. S. Sixti.
Ego Greg. Card. de Monte.
Ego Fer. Card. de Medicis.
Ego Ant. Card. Carafa.
Ego Ph. Card. Vastavillanus.

Caes. Glorierus.

Gregorius porro officiosissimis litteris Cæsarem de re in Consistorio peracta confestim certiorem fecit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 47. f. 302.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Admisimus, ut par erat, honorifice libentissimeque dilectos filios Philippum Flaccum et Joannem Tonnerium, quos Majestas Tua ad Nos misit Oratores cum literis et mandatis, qui cum exposuissent ea, quæ pertinebant ad electionem de Tua Majestate factam Ratisbonæ ad Regnum Romanorum, ejus etiam electionis decretum authenticum Nobis præsentarunt, postularuntque tuis verbis, ut ea ageremus, quæ a Sede Apostolica erga Romanorum Reges electos agi consueverunt. Consideravimus diligentissime decretum ipsum, summamque rationem adhibendam duximus eximiæ pietatis tuæ, meritorumque erga Sanctam Religionem: itaque convocato Consistorio nostro secreto, in eo de venerabilium fratrum nostrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consensu, et approbatione electionem illam, et coronationem in Regem Romanorum Imperatorem futurum, ut ab aliis Romanis Pontificibus erga alios ad idem Regnum electos factum reperimus, confirmavimus, nostraque atque Apostolica auctoritate omnes defectus, qui in ea intervenissent, supplevimus, quæ omnia fusius cognosces ex aliis nostris literis a Nobis ipsis, atque ab eisdem venerabilibus fratribus nostris subscriptis, et expeditis, quas ad Nuncium nostrum, qui apud Majestatem Tuam est, mittemus, et eas præsentet Majestati Tuæ. Multis etiam aliis de rebus nobiscum locuti sunt iidem Oratores, satisfecimus in iis, in quibus hoc tempore potuimus, postulatis tuis. Cæterum magnam semper voluntatis desideriique tui omnibus in rebus, ut par est, rationem habebimus. Omnia ex eisdem Oratoribus planius cognosces, quos etiam multum amamus propter integritatem, prudentiam, atque tuis in rebus fidem et diligentiam singularem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXI. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

III. — Rudolphus haudquaquam Pontificis spem fefellit. Quem enim se publice, ut narravimus, postridie ab sui patris obitu prædicaverat Ecclesiæ futurum defensorem, eum se præstitit. Itaque decreto IX. Kal. Julii sancito Protestantium concionatores, in his Martinum illum Opitium, cupidum turbarum hominem, Vindobona egredi jussit. Naetus hanc occasionem Gregorius Cæsarem admonuit, ut hæreticos concionatores, qui ex pluribus Belgii et Germaniæ regionibus Aquisgranum confugerant, ex ea urbe, quæ usque eo hæreseos labe expers fuisset, expellendos curaret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 66. f. 309.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Catholicam Religionem Aquisgrani fœdissime lacerari, inque ea civitate monstra Augustanæ confessionis Sacramentarios, Calvinistas, Anabaptistas, cæterorumque hæreticorum, qui ex Belgis aliisque locis confluxerunt, luem libere impuneque bacchari, conciones, conventicula, scholas ab iis passim haberi, dolendum lugendumque est; Tuæ vero Majestati ista ipsa, quam habes a Deo ad ipsius gloriam tuendam propagandamque, auctoritate et potestate non dolendum modo, sed præterea providendum, ne tam gravis ejus nomini fiat injuria, et animarum Christi sanguine redemptorum strages. Habes domesticum exemplum clarissimæ memoriæ Ferdinandi Avi tui. Is enim in eadem ipsa civitate eorumdem Christi hostium audaciam et conatum facile extinxit, perque eos Principes, quorum tum opera usus fuit, effecit, ut Senatus polliceretur, perpetuo se in antiqua et Catholica Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide mansurum, neque passurum, ut quisquam minus Catholicus in Senatu esset, aut ullam Reipublicæ curam gereret, nisi Catholicam fidem et verbis ipsis et rebus profiteretur, idque perpetuo servatum fuit: vix autem triennium est, cum sanctissimum decretum violatum fuit, publicaque munera ad omnes a Catholica Religione aversos delata. Hæc liberius ad Maje-

atatem Tuam perscribimus, non quo non summam spem in tua præstanti pietate habeamus, sed cogit Nos zelus Christi et studium gloriæ tuæ, quam his præclaris factis in dies magis ac magis amplificari cupimus. Cætera ex Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Augusti MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Ab Jacobo Rabo, quo Albertus Bavarorum Dux a sacris concionibus utebatur, Pontifex cognoverat, Catholicos Ulmenses valde ab hæreticis suis civibus oppugnari atque vexari: quam ob rem Cæsarem adit obsecratque, ut nefarias horum hæreticorum machinationes reprimat et Catholicos tueatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 61 f. 376.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Tanta est Domini Dei nostri benignitas, ut nullum sit malum tam grave, unde ipse non soleat multa, maximaque bona elicere. Quid enim hæreticis pestilentius? de quibus verissime dicitur, vinci ab iis Judæos ingratitudine, dæmones incredulitate; hoc tamen ipse tam ingenti, tamque pestifero malo exercet Deus piorum tum fidem, tum charitatem. Utrumque licet cernere in Catholicis Ulmensibus, qui quo gravius ab hac peste oppugnantur, eo arctius Catholicam fidem, quam in baptismo professi sunt, amplectuntur, neque cessant cogitare, quibus potissimum rationibus queant imbecilliores gravissimo periculo liberare, quique abducti jam sunt, eos Christo restituere. Sic enim significarunt Nobis per dilectum filium Jacobum Rabum Sacræ Theologiæ Doctorem, Bavariæque Ducis Alberti Concionatorem et Consiliarium, esse in ea civitate adempta orthodoxis omnibus sacra omnia, conciones, baptismum, sacrosanctum Altaris sacrificium; duo etiam templa, quæ ad syncerum Dei cultum supererant, jussu Maximiliani patris tui, Ferdinandi avi, Caroli proavi ab eadem peste occlusa teneri, gravioraque in dies expectari. Summam autem spem habere se in tua præstanti pietate; proinde Nos orare, ut hoc negocium Tuæ Majestati per literas, perque eumdem Jacobum commendare velimus. Dici non potest, quantopere Nos moverit tam pia postulatio, tamque gravis Christi gregis calamitas, ejusdemque Christi gloriæ jactura. Atque utinam, ut his literis ad Tuam Majestatem dandis illorum postulationi satisfacimus, ita etiam possemus vita ipsa tantum exitum ab illorum cervicibus, atque a Christi Ecclesia redimere. Te quoque pari studio et voluntate esse persuasum habemus. Quid autem sine tumultu, maximoque cum fructu effici possit, ex eodem ipso Jacobo cognosces, cujus optimam voluntatem, paratissimamque operam satis laudare non possumus. Nam cum habeat eadem ipsa in civitate Ludovicum patrem hæresiarcham, horum omnium malorum stirpem et semen; tamen nihil antiquius habet summo optimoque parente Deo, pro quo cupit etiam sanguinem profundere, eoque perversissimi patris furorem extinguere, Catholicosque cives suos, quos agnoscit in Christo fratres, gravissimo incendio liberare. Hunc igitur commendamus, quantum possumus, Majestati Tuæ, rogamusque, ut eum libenter audias: eumque rem omnem ex ipso cognoveris, tanto studio atque opera in Christi causam amplectaris, quantum Nobis, bonisque omnibus pollicetur tua virtus et pietas spectatissima. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vigesima quarta Augusti MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

IV. — Archidux Austriæ Carolus in religione promovenda haud Cæsari cedebat. Cura ejus præcipua erat in Seminariis et scholis erigendis, quo juventus tum laica tum ecclesiastica in veræ fidei dogmatibus imbueretur. Religio enim catholica in suis regionibus adeo prostrata et perculsa jacebat, ut vix umbra quædam superesse videretur: cujus rei in causa erat exiguus aptiorum sacerdotum numerus. Cum autem is oppressus magnis sumptibus in bellum faciendis contra Turcas, quos præ foribus haberet, in Seminario, quod Græcii instituerat et Patribus Societatis Jesu committere decreverat, de suo alere juvenes non posset, per Oratorem suum, Episcopum Tergestinum, etiam atque etiam Gregorium rogat, ut sua liberalitate annuo censu illud Seminarium foveat et juvet. [*]

[*] Germania Vol. 78 fol. 91.

Beatissime in Christo Pater, Domine mihi Colendissime.

« Post obsequiorum meorum humilem commendationem, filialis meæ erga Sanctitatem V. et hanc Sedem Apostolicam observantiæ perpetuum incrementum. Quemadmodum boni Pastoris officium, sollicitudo, vigilantia, charitas ac pius animarum zelus postulant, ita Sanctitas Vestra non minore encomio ac merito suo, quam meo, et omnium adeo Catholicorum communi gaudio et applausu diligenter ac sedulo cogitat, inquirit et agit ea, quibus calamitosa hac tempestate nostra succrescentes ubique hæreses exstirpari, abusus et scandala tolli, cultus item divinus, et salus animarum, sicut cætera omnia, quæ spectant ad publicam Ecclesiæ totius utilitatem, accuratissime promoveri possint. Unde mihi vehementer (et merito quidem) gaudeo, Ecclesiæ Catholicæ nec minus congratulor, quin et summas ago gratias Omnipotenti Deo, qui hoc tristissimo tempore ad resartiendas Ecclesiæ suæ Sponsæ immaculatæ partes labefactatas ac collapsas, talem dedit Pastorem ac Pon-

tificem, qui pro suarum ovium incolumitate ac bona conservatione nec ullis laboribus aut sumptibus parcet, nec quicquam, ut apparet, prætermittit, vel intentatum relinquit. Nam ut de multis aliis sane præclaris ac saluberrimis mediis et adminiculis, quibus Sanctitas Vestra toto tempore Pontificatus sui prædictum finem urget ac sedulo promovet, taceam, illud profecto divinum et afflictissimis horum temporum rebus maxime necessarium est consilium, quo Sanctitas Vestra juxta piam Concilii Tridentini sententiam, non in Urbe tantum, sed aliis etiam et pluribus in locis (præsertim septentrionalibus, ubi major quoque quam alibi necessitas apparet) Seminaria pie constituit, auget et sustinet. Quod sane remedium ac consilium, cum sit unicum et præcipuum, et in his Provinciis meis sic prostrata jaceat Catholica religio et pietas christiana, ut illius vix umbra aliqua superesse videatur. Quare Sanctitati Vestræ humillime supplico, ut pro sua paterna ac Pastorali benignitate, sicut Viennæ et Pragæ facit, sic etiam in Seminario meo, quod interveniente authoritate Sanctitatis Vestræ in hac Græcensi Metropoli mea constituere, atque Patribus Societatis Jesu (cujus et Collegium jam erexi) committere decrevi, dignetur certum numerum alumnorum fovere, quo deinceps citius et plures, ac magis idoneos Ecclesiæ ministros habere possim. Siquidem (proh dolor) res eo devenit, ut in omnibus meis Provinciis paucissimi Ecclesiasticorum virorum reperiantur, qui collapsam religionem saltem utcumque juvare ac sustentare possint.

« Ordinarii enim procul hinc absunt, et nunquam has partes visitant, nec idoneos habent Vicarios, qui non solum Ecclesiæ male præsunt, sed pluribus etiam ac majoribus, quam cæteri, scandalis et abusibus incommodant et obsunt; adeo ut nisi mediante Seminario huic malo grassanti quanto citius succurratur, de religione nostra Catholica in his partibus jam penitus actum sit. Unde cum ego ipse ob continuos et immensos sumptus, quibus adversus Turcam, communem Reipublicæ Christianæ hostem, (quem præ foribus habeo) pro defensione harum Provinciarum plus satis undique gravor, et quasi opprimor, huic necessitati in fovendo certum aliquem numerum alumnorum (nisi aliunde subveniatur) satisfacere nequeam; Sanctitatem Vestram iterum atque iterum demisse rogo, ut pro sua pietate idipsum supplere, atque sic Ecclesiam Dei et nos juvare, ac in Domino consolari dignetur, ut tanto uberior merces sibi in coelis, et hic in terris æterna memoria constituatur. His tandem Sanctitati Vestræ obedientiam filialem, et plenos devotionis affectus iterum deferens, meque quam humillime commendans. Datæ in Metropoli mea Graz vigesima octava die Aprilis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

E. S. V.

Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ
DuxBurgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

V. — Idem præterea per eundem Episcopum inter cætera illud a Gregorio petiit, subsidium ecclesiasticum concederet ad Croatiæ confinia, Turcarum incursionibus maxime obnoxia, munienda. Pontifex libenter admodum Ducis votis satisfecit: pro communi defensione contra Turcas quadraginta aureorum millia dedit, simulque admonuit, ut loca apta munitionibus deligerentur, opusque diligenter perficeretur. Sexcentena vero aurea assignavit in sumptus annuos pro certo juvenum ab ipso Carolo nominatorum numero alendo in Græcensi Seminario. Hæc habes in litteris Cardinalis Comensis. [*]

Carolo Archiduci Austriæ.
Serenissime Princeps.

« Revertitur istuc Episcopus Tergestinus, ex quo Celsitudo Vestra facile intelliget, quantam Sanctissimi Domini Nostri in rebus ad eam pertinentibus animi propensionem, ac benignitatem cognoverit, quid in me studii atque officii. Etenim Sanctitas Sua cognitis, quæ is exposuit de præsenti statu istarum ditionum, de periculis a Turcarum Tyranno imminentibus, de consilio nonnulla loca muniendi inito, pro paterna erga ipsam, populosque ejus, et communem defensionem voluntate statuit, ei omnino ad id auxilium ferre, quamquam hoc non sine incommodo factura sit Sanctitas Sua ob maximas impensas et onera, quibus undique premitur. Dabit autem Sanctitas ejus quadraginta aureorum millia in quatuor æquas portiones divisa, primam scilicet in fine mensis Septembris proxime futuri, secundam in Nativitatis Dominicæ, tertiam in Paschatis Resurrectionis, ultimam in Sanctorum Petri et Pauli sequentibus festivitatibus; ita ut unius anni circulo integram summam Celsitudo Vestra sit habitura. Optat autem Sanctitas Sua diligenter a Celsitudine Vestra curari, ut loca apta munitioni deligantur, et opus exacte perficiatur. De Seminario quoque Sanctitas ejus Celsitudinis Vestræ desideriis ac postulatis annuit, constituitque quinquaginta aureos in singulos menses dare, ex quibus tot alantur adolescentes, qui a Celsitudine Vestra nominati fuerint, atque bonæ spei et indolis sint, et tali loco digni. Sicut fusius ex ipso Episcopo cognoscet Celsitudo Vestra, cui, quod reliquum est, perpetuam incolumitatem ac felicitatem opto, meque ejus gratiæ ac benevolentiæ ex animo commendo. Romæ die 29. Junii 1577.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

Eadem scribit Pontifex, qui se pro Ecclesiæ

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28 epist. 166.

amplitudine paratum profitetur sanguinem fundere; se ampliorem collaturum summam nisi nummaria difficultate valde premeretur, affirmat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 19 f. 347.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Nobilitatis Tuæ datis duodecima Martii, atque ex sermone venerabilis fratris Nicolai Episcopi Tergestensis cognovimus, quo in statu sint res tuæ, quantoque in discrimine, quamque propinquo a Turcis exitio versentur ea loca, de quibus scribis. Dolemus et illorum populorum vicem, et nostram tenuitatem: Nos enim libentissime pro Catholicorum salute, et Sacrosanctæ Ecclesiæ amplitudine vitam ipsam profunderemus; nunc autem magna in difficultate nummaria sumus, gravissimisque undique oneribus premimur. Decrevimus tamen in his nostris angustiis quantum quidem poterimus conferre, atque istis necessitatibus subvenire: utinam autem tantum possemus, quantum certe cupimus. Omnia planius ex Tergestensi cognosces. Quod scribis in alteris literis de Seminario Græcensi, laudamus in eo summopere studium tuum, eximia tua pietate dignissimum; nec quidquam est, quod tantopere cupiamus, inque eo, ut ipse sapienter scribis, Dei gloriam, et Catholicæ Religionis incolumitatem, atque amplitudinem magna ex parte versari intelligimus; in hoc quoque conferemus ad eum adolescentium numerum alendum, quem ex eodem ipso Tergestensi, atque ex Nuncio nostro, qui apud Rodulphum Imperatorem Electum moratur, cognosces, iis fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die sexta Julii MDLXXVII. Pontific. Nostri anno sexto.

VI. — Haud quidem sine vehementioribus animi motibus legi possunt litteræ Archiducis Caroli, quibus de acceptis a Gregorio beneficiis gratias agit; ejusque monitis non modo aures libenter præbere, sed et ad eorum rationem se omnia facturum promittit. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 98.

Beatissime in Christo Pater, Domine mihi Colendissime.

« Post ufficiosissimam, humillimamque mei commendationem, filialis observantiæ perpetuum incrementum. Paterne procul dubio meminerit Sanctitas Vestra, quibus urgentibus de causis ego superioribus mensibus Consiliarium meum Nicolaum Episcopum Tergestinum ad Sanctitatem Vestram ablegarim. Cum itaque is, peracto munere legationis suæ, proximis diebus elapsis denuo ex Urbe ad me redierit, mihique in exordio suæ relationis benevolum ac paternum Sanctitatis Vestræ animum, qua me measque has miseras et afflictissimas provincias prosequitur, ad longum exposuisset, deque sua Pontificia liberalitate et munificentia, qua circa oblationem quadraginta millium coronatorum pro fortificandis confiniis modo usa est, sigillatim narrasset, tanta sane animi lætitia perfusus sum, ut dici vel explicari vix queat. Videor enim ex hoc una cum his meis desolatissimis provinciis quodammodo respirasse, atque in tantis angustiis animum resumpsisse, ut similia auxilia a cæteris quoque Principibus Christianis et propinquis petenda, atque tanto facilius impetranda fore non dubitem. Et quoniam liberalitas hæc talis et tanta est, ut ad defendendam Christianorum religionem, ad fidem Catholicam ampliandam, ad Dei Evangelium conservandum, ad Mahometis Idolatriam extirpandam tendat, facile utique perspicio, quantum Sanctitati Vestræ debeam, sed unde persolvere possim, non intelligo; quippe qui non verbis, sed factis reddendas esse gratias non ignorem. Quod itaque non opis est nostræ, hoc reddat Sanctitati Vestræ omnipotens Deus, verus retributor bonorum. Atqui si facultas se obtulerit, cognoscet me tanti beneficii accepti immemorem aut ingratum non fuisse. Et ne Sanctitas Vestra hac in parte spe sua frustretur, vel ullam de me sinistram suspicionem habere queat, omnibus viribus enitar, ut subsidium hoc Pontificium oblatum non solum ad opus publicum contra infideles, modo petito fideliter et integraliter, sed et taliter quantocitius applicetur, ut Sedes ista Apostolica etiam in posterum liberalius subveniendi occasionem habeat. Faxit modo omnipotens Deus, ut reliqui Principes Christiani imminentia pericula æque perpendant, et suis subsidiis pro viribus in tempore ita succurrant, ut non solum hæc desolatissima loca pacatiora reddantur, et Mahometæa superstitio tota Europa pellatur, verum etiam Christiana signa in Asiam traducantur, Hierusalem Dei Sacrarium recuperetur, Jesu nomen, fidesque Catholica, sanctumque Evangelium in ea loca restituatur, amen. Quod tandem Sanctitas Vestra fundationem Collegii mei Græzensis nuper erecti tam paterne confirmarit, et monasterium in Studeniz ad Seminarium applicarit, nec non pro alendo certo numero studiosorum sexingentos coronatos annuos tam pio affectu deputarit; pro his omnibus eidem quoque ago gratias quantas possum maximas, sentiens me propterea Sanctitati Vestræ æque plurimum obligatum. Admonitionibus porro et exhortationibus illis paternis, mihi per præfatum Episcopum Tergestinum nomine Sanctitatis Vestræ oretenus factis, aures non solum præbui submissas et attentas, sed etiam juxta earum seriem omnes nervos eo intendam, ut illis, mediante gratia Dei, pro posse debita et filialis obedientia præstetur; ita sane, ut me verum ac obsequentissimum Sanctæ Matris Ecclesiæ filium, ac strenuum ipsius defensorem

esse, omnibus liquido constare possit. Postremo Sanctitatem Vestram enixe deprecans, ut de cætero me, measque miseras provincias solito paterno affectu, imo minus quam hactenus, benigne prosequi, fovere ac protegere dignetur. Quam tandem cum his benevalere, et ad Nestoris annos vivere, nec non ad optata felicibus incrementis, ductore Christo, provehi ex corde precor. Datæ in Civitate mea Graz, XXIII. Augusti, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
Carolus Dei gratia Archidux Austriæ,
Dux Burgundiæ etc. Comes Tyrolis etc.
Carolus.

VII. — Tergestinos ille Episcopus, sacrorum retinentissimus vir, Archiduci Carolo auctor erat Ecclesiæ negotia juxta sacros canones componendi. Cujus rei documento sunt ejus litteræ, quibus Pontifici refert, quæ jussu ejusdem ad disciplinam monasticam instaurandam apud Moniales Aquilejenses egerat. (*)

(*) Germania Vol. 43. fol. 9.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Gregorio XIII. Divina Providentia S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Dño meo Colendissimo.

Beatissime Pater.

« Accepi superiori anno debita cum reverentia rescriptum Sanctitatis Vestræ, quo mihi inquisitio super electione Abbatissæ Aquilejensis, ac visitatio et reformatio ejus monasterii benignissime committebatur, cum aliis Apostolicis litteris ad Serenissimum Austriæ Archiducem Carolum, quas confestim ad eum misi. Moxque ab eo responsum accepi, ut in exequendis mandatis Beatitudinis Vestræ, si sæcularis potestatis auxilio indigerem, Gradiscanum Præfectum requirerem, qui suo mandato mihi præsto esset futurus, quique se promptissimum et paratissimum exhibuit. Sed quia eo et sequenti tempore obrepsit in has partes vis pestis, necessitate coactus in aliud tempus executionem Sanctitatis Vestræ rescripti distuli. Quamprimum autem mihi eundi facta est potestas, ad monasterium ipsum me contuli, et electionem Abbatissæ, quæ non servata sacri Concilii Tridentini forma facta erat, irritam pronunciavi, aliamque juxta dicti Concilii decreta et S. V. mentem eligi curavi: electa autem fuit Salustia de Anhano, nullum habens legitimum impedimentum, de cujus honestate, religione, ac sufficentia fide dignum testimonium hisce inclusum Sanctitati Vestræ transmitto, ut ipsa authoritatem in eo suam interponat, ac benedictione Apostolica confirmandam mandet. Facta autem electione, debita diligentia visitationi incumbens multa emendatione digna in dicto monasterio inveni, quibus scriptis nonnullis constitutionibus necessario providendum judicavi, quas Sanctitatis Vestræ nomine et authoritate mihi hac in parte concessa iisdem Monialibus omnino servandas sub censoris Ecclesiasticis mandavi. Verum quia aeris intemperies in deserto loco clausuram non patitur perpetuam, et ratio cogendorum redituum homines ad tractanda cum Monialibus negocia necessario admittit, existimavi hoc temperamento opus esse, ut quod necessitate cogente, insertum hoc privilegium commutandi locum Monialibus ab Alexandro felicis recordationis Papa III. et aliis Summis Pontificibus fuerat concessum, abrogari in vim sacri Concilii non debeat, nisi aliter Sanctitati Vestræ videatur, vitæ manifesto periculo in clausura remanentibus imminente; reliquo tamen tempore perpetuæ clausuræ Moniales addixi. Et quia ab Ordinarii potestate Apostolica Sedes hoc monasterium multiplici privilegio et pontificia authoritate exemit, delegatus Apostolicus Visitator necessario erit (ut arbitror) constituendus, qui Ordinarii muneri satisfaciat, et scandalis salutari visitatione occurrat, beneficia et plebanias, quæ curam habent animarum adnexam, et ad monasterii jus pertinent, visitet, et quatenus opus sit, reformet, ac redituum rationem exquirat: cui muneri tum angustia temporis, tum quod mihi expresse commissum non erat, satisfacere non potui. In reliquis omnibus, concilia, canones, et regularia Ordinis instituta servanda decrevi. Ipsæ vero Moniales non gravate reformari monasterii abusus passæ sunt. De his omnibus Beatitudinem Vestram submisse certiorem facere volui, ut sciat commissi mihi muneris me fuisse pro tenuitate mea fidelem ac obedientem executorem. Deum omnipotentem precor, ut eandem Sanctitatem Vestram ad Ecclesiæ suæ sanctæ incrementum, pacem et tranquillitatem quam diutissime incolumem felicissimamque tueri et conservare dignetur, cui me cum humili beatissimorum pedum osculo quam devotissime commendo. Tergesto die 15. mensis Martii anno Domini 1577.

Beatitudinis Vestræ

Devotissimus servus
Nicolaus Episcopus Tergesti.

VIII. — Carolo quoque fratri par erat pietate alter Austriæ Archidux Ferdinandus, qui adeo, nihil magis in votis habuit, quam ut filium Andream, juvenem vixdum decimum septimum ætatis annum agentem, quem, ut jam superiori anno diximus, in sacrum Patrum Cardinalium Collegium Gregorius cooptaverat, Romam mitteret, ut sub Pontificis oculis sacras doctrinas perciperet. En Ferdinandi litteras, quibus filium Gregorio commendat. (*)

(*) Germania Vol. 88. fol. 90.

Beatissime in Christo Pater et Domine Dño Colendissime.

« Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Posteaquam Deo no-

nuente Reverendissimus ac Illustrissimus Dñus Cardinalis Austriacus filius meus charissimus eos vitæ cursus cepit, qui illum ad summam laudem deducere possunt, profecto nihil antiquius habui, quam ut rebus suis comparatis illum ad Sanctitatis Vestræ clementiam Romam mitterem; plane enim æquum esse existimavi, ut ipse aliquando præsens gratiarum actionem non vulgarem et perpetuam meam erga eandem observantiam declararet. Quapropter omni pietate et reverentia Sanctitatem Vestram obsecro, ut præfatum Reverendissimum Dominum Cardinalem adhuc adolescentem magno animo istuc proficiscentem clementissime accipiat, illumque solita sua benignitate ac paterno plane amore complectatur. Ego vero vicissim non mediocriter in eam curam et cogitationem incumbam, ut Sanctitas Vestra animum meum gratum sit cognitura: eidem me omni cum filiali observantia quam humillime commendans. Datum Oeniponti prima die Aprilis anno Domini 1577.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius
FERDINANDUS.

Jam diem xx. circiter mensis Aprilis Andreas ad Urbem pervenit, quem Pontifex summo honore excepit, eique in publico Consistorio vi. Kal. Maj. rubrum galerum imposuit. Placet heic inserere, quæ Mucantius de sollemni hujus Cardinalis ingressu in Urbem narrat, ex quibus quantus fuerit aulæ Pontificiæ id temporis splendor et dignitas cognosci potest. (*)

(*) Diarior. Cærem. Vol. II. f. 400.

« His diebus nunciatum fuit de adventu novi Cardinalis Andreæ Austriaci, Maximiliani Imperatoris proxime defuncti ex fratre nepotis, cumque Pontifex statuisset recipere eum in Consistorium die 25. hujus mensis, feria quinta, ac postea consideraret eo die esse festum S. Marci, anceps fuit, quo die fieri posset, cum juxta stilum nostri temporis non soleant haberi Consistorium publicum nisi feria tertia aut quinta vel Sabbato; tandem intellecto a nobis, quod quacumque die non feriata fieri posset, et alias sæpe factum fuisse, decrevit feria 6. proxime ventura dictum Cardinalem recipiendum esse in Consistorium publicum. Dubitatum etiam fuit de vestibus ejusdem Cardinalis, cum esset lugubris ob mortem dicti Imperatoris ejus patrui, et tandem per nos colloquio inter primores Cardinales, qui inter se aliquantulum discrepabant, Sanctissimus D. N. statuit secundum opinionem nostram, illum debere uti veste interiore, hoc est subtana ac stragula, et ornamentis mulæ coloris rubei, saltem ipsa die accessus ad Consistorium publicum, quæ pro ipso esset hilaris et festiva.

« Die 25. April. in festo S. Marci ingressus fuit Urbem præfatus Cardinalis novus, indutus mantello brevi et caputio laneis coloris violacei, habens in capite pileum nigrum sericeum, per Portam Flaminiam. Quamplurimi Curiales, Nobiles et Barones illi obviam iverunt, non tamen familiæ Cardinalium universæ, sed mixtim et prout cuique libuit, absque verborum præfatione aut congratulatione nomine suorum Cardinalium, quia ipsimet Cardinales die sequenti accessuri erant, ut dicetur mox. Inter alios obviam ei iverunt Illñus D. Jacobus Boncompagnus, Dux de Olica Lithuanus, Honoratus Cajetanus, Orator Hispaniæ. Exierunt etiam ei obviam aliquot Cardinales ejus intrinseci, seu propinqui, videlicet Madrutius, Jesualdus, Granvelanus, Medices; alii autem tres, videlicet Tridentinus, Farnesius, Varmiensis expectaverunt eundem in atrio Conventus beatæ Mariæ de Populo, sed contra et præter bonas regulas. Prima hora noctis, comitante præfato Illño D. Jacobo Boncompagno, curru ad palatium vectus, secreto ad Pontificem accessit, cui pedem et manum deosculatus fuit, et ab eo ad os assumptus in privato et interiore cubiculo Suæ Sanctitatis, nemine præsente præter dictum Jacobum, ac paulo post secessit ad mansiones sibi in palatio Apostolico præparatas, idest ad aulas Innocentii Papæ VIII., ubi cœna facta pernoctavit.

« Die 26. Aprilis feria 6. summo mane dictus Cardinalis curru pervenit ad Ecclesiam beatæ Mariæ de Populo, quo ego paulo ante perveneram, ubi Missam planam audivit ex quodam loco secreto in alto respiciente latus Epistolæ altaris majoris dictæ Ecclesiæ; et idcirco nec librum Evangeliorum osculatus fuit, nec pax ei data ob loci incommoditatem et distantiam. Audita Missa secessit in quasdam cameras conventus dictæ Ecclesiæ, ubi deposita veste lugubri accepit rubeam: mantellum autem cum caputio nobis fuit traditum juxta antiquam consuetudinem. Deinde sumpta cappa violacea venit ad locum præparatum, ubi Cardinales coadunari solent, qui pridie fuerat a Floreriis Palatii ornatus pannis auleis. Paulo post inceperunt venire Cardinales, quos singulos, prout veniebant, recepit eos usque ad scalarum descensum cum solitis cæremoniis et verbis congratulatoriis. Postquam advenerunt Cardinales Palatini, inceperunt equitare in claustro inferiori, et singulatim unus post alium exire in plateam, firmantes se a sinistro latere parietis dicti conventus. Equitarunt primo Valisarii Cardinalium, tum familiares Cardinalis novi, mox nonnulli Barones et Proceres, et post eos Mazerii Cardinalium cum maziis argenteis elatis, et Mazerius Cardinalis novi equitavit ultimus inter duos medius digniores. Via fuit recta ante Ecclesiam S. Rochi usque ad Scrofam volvendo ibi a dextris versus viam carcerum Turris Nonæ, quamquam multi currus, qui se interponebant inter equitantes nonnihil ordinem interruperunt et retardarunt, quod providendum esset in similibus

casibus, ne occurreret. Venerunt etiam milites Helvetii de custodia Sanctissimi, quod est præter solitum, sed fortasse ita Papa voluit, et huic Cardinali ex genere Principum et Imperatorum aliquid plus honoris impertiretur, quod non est propterea in exemplom trahendum. Adfuerunt etiam multi tympanistæ continuo per viam tympana, quos tamburoa vocant, pulsantes, et transacto Castro S. Angeli magnus bombardarum fragor auditus, et iterum in area S. Petri multæ bombardæ per Helvetios exoneratæ fuerunt. Ipse Cardinalis novus prodibat medius inter duos antiquiores Diaconos ultimo loco, solito more galerum nigrum cum floccis in capite gerens. Prope plateam sancti Petri duo Diaconi Cardinales prædicti, relicto Cardinali oovo in medio aliorum duorum Diaconorum, præiveruut ad palatium ad parandum Pontificem. Ingressi palatium Cardinales omnes iverunt ad aulam, obi Papa paratur, exceptis duobus ultimis habentibus in corum medio Cardinalem novum, qui per aliam viam diverterunt ad cappellam Sixti, ubi facta oratione super tribus pulvinis, sederunt a latere, ubi solent esse Episcopi et Presbyteri Cardinales, medium inter se novum Cardinalem adhuc habentes. Et quia non fuerat tempus osteodendi formam juramenti dicto novo Cardinali, obtuli ei librum, ut eam interim provideret. Cantores tunc inceperunt eorum more decantare quædam motecta. Interim venit ad eamdem capellam Cardinalis Carafius Diaconus, quia Cardinalis de Moote primus Diaconus per viam aliam pervenerat ad Consistorium, et simul cum Cardinali de Medicis assistebant Pontifici, et tunc Cardinalis S. Sixti relicto Carafio in ejus loco venit ad Consistoriom, quod habitum est in tertia aula. Papa, præstita obedientia seu reverentia per Cardinales, deposuit mitram pretiosam, et assumpsit levem, et sedentibus omnibus, D. Horatius Burghesius Advocatus Consistorialis incepit proponere causam. Duo vero prædicti Diaconi Cardinales assistentes, relicto Pootifice, iverunt ad locum suum inter alios Cardinales, et paulo post facta Papæ reverentia diverterunt ad cappellam Sixti, ubi facta prius oratione ante altare salutarunt Cardinalem novum, et alios duos cum eodem stantes, eumdemque inter se medium assumpserunt, duobus aliis prædictis, Carafio videlicet et Vastavillano, discedentibus versus Consistorium ad præstandam Papæ reverentiam, modicoque intervallo interposito prædicti duo primi Diacooi Cardinalem novum inter se medium ad Consistorium deduxerunt. Qui primam reverentiam feceruut intra quadraturam sedilium, secundam vero ante gradus solii, deinde ascendentes gradus eundem Cardinalem novum ante Pontificem addaxerunt, ubi ille genu flexo osculatus fuit pedem, inde manum Pontificis, et ab eodem sublatus ad osculum oris, cui Papa dixit, ad multos annos. Quo facto discedentes a Pontifice, factisque eidem debitis reverentiis deduxerunt eundem ad osculum Cardinalium, incipiendo a Decano singulatim usque ad ultimum, pro quo actu præibat primus Diaconus, sequebatur novus Cardinalis et post eum secundus Diaconus. Ipsi Diacoui ductores, postquam novus Cardinalis osculatus fuit ultimum Cardinalem Presbyterum, stantes in locis suis eundem Cardinalem novum ad osculum receperunt, qui mox deosculatis aliis duobus Diaconis, qui remanebant, locatus fuit per nos post ultimum Cardinalem Diaconum. Tunc omnibus sedentibus, Advocatus præfatus prosequutus fuit causam, et post pauculum more surrexerunt omnes Cardinales, ac bini procedentes, factis prios reverentiis Pontifici, venerunt ad cappellam Sixti, exceptis duobus antiquioribus Diaconis, qui remanserunt apud Pontificem; novus Cardinalis ibat medius inter alios duos Diaconos prædictis proximos ultimo loco. Tunc Cantores in porta Consistorii inceperuot cantare: Te Deum laudamus etc. Cardinales antiqui postquam ingressi sunt cappellam, facta altari reverentia locarunt se hinc inde lateribus altaris, videlicet Episcopi et Presbyteri a cornu Evangelii, Diacoui a cornu Epistolæ conjugentes se quasi per semicirculum Presbyteris; Decanus vero videlicet Cardinalis Moronus, finito Te Deum, ivit ad cornu Epistolæ, interim Cardinali novo ante altare prostrato super pulvino, cucullo cappæ super ejus capita reducto: et hic modus locandi Cardinales in cappella prædicta pro hujusmodi actu fuit usitatus, ita affirmante Illmo Card. Farnesio semper se vidisse, licet Ludovicus collega diversum censeret, cujus memoriæ non multum fidebam. Card. Decanus stabat in prædicto loco, finito hymno Te Deum etc. Cantores dixerunt versiculos et orationem consuetam, respondentibus Cantoribus, qui ibi prope a tergo aderant; deinde Cardinalis novus surgens legit ex libro super altare juramentum solitum altiori voce, qua potuit. Reclamarunt aliqui Cardinales, præsertim Alexandrinus, quod in forma juramenti deessent verba a Pio V. ejus patruo ordinata, videlicet promissionis de non alienando, neque infeudaodo terras Ecclesiæ, quod ego ignorabam, cum tempore dicti Pontificis adhuc in officio non essem, nec Ludovicus collega, qui librum juramentorum attulit, advertit, erit in futurum præcavendum. His peractis, Cardinales antiqui et novus eodem ordine redierunt ad Consistorium, et unusquisque accessit ad loca sua; novus vero remansit solus ante gradus solii, ubi facta Papæ reverentia ascendit ad ejus pedes, et genu flexo super scabello Sedis Pontificiæ, et cucullo cappæ super ejus caput per nos reducto, sic mansit, donec Papa legit verba consueta ex libro

in traditione pilei, quem librum tenebant Prælati assistentes, et dum Pontifex legit dicta verba, imposuit capiti ejus galerum purpureum: quo facto Cardinalis novus discooperto capite osculatus est manum Papæ tantum, Pontifex vero ambabus manibus apprehendeus ejus faciem, illum osculatus est. Tunc novus Cardinalis surgens et stans ad Papæ sinistram petiit ab eo osculum pedis pro suis familiaribus, qui illuc venerant in magno numero, et fere omnes cum torquibus aureis magni valoris. Et notandum, quod non legitur in Cæremoniali familiares Cardinalium novorum ad Urbem venientium osculari pedem Papæ, sicut legitur de Principibus et Oratoribus. Et sic finito Consistorio, Papa recessit ad se exuendum ad aulam proximam, paucis subsequentibus Cardinalibus et sine ordine.

» Die 29. Aprilis feria 2. fuit Consistorium, in quo clausum fuit os novo Cardinali. Nos autem Magistri Cæremoniarum non introivimus cum libro, sed, ut puto, Pontifex memoriter verba consueta in clausura oris Cardinalium protulit, quæ in libro Cæremoniali habentur.

IX. — Gregorius Ferdinando refert de Cardinalitiis insignibus, quibus Andream filium summa omnium lætitia, maximaque de ejus virtute et ingenio spe ornaverat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 210 f. 321.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas Nobilitatis Tuæ Andreas Austriæ filius tuus, non minus Nobis dilectus in Christo, quam Nobilitati Tuæ natura conjunctus et charus. Ornavimus eum hesterno die in publico nostro Consistorio galero rubro, amplexatique sumus magna venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, astantiumque omnium lætitia, spemque maximam habemus, præclare illum et nostræ expectationi, et tuo optimo desiderio responsurum; tanta in eo apparet indoles ingenii et virtutis. Quod cum Nobis commendes, nihil est; nullum enim unquam deerit ei a Nobis amantissimi parentis officium, huncque amorem debere Nos profitemur tuæ eximiæ pietati, inque omni virtute præstantiæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Aprilis MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Andreas vero universorum plausibus et expectationi Pontificis cumulate respondit; namque Cardinalitiæ probitatis et gravitatis specimen in Urbe amplissimum edidit, pietatem, modestiam, humanitatem, comitatem, prudentiam, regiamque plane animi magnitudinem præ se ferens. Biennio Romæ exacto ad suos rediit. Comitatum Tirolensem juste prudenterque administravit, et gravissimis postea tum Ecclesiæ tum Reipublicæ muneribus maxima cum laude perfunctus est.

X. — Gregorius ut sibi Cæsarem summo quodam amoris et observantiæ testimonio arctius obligaret, atque studiosiorem in Ecclesia tuenda augendaque faceret, ejus fratrem Albertum Austriacum, juvenem vix XXII. ætatis annum agentem, IV. Nonas Martias Diaconum Cardinalem creavit, eidemque eo tempore in Aula Matritensi degenti biretum rubrum uno cum pileo Cardinalitio, ut Regi Catholico, qui hoc postulaverat, gratificaretur, per Cubicularium secretum misit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 200. f. 311.

Dilecto Filio Nostro Alberto S. R. E. Diacono Cardinali Austriæ Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissimis summorum Principum testimoniis Nobis confirmatum est de tua præstanti pietate, optimaque in Ecclesiastico ordine Deo inserviendi voluntate, congruentique huic voluntati Dei cultu: quo nomine te unice amamus. Voluimus autem nostram paternam erga te voluntatem testificari tribuenda amplissima dignitate, quam etiam Tuæ Nobilitati ac virtuti magnopere convenire judicabamus, teque eo honore afficere, quem quidem in Ecclesia maximum tribuere poteramus. Itaque creavimus te superioribus diebus in Consistorio nostro secreto Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, idque summo venerabilium fratrum nostrorum Cardinalium consensu. Quid autem postulet hoc tam illustre Catholicæ Ecclesiæ Cardinis nomen, quantum esse oporteat eum, qui illud pro rei ipsius dignitate sustinere velit, quibus officiis tum Christo hujus ipsius Ecclesiæ sponso, tum Nobis, qui nullo nostro merito ejus vicem gerimus, conjunctum esse, quanto studio contendere, ut tanto munere satisfaciat, intelligere te non dubitamus: omni autem opera et conatu nostræ ac bonorum omnium expectationi responsurum speramus, quam quidem ad rem assiduam cœlestis gratiæ opem tibi a Domino Deo Nostro precamur. Interim mittimus tibi biretum rubrum, amplissimæ hujus dignitatis insigne, per dilectum filium Comitem Annibalem Pepulum Cubicularium nostrum secretum. Et quamquam optaremus, ut ad Nos venires, teque præsentem libentissime amplecteremur, tibique rubrum pileum, ut mos est, in nostro publico Consistorio imponeremus: tamen voluimus charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Catholici postulationi satisfacere. Mittimus igitur hoc quoque alterum Cardinalatus insigne per eundem ipsum Annibalem, atque una scribimus ad venerabilem fratrem Nicolaum Episcopum Patavinum, nostrum et Sedis Apostolicæ apud Regem Nuncium, ut, celebrata prius solemni missa in aliquo

templo insigni, consuetum et debitum juramentum, cujus etiam formam ad eum misimus, a te recipiat, pileumque ipsum nostra auctoritate capiti tuo imponat, publicumque ipsius juramenti instrumentum ad Nos mitti curet. Quæ autem tecum loquetur nostris verbis Annibal noster, super his omnem ei fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die undecima Martii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eadem occasione annulo quoque Cardinalitio eumdem ornavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 303. f. 312.

Dilecto Filio Nostro Alberto S. R. E. Diacono Cardinali Austriæ Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ad biretum et pileum rubrum, quem per dilectum filium Comitem Annibalem Pepulum Cubicularium nostrum secretum mittimus, addendum etiam esse duximus annulum, quo solemus donare eos, quos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales creavimus. In quo ut nostram paternam in te charitatem potes agnoscere, sic tu ea, qua decet filium, obedientia, observantia, fide, officio, studio nostram atque hujus Sanctæ Sedis dignitatem, ubi opus fuerit, tueberis. Id te facturum esse non dubitamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Martii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Ex singulari etiam privilegio Albertus, minoribus nondum Ecclesiæ ordinibus insignitus, presbyterialem titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem obtinuit. Qui cum valeret ingenio, facile ad summa quæque tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ munia pervenit.

XI. — Episcopus Olomucensis in Moravia, eximiæ fortitudinis vir, adeo a Protestantibus vexabatur, ut parum abfuerit, quin tota civitas in eum commoveretur; propterea quod ad liberum Confessionis Augustanæ exercitium Olomucii concedendum nullis precibus, nullis minis adduci potuit. Cum insuper incommodis non levioris momenti ab ipsis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis afficeretur, Pontificem obsecratus, ut se a tot ærumnis liberaret: sibi quidem quando in eo loco nulli usui Ecclesiæ esse posset, Episcopatum abdicare destinatum animo esse. (*)

(*) Germania Vol. 63. fol. 8.

Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Gregorio XIII. S. R. et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater post oscula pedum beatorum salutem ad annos multos precor, obedientiæque meæ studia offero.

« De statu Episcopatus mei existimo S. V. ex aliorum literis cognovisse; tamen officii mei esse putavi de eodem quoque ad S. V. perscribere, et quid mihi contigerit breviter exponere.

« Primo præcipuæ civitatis in Moravia, quæ Olomucium vocatur, cives ad me venerunt, ut eis Augustanam in tota civitate permitterem Confessionem: respondi breviter, me facere hoc non posse, nec etiam velle, et potius me sanguinem meum concessurum, antequam hoc permitterem. Quo audito animi efferatæ plebis ad tumultum spectare videbantur: sed diligentia et mea et D. Subcamerarii fuit temeritas ita compressa populi, ut se movere non auderet amplius.

« Imperatore Maximiliano defuncto, habita fuerunt comicia, ubi proposiiti erant multi articuli de rebus provinciæ, inter quos unus erat de Religione, ita ut quilibet crederet sicuti placeret ei; cujus articuli confirmationem per legatos petierunt. Ego cum audirem hunc articulum, statim in frequentia omnium Baronum et Nobilium, qui in comiciis erant, dixi me ad articulos de rebus provinciæ consentisse, ad articulum vero de Religione ab eis factum nullo modo consentire. Nam si consentirem, facerem contra conscientiam meam, contra juramentum præstitum, contra observantiam erga Sedem Apostolicam. Addidi hæc verba, hoc fieri non posse, ut ego, qui a Sede Apostolica unius sanctæ Catholicæ Religionis in Moraviam missus sum pastor, consentiam ad eorum perniciosas doctrinas. Quam protestationem et sequenti die coram Capitaneo provinciæ repetii, et quia eumdem articulum ab aliis articulis non sejunxerunt, apponere sigillum meum nolui; secunda vice per tabellarium, quem Legati Praga ad Capitaneum miserunt, ut apponerem rogatus, respondi me omnino, etiamsi in me tota Moravia rueret, non appositurum. Qua in re optime se D. Subcamerarius gessit, declarans se verum Catholicum, ita ut multorum animos in se concitaret. Ego odia totius fere provinciæ propter hoc factum meum sustineo, paucos ex meis habens, qui me juvent: Reverendissimus D. Nuncius S. V. me summo studio juvat, D. Cancellarius Regni Bohemiæ quoque; at in Moravia, exceptis tribus vel quatuor, nemo. Et ideo ad Imperatorem veniens, dixi hæc verba, exponens primo, quid Olomucii, quidve in comiciis Brunæ actum sit, et quam acerba multorum odia et apertas inimicitias sustineam. Jam tuum, Serenissime Imperator, est, me et Subcamerarium contra exacerbatos animos, contra inimicorum potentiam et multitudinem, contra efferatæ plebis temeritatem defendere et tueri, omnesque turbulentos motus comprimere. Me inimicorum meorum tela nihil movent, nec insidiæ, si quas struunt, me perturbant: perturbat me afflicta et calamitosa Reipublicæ Christianæ ratio, affligit diuturnus squalor et luctus matris nostræ, quæ nos Christo peperit, Ecclesiæ. Video crebras lachrimas ejus matris Ecclesiæ, quæ filiorum suorum interitum deflet; vulnera cruenta eidem ab adversariis inflicta si sanari sanguine meo possent, sanguinem meum ei libenter concederem,

quem alias naturæ debeo. Mater est, o Imperator, Majestatis Vestræ, quæ Majestatem Vestram Christo peperit; illa affligitur, illa cruciatur, opem implorat et auxilium petit, ferre potest quia amat, amat, quia matrem cognoscit. Hæc et similia verba loquebar ei, ad quæ S. Majestas respondit: quod Augustanam Confessionem non permiseris, bene fecisti; quod ad articulum de Religione factum non consensisti, bene fecisti: defendemus te et Ecclesiam, si quid videris fieri non permittas.

« In Capitulo meo quies esse propter unum hominem Paulum Zainyczkowsky Polonum non potest: is erga me non solum ipsemet se erigit, sed etiam alios Canonicos concitat, et de eorum erga Episcopum observantia sua temeritate et præsumptione multum diminuit, ita ut jam parum me curare videantur. Is idem concitavit erga me Abbates, quod eos detulerim ad S. V. quasi essent hæretici: Abbates iterum nova odia apud Barones et Nobiles fecerunt. Literas meas contemnit, mandata spernit, et se aliud in Capitulo caput Canonicorum dicit: si amotus non fuerit, pacem in Capitulo non expecto, sed semper lites et discordias, quæ perniciem Ecclesiæ adferunt, et scandalum populo: et si tempestive prospectum non fuerit, cogito S. V. petere, ut me ab hoc Episcopatus onere liberet, quia in his tumultibus nullum fructum ex laboribus meis posset percipere Ecclesia. His S. V. benevalere et feliciter exopto, me et Ecclesiam Olomucensem commendo et obedientiam debitam offero. Datæ Pragæ 12. Februarii anno Domini 1577.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Sacellanus

Joannes Episcopus Olomucensis.

XII. — Propterea Gregorius Scholasticum Olomucensem, qui præcipuus turbarum et dissidiorum inter Canonicos auctor ferebatur, per Cardinalem Comensem comiter graviterque monitum voluit, ut abjecto partium studio in concordiam cum Episcopo rediret, in ejusque potestate esset, ita ut pax Capitulo restitueretur. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 28. ep. 180.

Paulo Zaioxizki Olomucensi Scholastico.

« Admodum Reverende Domine. Quo tempore literæ tuæ die XXVIII. Martii scriptæ ad me perlatæ sunt, quibus me de statu rerum tuarum certiorem fecisti, eodem fere Sanctissimus Dominus Noster me ad te scribere ipsius nomine jusserat. Nam cum sæpe jam Sanctitati Suæ significatum fuerit, magnas istic in vestro Capitulo obortas esse controversias et rixas, ex quibus non parvum impedimentum affertur Episcopo in executione earum rerum, quæ ad ipsius officium pertinent, magnaque præbetur occasio hæreticis hominibus detrahendi personis ecclesiasticis, et laicos decipiendi, divinus præterea cultus imminuitur, et pax, quæ vigere maxime inter ecclesiasticos debet, concutitur et labefactatur; valde id Sanctitati Suæ molestum accidit, quæ pro paterno erga tam nobilem Ecclesiam animo suo cuperet eam optimo in statu esse, resque ipsius et Capituli vera et firma consensione quam maxime stabiles et florentes. Sed et illud auxit Sanctitatis Suæ molestiam, quod affirmatum fuit, te horum dissidiorum concitatorem et fautorem in primis esse, et Episcopo non eam, quam decet, reverentiam et obedientiam exhibere. Quare Sanctitas Sua te serio monitum voluit, ut ab hujusmodi molestiis et contentionibus omnino abstineas, et erga Prælatum tuum ita te geras, ut ei solatio et auxilio sis, non oneri et impedimento, memineris que non te ei, sed eum tibi Dei voluntate fuisse præpositum; nec licere cuiquam in superiores quoscumque, multo minus ecclesiasticos convitiis et maledictis uti, sed eos omni honore observandos et colendos esse; et si qua disceptatio de Decanatu, vel quacunque alia de re incidat, eam, si componi non possit, saltim via juris de æquo et bono terminari debere. Hæc sunt, quæ Sanctitas Sua scribi ad te voluit. Ego vero quo te plus diligo, eo vehementius cupio, ut hanc Sanctitatis Suæ admonitionem in optimam partem accipias, ostendasque re ipsa, et declares, tanti apud te eam fuisse ponderis, quanti esse debet. Hoc enim valde profuerit non modo ad prohibendum, ne quid sinistræ de te opinionis in animo Sanctitatis Suæ resideat, sed ad pristinam etiam ejus gratiam conservandam tibi et augendam. In quo ipse meas interponam partes, et eo libentius pro tuo honore et commodo laborabo, quo te magis obsequentem probe isti Prælato esse intelligam, quem memini ita a te laudari, dum in Urbe eras, solitum fuisse, ut valde miratus sim, quicquam ejusmodi accidisse, quod animum tuum alienare ab eo potuerit. Vale in Domino. Romæ die primo Junii 1577.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

Tandem curante et adnitente Apostolico apud Cæsarem Nuntio dissensiones illæ Episcopum inter et Canonicos compositæ fuerunt. Pontifex igitur per eundem Cardinalem Episcopo restitutam pacem gratulatur; ejusque postulatis respondet, in cæteris quidem ei libenter commodare posse et velle; in collatione vero Canonicatuum ad Sedem Apostolicam spectantium, quia hoc idem pluribus petentibus denegaverat, nullo modo posse. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28. ep. 186.

Episcopo Olomucensi.

« Reverendissime Domine. Scripserat Dominus Episcopus Torcellanus Nuncius Apostolicus, quæ eo præsente et adnitente curata fuerant constituendæ pacis et concordiæ causa in Capitulo tuo Olomucensi, negotiumque tandem ad optatum finem, Zaiaskoviskio loco cedente, fuisse perductum. Hæc eadem postea tuis lite-

ris die xix. Augusti datis confirmari Sanctissimus Dominus Noster cognovit, et cum tua, tum Ecclesiæ ipsius causa lætatus est. Optat autem Sanctitas Sua hanc Dei gratia et beneficio partam tibi et Capitulo tuo quietem quam maxime diuturnam esse, persuasumque habet te in ea conservanda omnem operam, studium ac diligentiam esse positurum. Petitam abs te facultatem promovendi ad sacros ordines extra tempora pro Ecclesiæ tuæ necessitate Sanctitas Sua impertita est, et Breve cum his transmittitur. Annuit quoque Sanctitas ejus de dispensatione pro Stanislao Porolorosky, ut Scholasteriam a te collatam una cum Præpositura Brunensi possit retinere; sed oportebit amicum ejus aliquem hic conficiendæ necessariæ litterarum expeditionis curam habere. De collatione Canonicatuum ad Sedem Apostolicam spectantium Sanctitas Sua tibi assentiri non potuit, quia aliis quam plurimis huc idem petentibus denegavit, quoniam non debet Sancta hæc Sedes hoc suo jure privari; curæ tamen nobis erit, ne Canonicatus Ecclesiæ tuæ ejusmodi conferantur hominibus, qui Capituli pacem turbare possint. Quod superest, Amplitudinem tuam feliciter valere opto, meque ei ex animo commendo. Romæ die vigesima sexta Octobris MDLXXVII.

Ptolomæus Card. Novocomensis.

XIII. — Resignatione Salentini Archiepiscopi electi Coloniensis rata habita, Gregorius eumdem hortatur, ut sedulam navet operam in successore sibi sufficiendo, qui Ecclesiæ Catholicæ valde sit addictus. Cum autem successorem dandi penes hujus Metropolitanæ sedis Canonicos jus esset; si salvis ejus Ecclesiæ juribus fieri possit, curet, ut Ernestus ex Bavariæ Ducibus atque Ecclesiarum Frisingensis et Hildesiensis Administrator ad illam sedem provehatur. Quod ut rite atque ex dignitate conficeretur, Bartholomæeum a Portia et Gropperum Coloniam mittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 151. f. 282.

Venerabili Fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Legimus literas Fraternitatis Tuæ datas xxix. Novembris; ex iis cognovimus, magnopere laborare te de dilecto filio Ernesto successore habendo; cujus dignitas Nobis, ut scis, summopere cordi est, quo etiam nomine fuerunt Nobis gratiores tuæ literæ. Itaque mandavimus confici atque expediri diploma id, de quo scribis, misimusque illud una cum aliis nostris literis ad Bartholomæum Porciam Nuncium nostrum, quem etiam ad Fraternitatem Tuam venire jussimus. Cum venerit (id autem faciet brevi) omnia fusius ex eo cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xii. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

En ejus litteræ ad Gropperum, ut hac in re Bartholomæo fidem habeat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 160. f. 287.

Dilecto Filio Gaspari Gropperio Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Quia omnis Nobis pollicetur insignis pietas tua, voluimus has ad te literas dare dilecto filio Bartholomæo Porciæ nostro et Sedis Apostolicæ Nuntio, ac postulare, ut in iis rebus, de quibus ille tecum communicabit, tuum quoque consilium atque operam adhibeas; eam enim non mediocriter profuturam certo scimus. Ipsi autem Nuntio omnem fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xii. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Eadem consilia cum Cæsare communicat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 151. f. 283.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex quo tempore venerabilis frater Salentinus Archiepiscopus Coloniensis decrevit Ecclesiam deponere, summa semper solicitudine fuimus de successore; multum enim tum ad Dei gloriam, tum ad animarum salutem interesse videbamus, qualis nobilissimæ illi Ecclesiæ pastor præficeretur, multumque Sathanam ejusque Ministros contra molituros intelligebamus; nihil autem perniciosius accidere posse, quam si Ecclesia illa ad aliquem aut ipsum minus Catholicum, aut majores a Catholica Religione aversos habentem perveniret: opus autem esse eo viro, qui et sua integritate, et majorum suorum Catholicorum potentia atque auctoritate posset ejus Ecclesiæ incolumitati providere, tantamque dignitatem sustinere. Hæc omnia in Ernesto Bavariæ Ducis filio esse intelligebamus. Itaque de eo sufficiendo cogitare cœpimus, quod etiam ipsi Archiepiscopo, claræque memoriæ Maximiliano parenti tuo vehementer placere intelligebamus: is etiam multum hac de re cum Archiepiscopo egit. Idem quoque probari Majestati Tuæ confidimus. Mittimus igitur Coloniam dilectum filium Bartholomæum Porciam nostrum et Sedis Apostolicæ Nuntium, ut rem conficiat. Hæc Tuæ Majestati significare voluimus, ut negotium ipsum tua auctoritate adjuves, sciasque tuam in eo operam Nobis gratissimam futuram. Cætera ex venerabili fratre Joanne Episcopo Torcellano Nuncio nostro cognoscet Majestas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Atque hæc Alberto Bavarorum Duci Ernesti patri scribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 150. f. 281.

Dilecto Filio Nobili Viro Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Perspectam tibi esse nostram erga dilectum filium Ernestum voluntatem, ejusque honorum ae dignitatis studium, gratissimum Nobis est. De negocio Coloniensi nunquam cessavimus, ut scis, eum Archiepiscopo agere; vehementer enim cupimus rem perfici pro nostra paterna erga Nobilitatem Tuam, et Ernestum ipsum, totamque istam amplissimam Domum charitate. Nunc autem et ex literis Archiepiscopi et ex literis tuis et dilecti filii Fabritii Oratoris tui sermone universa re cognita, quo majore eum dignitate negocium peragatur, decrevimus hac ipsa de causa Portiam Nuncium nostrum mittere Coloniam cum nostris literis et mandatis; voluimus tamen illum prius omnia cum Tua Nobilitate communicare, tuoque consilio uti; omnem igitur ei fidem tribues. Illud autem magnopere convenire judicamus, charissimum in Christo filium nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum tota de re certiorem fieri; quod etiam cum Maximiliano ejus patre actum fuit. Scripsimus igitur hac de re ad venerabilem fratrem Joannem Episcopum Torcellanum Nuncium nostrum: recte etiam faciet Nobilitas Tua, si curabit suo quoque nomine eadem de re cum Rodulpho agi, ut hoc etiam fautore utamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Canonicos demum Colonienses officiosissimis litteris, nulla facta de Ernesto mentione, sibi devinciendos Gregorius curavit, monuitque ut hac in re omnem suo Nuntio fidem tribuerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 133. f. 254.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Libentissime quæcumque Nobis facultas datur ad vos scribendi, ea utimur: unice enim vos vestramque nobilissimam Ecclesiam amamus, vestræque pietati Nos omnia paternæ charitatis officia debere profitemur. Quoniam autem nihil aliud habemus, quod vobis hoc tempore præstare possimus, id facimus, quod possumus, ut summum scilicet desiderium vestræ Ecclesiæ amplitudinis, vestræque inter vos concordiæ et tranquillitatis præstemus; quæ quidem ut Nobis vobisque optatissima esse debet, sic omni cura et studio vos in ea incumbere speramus: ac si quid nostra cohortatione opus est, ut id faciatis, quantum possumus, rogamus. Hoc igitur nostrum desiderium vobis per has literas, perque dilectum filium Bartholomæum Portiam Nuncium nostrum, quem istuc mittimus, significare voluimus. Quæ autem ille vobiscum aget nostris verbis, super iis omnem ei fidem tribuite, omniaque ab optima voluntate proficisci existimate, sicque credite paratissimos Nos esse ad ea omnia, quæ quidem ad eam, quam diximus, vestram vestræque Ecclesiæ dignitatem atque amplitudinem pertinere intelligemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

XIV. — Inter hæc Cæsar clam cum Salentino de Ernesti electione fovenda egerat: suisque Commissariis, qui ex veteri Imperii consuetudine adesse electioni solebant, hæc mandata dederat, ut quoad fieri, integris Coloniensis Ecclesiæ juribus salvaque libertate electorum, posset, omne studium operamque adhiberent, ut Ernestus Archiepiscopus renunciaretur. [*]

[*] Germania Vol 13. fol. 100.

Articuli Commissionis Cæsareæ agendorum cum Reverendissimo Domino Archiepiscopo.

« 1. Scripsisse Reverendissimum Sacræ Cæsareæ Majestati de futuræ resignationis statu, et ex quibus causis ad resignandum permotus esset, et quid præterea de ea agere intenderet.

2. Ideo Majestatem suam, tametsi non videretur propter legationem sui pincernæ alias factam (qua voluntas Cæsarea ipsi Reverendissimo de ea re omni satis patefacta esset) nova legatione opus esse, Legati relatione nondum audita;

3. Nihilominus intelligentem resignationem et electionem brevi forte fore secuturam: attendentemque (uti etiam Reverendissimus monuisset) quantopere sibi et toto Imperio expediret, eam resignationem et ordinariam electionem recte qualificati successoris rite et legitime fieri; sibique adeo ex imposito a Deo munere incumbere, cum omni diligentia in talibus casibus advigilare, et dare operam, quo ea in re primum honor Dei etiam atque etiam quæratur, et Archiepiscopales Cathedralesque Ecclesiæ suo in statu conserventur; e contra vero omnis perturbatio, dissipatio, et simultas præcaveatur, quemadmodum a prædecessoribus suis Cæsaribus factitatum, et eosdem ad hujusmodi electiones suos semper intelligeret misisse Legatos;

4. Necessarium duxisse, etiam priori legationi alteram addere, non quidem animo tam resignationem Reverendissimi, quam Capituli electionem contra Ecclesiæ statuta et consuetudines reliqua in parte impediendi, aut inusitatum aliquem modum circa eam rem proponendi: sed in eum finem, ut omnia recte fiant, eo eum consilio et discretione ab utroque tum Reverendissimo tum Capitulo in ea re procedatur, quo pervetustæ diœcesis salus et felicitas bene procuretur; neve misera aliqua ejusdem dilaceratio, aut periculosa aliqua novitas in Imperio contrariis dissidentium animorum consiliis excitetur.

5. Hinc Reverendissimum per Commissarios suæ Majestatis iterum amice monendum, ut factas ei aliquoties ex optimo affectu admonitiones

bene apud animum consideret, diligenterque pensitet, quomodo ad istum Archiepiscopatum assumptus sit, et quid tempore electionis promiserit; tum quantum irrecuperabilis præjudicii, confusionis, adeoque interitus non solum istius Ecclesiæ, sed insignium quoque et summe utilissimorum collegiorum aliorum, ac consequenter totius S. Imperii secum sit allatura intermissio veterum laudabilium statutorum, et bonarum ordinationum: propterea que resignationem suam secundum Ecclesiæ statuta et consuetudines instituat, id est, libere; neque post eam circa futuram ordinariam et liberam electionem successoris quicquam Capitulo seu impedimenti, seu turbationis de facto inferat.

6. Nam tametsi zelus Reverendissimi, quo idoneum et catholicum successorem desiderat, probandus veniat, eoque pontificiæ, et Cæsareæ Patris sui, et suæ intercessiones de persona Bavari Ducis factæ respiciant; tamen Reverendissimum facile ex iis, quæ cœperunt agi, intelligere, id non alia, quam ordinaria via fieri oportere; nec ipsum Bavarum Ducem aliter desiderare: tum vero asperiore illa via nihil confici posse sine maximis difficultatibus, et periculosissimis perturbationibus totius in Germania Ecclesiastici status, et principaliter laudabilis ordinationis et confœderationis Principum Electorum enervatione.

7. At postquam neque novum sit, neque inauditum, commendari Capitulis circa resignationes ejusmodi personas maxime idoneas; adeoque ante electionem de ipsis eligendis mature sæpe tractari, et licitum aliquoties præstari securitatem (quo demum pacto libertas votorum non tollitur, sed magis Ecclesiæ salus, pro qua quisque vovere debet, quæritur). Recte licere Reverendissimo Bavarum Ducem, tum ante, tum post resignationem, qua possit diligentia, una cum ipsa Cæsarea Majestate Capitulo commendare, et dare effectum, quo personæ suæ, quæ Ecclesiæ præ aliis multis ex causis utilis est, ratio et respectus habeatur.

8. Habere enim Commissarios in mandatis, ut Capitulum tum in hanc discretionem inflectant, tum adhortentur, non aliter eligere, quam secundum Canones et Ecclesiæ statuta possint, personam vere qualificatam et idoneam ac catholicam, quæ ad sumendum sacros ordines et consecrationem post impetratam confirmationem sit habilis, possitque a Cæsarea sua Majestate infeudari.

Articuli ejusdem Commissionis agendorum cum Capitulo.

« 1. Admonuisse Sacram Cæsaream Majestatem super Capituli petitis Reverendissimum et per literas, et per legatos, tum ut discretione, tum ut via ordinaria uteretur circa resignationem: nec diffidere suam Majestatem, quin is se eum circa eam resignationem præstiturus sit, quem se præstare canones et decreta volunt. Et quamvis sua Majestas consimiliter speraret, Capitulum, quemadmodum literis scriptis promisisset, rite et legitime electurum.

2. Nihilominus vestigiis prædecessorum suorum Cæsarum, qui ad consimilia gravia negocia, illustresque actus suos semper misissent legatos, insistendo, animadvertentem eandem resignationem instare plurimumque interesse, ut in summa concordia fieret, omneque malum a diœcesi, quod facile ex votorum animorumque dissensione suboriri possit, averteretur, suos ad Capitulum amandasse legatos: non animo quicquam contra Ecclesiæ statuta et privilegia per hoc conandi, vel circa electionis libertatem ullum impedimentum adferendi, sed ut omnia rite et legitime fierent.

3. Posteaquam ergo Capitulum ipsum literis suis splendide ostendisset, jurisjurandi religione omnes adstrictos esse, in ejusmodi electionibus statuta, consuetudines et privilegia Ecclesiæ ut servarent; neque se aliud flagitare, quam secundum Concilia, Canones, Concordata Germanicæ nationis, statuta, consuetudines, privilegia, juramenta, unionesque Statuum patriæ eligere: admonendos esse per Commissarios eosdem, ut ita eligant, quemadmodum professi sint se electuros, ejusmodi nimirum personam, quæ ad gradum dignitatemque Archiepiscopalem tam ob generis prosapiam, quam puræ et catholicæ religionis professionem, satis accommodata atque ita demum comparata sit, ut post confirmationem et consecrationem a sua Majestate cum Septemvirnctu infeudari, et Ecclesiæ tam in spiritualibus quam temporalibus salubriter præesse possit.

4. Et quia Reverendissimus maxime optaret talem habere successorem, eaque de causa Bavarum Ducem proponeret et commendaret: cujus similiter commendationem tum Pontifex, tum piæ recordationis Cæsar Pater apud Capitulum quoque egisset: ideo suam etiam Majestatem alias haud intempestive permotam esse, ut eandem personam tam apud Capitulum quam Reverendissimum commendaret, pro eaque etiam nunc intercedere pergeret tanto justius et diligentius, quanto eandem personam Ecclesiæ utiliorem cognosceret: quam etiam intelligeret ad Capitulum admissam aliasque ita esse qualificatam, ut salvis juramentis et statutis allegatis recte in Capitulum assumi possit. Petere quapropter debere Commissarios nomine Majestatis suæ revocari in memoriam a Capitulo intercessiones tum Pontificias, tum Cæsareas, multarumque qualitatum, quæ in ea persona invenirentur, aliarumque utilitatum, quas ab ea, genereque suo, familia et amicis sperare licet, ponderationem fieri, et tempore electionis de persona ista respectum haberi eum, ut tum sua

Majestas, tum alii sui fautores intelligant, dignam commendationum suarum rationem habitam, neque eas frustraneas fuisse, eoque nomine promiores efficiantur ad gratiam reddendam, Capituloque bene vicissim faciendum.

5. Commendationem istam Commissarios majori dexteritate peragere, atque ad felicius persuadendum cum Bavarensibus (quibus ea res optime nota esset) communicare posse. Denique non solum apud Capitulum, sed etiam singulares, et præsertim Canonicos, Presbiteros, Statusque aliquot hanc commendationem instituendam, aliasque generaliter operam dandam, quo ea electio in pace et concordia fiat, et quantum possit, Dux Bavariæ commendetur, atque ad Archiepiscopatum promoveatur.

XV. — Colonienses Canonici per amicos, ut videtur, in suspicionem adducti, quod Catholici Germaniæ Principes molirentur Ernestum Bavarum sibi in Archiepiscopum obtrudere, cum Pontifice de gravissima sibi suisque juribus injuria illata conqueruntur; ab eodemque contendunt, se per sacros Canones, per statuta Coloniensis Ecclesiæ, per Germaniæ concordata jure liberi suffragii in Archiepiscopi electione privari non posse. Quamobrem omnibus precibus Pontificem exorant, ut hoc vetustissimum ab omni memoria jus iis velit auctoritate sua constare. [*]

[*] Colonia Vol. I. fol. 14.

Serenissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Domino Gregorio Divina Providentia ejus Nominis Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici ter Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Vestræ S. debitam obedientiam, reverentiam et obsequia nostra humiliter et devote offerimus. Sanctissime Domine. Quamquam superioribus annis quædam controversiæ præter nostram spem, et ut existimamus, præter merita nostra inter Reverendissimum in Christo patrem et Dominum nostrum, Dominum Salentinum electum et confirmatum Archiepiscopum Coloniensem et nos sunt exortæ, et necdum compositæ, sed ad Cæsaream Majestatem, piæ memoriæ, per Dominum nostrum Reverendissimum delatæ, ex commissione ejusdem Cæs. Majestatis coram Episcopo Leodiensi adhuc pendent; attamen ne videremur Dominum nostrum Reverendissimum accusare, hactenus propter publicam pacem cum magno nostro incommodo tales controversias patienter ferre maluimus, quam accusando ad V. S. deferre.

« Nunc autem aliæ quædam causæ inter Dominum nostrum Reverendissimum et nos emergunt, quæ dum non solum nostrum, verum etiam totius Ecclesiæ nostræ Coloniensis honorem, utilitatem et salutem spectent, et prioribus controversiis multo sint graviores: ideo nostri officii esse putavimus Sanctitatem Vestram de talibus causis facere certiorem, ac humiliter petimus, ut Sanctitas Vestra nos clementer audire non dedignetur.

« Dominus enim noster Reverendissimus nuper ex Ratisbonensibus Romani Imperii Comitiis reversus, partim ipse, partim per Consiliarios suos proposuit, Vestram Sanctitatem simul ac felicis recordationis Cæsaream Majestatem nobis amplius electionem novi Archiepiscopi Coloniensis non confidere; ideoque cum brevi matrimonium contrahere intendat, sibi tum per Sanctitatem Vestram, tum per Cæsaream Majestatem proprio motu esse mandatum, ut nobis invitis Reverendissimum et Illustrissimum Principem et Dominum Ernestum Administratorem Frisingensem et Ducem Bavariæ etc. sibi Coadjutorem et perpetuum Successorem Archiepiscopatus Coloniensis assumeret, et nos requisivit, ut cum eo super illa coadjutoria et successione concordaremus; sin minus, comminatus est nobis internecionem ac perditionem bonorum et corporum, ac pleraque alia, quæ nunc satius est silentio præterire.

« Nescimus quid hisce turbulentis temporibus, et præsertim in inferiori Germania, omnibus fere regionibus et hominibus bello flagrantibus, audiri potuisset tristius et gravius.

« Nobis enim amplius electionem Archiepiscoporum non esse confidendam; hoc nostrum honorem respicit.

« Elegimus enim nuper modernum nostrum Reverendissimum Archiepiscopum, quod Deum testari possumus, bono zelo, quem optimum et maxime idoneum esse putavimus, quem etiam Sanctitas Vestra ut idoneum confirmavit, et quem Cæsarea Majestas recolendæ memoriæ ut idoneum agnovit, ac de feudis Imperii, ut moris est, investivit.

« Majores etiam nostri bono zelo eos elegerunt Archiepiscopos, quos hactenus Pontifices et Imperatores eo gradu dignos existimarunt, et per quos tum Archiepiscopatus ac diœcesis Coloniensis, tum totius Germaniæ honor et salus in spiritualibus et temporalibus non parum conservata sunt.

« Et nos ejusdem sumus sententiæ, si quando Ecclesia nostra vacet, quod simili modo sine fraude eum eligere velimus, quem in spiritualibus et temporalibus ad Archiepiscopalem dignitatem optimum esse putemus.

« Quod autem attinet ad hoc, quod a S. V. et Cæsarea Majestate mandatum esse dicitur, ut Dominus Administrator Frisingensis et Dux Bavariæ etc., nobis invitis, Coadjutor et perpetuus Successor Ecclesiæ nostræ assumatur: quamvis illum Principem et Dominum non contemnamus, sed majoribus honoribus dignum esse judicemus, tamen quid hactenus per sacros Cano-

nes, Concilia, Concordata Germaniæ, similesque ordinationes Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis concessum, quidque etiam tum in jure, tum præsertim in sacro œcumenico Concilio Tridentino, de coadjutoriis et perpetuis successionibus constitutum sit, nihil opus est dicere, cum Sanctitatem Vestram nihil ea de re lateat.

« Hoc vero Sanctitatem Vestram humiliter et devote celare non possumus, fuisse in Ecclesia nostra inde a tempore, cujus initii memoria non extat, hanc laudabilem consuetudinem, ut non aliter quam liberis nostris suffragiis, quoties sedes vacaret, Archiepiscopi eligerentur; imo ut non alii quam Capitulares ex nostro gremio crearentur. Quod etiam Majorum nostrorum statutis, auctoritate Apostolica confirmatis, ordinatum est.

« Cujus consuetudinis ac statutorum observationem non solum nos, verum etiam Dominus Administrator Frisingensis, utpote Concanonicus noster, licet nondum Capitularis, juravit. Et Dominus noster Reverendissimus ejusdem consuetudinis, juris et statutorum conservationem non semel, sed iterum atque iterum variisque modis promisit, et ad hoc se juramento astrinxit.

« Ex hac antiquissima consuetudine liberæ electionis pleræque sanctiones et uniones Statuum Ecclesiæ Coloniensis, nec non alii contractus promanarunt, quæ si tollerentur, non parvam apud subditos Ecclesiæ Coloniensis turbationem essent paritura.

« Imo si prædicto modo contra sacros Canones, contra Concilia, contra Concordata Germaniæ, contra statuta et consuetudines Ecclesiæ nostræ, contra juramenta ac omnium Statuum Archiepiscopatus Coloniensis unionem, nobis invitis, Coadjutor et perpetuus Successor intruderetur, si forte nos non impediremus; tamen inde non modo magnum scandalum, verum etiam Principum et Comitum Germaniæ motus, nec non religionis detrimentum ex hac innovatione non minimum esset timendum. Quæ mala Deus Opt. Max. a nobis et hoc Archiepiscopatu Coloniensi ac toto Christiano orbe avertat.

« Licet autem prædicta plus quam gravissima sint, tamen etiam illud non parum nos movet, quod jactitata Sanctitatis Vestræ ac Cæsareæ Majestatis mandata seu rescripta debite nobis non sint insinuata, nec ulla copia tradita; imo quantumvis jam bis copiam nobis a Domino nostro Reverendissimo communicari petierimus, hactenus tamen illud non potuerimus impetrare. Quæ si communicata esset, ope divina Sanctitatem Vestram melius in contrarium informare possemus.

« Quamobrem, Sanctissime Domine, Sanctitati Vestræ devote et humiliter supplicamus et oramus, ne nos in libera electione contra Canones, Concilia, Concordata Germaniæ, consuetudines et statuta Ecclesiæ Coloniensis impediri patiatur; sed potius nostra et Ecclesiæ nostræ Coloniensis privilegia, jura, laudabiles consuetudines et statuta conservare, nec non nobis contra illos, qui nos tam injuriose et maligne apud Sanctitatem Vestram, quasi electio amplius nobis confidenda non esset, detulerunt, honoris nostri defendendi potestatem facere, et nobis inauditis nihil in præjuditium nostræ Ecclesiæ decernere clementissime dignetur.

« Nos vero vicissim tum in electionis munere, quoties ille casus per Dei voluntatem contingat, nec non in aliis officiis nobis de jure incumbentibus, ita nos geremus, ut S. V. nostram synceritatem et observantiam Sanctæ Sedis Apostolicæ non obscure intelligat. Deus Optimus Maximus S. V. ad salutem universalis Ecclesiæ diu incolumem conservet. Datum Coloniæ XXVI. Januarii anno Domini LXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi

DECANUS ET CAPITULUM ECCLESIÆ COLONIENSIS.

LEMGOVIUS.

XVI. — Apostolicus Nuntius Bartholomæus a Portia ineunte mense Majo Coloniam pervenit: Canonicos Colonienses, libello die 8. Maji oblato, de optimo pastore eligendo monet, atque insinuat, ut præ cæteris Ernestum Ducis Bavariæ filium in Archiepiscopum postulent. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 121.

Illustres et admodum Reverendi Domini.

« Romani Pontificis munus est Ecclesiæ universali præesse, totum ovile Christi mentis oculis lustrare, et singulis causis ita prospicere, ut aliquibus in partem solicitudinis adscitis, curam tamen portionis illius nunquam prorsus Pastor iste Summus abjiciat; quod officium non oscitanter est ab eo præstandum; quandoquidem nulla tanta est locorum distantia, quæ illum excuset, quominus sit demandatæ universalis provintiæ Deo Optimo Maximo, cujus filii vicem in terris gerit, rigide rationem redditurus; majorem vero, minoremve vigilantiam pro gentium rerumque statu et conditione requiri norunt omnes, quorum est usurpatissimum illud, plurimum laboris et operis in eos recte et merito impendi, qui præ cæteris Reipublicæ Christianæ usui esse possunt. Hæc secum reputans Gregorius XIII., quo primum die ad tantæ dignitatis fastigium mirabili consensu est evectus, animum ad Germaniam juvandam appulit, haud nescius longe aliam fore Ecclesiæ a tot sectariis miserrime dissectæ faciem, si in nonnullis partibus ortodoxa restitueretur fides levitate animi ejurata, in aliis disciplina ecclesiastica vel hominum negligentia vel temporum injuria ferme collapsa resurgeret, in cunctis denique idem reviviseeret studium, eademque cupiditas in antiquam semitam redeundi, a qua magna Christiani orbis pars pessimo, perniciosoque consilio nonnullis

abhine annis deflexit. Quam autem rationem afflictis rebus opem ferendi inierit Pontifex, non hujus est aut loci aut temporis, cum præsertim tum collegium amplissimum in hujus tantum inclitæ nationis usus Romæ erectum, tum frequentes ad omnes fere Germaniæ Principes legationes, aliaque innumera argumenta illud non obscure declarent. Cum vero nihil sit, quod magis aut æque desiderium optimi Pontificis promovere possit, quam Episcoporum sedulitas, pietas et virtus, hinc est, quod si quandu electionem aut substitutionem in aliqua Ecclesia habendam esse defertur, exardescit illieo Sanctissimi senis animus rogandi, monendi, urgendique pro muneris sui ratione eos, ad quos spectat, ut in eum oculos et vota convertant, cumque Ecclesiæ suæ præficiant, quem utilissimum fore conjectura per rationales omnes circumstantias ducta assequi possunt. Ex his adventus mei causam vel me tacente cognoscitis; eum enim audisset, Reverendissimum et Illustrissimum Archiepiscopum et Principem vestrum decrevisse aliud vitæ institutum arripere, istaque insigni Ecclesia sese abdicare, totumque in eo esse, ut is præficeretur, qui calamitosissimis hisce temporibus eidem et præesse et prodesse posset, explorata Cæsaris mente, perspectoque admirabili voluntatis et studii consensu, mihi paranti in Italiam reditum post multos labores per quadriennium in Germania exantlatos injungit, ut huc me statim conferam, insignique huic Capitulo in re tanta adsim. Quod si cui fortasse mirum contingat, me is maximum Pontificis munus, studiosissimamque voluntatem parum expendere videbitur; qui enim eujuslibet vel minimæ parochiæ solicitudinem et curam gerit, nobilissimam hanc Ecclesiam, a qua tot populi, tam splendida loca, tot insignes Ecclesiæ pendent, poterit in postremis habero? qui de humili quolibet vilique hominum cœtu bene merere studet, laboribus sumptibusque minime parcens, Principatom hunc, Sacri Romani Imperii præcipuum membrum negliget? Nun est hæc mens, non hic animus Gregorii XIII., qui quandiu ad clavum navis sibi creditæ sederit, ab hac præpotenti provintia nunquam oculos avertet, tunc satis a se muneri suo amplissimo factum existimans, cum in rebus Germanicis promovendis nullum in eo studium, nullamque diligentiam a prudentibus piisque viris desiderari posse intelliget. Sed ut jam eo, unde digressus sum, redeam, monet in primis vos Pontifex Maximus, et adhortatur, ut in re tanta, quanta porro est constituere Archiepiscopum, vobis ante oculos ponatis qua in regione, quo in loco, inter quos sitis, cum quibus sit Ecclesiæ isti negotium, quo in discrimine versentur finitimi populi, in quæ tempora incideritis, quæ libido plurimos nunc occupet aliena occupandi, et quam multi Ecclesiis devorandis inhient; e contra quam pauci reperiantur sacris rebus addicti, quam plane rari, qui iis vel ab incunabulis dediti generis et potentiæ splendorem ita conjunctum habeant, ut malitiosorum hominum aciem perstringero, audaciamque nimiam retundero queant. Hæc quicunque sibi proposuerit, (proponent autem quotquot salvam florentemque istam Ecclesiam volunt) facile cum Sanctissimo Domino Nostro sentient non satis esse prospectum Ecclesiæ Coloniensi, si habeat Antistitem, qui nulla adhibita mora ob fidei sinceritatem, probatosque mores mereat a Sancta Sede Apostolica confirmari; quandoquidem habiturus est is una cum Archiepiscopatus munere gravissimo conjunctum Principis Electoris onus, ac si dicerem in eodem firmissimum utriusque politiæ, Ecclesiæ scilicet et Imperii, columen et firmamentum fore constitutum: pietas, institutio, et eruditio sunt quidem ad tantam provintiam subeundam omnino necessaria; at quæ extra nos a sapientibus ponuntur, charitas eximia generis, splendidæ clientelæ, potentissimorumque Principum affinitates, quantum adjumenti afferre soleant, vestri similes, hoc est summa prudentia præditos non latet. Quamobrem cum hæc ut in alium in Ernestum Principem Alberti Bavariæ Ducis optime de religione Catholica meriti filium cadere Pontifex Maximus animadverterit, vobis illum pro studiosissima sua erga hanc Ecclesiam vestrumque hunc nobilissimum conventum voluntate proponere non est veritus: cur enim ad consentiendum in eum non hortaretur, quem Ecclesiæ multis nominibus sibi commendatissimæ utilissimum fore existimat? quem invictissimus Cæsar gravissimas ob causas promotum cupit? quem maximi quique Germaniæ Principes vobis ornandum commendant? quem piissimi parentes a teneris usque unguiculis Deo, sacrisque functionibus dicarunt? quem ea potissimum studia ornant, quæ sunt religioso, et ecclesiastico Principe maximo digna? cujus adhuc pueri patrocinium est ab Ecclesiis laborantibus imploratum? qui in amplissimum hoc vestrum collegium nonnullis abhinc annis est cooptatus? qui summa cum laude apud vos aliquando vixit? quem munera sua in celeberrimo isto templo devotissime obeuntem aspexistis? quem tandem in eum locum retulistis, ex quo ad Archiepiscopatum adipiscendum tanquam ex quodam gradu ex statutorum vestrorum præscripto patet ascensus? ita ut jam Pontifici Maximo assentiri nil aliud ferme sit, quam bonorum omnium, vestrumque ipsorum juditium re ipsa comprobare. Fama est, indignationem quandam post Pontificis voluntatem suboscure explicatam inter vos esse subortam, quod ut eredam vix (dicam ingenue) adduci possum: quid enim factum, aut dictum est, quod a ratione, consuetudine, de-

cretisve dissentiat? an non est ea Gregorii Pontificis Maximi authoritas, quæ fuit Petro et sanctissimis Pontificibus pro Ecclesiæ universalis regimine tradita? an non illi Sedi præsidet, quæ nedum hanc insignem, sed omnes Occidentis Ecclesias erexit, fovit, et honoribus auxit? nec non aliis a cæteris Apostolis institutis omni tempore præfuit? Et quod privilegium est, quod illa non contulerit aut confirmarit? evolvite majorum monumenta, perpendite, cogitate, reperietis a Romanis Pontificibus Coloniensem Ecclesiam tanquam dilectam filiam semper plurimi factam; ea vero observantia Romanam Sedem a Coloniensi Ecclesia excultam, ut ab illa tum reliqua mandata, tum Antistites sibi propositos accipere nunquam recusaverit, utpote quæ prudentissime norat potestatem sibi ab indulgentissima matre ea lege concessam, ut tamen jus illud suum a Christo traditum in eamdem non ita transferret, quin eo in rebus gravissimis urgente locorum et temporum opportunitate uti posset. At quæ fuit unquam major occasio, aut potius necessitas? legimusne unquam has regiones tam misere a novatoribus vexatas? videmusne majus incendium excitatum? ecquando occurret Pontifex? quando de eo restinguendo, aut præficiendo vigile erit solicitus, si nunc desideat, et malorum, quæ illum tantopere tangunt, immo potius augent, sit otiosus spectator? illorum inquam malorum, quæ averti a se posse sperat, si accurate fuerit Ecclesiæ de præfecto prospectum. Cuinam quæso fit injuria ab optimo Pontifice? Ecclesiæne? at illi pastorem, quem utilem maxime fore existimat, proponit; Capitulone? at ei Ducem firmissimum præfici curat; vobisne? at vestram potissimum securitatem, tranquillitatem et quietem respicit, certo sibi persuadens, non minori pietate atque prudentia vos tandem in sententiam suam concessuros, quam olim majores vestri, dum felicia essent tempora nullaque imminerent similia pericula, Romanis Pontificibus obsequia præstiterint devota. Quod si feceritis, eamque mentem esse vestram aperueritis, ut ab eo nequaquam dissentire velitis, me effecturum non dispero, ut magnam (si id vobis curæ esse sensero) dignitatis vestræ rationem habitam esse dicatis. Fertur ad hæc nonnullos exacte nimis de his, quæ eventura sunt, divinare, in quorum ego suspicionibus dispellendis, caligineque discutienda non immorabor ob eam causam, quod potissima refellendi ratio ex sapientissimorum præceptis esset in collatione optimorum quorumcunque posita, re nimirum odii et invidiæ plena, a qua ego, qui unumquemque vestrum plurimi facio, libenter abstineo. Illud unum pro muneris mei ratione silentio non prætereibo, injuriam maximam optimo Principi ab iis irrogari, qui putant illum alicujus beneficio devinctum, aut blanditiis, illecebris ve delinitum res Ecclesiæ quinimo semetipsum alieno nutui concessurum. Tales sunt hi, qui cum nihil magni de se conceperint, fortunæ insano quodam impetu ad sublime dignitatis culmen jactati in admiratione perpetua obstupescunt, et torpent, quasi dubitantes an illud vigilantes possideant, vel in somnis; at qui in se summam esse generis claritatem, splendorem summum, summa denique omnia animadverterint, ii plurimum amplitudini suæ tribui volunt, majorumque gloria et res gestæ animos addunt, talesque instillant spiritus, ut ne quid unquam admittant, quod ab avita laude contestataque parentum virtute quasi degeneres arguat, quæ omnia quam apte de Ernesto Principe dicantur, nemo vestrum ignorare potest. Reliquum igitur est, ut vos ejusdem Pontificis Maximi verbis horter ad hanc curam æquo, candido, sinceroque animo suscipiendam, ut tandem rejectis contentionis dissidiique argumentis, quæ perniciosissimum schisma in Ecclesiam hanc inducere facile possent, eum habeat Principatus Coloniensis præsidem moderatoremque, quem Pontifex Maximus Ecclesiæ, Cæsar Imperio utilissimum fore judicant, a quorum approbatione, confirmatione, authoritate pendere quotquot in Germania sunt Ecclesiæ Catholicæ, (de his enim loquimur) optime nostis. Ego vero, qui insigni huic Capitulo prospera omnia evenire cupio, Deum Optimum Maximum precor, ut vobis in re tanta adsit, omnesque cogitationes, sermones et consilia vestra in sanctissimi nominis sui gloriam dirigat.

XVII. — Interea Gregorius, qui in ejus Ecclesiæ dignitate et incolumitate tuenda maximam sibi curam ponendam esse sentiebat, Archiepiscopos Moguntinum ac Trevirensem S. R. I. Principes Electores hortatur adniti, quantum consequi studio ac opera possent, ut Ecclesiæ Coloniensi Præsul, qui sit dignus atque ex animo Catholicus, præficiatur. En litteræ ad Moguntinum. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 15. f. 513.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam cognovimus venerabilem fratrem Salentinum Archiepiscopum Coloniensem statuisse Archiepiscopatum deponere, semper anxii fuimus de illius Ecclesiæ dignitate atque incolumitate, quam quidem in eo sitam esse intelligebamus, si optimum pastorem nancisceretur: neque cessavimus ea de re tum per literas, tum per Nuncios nostros quam diligentissime agere. Sic enim postulabat nostrum munus atque erga ipsam Ecclesiam paterna et perpetua charitas. Quo etiam gravius dolemus, hoc tempore Archiepiscopum ipsum et Canonicos de electione inter se dissidere; id enim,

nisi providetur, sine maximo ipsius Ecclesiæ malo esse non potest. Quia vero non ignoramus, multum spei atque auxilii in tua prudentia atque auctoritate esse, hortamur Fraternitatem Tuam, atque etiam rogamus, ut Ecclesiæ ipsius et Christi causam suscipias, tantumque tutaris, quantum utramque causam postulare intelligis. Id vero facturum te pro tua excellenti pietate non dubitamus. Cætera planius cognosces aut coram ex sermone, aut si istic esse non poterit, ex literis dilecti filii Bartholomæi Porciæ Nuncii nostri, eique fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIX. Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Ad Colonienses Canonicos sibi gratum fuisse scribit, quod suæ hortationi plurimum tribuerint; illud vero gratissimum facturos, si eum, quem probatum iri a se cognoscant, virtutibus episcopalibus ornatum elegerint, cujusmodi esse Ernestum ipsos suo testimonio declarasse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 94. f. 280.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Quantæ semper curæ Nobis fuerint res vestræ, ex aliis literis, quas multas ad vos dedimus, atque ex verbis Nuncii nostri perspicere potuistis. Numquam enim cessavimus vos hortari, ut de optimo Pastore habendo cogitaretis, inque eo eligendo nullam moram interponeretis: in eo enim vestram, vestræque Ecclesiæ salutem atque amplitudinem versari intelligebamus. Gaudemus, cohortationem nostram multum apud vos, ut par erat, valuisse, jamque diem electioni a vobis constitutam esse. Et quamquam certa spe sumus, ut in electione ipsa, in qua tota gravissimi hujus negocii summa consistit, vestri officii, nostræque cohortationis memores futuros, tamen pro nostra paterna erga vos charitate facere non possumus, quin eadem illa iteremus, quæ semper monuimus; eo nimirum vos Pastore indigere, in quo vestræ nobilissimæque istius Ecclesiæ dignitati atque incolumitati consulatur. Habet autem Ernestus Bavariæ Ducis filius vestrum testimonium, sic enim scripsistis, esse illum tum ista, tum amplissima quaque dignitate et gradu dignissimum; quod quidem testimonium confirmatur tum nostro, tum charissimi filii nostri Rodulphi Romanorum Imperatoris Electi, aliorumque Germaniæ Principum judicio. Neque adduci possumus ut existimemus, vos aliquem electuros, aut postulaturos, in quo confirmando aliquid scrupuli habere possimus; quin potius Nobis occasionem præbituros vestra privilegia confirmandi cumulandique. Id autem quibuscunque in rebus facultas dabitur, libentissime faciemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Septembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Cum vero nonnulli Canonici aliud quam suæ Ecclesiæ bonum spectarent, eamque ob rem in id incumberent, ut electio protraheretur, Gregorius vehementer eos monet, nisi quamprimum ex sacrorum canonum præscripto illam expediant, se jure suo usurum, iisque invitis Archiepiscopum daturum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 161 f. 101.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Coloniensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam Archiepiscopus vester Ecclesiam istam deposuit, æquum erat, vos nihil aliud curare atque agere, nisi ut optimum Pastorem quamprimum eligeretis: id enim congruebat publice, privatim Ecclesiæ vestræ rebus, vestro officio ac muneri, consentaneumque erat nostris assiduis cohortationibus, ex quibus perspicere potuistis, Nos nihil aliud, nisi de nobilissimæ istius Ecclesiæ dignitate et commodis laborare, cum quibus, si vere existimare vultis, vestræ etiam rationes et commoda conjuncta sunt: ideoque eo etiam celerius facere debuistis, quo certius Archiepiscopi vestri voluntatem, atque hunc ipsum exitum diu antea perspexeratis. Nunc autem sic accepimus, nonnullos ex vobis hæc parum considerare, resque suas in aliis quibusdam rationibus sitas esse existimare, diemque electionis proferre. In quo tametsi illi desunt officio suo, tamen non debemus Nos nostro deesse. Monemus igitur, ut negotium quam primum expediatis, certumque habeatis, si tardiores fueritis, quam sacrorum Canonum decretis permittitur, Nos nostro jure usuros, pastoremque eum, quem optimum judicaverimus, vobis daturos, vestrisque et Ecclesiæ ipsius rebus vobis etiam invitis consulturos. Omnia ex dilecto filio Bartholomæo Porcia Nuncio nostro cognoscetis, eique fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima sexta Novembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XVIII. — Albertum Bavarorum Ducem Gregorius edocet, quæ in electionis Coloniensis negotio egerat; atque suadet, ne Ernesti electionem invito Capitulo urgeat, ut pateat experiri, num Capitulum in eundem sua sponte veniat; sin minus, faciendum esse, ut ipse Ernestus amicorum opera alium virum probum eligendum curet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 40. f. 381.

Dilecto Filio Nobili Viro Alberto Duci Bavariæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. De successu negocii Coloniensis, deque temeritate levissimi hominis, qui secus scribere ausus est, quam optavimus, et

tum per literas, tum per Nuncium nostrum agere non destitimus, molestissime tulimus. Neque satis mirari possumus illius in scribendo audaciam. Qua autem ratione eam comprimendam esse decrevimus, ex literis Oratoris tui cognosces. Scribimus etiam ad Capitulum, ut intelligat, nihil esse, cur dubitet super iis rebus, de quibus Nuncius noster cum ipso egit nostris verbis, agetque in posterum, omnem ei fidem tribuere, malitque attendere quid libuerit dementissimi hominis temeritati comminisci. Earum literarum exemplum ad Nobilitatem Tuam mittimus, ut videas, quantopere hoc negocium Nobis cordi sit, quamque nihil agere omittamus, dum illud obtineamus, quod tum vobis dignitati, tum Deo gloriæ esse intelligamus: sed scis non ita pridem scripsisse te ad Nos, nihil conandum esse de Ernesto invito Capitulo; gravissima enim inde incommoda et detrimenta exoriri posse. Quod si ita est, cogitare poterit, num e re sit aliquid de severitate mandatorum Nuncio nostro datorum remittere, atque experiri, si forte Capitulum sua sponte eo perveniret, quo nunc adduci vix posse videtur. Aut si nihil obtineri posset, expediretne Ernestum ipsum curare amicorum suorum opera, ut Ecclesia ad aliquem virum probum, vereque Catholicum perveniret, illumque sibi hoc facto devincire. Quidquid Tuæ Nobilitati probabitur, ad Nuncium ipsum perscribes; Nos enim nihil aliud ei mandabimus, nisi ut a superioribus mandatis de Ernesto ne discedat. Ut apertissime intelligas, quantopere in sententia permaneamus, ac si quid mutari oportebit, id a te ipso mutari velimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Molestissimum Alberto accidit, quod Colonienses Canonici Ernesto Gebhardum Truchsessium anteposuissent. Itaque Pontifici refert, id per fraudem et injuriam factum esse: eique causam filii sui Ernesti, qui ad ipsum appellaverat, vehementissime commendat. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 63.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Benignissime.

Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota.

« Etsi non potest non grave accidere animo meo, filii causam ex hominum potius iniquitate, quam sua aliqua culpa laborantem aspicere: auget tamen apud me dolorem non parum, quod ea Sanctitatis Vestræ toties declaratæ contestatæque voluntati, quod speratis catholicæ religionis usibus, quod præsentibus denique Reipublicæ necessitatibus incommodius cessisse videtur. Equidem quod Sanctitati Vestræ, Religioni ac Reipublicæ Christianæ ex negotiis meis commune esse solet, hoc non immerito ita me occupatum tenet, ut alia, quæ summa etiam esse possunt, longe post se relinquat. Itaque jam fieri oportet, ut Colonienses eventus aliquot nominibus acerbius feram. De quibus ad ea me libenter confero, quæ per Sanctitatis Vestræ Nuntium, qui presens et oculatus interfuit testis, explicantur. Ego quidem, quos dolos, quæ perjuria passa sit filii ista, imo Sanctitatis potius Vestræ causa, paolo post, ubi hoc redierint mei omnes atque de re tota coram exposuerint, accuratius explicabo; nunc vero id agendum mihi tantum video apud Sanctitatem Vestram, ut et de interposita filii nomine solemni appellatione eandem certiorem faciam, et simul etiam, quod reverenter admodum facio, exorem, ne filii, ne Ecclesiæ Coloniensis salutem atque dignitatem ex animo curaque sua deponat, neve per fraudes et injurias evecto Truchsessio aures facile præbeat. Nil etenim dubito, quin adferri queant ad Sanctitatem Vestram rationes causæque gravissimæ, quibus ea consilium et authoritatem suam adhibere benignissime velit, idque cum istius Ecclesiæ intuitu, quam paterna sua sollicitudine nunquam judicavit indignam, tum vero maxime, ne Sanctæ Sedis reverentia magis ibidem vilescat, et quo magnum illud catholicæ religionis excidium, quod tot tantisque artibus jamdiu ab hæreticis quæsitum est, impediatur avertaturque. Interim Sanctitati Vestræ et summam precor felicitatem, et me meosque humiliter commendo et offero. Monachii 26. die Decembris ad finem anni MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

XIX. — Dum Bartholomæus a Portia ex Pontificis mandato de novi Præsulis electione tractaret, Rector Senatusque Universitatis studiorum urbis Coloniensis frequentes cum eo sermones habuit de ea inclyta scientiarum sede instauranda, quæ ad hæc usque tempora validum avitæ fidei propugnaculum, ex quo Catholici ac doctissimi viri per universam Germaniam prodierant, extiterat. Cum autem hujus calamitatis publicæ id in causa esset, quod Magistri, qui disciplinas traderent, minus essent idonei, neque eruditissimi viri acciri possent, exigua iis pensione oblata: petierunt (ipso Nuntio auctore) a Pontifice, ut prope jacenti Academiæ certis pensionibus ac beneficiis conferendis consultum vellet. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 221

Beatissime Pater.

Post devota pedum oscula.

« Hæc nostra Coloniensis Academia in omnibus Facultatibus eousque collapsa est, ut nullæ in ea vel paucæ habeantur alicujus momenti tum prælectiones, tum exercitationes, non sine gravissimo utriusque Germaniæ, adeoque totius Imperii incommodo, cujus ista civitas est præcipua Metropolis, in quam intuentur, et a qua auxilium petunt non raro tum civitates multæ.

totaque Coloniensis provincia, tum Principes Catholici, qui per eam suis Ecclesiis prospectum fidemque Catholicam conservatam cupiunt. Ista autem desolatio non aliunde, quam ex stipendiorum inopia provenit, quibus eruditi Professores sustententur. Et tametsi omnis via atque ratio excogitata hactenus fuerit Universitatis juvandæ et pecuniæ ad stipendia inveniendæ, nihil tamen tot annis successit, quod Academiam celebriorem redderet. Quam rem Reverendissimus S. V. Nuntius, Dominus Bartholomæus Comes Portiæ et Brugnariæ perspiciens, simulque pro sua prudentia reputans, quot populorum salus ex hac Academia florente pendeat, mirum præ se tulit desiderium, ut ad pristinam restitueretur dignitatem. Quocirca nos qui pari flagramus desiderio non dubitavimus S. R. D. accedere, cum eaque communicare irrepentes abusus, Professorum neglecta officia ac ejusdem generis alia, et una quoque de remediis deliberare. Proinde cum hæc studiorum Universitas hactenus semper habita sit, et etiamnum haberi Romanæ Ecclesiæ fidelis filia velit, a qua sola initium accepit, et auxilium sperat, re mature considerata, tandem communi consilio judicavimus, aut nullam esse viam jacentem istam Academiam extollendi, aut illam esse unicam, ut per certas pensiones et potestatem beneficia conferendi S. V. huic inopiæ subveniat, prout latius in adjuncto scripto declaratur. Qua ex concessione insignis utilitas non in hanc tantum Diœcesim aut Provinciam, sed in universam Germaniam est promanatura. Nos etiam qui Sanctitati Vestræ devoti esse cupimus, omne obsequium nostrum ad ejus honorem promovendum et Catholicam fidem propagandam addicimus. Coloniæ VI. Maji MDLXXVII.

Beatitudinis Vestræ

Humillimi servi

RECTOR ET ACADEMIA COLONIENSIS.

XX. — His litteris supplicem adjecerunt libellum, quo fusius exponebant, quæ agenda essent, ut ea Academia, omnium opinione abjecta humi, reflorescere posset. (*)

(*) Germania Vol 12. fol 283.

« Explicatio status et modi reformationis Academiæ Coloniensis ad Sanctissimum Dominum Nostrum Dominum Gregorium XIII. Summum Pontificem.

« Ut in hac tractatione ordine progrediamur, primo omnium ante oculos ponendus est istius Academiæ status, qui hoc tempore non talis est, qualem esse conveniret, et omnes boni optarent. Quia tametsi Universitas jam multis annis steterit, utpote quæ sub Urbano VI. anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo octavo initium habuit: nunc tamen pene collapsa est, in iis præsertim Facultatibus, quæ ista tempestate sunt maxime necessariæ, ac potissime in sacro Theologiæ studio. In illa namque Facultate nullæ fiunt lectiones, nullæ vel raræ disputationes, nisi quando fortasse ad promotionem suscipiendam pro more alicui respondendum est: nulla item exercitia, quibus tam sanctum et adeo necessarium studium juvari possit. Sunt quidem Doctores in hac Facultate præsentes novem, Licentiati viginti duo, Baccalaurei quatuordecim; sed nisi exercitia sint, verendum est in posterum, ne vel nullus promoveatur, vel ille cum magno Reipublicæ incommodo fiat magister, qui nunquam didicit esse discipulus.

« Sæpius quidem de firmiter constabilienda Academia ante multos annos est actum; sed variis de causis res pro voto necdum successit. Nam anno millesimo trecentesimo nonagesimo nono Bonifacius IX. jussit, ut ex quolibet hujus civitatis Canonicorum collegio (sunt autem collegia undecim) una præbenda Universitati sic applicaretur, ut ea per Universitatis Rectorem et quatuor Provisores, (qui sunt consules vel consulares viri) quocumque tandem mense ea vacaret, alicui viro atque ad docendum idoneo conferretur, quas præbendas vocamus more hic recepto de prima gratia.

I.

« Atque ut pluribus Professoribus virisque doctis Academia abundaret, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio Nicolaus V., Prædecessoris sui vestigia sequutus, aliam adhuc præbendam in singulis collegiis pari modo Universitati applicavit, cujus collationem licet initio iisdem Rectori et quatuor Provisoribus permiserit, postea tamen certis de causis penes Capitulum Ecclesiæ esse voluit, in qua vacaret, quas præbendas hic appellare solemus de secunda gratia. Ita semper hæc Academia Romanæ Ecclesiæ curæ fuit, tanquam matri dilecta filia. Sed varias ob causas neque ista ratio subvenit omnino necessitati Academiæ; nam propter Chori et Ecclesiarum necessarias occupationes et onera usque adeo gravantur hi, quibus prædictis rationibus providetur, ut functioni Scholasticæ vacare non possint, atque pro dignitate in scholis docere.

« Accesserunt porro præbendæ, quarum collationem Sanctissimus Dominus Paulus Quartus permisit Rectori, quatuor Provisoribus, et quatuor Facultatum Decanis in tribus mensibus Pontificis, quas sic collatas hic appellamus præbendas de tertia gratia, atque hanc concessionem Prædecessores Sanctitatis Vestræ multis annis continuarunt: quæ tametsi in gratiam Professorum, qui illis sustentarentur, facta sit, magis tamen prodesse videtur ad eos juvandos, qui in gratiam Universitatis labores obierunt, quia fieri non potest commode, ut quis Canonicus officium Professoris recte subeat. Ac proinde jacent studia omnia, præsertim in Theologiæ Facultate ob stipendiorum inopiam. In Facultate

Juris utriusque res paulo melius se habet, sicut et in Medicina, propter stipendium a Senatu hujus civitatis assignatum, quod tamen, quia perexiguum est, fit, ut Doctores rarissime per se, frequenter per Baccalaureos doceant, hoc est discipulos per discipulos. In Facultate Artium, seu Philosophiæ sunt tria Gymnasia, Montanum, Laurentianum, et Societatis Jesu; in quibus adeo nulla sunt Professoribus assignata stipendia, ut etiam domus ipsæ sint gravi ære alieno oppressæ. Unde necessum est, ut quæ stipendia Magistris sunt danda, ab ipsis discipulis exigi cogantur, quos sumptus studiosi, ut vitent, vel alio se conferunt ad civitates hæreticas, vel neglecta Philosophia, studioque Theologico, in quo sine Philosophiæ notitia versari non possunt, ad alia studia sese convertunt, vel ex trivialibus scholis, in quibus nihil solidi didicerunt, et in aliquibus hæresim imbiberunt, (quales scholæ, proh dolor, in hac vicinia multæ non desunt) ad sacerdotia, curas animarum, aliaque Ecclesiastica munia assumuntur. Atque hinc factum est, ut innumeræ Ecclesiæ, pastoribus et sacerdotibus Catholicis destitutæ, hæreticos et impios habeant magno totius Germaniæ incommodo. Et quia discipuli Gymnasii desunt, coguntur Regentes et Professores subinde ineptos ad promotionem admittere, ne nullos habeant successores.

II.

« Quanti porro momenti sit, ut hæc Academia juvetur, vel ex ipsa civitatis ditionisque amplitudine et loci situ intelligi potest. Hæc namque civitas Clero abundat tam sæculari quam regulari: sunt in ea undecim Canonicorum collegia, duæ Abbatiæ Monachorum S. Benedicti, quatuor Mendicantium Ordines, aliaque diversarum Religionum monasteria, præter alia plura civitati vicina. Parochiæ sunt novemdecim, atque hic Clerus si non recte instituatur, et cum suo capite Romano Pontifice probe conveniat, facile in detrimentum cedet totius Ecclesiæ. Provincia est late patens, Episcopos Suffraganeos habens quatuor, (præter Trajectensem, qui in Archiepiscopum evectus est) Leodiensem, Monasteriensem, Mindensem et Osnaburgensem: cumque tota hæc provincia a Colonia tanquam matre sua auxilium petat, quia hactenus matri non fuit satis prospectum, ideo neque alibi res probe successit. Nam frequenter ex aliis Germaniæ civitatibus, siquando vel Decani aut Prælati Ecclesiæ vel Pastores desunt, ad hanc Academiam confugere solent subsidium petituri: quibus quia aliquando satisfieri non potuit, patuit ovile lupis, qui plerasque civitates invaserunt magno nostro et bonorum omnium dolore. Neque civitates tantum ejusmodi subsidium a nobis petunt, sed multi etiam Principes, adeoque Imperator ipse concionatores Catholicos postulant, et ipsa quoque Germania inferior, quod delectetur idiomate Coloniensi, non raro sacerdotes et concionatores hinc petunt. Jam vero situs loci est medius inter superiorem et inferiorem Germaniam, multorumque oculi in Belgio Coloniam respiciunt, ut si hæc civitas a fide deficeret, cito etiam universa Germania inferior sit secutura. Nam per Coloniam multa impediuntur, quæ in Belgium ad illud pervertendum devenire nequeunt. Unde existimandum est non sine divino nutu factum esse, ut a B. Petro Apostolo B. Maternus Episcopus Coloniam directus hanc civitatem ad fidem converterit, quasi per eam ceu per ostium panderetur iter in Germaniam inferiorem, quemadmodum id eo tempore contigit, quando idem B. Maternus primus Longerensibus prædicavit, et eadem de causa Divina bonitas non est passa, Coloniensem Ecclesiam a suscepta temporibus B. Petri Apostoli fide catholica in ullam hæresim labi, tametsi aliquando gravissime periclitata fuerit, ne hac civitate corrupta facili negotio ad inferiores delaberetur hæresis. Quin potius semper agnovit se hæc Ecclesia et Respublica Coloniensis fidelem Ecclesiæ Romanæ filiam, prout inscriptio sigilli civitatis, quo in literis et monumentis publicis Senatus uti consuevit, testatur sub imagine Sancti Petri Ecclesiæ hujus et civitatis patroni his verbis: Sancta Colonia Romanæ Ecclesiæ fidelis filia; et in Prosa Sanctorum Coloniensium: Postquam fidem suscepisti civitas prænobilis, recidiva non fuisti, sed in fide stabilis. Accedit eodem, quod hæc Respublica omnium totius Germaniæ sit Metropolis, eique in Conventibus Imperii primæ deferantur. Ac propterea tempore Caroli Quinti Imperatoris diligentissime adlaborarint hæretici, ut civitatem hanc inficerent, corrupto jam tum Archiepiscopo, missis huc præcipuis hæreticorum capitibus Melanchtone et Bucero, sed Divina misericordia nunquam permisit, ut vel minimus eis angulus in civitate crederetur, quin potius deposito Archiepiscopo alius Catholicus est subrogatus. Constat quod in aliis Protestantium civitatibus soleant hæretici in concionibus suis pro hac civitate orare, ut Evangelium illud novum recipiat: et sunt pleræque civitates, quæ se receperunt tamdiu in Religione Catholica permansuras quoad Coloniensis deficiat, adeoque Protestantium multi et præcipui Principes non parvum conatum adhibuerunt, et adhibere non cessant ad civitatem hanc Coloniensem hæresibus suis pervertendam.

« Jam vero pleræque sunt scholæ triviales in vicinis multis oppidis pestilentes, quas omnino conveniat dissipari celebritate Academiæ istius, quod in iis juventus hæresibus imbuta passim in alias civitates errores, quos imbibit, importare soleat. Cum igitur tanta ab hac Republica pendeant, dubium non est, quin maxime referat A-

cademiam hanc, quibus fieri potest, rationibus juvare et promovere, maxime cum hoc tempore plurimæ sint hæreticorum Universitates, in quibus evehendis et promovendis Principes Protestantes nullis parcunt sumptibus.

III.

« Cæterum cum Universitas a Senatu sit impetrata et a Sancta Sede Apostolica instituta, privilegiis aucta, a nulloque nisi a Romano Summoque Pontifice tanquam a fundatore pendeat, nullum est prorsus ejus juvandæ et promovendæ medium, nisi in Sancta Romana Sede prima fundatrice et peculiari matre. Nam Principes nulli unquam istius Academiæ curam susceperunt, nulli Imperatores diplomata sua largiti sunt, nulli ejus superiores præter unum Romanum Pontificem agnoscuntur aut habentur. Senatus quidem protectionem ejus et patrocinium in se recepit, qui etiam Jurisperitos, et Medicos, et nonnullos quosdam oratoriæ Græcæ et Hebraicæ linguæ atque Matheseos Professores pro viribus juvat, sed quia innumeris Imperii contributionibus, aliisque oneribus magnis gravatur, non eam potest in Professores exercere munificentiam, quam Universitatis promotio requirit. Unde et paucæ et non satis accuratæ in prædictis Facultatibus, uti superius dictum est, habentur prælectiones. Proinde si qua reformatio istius Academiæ facienda est, ea necessario a Sanctitate Vestra petenda erit, speramusque non minora largituram S. V. Universitati suæ, quam concesserunt Prædecessores Vestri Academiæ Lovaniensi, Coloniensis filiæ, cui tamen prospicere poterant Duces Brabantiæ et Hispaniarum Reges.

IIII.

« Ratio autem pecuniæ ad danda stipendia colligendæ hæc esse poterit, si Sanctitas Vestra permittat Rectori Universitatis hujus cum quatuor Provisoribus et quatuor Facultatum Decanis beneficiorum omnium per civitatem, diœcesim et provinciam Coloniensem universam collationem in sex suis mensibus, ea conditione, ut in usum Universitatis pensio certa, nempe decima pars omnium fructuum et quorumcunque proventuum, reservetur, quod beneficium nulla alia pensione gravari possit. Hic tamen pauca ista ad Universitatis utilitatem servanda essent. Primu, ut pensio hæc nullo pacto extingui posset. Secundo, ut beneficium hoc modo collatum resignari nisi in manus Universitatis non possit, ne ipsa pensione sua privetur. Et quia in aliquibus collegiis ista consuetudo servatur, ut post collationem beneficii certi sint anni gratiæ, ut vocant, quibus novus Canonicus fructus nullos collati in se beneficii recipit, prohibendum esset. Tertio, ne post mortem provisi ab Universitate Universitas ipsa pensione sua careat, etiamsi nova collatio extra menses Pontificis ab Ordinario facta esset. Quarto, ut istarum pensionum collectio pertineat ad receptorem ab Universitate constituendum, qui quotannis singulorum rationem reddat Rectori, quatuor Facultatum Decanis et trium Gymnasiorum Regentibus, qui inter Professores omnium Facultatum juxta ordinationem desuper ab Universitate erigendam pecuniam distribuere debeant, et ut, cum isti, quibus per hanc gratiam providebitur, pensionem solvere cœperint, illi etiam similem pensionem in futurum solvant, qui primæ, secundæ vel tertiæ gratiæ præbendas habent vel habituri sunt. Atque ut collegium aliquod paulatim instituatur studiosorum Theologiæ, quod annuis censibus stabiliatur, posset etiam istud quinto observari, ut quotquot accipiunt ex Universitatis collatione beneficia, teneantur promittere se fundationem aliquam, si non in vita, saltem testamento relicturos, in sustentationem ejusmodi studiosorum pro qualitate fructuum et tempore professionis, quibus studiosis suo tempore domus emeretur, ubi ad instar aliarum Universitum sub aliquo præside a Facultate Theologica constituendo simul viverent.

V.

« Atque ut ex ista beneficiorum collatione tum Universitas floreat, tum fides Catholica accipiat incrementum, videtur curandum primo, ut nemini beneficium detur, nisi qui sit, ut minimum, in artium Magistrum vel juris Licentiatum in hac Academia promotus, vel promotus quidem in alia Catholica Universitate, sed in ista receptus, ita nemo præbendam assequetur, qui non fuerit Catholice institutus: omnibus autem (nisi aliunde provisum esset) præferatur Gymnasii Regens, et post eum actu docens Magister, qui decem annis in Gymnasio docuit, modo sit beneficii capax; deinde juxta ordinem quatuor Facultatum, Theologiæ, Juris, Medicinæ et Artium, qui in superioribus Facultatibus sit, ut in minimum, Licentiatus, in Facultate autem Artium per ordinem trium Gymnasiorum ex commendatione Regentium, qui in ea servabunt et antiquitatem et merita. Secundo, ut in collatione beneficii edat coram Rectore et testibus ac pedello fidei professionem juxta declarationem Concilii Tridentini; tametsi eam alias etiam sæpius edidisset, eique subscribat. Tertio, ut in eadem collatione promittat et juret, se obedientiam Rectori Universitatis (quandiu quidem hoc beneficium obtinebit) præstiturum, ipsum de vitiis aut peccatis suis monenti; cui Rectori sit potestas adversus ejusmodi procedendi, si vitia deponere recuset, etiam usque ad beneficii privationem; id tamen ei declarando, quod per hanc obedientiam Rectori debitam non subtrahatur obedientiæ Ordinarii sui, sed quod per diversorum superiorum vigilantem curam in officio melius continebitur; nam si ab Ordinario correctus emendetur aut

privetur, Rector supersedebit. Hac ratione efficietur, ut non solum fides Catholica per omnes Ecclesias provinciæ conservetur, sed omnia etiam graviora peccata, ut concubinatus et id genus alia notiora crimina tollantur.

« Et quia ista concessione Sanctitas Vestra hanc Academiam quasi noviter fundabit, et de tota Coloniensi provincia, adeoque Germania universa optime merebitur, agnoscimus æquum esse, ut Coloniensis Universitas in posterum peculiari veneratione Sanctæ Apostolicæ Sedi sit addicta, ejus honorem et auctoritatem tueatur, fidem Catholicam atque Romanam tenacissime servet, constantissime defendat, diligenter propaget, fideliter Romano Pontifici obediat, atque in hac Germania sit tanquam instrumentum, quo errores et hæreses per Sedem Romanam pellantur. Ac proinde recipit Universitas se ista facturam, quo intelligat Sanctitas Vestra indulta ista non sine fructo esse concedenda.

I.

« Ut trium Gymnasiorum Moderatores, Montani scilicet, Laurentiani et Societatis Jesu, a tempore, quo ex pensionibus prædictis necessaria stipendia consequentur, minerval, quod hactenus a studiosis extorquere coacti sunt, ipsis studiosis remittant ac gratis eos doceant.

II.

« Ut non modo prælectiones Biblicæ, verum etiam scholastica Theologia, quæ aliquandiu ob horum temporum injuriam in Germania negligitur, iterum magno studiosorum commodo restauretur, eique duo deputentur Professores.

III.

« Ut lectiones in sancta Theologia non conferantur a Facultatis ejusdem Doctoribus, nisi alicui illorum, qui prius specimen aliquod sui talenti vel docendo vel disputando dederint, idque juramento præstito, se eum eligere, quem judicant ad hoc munus aptissimum esse, studiosisque quam utilissimum fore. Atque ut liberior sit electio, secreto scrutinio fiet.

IIII.

« Ut in omnibus Facultatibus assumpti Doctores et Lectores professionem edant fidei juxta formulam ex Concilio Tridentino jussu Pii IV. Pontificis Maximi conscriptam, idemque observetur in studiosis, ne ulli ad promotiones sine eadem professione fidei admittantur.

V.

« Ut Doctores singularum Facultatum officium docendi nunquam interrumpant, aut si fecerint, stipendium sibi pro tempore neglecti muneris subtrahi æquo animo ferant, nisi notoria excuset infirmitas.

VI.

« Ut Rector Universitatis diligenter advigilet in eis, qui per collationem Universitatis beneficia consecuti fuerint, monendis et corripiendis, et quolibet trimestri, quo tempore solet pro more Universitas convenire ad novi Rectoris electionem vel veteris confirmationem, ipsi Universitati aperiat, quid ista in parte egerit. Et ut hic nulla committatur negligentia, curabitur, ne quis in universi studii Rectorem unquam eligatur publico aliquo crimine infamis.

VII.

« Ut Facultates omnes statuta sua revideant, atque reforment, hucque omnia referant, ut fides Catholicæ Romanæ Ecclesiæ propagetur et conservetur, studiosi ex scholis hæreticorum huc alliciantur, illique in fide Catholica et bonis moribus instituantur; denique ut pax inter Facultates et Gymnasia foveatur, neque ullis futuris temporibus in Decanum eligatur scelere et manifesta turpitudine notatus.

VIII.

« Et quia quotquot inde usque a tempore Lutheri in hac Academia numero studiosorum ab Universitatis Rectore adscripti sunt, jusjurandum dederunt, se fidem et religionem sanctæ Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ sub obedientia unius summi Pastoris Romani Pontificis colere, ac in eadem perpetuo durare et perseverare velle; illa enim inter alia sunt verba juramenti: operam dabit Universitas, ut illa formula jurisjurandi deinde multo magis observetur.

IX.

« Ut quolibet triennio, quando istius concessionis confirmatio petenda erit, Rector Sanctitati Vestræ aut Successorum vestrorum per literas rationem reddat progressus Academiæ et eorum, quibus de beneficiis provisum fuerit, ut intelligat Sanctitas Vestra, quis fructus ex ista concessione in Rempublicam redundet. Petit autem Universitas, ut confirmatio illa triennalis gratis et sine sumptu concedatur, atque ut Sanctitas Vestra quolibet triennio visitatores Academiæ designet, et hujus Indulti, præter Rectorem, aliquos perpetuos executores deputet.

Altero libello modos exponunt cogendæ pecuniæ ad augendum Professorum salarium.[*] [*] Germania Vol. 43. fol. 502.

« Multi sunt cogitati modi hanc Academiam juvandi et inter cæteros isti, quorum primus est, ut per contributionem eorum, qui nomine Universitatis in singulis Ecclesiis beneficia acceperunt, Professores alantur. Sed hæc ratio conveniens non est, tum ob tenuitatem redditnum in nonnullis Ecclesiis, tum ob gravamina et labores eorum, quibus hæc beneficia collata sunt, quorum alii Parochiis pauperrimis præsunt, alii Gymnasiis, in quorum usum non parvam suorum redditnum partem conferre coguntur, omnibusque recte subductis vix CC. daleri colligi possent.

« Secundus est modus in colligendis decimis ex singulis hujus diœceseos præbendis. Quæ res fieri non potest ob istas similesque rationes.

« Cleru hac turbulenta tempestate multa subtrahuntur bona ab hæreticis, quibus antea libere uti frui licebat.

« Agri sterilescunt propter inundationes aquarum, similesque varias et frequentes tempestates.

« Magna est eorum omnium, quæ ad victum et amictum Clericis sunt necessaria, caritas.

« Ob iniquitatem temporum bona et fructus suos Clerus innumeris litibus ac judiciis repetere ac persequi cogitur.

« Ob vicina bella perpetua Cleri bona a milite diripiuntur singulis propemodum annis, villæ accenduntur, et plura alia inferuntur incommoda.

« Contributiones et frequentes et magnæ imponuntur ad confirmationes Archiepiscoporum, contra Turcam etc. quæ eo sunt graviores, quod cum antehac Clerus totius diœceseos Coloniensis universus de bonis suis, in cujuscunque etiam ditione sita essent, et sub cujuscunque ditione quidam de Clero commorarentur, non nisi suo Archiepiscopo contribuerit, nunc tamen coguntur non tantum, qui sub vicinis Dominis, sed et qui in ditione Coloniensi resident, singulis tam Ecclesiasticis, quam civilibus Principibus, Ducibus, Comitibus, aliisque Dominis, etiam qui Coloniensi subjecti sunt, de obventionibus in territorio eorum tributum pensitare.

« Tertius modus erat, qui nuper libello supplici Romam misso propositus fuit, qui et ad auctoritatem Romanæ Sedis tuendam, et ad Catholicos Ecclesiasticos, adeoque Episcopos retinendos et promovendos, et ad Academiam juvandam mire valeret.

« Quartus est per nonnullarum præbendarum extinctionem, nempe ut Sanctissimus Dominus Noster in Ecclesia Collegiata apud Sanctum Andream Coloniæ, ubi xxxiii. sunt præbendæ valentes singulæ ccl. daleros, duas non sacerdotales proxime vacaturas motu proprio extinguat. In Ecclesia Collegiata SS. Apostolorum, ubi xxxiii. sunt præbendæ valoris ccxxv. dalerorum, extinguat similiter octo non sacerdotales proxime vacaturas. Apud Sanctum Severinum tres, ubi sunt præbendæ xxiii. valentes ccl. daleros. Apud S. Cunibertum duas, cum isthic sint xxv. tantum præbendæ valentes ducentos daleros. In Ecclesia Collegiata apud gradus Mariæ, ubi xxx. sunt præbendæ valoris singulæ c., aut ut minimum xc. dalerorum, extinguat tres. Præterea in Collegiata Ecclesia, quæ est Bonnæ, quæ præbendas habet xl. valoris ccc. dalerorum, extinguantur quatuor non sacerdotales, quæ proxime vacabunt, cum expressa declaratione, quod in omnibus prædictis tam eas vacationes intelligat, quæ contingent in mensibus ordinariis, quam quæ in mensibus Apostolicis, modo fiant per mortem, quodque preces Regales atque Episcoporum, nec non indulta Apostolica omnia in illis Ecclesiis interea quiescere debeant, saltem in præbendis non sacerdotalibus, quas liberas vocant.

« Præbendarum extinctarum fructus jubeat manere Ecclesiis, sed ea lege, ut Ecclesia S. Andreæ pro unaquaque extincta præbenda quotannis Universitati generalis studii Coloniensis solvat centum quinquaginta daleros bonos, Ecclesia SS. Apostolorum centum quadraginta daleros bonos, Ecclesia Sancti Severini centum quadraginta, Ecclesia divi Cuniberti centum, Ecclesia B. Mariæ ad gradus quinquaginta, Ecclesia Sancti Cassi in oppido Bonnensi centum quinquaginta bonos daleros, cum ea adjectione expressa, quod statim post vacationem uniuscujusque præbendæ incipiat primus annus Universitatis, sic ut ab eo die ultra annum prima solvatur pensio; non obstante eo quod solent esse anni carentiæ post vacationes, quæ per mortem contingunt, scilicet quia in omnibus Ecclesiis memoratis præbendæ iis, qui assiduo resident, multo sunt meliores quam sit pensio, quæ Universitati quotannis solvatur, et Canonici reliqui per extinctionem illam propter exiguitatem pensionis plus habeant lucri, quam per annos carentiæ, vel etiam ex solutione jurium, quæ a novitiis exigi solent, haberi possint.

« Deinde extinguat Sanctissimus Dominus Noster motu proprio et ex plenitudine potestatis Præposituras sex Ecclesiarum Collegiatarum, Sanctorum Andreæ, Apostolorum, Severini, Cuniberti, ad Mariæ gradus et Georgii, ubi Præpositi, qui eas hodie possident, mortui fuerint aut resignaverint, scilicet quia isti Præpositi nihil habent negotii cum Capitulis Ecclesiarum, et ad choros accedunt pro arbitrio, et si nunquam accedant, ut fere fit, integros percipiunt fructus, quos separatos habent a bonis Ecclesiarum.

« Aestimantur autem fructus ad Sanctum Andream ccc. dal., ad SS. Apostolos cccc. dal., ad S. Severinum cc. dal., ad Mariæ gradus ccc. dal., ad Sanctum Cunibertum c. dal., ad Sanctum Georgium ccc. dal.

« Per has extinctiones, postquam tot præbendæ vacaverint una cum istis Præposituris, habebit Universitas annuum redditum perpetuum quatuor millium trecentorum nonaginta dalerorum, quibus si accedant pecuniæ annuæ, quas hodie impendit in Universitatem Senatus, videtur satis fore prospectum Universitati, ut omnes omnium Facultatum et linguarum Professores pro ratione difficultatis annonæ, quæ est Coloniæ, mediocria possint habere stipendia, si juxta geometricam proportionem recte inter eos distribuantur.

« Et quia per hanc dotem a Sede Apostolica conferendam Universitas ipsa quasi de novo instituetur, aut saltem restituetur, æquum est, ut etiam ejus statuta reformentur et tempori accom-

modentur. Proinde omnino necessarium erit, ut Sanctissimus Dominus Noster primum istius suæ voluntatis executorem constituat Reverendissimum Nuncium Apostolicum, quicunque hic futurus est, cui ista capita præscribat.

« Primo, ut de consilio quorundam, quos ipsemet ex Universitate deliget, omnia statuta Universitatis examinet, et pro ratione temporis mutet.

« Secundo, ut per singulas Facultates paucos sibi ex Facultatibus pro sua prudentia assumat, et de eorum consilio statuta singularum Facultatum emendet, huicque reformationi Universitatis accomodet: illud inter cætera nominatim observans, ut sumptus in promotionibus minuantur, diligenterque caveatur, ne ad Gradus in ulla Facultate inidonei admittantur. In Facultate autem Artium ordo juxta solam eruditionem conferatur, et nulla juramenta, nisi quæ necessaria et rationi consentanea sunt, emittantur.

« Tertio, ut circumspiciat de idoneis Professoribus per singulas Facultates, et si tot Coloniæ haberi non possint, aliunde sumat.

« Quarto, ut juxta proportionem initio cuique Professori singularum Facultatum certum annuum stipendium statuat.

« Ne autem quæ initio bene constituta fuerint, paulatim collabescant, necessarium videtur, ut quotannis Universitas per unum aut plures a Sede Apostolica nominandos diligenter inspiciatur et visitetur, utque reddituum Universitatis collector nemini quicquam stipendii solvat nisi tempore visitationis et ex decreto visitatorum, qui decernent, ut detrahatur unicuique pro modo suæ negligentiæ a stato annuo stipendio: id autem quod negligentibus detrahitur, diligentioribus adjiciatur, vel ad alios Academiæ usus reponatur. Posset autem perpetuus esse Universitatis visitator Nuncius Apostolicus, quisvis in his partibus versaretur, vel qui in aula Cæsareæ Majestatis aut in Belgio ageret pro arbitrio S. D. N., qui si per se accedere commode nequiret, committeret visitandi negotium Prælato alicui ex his, qui immediate subjecti sunt Sedi Apostolicæ, qualis esset Abbas Sancti Maximini juxta Treverim, Echternacensis, aut similis probus et doctus, qui ex præscripto Nuncii Apostolici ex ipsa Universitate (non tamen Professores) vel aliunde sibi adjutores ab ipso Nuncio nominandos adjungeret, visitationemque perficeret, ejusque acta Nuncio mitteret. Quæ visitatio non solum valebit ad Professores omnes retinendos in officio, sed ad ipsam Academiam conservandam in obedientia Sedis Apostolicæ.

« Atque ut statim post obtentum diploma Apostolicum possit justa et absoluta reformatio institui, necesse est ut interim, donec tot præbendæ in istis Ecclesiis, de quibus prædictum est, vacent, aliunde tantum pecuniæ conferatur, quantum singulis annis ex præbendis, quæ nondum vacarunt, confici posset, vel etiam ante vacationem omnium præbendarum habeamus quotannis summam supradictam, ex qua Professores per omnes Facultates et linguas sua habeant stipendia: nisi enim stipendia assignentur, impossibile erit Academicos ad Academiæ statutorumque omnium prædictam juxta Nuntii Apostolici judicium reformationem inducere. Ad hanc pecuniam comparandam nullam aliam invenimus viam, nisi ut agatur cum Reverendissimo Coloniensi, qui inducat Clerum suum, ut juxta taxam, quam in contributionibus cæteris observant, perpaucos illos annos, donec præbendæ prædictæ omnes vacent, tantum singulis annis contribuant Universitati, quantum ob præbendas nondum vacantes ad statum et supradictam summam desideratur. Quæ contributio cum levis sit, et singulis annis fiat levior, ac tandem post paucos annos plane cesset, non facile posset negari a Clero, qui ex decreto Concilii Tridentini ad sustentationem Seminarii tenetur, a quo onere relevatur, saltem donec plenam dotem suam Academia possideat. Aut si placeret Suæ Sanctitati pro paterno suo favore ad paucos annos aliunde providere, ne res tanti momenti differatur, neve penitus intermittatur.

XXI. — Electio quoque Monasteriensis Præsulis Gregorii animum hoc, ut superiori anno, valde sollicitum habebat. Omnia ita bene composita videbantur, ut Ernestus Bavarus, favente majori et juniori Canonicorum parte ac Duce Clivensi, Episcopus renunciaretur; sed Westerholtius quidam Canonicus et ipse Monasteriensis, qui dignitatem Scholastici obtinebat, vir vaferrimus, turbulentiorisque ingenii, collegas suos juniores in primis, qui suopte ingenio rebus solent studere novis, circumvenit, eis auctor est, ut Henricum Julium Brunsvicensem Postulatum Bremensem et Halberstadiensem, cujus sæpius transactis annis mentio inducta est, in Episcopum sibi postulent, rejecto Bavaro. Dux Clivensis nil prætermisit, quominus statim Gregorium de iniquis horum molitionibus doceret, et exoravit vehementer, ne eorum postulationem sua confirmaret auctoritate. (*)

(*) Germania vol. 27. fol. 7.

Sanctissimo Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. SS. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Colmo.

Post debitam more Majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque in Christo Pater, Domine Clementissime. Quandoquidem inter cætera Sanctitatis Vestræ pastoralem sollicitudinem deceat, præsertim hoc exulceratissimo sæculo, ut illi Episcopatibus præficiantur, qui non solum ipsi egregium Orthodoxæ specimen Religionis aliarumque virtutum præ se ferant,

sed etiam quorum Parentes et Majores catholicæ fidei constantia pietateque perluxerunt, Vestra sane Sanctitas Reverendissimum Illustrissimumque Principem et Dominum Ernestum e Comitibus Palatinis Rheni et Ducibus Bavariæ oriundum, Administratorem Frisingensem, cognatum meum percharum, perclare dignum judicavit, qui in locum filii mei Johannis Guilhelmi Episcopus Monasteriensis sufficeretur: et ob id, ne filius meus, nisi Domino Ernesto Administratore Frisingense successore declarato, aut alias S. V. inconsulta, de postulatione Monasteriensi de se facta decederet, provide et pie mandavit. Etsi vero Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis, Carolo Friederico filio meo piæ memoriæ vita defuncto, ut Johannes Guillulmus alter filius meus postulationem illam a se abdicaret, illique alium Ecclesiæ Monasteriensi Præsulem eligendi liberam potestatem præstaret, valde urgeret instaretque, ego tamen Sanctitatis Vestræ pium et salubre judicium animumque sequendo (maxime cum variis technis et machinationibus rem agi persentiscerem) non aliter postulationi Monasteriensi renuntiandum existimavi, nisi Capitulum Monasteriense prius unanimi consensu futurum soccessorem designaverit. Quamquam modo Capitulum Monasteriense, ablegatis ad me duobus suis Canonicis, e quibus etiam fuit Conradus a Westerholt, hoc temporis ejusdem Ecclesiæ Monasteriensis Scholasticus, et constitutus locumtenens Vicarius ordinati regiminis Diœcesis Monasteriensis, mihi significari curavit, se futuræ postulationis negocium tractasse, Administratorem Frisingensem placere, et communibus suffragiis statuisse alium non eligendum seu postulandum, nisi eum, cum quo prius, ex veteri Ecclesiæ more, de certis quibusdam articulis et capitulis ad Ecclesiæ Monasteriensis ntilitatem spectantibus, nec non assecuratione eorundem conventum transactumque fuerit. Quin etiam idem Conradus a Westerholt apud quosdam meos Consiliarios, suspicionem in quam inciderat, quasi is, allectis ad se junioribus Canonicis, et cum iis vetita conspiratione contra Administratorem Frisingensem pro Postulato Bremensi facta, totam causam et actionem inchoatam valde perturbaret, secreto majorem in modum se purgare conatus fuit, rogavitque, ut si in quam indignationem inclementiamque apud me idcirco incurrisset, ipsi submovere vellent. Quod juniores sibi conciliasset atque obstrinxisset, id magis in rem Administratoris Frisingensis factum fuisse, ut sic melius in officio continerentur, et a suo nutu pendere cogerentur, se Administratori Frisingensi non defuturum; idque iterato et secundo ex intervallo æque constanter affirmavit, adeo ut de illius fide nulla amplius dubitandi occasio superesse deberet. Sic accidit, quod Legati Bavarici evocati, et cum iis in generali Capitulo, ad hoc singulariter indicto, de articulis illis et capitulis atque assecuratione plane conventum et transactum: quin etiam capitulatio et assecuratio pacta, conventa, subscriptione et sigillatione perfecte absoluta, ab eodem Capitulo (sub tamen Sanctitatis Vestræ beneplacito) acceptata et approbata fuerit, ita ut aliud nihil reliquum foret, quam ut eum, cum quo capitulatio inita et assecuratio sumpta, Episcopum postularent. Dies Postulationis XXIII. Februarii indicitur: die adveniente adsunt Legati Bavarici et mei frequentes. Qui tamen pridie cum sibi adhuc a Conradi a Westerholt et suorum gregariorum, quos sibi confœderasse dicitur, versutiis, quasi idem ille Conradus a Westerholt cum suis complicibus talem postulare niteretur, qui Sanctitati Vestræ omnino displiceret, nonnihil metuerent: com eodem sermones miscent, animum ejus expiscari conantur, ille rursus bonam fidem pollicetur, jubet eos securos esse, et summum favorem sui et suorum complicum erga Administratorem Frisingensem egregie fingit et simulat. Postridie vero Capitulum Monasteriense decretum postulationis filii mei sibi restitui et resignationem fieri postulat, ut ad novam postulationem progredi posset. Respondent quidem Legati mei, se in mandatis habere, decretum reddere, sed etiam ipsis injunctum et primum explorate percipiant et cognoscant, utrumne, juxta capitularem conclusionem et declarationem mihi factam, ad capitulationem et assecurationem institutam et perfectam in postulationis negocio canonice procedere decreverint. Quod cum universum Capitulum adfirmaret, et Legati mei ea conditione et decretum postulationis filii mei reddidissent, ecce, Beatissime Pater, præter omnem spem et expectationem in ipso limine et initio inchoatæ novæ postulationis Conradus ille a Westerholt, tanquam unus ex scrutatoribus, summam infidelitatem, subdolamque perfidiam ac conjurationem illam sub gravi mulctæ, pœnæ et censurarum interminatione sacris Canonibus prohibitam jam aperte prodit, detegit ac propalat, ita ut eo ipso postulatio etiam scrutiniis instituta in ipso ingressu dissoluta et dissipata fuerit, ac reliqui deputati scrutatores, utpote videntes, quod illum postularet, quem Sanctitati V. omnino displicere ex Sanctitatis V. Brevibus sciebat, et sic haud obscure conjiciebant, quod eundem, Sanctitate V. invita, factione sua ad Episcopatum Monasteriensem provehere studeret; idcirco ultra scrutando ad tertii scrutatoris suffragium destiterunt. Quamobrem Legati mei, dolo et simulatione turpiter decepti, decretum postulationis filii mei jure optimo repetierint, receperint, et si qua facta resignatio, eandem revocaverint. Ac post meus filius, re cognita, et dolo intellecto, non solum quod a Legatis meis actum gestumque

fuit, justissime ratum habuit, verum quoque insuper ipse revocavit, rescidit, declaravit, attestatusque fuit, quod omnino stet sententia, tam diu jus Postulationis suæ sibi retinere et salvum conservare, donec Sanctitas Vestra quod ad Dei honorem et gloriam, publicum Ecclesiarum bonum, et orthodoxæ fidei undique impugnatæ et oppressæ propugnationem, commodum et salutare fore judicaverit statueritque. De quibus omnibus quandocunque Sanctitati Vestræ benigne placuerit, Agens meus, quem Romæ habeo, Wolfgangus Hamerstein, cui hoc in mandatis dedi, prolixius et explicatius informare poterit, cui cupio in eo fidem adhiberi. Porro nisi modo Sanctitas Vestra auctoritate Pontificia, et clavibus sibi a Domino nostro Jesu Christo Salvatore concreditis, tam effrænatam impudentiam, vanitatem, dolos, fraudes et imposturas ecclesiasticis viris indignas, nec non sacris Canonibus adversas, in primis autem in eo, qui vices Administrationis Diœcesis Monasteriensis gessit, notandas, quibus et Bavarum et me, nostrasque familias et prosapias pro sua libidine ludibrio habere, omnibusque publice derisui exponere, et quasi proculcare ausi sunt, pro meritis puniat, ac tam abominabilem conspirationem, quam etiam manuum subscriptione et annulorum impressione munivisse, etiam eorum confessione constat, dignis pœnis et censuris ecclesiasticis ita compescat, ut alii exemplo deterriti tale quid in posterum machinari non præsumant; profecto et de Sanctæ Sedis Apostolicæ authoritate et Cathedralium Ecclesiarum dignitate, et insuper ortoduxa et avita fide (pro dolor!) male ominari cogor. Dispiciat itaque Sanctitas Vestra ac secum animo perpendere dignetur, anne expediat et necesse sit, quod Sanctitas Vestra motu proprio et ex summo pastorali officio Conradum illum a Westerholt cum Bernhardo a Bueren Vicedomino et Bernhardo Smisinck Bursario, tanquam præcipuos duces, aoctores et signiferos tam interdictæ molitionis factionisque, omni voce et voto exuat et privet, Romam ad se evocet, ut se coram Sanctitate Vestra ipsi sistant, meritorum condignas pœnas laturi, et reliquis, Dño Decano et Senioribus scilicet, demandet, ut illi post resignationem a filio meo ad Sanctitatis V. nutum faciendam, ad novam Postulationem secundum sacrosanctos Canones et S. V. consilium et mentem instituendam decenter procedant, et reliqui juniores Canonici commemoratæ illicitæ conspirationis juramento renuncient, ac se Prælato suo et Senioribus Capituli adjungant. Quod Sanctitas Vestra illud, vel aliud quod magis expedire singulari Sanctitatis Vestræ prudentiæ videbitur, facere et exequi, nec non ad postulata Capituli Cathedralis Ecclesiæ Monasteriensis rebus exulceratis mox et statim (cum summum periculum in mora versetur) succurrere, et mentem suam declarare non dedignabitur, ut ego illud ipsum maxime ad divini nominis gloriam et honorem fieri, ac quoque honoris et existimationis nostræ, qui graviter læsi sumus, nostrarumque familiarum rationem haberi obnixissime peto. In bonam spem venio, quod paci ac tranquillitati Diœcesis Monasteriensis, quæ alias valde periclitantur, recte consuli, et multis aliis malis impendentibus commode occurri queat, ne in flammam post non ita facile restinguendam (pro dolor!) quod Deus clementer avertat, erumpant. Ac quoniam insuper idem Conradus a Westerholt cum suis complicibus Ecclesiam Monasteriensem vacare prætendunt et jactitant, ne quoque eam ob rem Ecclesia detrimenti aliquid patiatur, Sanctitas Vestra velit eam, quam dolo inducti fecerunt resignationem, quæ etiam alias absque S. V. consensu nullius momenti et roboris existit, nihilominus irritam pronunciare et Capitulo Monasteriensi serio mandare, ut filium meum pro Postulato agnoscant, quoad Sanctitas Vestra in resignationem consentiat, et de successore legitimo canonice provisum fuerit. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram ad universalis Ecclesiæ dignitatem utilitatemque quam diutissime superstitem conservare dignetur. Datæ ex Arce nostra Dusseldorpensi XIII. mensis Martii Anno Domini MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

GUILHELMUS DUX JULIÆ ETC.

Idem alteris litteris spem facit Pontifici, fore, ut Westerholtius et ejus partis Canonici resipiscant, et in cognatum suum Ernestum Joanni Guilelmo filio suo subrogandum cum saniori Capituli parte conveniant: quod ut fiat se filiumque suum adniti maxime; quod si frustra sit, acrius ecclesiastica censura in eos animadvertendum esse. Quo vero id fieri commodiori ratione posset, sibi videretur Wolfgango Hammerstenio res suas Romæ agenti mandandum, ut Sanctitati Suæ totum negotium humillime exponeret. [*]

[*] Germania Vol. 27. fol. 11.

Post debitam more Majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater. In quo statu Ecclesia Monasteriensis, quibus periculis et rerum discrimine hoc exulceratissimo tempore reperitur, et quid vereatur, meis literis, superioribus mensibus ad Sanctitatem Vestram missis, cupiose significavi, ita quod, istis malis imminentibus avertendis sua providentia et pastorali cura jam prospectum et obviam itum esse, mihi pro certo persuasum habeo. Interea autem temporis Conradus a Westerholt Scholasticus Ecclesiæ Monasteriensis et alii juniores Canonici, sub nomine cujusdam Johannis Nagel, Senioris decrepitæ ætatis, et quasi deliri, Venerabilem Dominum Decanum prædictæ Ecclesiæ

requisierunt, et admonuerunt de facto, quatenus in hujusmodi negocio Postulationis vel Electionis die vigesima tertia Februarii proxime præteriti incepto procedere et continuare deberet, alioquin sese infra trimestre tempus novum Prælatum hujus Ecclesiæ postulaturos vel electuros, plane constituisse. Et cum, Pater Sanctissime, ea, quæ de novo emergunt, novis indigeant auxiliis et remediis, hinc filius meus Johannes Guilhelmus prædictæ Ecclesiæ Postulatus, zelo pietatis, et sola causa catholicæ nostræ Religionis publicæque tranquillitatis, subditorum salutis et incolumitatis conservandæ inductus, ad Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam ab hujusmodi requisitione et aliis gravaminibus nulliter factis a die notitiæ extrajudicialiter provocavit et appellavit, eosque omnes, ut ad diem sexagesimam coram Sanctitate Vestra Romæ in judicio, sententiam super contentis in appellatione audituri, sese sisterent, citari fecit. Tandem hujusmodi appellatione sic interposita et exequuta, ipse Westerholt et sui complices a Deputatis Regiminis persuasi, totum negocium ad S. V. declarationem et decisionem sine ulteriori innovatione (quod faxit Deus) remiserunt. Quod si itaque adversarii Sanctitatis Vestræ piis monitis auditis et sententia lata resipiscent, et in viam redibunt, eorumque suffragia votis et suffragiis sanioris partis Capituli ad Reverendissimum et Illũum Ernestum Administratorem Frisingensem, cognatum meum, in locum filii subrogandum et substituendum conjungent, data filio meo licentia resignandi, mitius ad tumultus evitandos pro communi pace et tranquillitate tunc cum ipsis videretur agendum, in quibus S. V. suo consilio ex paterno affectu adesse, et Ecclesiam adjuvare dignabitur. Sin autem, ut sæpe, S. V. et alios deludere et decipere, quod valde ex anteactis metuendum, pergent, opus fuerit severa disciplina ecclesiastica in eos animadvertere et exempla statuere. Quibus vero modis et mediis hoc pro ratione temporis, loci et personarum fieri posse existimem, Wolfgango Hammerstein Agenti isthic meo mandavi Sanctitatis Vestræ humiliter exponere. Quem ut audiat et fidem adhibeat, Sanctitatem Vestram humiliter rogo, quam Deus Optim. Maxim. sua divina gratia diu ad Ecclesiæ sanctæ exaltationem et populorum salutem sospitem conservare dignetur. Datæ ex Arce mea Dinslachiana sexto Idus Maji anno Dñi MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

GUILHELMUS DUX JULIÆ ETC.

XXII. — Eadem fere perscribit Gregorio Albertus Bavariæ Dux, qui subdolas Westerholtii artes fusius persequitur. [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 82.

Beatissime in Christo Pater Domine mi benignissime, humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima.

« Cum in eo jam versari Monasteriensis Ecclesiæ negotium arbitrarer, ut non solum ad manifestam Sanctitatis Vestræ voluntatem Canonici simul omnes accederent, sed re fideque integra præstarent, quod et verbis et scriptis ex communi totius Capituli consensu sese facturos ampliter admodum et solemniter receperunt, en Beatissime Pater, subito conversis juniorum animis, alia inopinata prorsus enascitur rerum facies. Posteaquam de constanti Sanctitatis Vestræ in filium Ernestum propensione satis constabat Monasterii de capitulatione, qua filius Ecclesiæ isti obligaretur, Canonici inter se agere cœperunt, ejusque exemplum per Westerholtium Scholasticum et eo tempore Monasteriensis Episcopatus locum tenentem miserunt ad Illustrissimum Principem, affinem meum dilectissimum, Juliæ Ducem, ut ad me inde perveniret. In quo quidem deliberato factum fuisse existimo, quod Westerholtius causæ isti agendæ datus est, utpote cujus ab initio statim dubia erat fides propter Bremensem factionem, cui admodum studebat. Juliæ porro Dux accepto obligationis scripto, tanquam firmissimo capitularis propensionis atque fidei argumento, auditisque amplissimis Canonicorum promissis, statim de omnibus ad me perscribit luculenter, sic ut parvo admodum interveniente deliberationis spacio dies certa negocio destinaretur, quæ optatum adferret Monasterii eventum: nec ita longe post Consiliarios misi viros graves, qui una cum Juliacensibus adjunctis, meo filiique nomine rem omnem apud Capitulum conficerent. Quibus cum nihil appareret sinistri, nihil a propositis acceptisque conditionibus alienum, novaque subinde a Westerholtio præsentium verba bona darentur, et capitulationis ipsæ tabulæ ex concordi sententia scriptæ, atque hinc inde tam propriarum manuum, quam sigillorum impressione firmatæ essent, dies ad ipsum postulationis actum communi consilio dicitur. Verum quia in his quæ ad Ecclesiæ ac Reipublicæ firmamentum pertinent, doli fraudesque divinæ providentiæ vi mirabiliter sæpe aperiuntur eliduntur que: ita in hac quoque causa manifeste contigit. Suspicione etenim incertæ fidei, qua nec dum satis liber erat Westerholtius apud seniores Canonicos, prudenti illorum consilio institutum est, ut res tota per scrutinium ageretur, ipseque Westerholtius ex scrutatoribus tribus unus esset: cujus cum post Præpositum primum scrutatorem alterum audiretur votum, per summam improbitatem de animi fideique scelere ipse aperuit, delata ad Bremensis partes sententia sua. Ex quo quidem nefario hominis facto, quia multorum aliorum animi metuendi videbantur, Seniores, ne incertis unius diei consiliis tanta res cum periculo committe-

retur, totum institutæ actionis processum sustulerunt. Nihilominus qui veterem suam malitiam nova jam iterum audacia cumulasset, tam addictos habuit suis partibus juratos, ut eorum, qui juniores omnes sunt, de studio suo nemo admodum celaret, atque ita Bremensis factio de xvi. Canonicorum votis certa propemodum victoria insultare potius, quam fidem datam, aut superiorem oblitam actionem excusare videretur. Neque enim ii ullo vel Collegarum, vel Juliacensium Consiliariorum, vel aliorum denique bonorum virorum monitu, ullave cohortatione justa atque gravi ad saniorem mentem inflecti potuere, adeo nil infame illis, nil turpe erat, qui a virtutis fideique honore ad explendam corrupti animi libidinem transilierant. Hoc itaque pernitioso schismate dissecto per unius hominis temeritatem Monasteriensis Ecclesiæ Capitulo, habet jam Sanctitas Vestra, cum quibus pro suo jure et Ecclesiæ dignitate agat, homines leves, inconstantes, vix ulla fide aut virtute, sola forsitan Apostolici culminis authoritate ad officium adigendos: tales nimirum, qui non attenta, quæ præsentibus ipsis publico Capituli consilio facta fuerat, transactione, neque curata famæ suæ honorisque dignitate, insciis neglectisque Senioribus et Prælatis, absque ullo Capituli assensu, clam, alia privata temeritate pacta ingrediuntur cum eo, quem diu jam sciveront hoc animo, et hac religionis incertitudine probari nunquam posse Sanctitati Vestræ. Cui quidem ego sollicite non perscribo, certus de summa ejus sapientia, bonitate et constanti erga me meosque benignitate. Quia vero Prælati, Seniores,elioresque de Capitulo xii. in fidei verborumque suorum veritate immoti perstant, adque unam illam, quam Sanctitatis Vestræ voluntate semel susceperunt, conservandæ Ecclesiæ suæ curam unice intendunt, consilium, quod per me Commissarium suum Racsfeldium explicabunt, non abs re fortassis erit, certe si Sanctitatis Vestræ sanioribus ac potioribus istis de Capitulo et Prælatis sua authoritate clementer adsit, si institutam rem perficere jubeat, illorumque vota gravia et ex justis rationibus profecta, cæterorum, etsi plurium, juniorum tamen leviorum, ipsaque facti sui turpitudine jam notatorum temerariis motibus præferat, non abjicio animum, quin Sanctitas Vestra voluntatis sæpius declaratæ, totque mandatorum suorum eventum gratum et commodum brevi sit visura. Atque hic etiam non desunt rationes, quibus ab omni tam activæ quam passivæ vocis usu arceat et suspendat Sanctitas Vestra eos, qui tot nominibus ea dignitata jam sese fecerunt indignos. Qui si in persona propria antesignani maxime vocentur ad Urbem, factique sui contra Canones sacros et Ecclesiarum immunitatem iniquissime commissi causas rogentur, non proferent ad sui defensionem, credo, quod facile sit satisfacturum. Hocque modo dejicientur a postulationis munere, qui votorum pluralitate jam periculum adtulerunt, superioresque fient potiorum digniorumque sanæ sententiæ. Interim tamen dum tale quoddam conservandæ rei medium sibi accipiat Sanctitas Vestra, non abs re futurum erit, si ea ad Capitulum primum perscribat, se minime ratam habere factam a Juliacensi Principe resignationem: ipsum vero Juliacensem Ducem hortetur, ut is filii priorem postulationem manu teneat, Ecclesiæ Monasteriensis negotia, sicuti præsentes difficultates esposcere videantur, constituat, tueaturque, et Seniorum Prælatorumque integritati pro viribus adsit, si forsan adversæ factionis motus aliqui Ecclesiæ imminere videantur. Scio autem Sanctitatem Vestram sua sponte facturam plura quam ego suggessero facile. Quia vero hic communis laborat causa, ac de honore quoque meo agitur, quem per istorum hominum levitatem in discrimen adduci, indignissimum judico, rem pluribus explicare volui: nec patior etiam ullum apud me desiderari juvandæ tuendæque ejus officium. Valeat Sanctitas Vestra diutissime incolumis, mei meorumque constanter ac benigniter amans. Datæ Monachii xxiv. die Martii anno MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.

XXIII. — Cum Gregorius accepisset Monasteriensium Canonicorum discordias in dies augeri, suum iisdem prodit dolorem, suadetque, ut rejecto Brunsvicensi sibi eum dent Præsulem, quem a se probatum iri jam inde ex superioris anni litteris cognovissent: quapropter Bartholomæum a Portia ad eos missurum, qui rem expediat, scribit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 209. f. 316.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Expectabamus incredibili cum desiderio vestræ dignitatis et pacis, vestræque Ecclesiæ amplitudinis, ut deposita omni simultate et discordia nihil aliud cogitaretis, nisi de eo Episcopo deligendo, quem sine ulla dubitatione, aut scrupulo confirmare possemus. Qualem autem vobis maxime convenire existimaremus, et sæpe alias perscripsimus, et tum maxime, cum Nos per literas datas superiore anno xx. Martii consuluissetis, quem potissimum probaremus. Nunc autem accepimus vestras discordias in dies augeri, atque ingravescere intestinum malum, quod nisi ab ista contentione desistitis, sine ulla dubitatione præcipites vos aget, dejectque in summas miserias. Dici non potest, quantopere doleamus; nec satis mirari possumus, nonnullos ex vobis suarum literarum ac polli-

citationum oblitos tantopere in Bremensem propendere; quem tamen non ignorant, jamdiu duas Ecclesias sine ulla confirmatione Apostolica occupare, nec unquam fidei professionem ex Tridentini Concilii decreto fecisse, patremque hæreticum habere; tametsi nihil de ipso Bremensi gravius existimamus; quibus certe de causis ipse sibi ad hanc tertiam Ecclesiam aditum interclusit. Quoniam autem pro nostra paterna et perpetua erga vos charitate, proque ea cura et vigilantia, qua Catholicas omnes Ecclesias amplecti debemus, facere non possumus, quin de vobis semper cogitemus, mittimus ad vos dilectum filium Bartholomæum Porciam Nuncium nostrum, qui et rerum vestrarum statum, et vestras voluntates coram perspiciat, quæque ei mandavimus, atque opus esse intelliget, nostro nomine et auctoritate suadendo, hortando, monendo efficiat, curetque, ut et nostræ voluntati satisfaciatis, et summo consensu vestræ tranquillitati et Ecclesiæ istius bono provideatis, remque ad optatissimum finem perducatis. Cætera ex ipso Porcia cognoscetis, eique eandem, quam Nobis ipsis, fidem tribuetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI. Aprilis MDLXXVII. Pontificat. Nostri anno quinto.

Per Cardinalem Comensem cum Senioribus Capituli queritur, quod pertinacia et secessione Juniorum impedita fuerit electio: confidere se eos unam Dei gloriam intueri. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28. ep. 164.

Multum Reverendis Dominis Decano et Senioribus Capitularibus Ecclesiæ Monasteriensis.

« Multum Reverendi Domini. Et Sanctissimo Domino Nostro et mihi, cæterisque omnibus, qui vestræ Ecclesiæ salutem et quietem optamus, grave admodum molestumque accidit cognoscere, juniorum Capituli vestri pertinacia et secessione impeditam fuisse electionem ejusmodi Præsulis, qui tali loco et munere, vestraque omnium fide ac judicio, et Apostolicæ Sedis confirmatione dignus maxime habebatur. Quid autem Sanctitas ejus, re cognita, pro paterna erga vos charitate, et præcipua istius Ecclesiæ cura agendum censuerit, præstans vir, Comes Purlitiarum, Apostolicus Nuntius in istis partibus coram exponet. Ideo plura non scribam, scio enim hortatione vos non egere, ut sublatis dissidiis, solamque Dei gloriam, ac vestram et Ecclesiæ salutem ob oculos habentes, ita vos geratis, ut Deo et hominibus fides vestra cognita et probata sit. Valete in Domino. Romæ die XIII. Aprilis MDLXXVII.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

Quod et Gregorius in hoc negotio nullam curam potiorem haberet, quam ut aditus ad hanc Ecclesiam Henrico Julio Brunsvicensi, qui jamjam duas Ecclesias sine ulla confirmatione Apostolica occupabat, patremque hæreticum habebat, intercluderetur, ex sequentibus literis ad Clivensem Ducem datis facile cognoscitur. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. V. ep. 311. f. 318.

Dilecto Filio Nobili Viro Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Nobilitatis Tuæ datis XIII. Martii aperte cognovimus de gestis Canonicorum Monasteriensium, deque consilio eorum, qui tanto cum artificio et fraude in electione versabantur, quæ sane Nobis molestissima acciderunt. Consideravimus omnia quam diligentissime, sicque judicavimus, nihil necesse esse hoc tempore ea severitate uti, quam rei ipsius indignitas, et illorum hominum obstinatio et perfidia postularet. Satis autem prospectum fore, si eo mitteremus dilectum filium Bartholomæum Porciam Nuncium nostrum, virum prudentem et gravem, qui de toto rerum statu cognosceret, et primum leniter ac mansuete conaretur juniores a tam pravo consilio deterrere; si hac ratione nihil proficeret, acrius urgeret, nostraque auctoritate provideret, ut postuletur dilectus filius Ernestus, quod quidem magnopere cupimus; si vero illi obstinatiores essent, veterem dilecti filii Joannis Gulielmi postulationem manere juberet, cessionemque ab eo factam irritam esse declararet, in quo nihil difficultatis erit, si quidem ille non aliter cedere voluit, quam si Nos cessionem ipsam probaremus, pollicitusque est se a sua postulatione, Nobis ignaris aut invitis, minime discessurum: sic enim speramus irritos futuros juniorum conatus de Bremensi, facileque et sine tumultu illius Ecclesiæ incolumitati provisum iri. Hæc igitur omnia Nuncio nostro mandavimus, quæ etiam planius ex ipso cognosces: jussimus enim, ut cum Tua Nobilitate communicet omnia, quæ et hoc tempore agenda erunt, et in dies evenient. Omnem igitur ei fidem tribues, permanebisque, si ita opus erit, in sententia, neque patieris, ut filius tuus ulla ratione jus ac postulationem suam deponat; sed eam retineat, tueaturque, quoad Nos ei expresse permiserimus, ut eam deponere possit. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XVI. Aprilis MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

XXIV. — Seniores Canonici, qui Ernesto studebant, spe lapsi juniores secum unquam conventuros, petunt orantque Gregorium, ut ad discrimina ab diœcesi arcenda, remorandamque periculosam festinationem jubeat electionem in aliud tempus duci. [*]

[*] Germania Vol. 45. fol. 21.

Sanctissime Pater Domine Clementissime.

« Prostrati ad Sanctitatis Vestræ pedes oscula humilia exhibentes significare debemus. Innotuisse Sanctitati Vestræ superiori anno nos de Episcopo et Antistite Ecclesiæ nostræ postulando cogitasse, ex diversis Brevibus seu literis Sanctitatis Vestræ a Reverendo Domino Casparo Groppero et Nicolao Elegardo doctoribus, no-

his in plena Capituli nostri congregatione porrectis cognovimus. Quandoquidem tum Sanctitatis Vestræ paterna monita percepimus, ut filium potentis et catholici Principis postularemus: ideo ut Sanctitatis Vestræ literis obedienter pareremus, nos de Reverendissimo et Illustrissimo Principe et Domino Ernesto, Administratore Hildesbemensi et Frisingensi, Duce Bavariæ postulando cogitabamus.

« Etsi magna pars juniorum Canonicorum nostrorum conspiratione inter se facta non obscure, et frequenter sese declararent, Illustrissimum et Reverendissimum Principem Dominum Henricum Postulatum ad Ecclesias Bremensem et Osnaburgensem postulaturos; cæterum quum ad nostras et eorumdem humillimas preces Sanctitas Vestra clementer rescriberet, consuleretque, ut ipsi nobis consentirent, et expresse sese declararet, non velle postulatum ad Ecclesiam Bremensem confirmare, adjectis rationibus, et ideo interdiceret, ne nos ipsis assentiremus: ipsi de postulando Administratore Frisingensi nobis unanimiter consenserunt, Capitulatione et Assecuratione cum Reverendissimæ et Illustrissimæ Gratiæ suæ, et Illustrissimi Ducis Juliæ Legatis pro Catholicæ religionis, rerum et jurium Ecclesiæ conservatione conclusa; nihilominus iniquo instigante spiritu mutata sententia, a nobis priorique præposito deficiunt, expresse et in scriptis contra Sanctitatis Vestræ monita se declarantes, salvo honore, eos a Bremensis postulatione discedere non posse, unde conspirationem prædictam, in scriptis (uti dicitur) jam ante conceptam, manifestam fieri Sanctitas Vestra clementer intelligit. Ne igitur ob discordem postulationem forte huic Diœcesi ingens discrimen vel forte impressio insperata accidat, de assensu seniorum Canonicorum ego Decanus postulationem suspendi, cum inhibitione sub pœnis suspensionis et privationis, ne quisquam durante supensione in negotio postulationis procedere audeat. Et quamvis mihi Decano obedientiam et reverentiam omnes Canonici promiserint, coganturque in Capitulo vigore statutorum omnibus de iisdem conquerentibus respondere: nihilominus intelligimus, Scholasticum ac juniores Canonicos obedientiæ jugum excutere, et de potestate mei Decani tam jurisdictionis quam correctionis dubitare. Ne itaque hinc tandem rebellio evidens evadat, Sanctitatem Vestram pro clementi sua ope, consilio et auxilio humillime supplicamus, ut dignetur, quo remedio huic nascenti malo occurrendum sit, paterne declarare, et ad compescendam sedandamque festinationem et subditorum motus tempus postulandi, nonnihil prorogare, hoc ad restaurationem Ecclesiæ et recuperationem obedientiæ apprime conducet. Sanctitatem Vestram Deo Optimo Maximo incolumem pro Ecclesiæ universalis salute commendamus. Datum Monasterii Westphaliæ sub sigillo Capituli nostri ad causas 23. mensis Aprilis anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Sanctitatis Vestræ

Humiles et devoti

PRÆPOSITUS, DECANUS ET SENIORES CAPITULARES ECCLESIÆ MONASTERIENSIS.

Econtra Bavarorum Dux, qui ægre admodum ferret, se filiumque suum Ernestum male habitos, stirpis suæ dignitatem atque amplitudinem ab junioribus Capitularibus per summam injuriam fuisse contemptam, Gregorio insinuabat, gravibus quidem rationibus, ut ad artes juniorum eludendas et discordiarum auctores comprimendos apostolica auctoritate uteretur. [*]

[*] Germania Vol. 99. fol. 87.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Dñe mi Benignissime.

Humilem obsequentissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devotissima.

« Cum nuper de Sanctitatis Vestræ voluntate circa Monasteriensis Ecclesiæ causam ex benignissimis ejusdem literis Oratorisque mei scriptis intelligerem, sane, quod summæ Sanctitatis Vestræ sapientiæ atque authoritati debere me videbam, lubens acquievi, spe certa confirmatus, ejusdem Reverendum Nuntium pro spectata sua prudentia et integritate nihil eorum non dexterrime pertractaturum, quæ ad istius rei eventum optimum pertinerent. Nec alia etiamnum opinio me tenet: scio enim, quam alto judicio res omnes ponderet, atque prævideat Sanctitas Vestra; neque me latere potest, de Nuntii Reverendi virtute atque bonitate. Quod si tamen hic apud Sanctitatem Vestram reverenter admonuero de iis, quæ ex re nascuntur, id vero non ingratum futurum mihi polliceor. Ac primo quidem obscurum esse non potest Sanctitati Vestræ, quid in Canonicorum Monasteriensium, eorum qui nec Sanctæ Sedi reverentiam, nec verbis pactisque suis fidem ullam hucusque fecerunt, ulterioribus quantumvis splendidis promissis ponendum sit. Neque enim ex primo solum turpi suo facto, quo Ecclesiæ istius dignitatem, communemque Germanici nominis honestatem commacularunt, sed etiam ex subsequuta non ita pridem insolenti admodum protestatione ejus rei argumenta extant. A qua quidem etsi per saniora consilia videntur abducti, adque Sanctitatis Vestræ authoritatem propius accessisse, valde tamen addubitare quis poterit, ne sub eo quoque non lateat novæ alicujus fraudis malitia. Equidem ii, qui honestatem atque pudorem ita semel exuerunt, de quavis alia improbitate suspecti habentur non injuria; ideoque operam dandam censeo, ut salva præ omnibus Sanctitatis Vestræ authoritate sic instituatur negotium, ne id in novum aliquod discrimen conjici facile queat. Quæ porro ad eam rem Illm̃i Du-

cis Juliæ, ipsorumque honestorum Canonicorum consilia sint, repetendum hic mihi esse non arbitror: informabunt de iis illorum scripta, et agentium explicationes vivæ. Mihi, si quod res est, dici debeat, non videtur inconsultum, ut S. Vestra sua, quam a Deo habet, authoritate atque potestate summa graviter hoc loco perfungatur, nec ad ea facile consilia respiciat, quæ temporum nostrorum humoribus nihil non condonandum, indulgendumve suadent. Inde namque quid præsentium vulnerum hucusque sanatum sit, nemo non videt, ipsique repugnantes Canonici benigne indulgenterque habiti, nihilo reddentur meliores, cum ea sit hujus seculi natura, ut connivendo laxandoque deterior ut plurimum reddatur, de quo non incommode testari poterunt, qui Sanctæ Sedis nomine publicis negotiis per hanc nostram ætatem interfuerunt, atque ipse etiam S. V. Nuntius Reverendus locuples erit testis, si quid inter istos homines mitiore processu composuerit hucusque. Quod si tamen ad Urbem evocandi minus videantur, in hoc forsitan aliquid remedii erit, ne valeat ullo modo facta per manifestam deceptionem administratoris resignatio: neve licitum sit ulli parti absque Sanctitatis Vestræ voluntate atque consensu amplius quicquam instituere, aut adtentare. Nam si adversarii suum illud in Bremensem studium nova aliqua machinatione augere volent, Seniores autem atque Prælati cum Provincialium favore honestatem suam non deserere, sed tueri potius, non procul aberunt ab extremis periculis istius Ecclesiæ res, cum quod consilio agi neglectum fuerit, manu forsitan dirimere oportebit. Equidem gravissimi et constantes ex Capitulo viri, ipsaque insignis Ecclesia destitui minime debebunt, si iniquior perurgeat fortuna. Et Clivensis quoque Dux Illũus, affinis meus charissimus, cujus tantum est juvandæ religionis studium, ipseque ego honorem dignitatemque nostram, tam contumeliose ac inhoneste habitam, ut non negligamus, familiarum nominisque nostri decus cum ipsa æquitatis ratione impellent. Neque enim tum de filio redditibus augendo agetur, ubi quæ vita fortunisque omnibus charior esse solet, utriusque dignitas et existimatio tuenda veniet. Novit jam diu satis mentem meam, novit de filio studium Sanctitas Vestra, quod cum Ecclesiæ et religionis Catholicæ augmento semper erit conjunctum, utut tandem cedant filii hæc negotia, cui si se idoneum præstet, nunquam deerit per Dei gratiam, quo se suumque Ordinem tueatur ac sustineat. Rogo autem Sanctitatem Vestram reverenter, ne molestius accipiat effusiores literas, quibus non tam privatam ago, quam Ecclesiæ ac Reipublicæ causam communem. Quod si ad eam, adque optimi Clivensis Ducis meumque honorem asserendum commodiora habet, melioraque consilia, nihil in gerendo more difficultatis, nihil in obediendo erit cunctationis. Bremensis porro partes, si hic impeditas volet Sanctitas Vestra, non desunt forte rationes ex eo suo, quem hucusque declaravit religioni, animo, non etiam ex juniorum ac proterviorum Canonicorum suspecto studio: quod procul dubio ad majoris alicujus libertatis spem directum est. Sed omnia ista in sapientissima consideratione Sanctitatis Vestræ acquiescant, cui me meaque omnia reverenter ac humiliter commendo. Datæ in Civitate nostra Monachio ultima die Maji anno MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.

XXV. — Gregorius itaque tum juniorum Canonicorum diuturna pertinacia, tum Bavari consiliis permotus, gravioribus Ecclesiasticis pœnis objectis, a postulatione Brunsvicensis Capitulares deterret. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 18. fol. 212.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Dici vix potest, quanta cum molestia acceperimus, nonnullos ex vobis adhuc in sua contumacia perseverare, atque in Henricum alias ad Bremensem Ecclesiam postulatum propendere; de quo tamen sæpius scripsimus, ut omnem spem deponerent, causasque item ascripsimus, cur non existimaremus esse e re vestra, atque ex nostra dignitate illum postulari, monuimusque, ut de eo cogitarent, quem quidem possemus sine ullo conscientiæ scrupulo confirmare. Nec satis mirari possumus illos sui obtemperandi officii oblitos, pro nihilo ducere Ecclesiæ suæ bonum, Catholicæ Religionis causam, nostram denique atque hujus Apostolicæ Sedis auctoritatem. Ut igitur nullum vestris commodis providendi locum relinquamus, motusque omnes comprimamus, omnique ex parte nostro officio et muneri satisfaciamus, mandamus vobis tum universis, tum singulis in virtute sanctæ obedientiæ, ut in isto postulationis negocio nullam amplius Bremensis mentionem faciatis. Si qui vero ipsum aut postulare, aut proponere tentaverint, eos ex nunc excommunicamus, proque hac vice omni eligendi ac postulandi facultate privamus, ac per triennium a beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, suspendimus, atque ipso facto excommunicatos, privatos ac suspensos esse declaramus, omnemque eligendi et postulandi facultatem ad alios, qui cum illis non consenserint, devolvi volumus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Earum litterarum ad Monasterienses exemplum Duci Clivensi mittit, eumque hortatur, ut

pro suo et Dei gloriæ et Catholicæ religionis studio illorum audaciæ obsistat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 13 f. 313.

Dilecto Filio Nobili Viro Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salotem et Apostolicam benedictionem. Gravissima Nobis sane est Monasteriensium illorum, de quibus scribis, pertinacia de Bremensi, postquam tam multis literis eos a tali consilio deterruimus, ostendimusque nequaquam esse ex ipsorum re, aut ex nostra dignitate talem hominem postulari, omnemque illis de eo obtinendo spem præcidimus. Laudamus autem magnopere pietatem tuam, et Catholicæ Religionis ac Dei gloriæ zelum. Quid autem optimum factu judicaverimus, et qua ratione cum obstinatis illis agendum esse decreverimus, cognosces ex iis literis, quarum exemplum cum his accipies; sic enim existimavimus Nos et id quod volumus, quodque jus postulat, facile consecuturos, et iniquorum omnium ora obstructuros. Convenit autem pietati tuæ, quoniam taotopere laboras de illius Ecclesiæ dignitate atque incolumitate, ut illorum audaciæ obsistas, omnemque conatum adhibeas, ut nostris mandatis obtemperetur, neque patiaris, ut sacrosancta hujus Apostolicæ Sedis auctoritas negligatur. Erit hoc tua virtute dignissimum, Deo acceptissimom, Nobis gratissimum. Datum Romæ apod S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Juoii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXVI. — Verumtamen sapiens ille Princeps, ne animi seditiosorum magis exacerbarentur, qui freti consilio et ope Archiepiscopi Coloniensis ab infelici illa Brunsvicensis postulatione abduci neutiquam possent, neve novis motibus occasio daretur, consultius fore duxit, eas minitantes Pontificias litteras haud esse Monasteriensibus exhibendas. Sperabat enim, fore ut, deposito ab Archiepiscopo Coloniensi Episcopatu, quam primum lenioribus remediis juniores Canonici ad saniorem mentem possint converti. [*]

[*] Germania Vol. 27. fol. 13.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Papæ Decimotertio S. Romanæ et Universalis Ecclesiæ Pontifici Max. Domino meo Clementissimo.

Post debitam more majorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater Domine Clementissime. Voluntatem Sanctitatis Vestræ quid porro in negocio Monasteriensi agendum, ex ejusdem Sanctitatis Vestræ literis ex Urbe XXVIII. Junii atque adjuncto exemplo earum, quæ ad Capitulum et Canonicos datæ erant, intellexi, cui profecto lubenter obtemperarem atque omnem conatum adhiberem, ne sacrosancta Sedis Apostolicæ authoritas negligatur. Sed quia Sanctitatis Vestræ Brevia, quibus sine consensu facta resignatio declaratur nulla, annullaturque, atque filios meus restituitur dicto Capitulo, ut potremis meis literis Saoctitati Vestræ significavi, exhibita et insionata sunt, necessitate id exigente, ac Decano Ecclesiæ Monasteriensis, viro sane optimo, et de Ecclesiæ ejusdem incolumitate valde aoxio et sollicito vehementer suadente, quibus etiam utraque pars hactenus acquievit. Quoniam vero, juniores Canonici freti consilio et ope Archiepiscopi Coloniensis (qui nihil intentatum relinquit, ut Bremensem ad eum Episcopatum promoveat) posthabitis sanis consiliis, et Sanctitatis Vestræ ac sacrorum canonum authoritate spreta, omoino constituerunt, Ecclesia præmemorata vacante, Bremensem postulare, atque in possessionem de facto inducere, uti pactis authore Conrado Westerholt scholastico interpositis sub pœna amissionis famæ et honoris sese mutuo ad hoc obligarunt; proinde visum fuit hoc rerum statu periculosissimum fore postulationem cum Sanctitatis Vestræ consensu deponere, et consultius eousque subsistere, donec Archiepiscopus Colouiensis se Episcopatu (quod brevi facturus creditur) abdicarit, ac Westerholt et nonnulli præcipui istius conjurationis competentibus remediis compellantur illicitis pactis renunciare, vel juxta sacros canones pœnis, censuris et privationibus coerceantur et amoveantus tamdiu saltem, donec postulatio facta fuerit, eo modo Ecclesiæ Monasteriensi consuli, et Sanctitatis Vestræ authoritas conservari possit. His rationibus adductus, et ne novi motus causa detur, Sanctitatis Vestræ Breve ad prædictum Capitulum et Canonicos penes me hactenus retinendum censui, ot Sanctitas Vestra his cognitis, quid fieri velit, mandare possit, humiliter et submisse rogans, ut Sanctitas Vestra super his omnibus mentem suam mihi significare dignetur. Deus Opt. Max. Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ et Reipublicæ christianæ quam diutissime incolumem servet. Datæ ex Arce mea Clivensi XXVI. mensis Junii anno Dñi MDLXXVII.

Saoctitatis Vestræ

Obsequentiss. filius

GULIELMUS DUX JULIÆ ETC.

P. Langer.

XXVII. — Gregorius Clivensis Ducis pietatem, religionem, animique magnitudinem magnopere laudat, quod, omni temporali commodo in contemptum habito, liberum Confessionis Augustanæ exercitium in ditione sua usurpari prohibuisset: eum insuper in fide Catholica confirmat iisdem rationibus, quibus S. Augustinus summopere sese confirmabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 138. f. 416.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salotem etc. Nihil unquam audivimus impodentius, atque execra-

bilius eorum postulatione, qui cum tuæ ditioni subjecti sint, tamen negant se persoluturos tributum id, de quo in Dieta est actum, nisi prius a Tua Nobilitate obtinuerint liberum usum Augustanæ Confessionis. Quæratur enim ab illis, putentne Confessione illa contineri religionem veram, an falsam? Si veram, quærunt hoc facto Nobilitati Tuæ infamem notam sempiternam, quasi hactenus veræ, ut ipsi arbitrantur, religioni obstiteris, hodieque adduci nequeas, ut eam permittas, nisi emptus pecunia; si falsam, quæ potest esse tanta impudentia? sperare posse se a Catholico Principe falsæ Religionis usum emere. An possunt capitalius atque apertius tuæ laudi et gloriæ adversari? Sed agimus gratias, quantas possumus, maximas immortali Deo, qui te cœlesti virtute armavit, sanctissimoque zelo incendit ad Catholicam Religionem tuendam, exitiosissimaque ista Sathanæ commenta, et fraudes repellendas. Te enim iisdem rebus teneri in Catholica Ecclesia, quibus teneri se ajebat beatissimus Augustinus, certissimum habemus: ut omittam, ajebat ille, syncerissimam sapientiam, quæ in Catholica Ecclesia est, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime tenent: tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista vero Augustana Confessio, ac potius confusio a quibus tandem est conglutinata? qua sapientia, qua vitæ sanctitate præditis? quibus miraculis, quibus prophetiis claris? qua auctoritate Sedis Apostolicæ, a Christo atque ab Apostolis per omnes Episcopos continuata? his enim omnibus Catholicam doctrinam constitutam et roboratam esse, ne isti quidem, quamvis impudentissimi sint, negare audebunt. Laudamus igitur pietatem tuam, utque æquum est quidquid in voluntate atque actione pium, rectumque est, divinæ bonitati acceptum referri, sic ab eadem bonitate precamur Nobilitati Tuæ in omni recta sententia atque actione perseverantiam, quam tandem sequetur certissima merces summæ sempiternæque felicitatis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto. »

XXVIII. — Monasterienses porro Canonicos monet, ut suppellectilem ab Episcopo denatu e suo comparatam, antequam nimirum ad Episcopatum pervenerit, hæredibus ipsius restituerent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 80. f. 387.

Dilectis Filiis Canonicis et Capitulo Ecclesiæ Monasteriensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Accepimus, Episcopum vestrum tum eum electus fuit, multam ac preciosam suppellectilem, aliasque res secum domo attulisse, eaque omnia nunc a vobis retineri, ac successori reservari. Non potuimus deesse ipsius Episcopi fratri in eo, quod jus postulare intelligimus: neque enim jus est, res ex proprio ipsius Episcopi patrimonio comparatas, antequam ad Episcopatum perveniret, tanquam Ecclesiasticas retineri, aut alii quam ejus fratri in his bonis hæredi tradi. Recte igitur facietis, si ea, quæ ex proprio et privato ipsius Episcopi patrimonio sunt, minimeque ab Ecclesia profecta, eidem fratri restituetis, idque ut faciatis hortamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Septembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto. »

XXIX. — Improbandus sane mos in Germania id temporis, ut jam superiori anno memoravimus, invaluerat cum summo Ecclesiæ detrimento, ut fere omnes Cathedralium Ecclesiarum Canonici minoribus tantum ordinibus essent initiati, paucique admodum sacerdotes reperirentur. Cui malo ut occurreret, Gregorius Tridentini Concilii canonibus propositis Episcopos monuit, ut ii saltem Capitulares, qui ecclesiasticas dignitates obtinerent, sacerdotio essent insigniti. En hujusmodi litteræ ad Trevirensem. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 229. f. 236.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Trevirensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissimorum virorum testimonio Nobis confirmatur, Canonicos Cathedralis Ecclesiæ tuæ, qui in ea etiam dignitates obtinent, nunquam hactenus, ut oportuit, ad Sacerdotium pervenisse, idque multis scandalo, et divino cultui detrimento esse. Monemus igitur Fraternitatem Tuam, proque nostra auctoritate mandamus, ut cures eos, qui in dignitate sunt, Sacerdotalem ordinem suscipere; speramus illos, ut par est, filios huic Sanctæ Sedi obedientes, et cupidos cultus divini, id libentissime facturos. Si qui vero contumaces fuerint, habes Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini decreta: iis omnino uteris. Non dubitamus, te hæc pro tua eximia et spectatissima pietate omni studio et diligentia curaturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto. »

XXX. — Neque tamen putes, Præsulem ipsum Trevirensem non fuisse virum in suo munere impigrum et solertissimum: ejus namque cura in animarum salute promovenda ex eo per-

spici potest, quod Patres Ignatianos in suam diœcesim accersiverit, iisque collegium instituerit; in cujus sumptus Gregorium exoravit, ut sibi liceret ecclesiasticos quosdam census destinare.(*)

(*) Germania Vol. 45. fol. 23.

Post debitam obedientiam et devota semper sacrorum pedum oscula.

« Beatissime Pater et Domine, Domine clementissime. Ut Sanctitas Vestra Collegii Societatis Jhesu, in mea Trevirensi civitate a me instituti, et hactenus e Camera mea sustentati, dotationem sua et Apostolicæ Sedis authoritate confirmare dignetur, ea qua decet animi reverentia et demissione rogo atque obtestor. Et maxime quidem, ac nominatim quod attinet ad oppida et villas Arweiler, Reimbach, Witterich in Diœcesi et territoriu Coloniensi, et Avans in Diœcesi et territorio Leodiensi respective sitas, annuumque valorem mille ducentos communibus aureis non excedentes, quæ quanquam ad Abbatiam Prumiensem Archiepiscopali meæ mensæ, propter ipsius Monasterii ac disciplinæ regularis potissimum utilitatem, a Vestra Sanctitate meo rogatu unitam pertinuisse dinoscuntur, eas tamen a dicta Abbatia Prumiensi, et a mea Archiepiscopali mensa separare, atque dicto Societatis Collegio meo sub Vestræ Sanctitatis et Apostolicæ Sedis beneplacito et approbatione, post longam et maturam deliberationem, ad majorem Dei gloriam et Ecclesiæ necessariam reformationem, animarumque salutem, et quidem citra Monasticæ disciplinæ detrimentum assignare et incorporare visum est in Domino expedire. Quin autem id Sanctitati Vestræ pro singulari suo ergs me et meam Trevirensem Ecclesiam, atque ipsam Societatem studio gratum esset futurum, idem paterna pietate et vere pastorali erga nostram Germaniam et universalem Ecclesiam, cui feliciter præsidet, zelo ac solicitudine minime dubitamus. Sanctitati Vestræ, quam Deus in Ecclesiæ suæ solatium diutissime servet incolumem, me et Ecclesiam meam humili devotione commendans. Datæ ex oppido meo Witlich decima quarta Junii anno 1577.

E. S. V.

Devotus Capellanus
Jacobus Archiepiscopus Trevirensis.

XXXI. — Bartholomæus a Portia auctor fuerat Episcopo Argentinensi Collegii Patribus Societatis Jesu erigendi. Quod cum impensas exposceret non exiguas, easdem sibi dari facultates a Pontifice postulavit. (*)

(*) Germania Vol. 15. fol. 18.

«Sanctissime Pater et Clementissime Domine, post devota pedum oscula beatorum sit Sanctitati Vestræ humile nostrum officium ad quævis paratissimum. Beatissime Pater, quandoquidem et evidens nostræ Diœcesis Argentinensis magna penuria catholicorum Sacerdotum laborantis utilitas suadeat, et Sanctitatis Vestræ Nuncii Porcia et (sic) D. Bartholomæus Comes Purliarum diversis temporibus ad nos missi, authores nobis fuerint, ut pro reparanda et conservanda Romana et Catholica Religione perpetuum aliquod collegium Societatis Jesu erigamus, atque ad illud alendum et conservandum aliorum quasi desolatorum Monasteriorum vel alias simplicium beneficiorum bona transferamus, ut in eodem juventus pie et catholice instituatur, et ad sacros ordines et divina officia promoveatur, de loco in quo illud utilissime erigi, ac de bonis, ex quibus idem sustentari et conservari posset, longe diuque deliberavimus, atque licet vix, propter hæreticos undequaque in et circa nostram diœcesin habitantes, idoneum et tali Societati tutum locum reperire potuerimus, tamen ut Sanctitas Vestra pium nostrum zelum erga avitam Religionem re ipsa deprehendere posset, civitatem nostram Rubeacensem, cum propter saluberrimum aerem, tum quod locis hæreticis non ita contigua sit, ad id aptissimam judicavimus. Et cum in eadem sit Cœnobium Minoritarum jam ante decennium combustum, collapsum et a Religiosis desolatum, nec non duo Prioratus, alter Sancti Valentini ordinis Sancti Benedicti quoque in eadem Civitate, in quo nullus chorus, neque divina juxta Regulas ordinis servantur, neque ullus Religiosus legitime institutus, sed unus duntaxat Gallus indoctus, et nullum habitum monachalem gestans residet, vel etiam a longo tempore resedit; alter vero juxta prædictam Civitatem, nuncupatus Prioratus Marbachensis ordinis Sancti Augustini, in quo similiter nulla disciplina religiosi ordinis servatur, et una duntaxat persona religiosa agit, decrevimus illud Cœnobium Minoritarum flamma absumptum ex nostris sumptibus denuo pro collegii Societatis habitatione reparare, ad ejusdem sustentationem et conservationem memoratos duos Prioratus, S. Valentini scilicet et Marbachensem, ubi illos per spontaneam resignationem, mortem, vel alias quomodocumque vacare contigerit, cum omnibus redditibus, fructibus et emolumentis, pertinentiis quoque et attinentiis illorum universis (quæ plus minus, deductis oneribus, putantur ducentos coronatos valere) eidem collegio assignare, incorporare, atque ministerio Societatis prædictæ omnes obligationes convertere; humiliter et obnixe rogantes, ut Sanctitas Vestra tam pium nostrum conatum ad singularem restaurationem et augmentum veræ religionis tendentem juvare, atque in talem erectionem et respective incorporationem, extinctionemque, quibuscunque privilegiis, indultis et statutis memoratorum Cœnobii et Prioratuum in contrarium facientibus non obstantibus, gratiose consentire dignetur. Dedimus et hac de re literas ad Generalem Societatis memoratæ, qui missione operariorum necessariorum nostris desideriis satisfaciet eo libentius, quo benignius viderit Sanctitatem Vestram

nostrum consilium approbare. Datæ 20. die mensis Aprilis anno 1577.

Sanctitatis Vestræ

Humilis Capellanus

JOANNES EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

XXXII. — Salisburgensis quoque Præsul Patres Ignatianos in condendo Salisburgi collegio satis juvit. Legas, quæ de hac re ad Pontificem scripsit. [*]

[*] Germania Vol. 15 fol 7

Sanctissime Pater et Domine Domine Clementissime, obedientiam et reverentiam, tam debitas, quam condignas, cum humillima mei commendatione ac devoto beatorum pedum osculo.

« Proximis diebus Sanctitatis Vestræ Nuncius Reverendus in Christo pater dominus Bartholomæus Comes Portiliarum, cum ipse novis mandatis alio avocatus, ad me venire non posset, transmisit mihi literas Sanctitatis Vestræ vi. Decembris exaratas, et quæ coram exponenda habebat, ea brevi quoque scriptione adjuncta explicavit, ex quibus, uti etiam ex multis aliis argumentis, re ipsa confirmatis, abunde intellexi, quanto ardore Sanctitas Vestra enitatur, ut catholica religio, non tantum in optimo statu retineatur, verum etiam ubi jam fere deperiit, ad pristinum splendorem revocetur. Quos quidem Beatitudinis Vestræ conatus fortunet Deus summis sempiternæ felicitatis præmiis. Ego si quid possum ad publicam utilitatem et catholicæ religionis augmentum facere, uti hactenus pro mea tenuitate nihil intermisi, in posterum quoque Dei auxilio semper summis viribus procurabo. Quod autem Sanctitas Vestra me sapientissime admonet, ut Sacram Cæsaream Majestatem ad Catholicæ nostræ religionis observantiam, et constantiam inflammare non desinam, id, cum finitis Comitiis Ratisbonæ certis ex causis diutius subsistendum mihi esset, syncero ac fideli animo præstiti, ac sua Majestas se talem erga me declaravit, ut mihi spem alias conceptam non mediocriter auxerit; nec intermittam suam Majestatem literis, aut data occassione, præsentia ipsa ad eadem monere, ac consilio operaque mea, quantum in me erit, juvare. Cæterum Sanctitati Vestræ humiliter significo, me in Metropoli et Diœcesi mihi commissas visitationes, ad quas etiam Sanctitatis Vestræ Nuncius Comes Portiliarum me adhortatus est, ante paucos dies in propinquioribus locis instituisse, et jam in Styriam visitatores meos misisse, quod idem in aliis monasteriis et locis, nivosis et hyemis temporibus sublatis, fiet. Res Seminarii mihi semper maxime fuit cordi, ad cujus perfectionem his diebus apud nos fuit quidam pater Societatis Jesu a Provinciali Germaniæ superioris missus, cum quo ex parte nostra tractata omnia et conclusa sunt, quæ ipse Provinciali suo referet, cui aream domus designatam quoque transmisi, ut rationem ac formam habitationum præscribat; nec dubito, quin ipsi Seminarium sint suscepturi, quandoquidem optimas conditiones instituto ipsorum minime repugnantes obtulimus: expecto indies resolutionem Provincialis, qua accepta statim opus inchoabitur ac diligenter promovebitur; nec minorem quoque navabo operam, ut reliqua provincialia statuta hujus Metropolis, duce Christo, quo constituta et edita sunt, optatum et debitum sortiantur effectum ac observentur.

« Hæc sunt, quæ ad Sanctitatis Vestræ, ac Nuncii Comitis Portiliarum literas rescribenda fuerunt, cui me humiliter commendo, ac beatos pedes exosculor: Christum Redemptorem sedulo precabor, ut Sanctitatem Vestram ad Ecclesiæ Catholicæ conservationem, et sanctissimæ fidei propagationem salvam ac florentem quam diutissime servet. Ex Salisburgo die 7. mensis Martii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo septimo.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus et devotissimus Capellanus

JOANNES JACOBUS ARCHIEPISCOPUS SALZEBURGENSIS.

XXXIII. — Abbas Fuldensis continuis vexationibus non minus a fidei adversariis, quam a suis exagitatus, Pontifici refert, quæ in suis rebus Magister Theutonicorum cum Cæsare egerat; cumque sibi videretur remissius se habere Magistrum in ea re conficienda, quam usus posceret, statuisse Cæsarem ipsum adire et coram alloqui. [*]

[*] Germania Vol. 25. fol. 18.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio Papæ Decimo Tertio, Domino meo Clementissimo.

Post beatorum pedum oscula et humilem meorum obsequiorum oblationem.

« Beatissime Pater. Post meas illas literas, quas Cancellarius meus ob justas causas recta potius ad almam Urbem, quam subscribendas atque signandas ad me Ratisbonam remittere voluit, accepi Breve Sanctitatis Tuæ apostolica mansuetudine planeque paterno erga me amore plenissimum, fuitque ea mihi consolatio eximia, quod oppugner licet omnibus artibus ac insidiis ab hominibus in fide et moribus corruptissimis auctoritate et opibus ejus, cujus minime omnium sperarem, videam nihilominus apud Sanctissimum Universalis Ecclesiæ Pontificem ac Pastorem non solum refugii locum, sed singularem pietatis affectum me reperire. De quo licet nunquam mihi dubium fuerit ullum, magis tamen ob hoc ipsum gaudeo, quod ex multis aperte colligatur, contrarium sibi oppugnatores meos ab initio persuasisse. Neque enim rem nefariam tanta audacia tentassent, nisi eam spem concepissent, ex communi multorum prava de Sancta Apostolica Sede per Germaniam opinione, pos-

se se quidvis, iniquissimum etiam, modo specie aliqua tegatur, aut dolo evincere, aut perrumpere pecunia: qui nunc etsi inviti contrarium sentire coguntur, eaque res, cum illustris sit famæ, adeoque per universam Germaniam cognita, non parum catholicos piosque viros (qui pro me, Deo sit laus, faciunt orationes) confirmat, et confundit hæreticos tam eximia universalis optimique pastoris virtus, constantia, fides.

« Quæ quidem cum ita sint, Beatissime Pater, cupivi de re tota jam diu ad Sanctitatem Tuam denuo scribere, sed cum eam sciam totius orbis Christiani negotiis occupari, ut uno tempore omnia exactius explicarem, Teutonici Magistri ex Cæsaris decreto in meam ditionem adventum putabam expectandum. Is igitur post multam moram tandem die 12. Martii Hamelburgum, et vigesima prima ejusdem Vacham venit, quorum alterum primum juxta Franconiam, alterum ultimum Hassiæ finitimum Fuldense oppidum est, felici utique omine, quod dies 12. D. Gregorio Magno, cujus Sanctitas Tua et nomine et re imitator est, vigesimus autem primus D. Benedicto ordinis mei patrono sit sacer. Episcopus per suos fidelitatis juramento in locis singulis renunciavit, quamvis non eo modo, quo a Sanctitate Tua et Cæsare erat mandatum. Præterquam enim quod contra me, meosque publice multa verborum injuria usus, in constituendis ministris jus reservare, eosque sibi juramento voluit manere obligatos, adeoque ex suis virum turbulentum, qui hoc anno elapso pleraque Fuldæ turbavit, Teutonico Magistro in gubernatione socium ut relinqueret, magno studio egit. In quibus omnibus licet una fuerit responsio Domini Teutonici Magistri, non debere Episcopum quicquam præscribere Cæsari, cujus ipse in hac re personam gerat, ex iis tamen, quæ primis diebus post præstitum juramentum facta sunt, colligere licet, eum languidius acturum, plusque favori Episcopi concessurum, quam rerum omnium in eo loco necessitas patiatur. A meo enim Cancellario et Consiliariis, qui Fuldæ præsentes, viris Catholicæ religionis addictissimis rogatus, ut ex decreto Cæsaris concionatorem Herbipoli missum, quod de religione publice ac privatim hæretica loquatur, Capiti Ecclesiæ, Summo Pontifici aperte maledicat, cæremonias Ecclesiæ turbet, ipsoque Teutonico Magistro in ditione Fuldensi jam præsente, sine chrismate baptizet, adeoque sacrum chrisma fœtidum unguentum nominet, hunc, inquam, talem ut ante omnia amoveret, ostendit cum animi quadam indignatione, nequaquam se ad hoc sine ulteriori Cæsaris resolutione inclinari, eo ductus quod illum concionatorem semel audierit, nec sibi visus sit, quicquam hæretice loqui, quodque paratum se obtulerit, jurare catholicum se esse, cum contrarium ex iis, quæ Fuldæ egit, manifestissime constet. Idem fere de ministris Catholicis amotis et aliis non hæreticis modo, sed pacis ac quietis turbatoribus substitutis fuit responsum, ut timere liceat, si concionator ille relinquatur, maneantque ministri ab Herbipolense constituti, ne et religio in universum sic pereat, ut reparari possit nunquam, et in politica administratione omnia ad illorum voluntatem gerantur, qui Deo, Ecclesiæ, mihique infensissimi hostes sint. Quod eo magis ut fiat, necesse est, si (quod mei futurum colligunt) dominus Teutonicus ex suis Ordinis hominibus generales gubernatores meæ ditionis eos constituat, qui a Catholica religione nonnihil sunt alieni.

« Atque hæc quidem hactenus evenerunt, in quibus illud præcipuum, de quo Deo, Sanctitati Tuæ, atque ipsi Cæsari gratias ago humiliter, quod ditio mea nunc in manibus et potestate sit Cæsaris, quamvis sit non parum in Commissario, quod requiratur. Cum autem modo id proximum sit, ut mihi ex Cæsaris decreto locus et reditus assignentur, tum de tota causa decidatur, timeo non parum, ne decisio quidem in longum trahatur, interim autem alimenta ita præbeantur, ut non modo iis, qui mihi hisce duris temporibus fidelissime adhæserunt, nihil subsidii præstare possim, sed ludibrio quoque sim Episcopo, tanquam qui magno conatu, multisque apud Sanctitatem Tuam quæsitis subsidiis profecerim nihil aliud, quam ut minus nunc habeam, quam prius ipse reliquisset, atque monachi votifragi in privatos eosque nefarios usus supra decem aureorum milia soliti abligurire quotannis, præter communia bona conventus, id tanto petulantius nunc faciant in contemptum mei Abbatis sui. Quas quidem ob causas necessarium judicarem, ipsum me ad Cæsarem proficisci, maxime quod eodem iturum cognorim Episcopum Herbipolensem. Cum autem id non possim, quod spoliatus omnibus meis bonis, anni propemodum integri exilio accedente, sumptus facere nequeam, ex meis tamen Consiliariis Fridericum Landavum J. U. doctorem, virum catholicum et fidelem, mittam, qui a Cæsare petat, primo quidem, ut Sacra Majestas Teutonico Magistro solicite mandet, amoveat concionatorem hæreticum et alios ab Herbipolensi constitutos officiales, ipse autem Teutonicus generalem gubernatorem Catholicum constituat. Deinde Cæsar diem, quo de re tota decernatur, præscribat, nec eum in menses et annos trahi patiatur. Quod quidem Herbipolensis, meique infideles auxilio quorundam, qui in aula potentes sunt, consequuturos se sperant, inter quos jam convenisse a fidelibus et fide dignis nunciatur, me interim ut quavis arte interficiant. Demum ut Sacra Majestas sumptus meæ

ditionis integros, ministrorum mercede detracta, mihi concedat, sicut æquitas omnis postulat. Quibus de rebus fere singulis etsi sciam jam antea ad Sanctitatem Tuam scriptum esse solicite ac paterne, tamen quia non dubito eadem repetita multum pii Cæsaris animum motura, et contra occultas machinationes tanquam efficax quoddam antidotum futura, humili filii affectu Sanctitatem Tuam rogo, eadem ut denuo perscribat. Quod cum faciet, sicut de paterna voluntate, quam toties sum expertus, dubito nihil, tum id ad Dei gloriam, religionis in Germania conservationem, et Apostolicæ Sedis dignitatem judico futurum; ego autem qui modo, maximis, majoribusque obsequiis Sanctitati Tuæ ero obligatus. Vale, Beatissime Pater, teque Deus ad Universalis Ecclesiæ utilitatem diu incolumem servet. Datæ Ratisbonæ 8. Aprilis anno etc. 77.

Sanctitatis Tuæ

Obedientissimus filius
Balthasar Abbas Ecclesiæ Fuldensis
Divæ Augustæ Archicancellarius
BALTHASAR ABBAS FULD.
mp.

Alteris eundem litteris enixe adprecatur, ut suam causam per Archiepiscopos S. R. I. Principes Electores Cæsari quam maxime commendare velit. [*]

[*] Germania Vol. 35. fol. 20.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Papæ XIII. Dño suo Clementissimo.

Post beatorum pedum oscula et humilem meorum obsequiorum oblationem.

« De rebus meis, Beatissime Pater, ea nuper scripsi, ex quibus Sanctitas Tua intelligere posset, Teutonicorum Magistrum Cæsaris Commissarium juramentum a subditis Fuldensibus recepisse, quamvis iis cum exceptionibus Legatorum Herbipolensis Episcopi, quæ ejus erga Sedem Apostolicam et Cæsaream Majestatem inobedientiam apertius etiam declararent: libere enim jussus fuerat resignare, cum interim id non modo non fecit, sed me meosque contumeliose publice proscidit, et apud imperitam plebem id effecit, ut etiamnum putet, se Herbipolensi obligari. Interim autem domini Teutonici Magistri adhuc ea fuit administratio, quæ hanc opinionem augeret potius, quam tolleret, in nullo mihi, in omnibus Episcopi faveret, quod etiam ipse fassus causam reddidit, feudum se ab Episcopo habere, eoque nomine ipsi obligari. Cum enim mei et suo pio zelo commoti, et quod me animas potius, quam quidquam aliud quærere scirent, primo omnium diligenti studio, repulsi licet sæpius, agere tamen non intermitterent, ut concionator ille, qui sub titulo Catholici ab Herbipoli Fuldam missus fuerat, amoveretur statim, quamvis ipsius apertissimæ hæreses ex iis, quæ publice dixerat et fecerat, manifestissime constarent et testibus probarentur, pleraque etiam ipse non negaret, Imperatorque nominatim eum removendum jusserit, tamen post mensem integrum ipsius ablegatio vix fuit impetrata, eo semper responso, quod Episcopus pro eo præsens Teutonicum rogarit, quod idem ipsius Legati faciant, quod concionatorem illum Catholicum esse affirment, uti ex literis superioribus meis, quarum exemplum ad majorem securitatem hisce adjungo, Sanctitas Tua videre latius poterit.

« Ministros in politica administratione eos constituit Herbipolensis, quos et mihi infensissimos et ad concitandos vulgi animos aptissimos putaret, in iis autem eos præcipue promovit, qui vel propter infidelitatem in administratione ipsorum manifestissime deprehensam a me loco moti fuerant, vel in Lutheri aut Calvini hæresi pertinacissimi, ideoque minus mihi tollerandi videbantur, atque sic eos promovit, ut hi tales in jure dicendo, in ditione gubernanda, in ferendis sententiis plenam haberent potestatem, Cancellarii, Secretariorum munere fungerentur: eos autem, quos ego cura, labore, sumptibus magnis pios, Catholicos, doctos, pacis amantes viros, vix multo tempore undique accitos, collegeram, paucis mensibus omnes removit. Fuerat domino Teutonico a Cæsare commissum, hosce novos ministros Herbipolenses removeret, amotos restitueret, omnia sic constitueret, sicut ante turbulentam seditionem fuerant constituta; verum horum nihil factum, causa non datur, nisi frivola aliqua fortassis illa sit, quod expeditior eques sit, quem Herbipolensis, quam quem ego constitueram, cum id ad functionem commissam faciat nihil. Revera autem id agi videtur, ut et me et meos labore, difficultate, inopia denique defatigatos causam justissimam abjicere cogant. Etenim cum id etiam Commissario negotii datum, ut de redditibus meæ ditionis ad Cæsarem referat, ex ejus autem informatione Cæsar statuat, quid, dum de re tota pronuncietur, mihi dandum sit, qui huic rei a Teutonico Magistro præfecti, interrogando Herbipolenses, agendo cum iis de singulis et ad ipsorum nutum omnia componendo egerunt, ut quam minimam summam annuorum censuum indicent, ipse Teotonicus dixerit, æstimare se supra sex aureorum milia mihi per annum dari non posse. Jam autem quamvis sperem ac omnino confidam Deo, Divis, Sede Apostolica, Cæsare, omnibus bonis, jure et justitia ipsa agentibus, non solum non per annum, sed ne quidem per semestre tempus plenam restitutionem meam differendam, tamen indignum est falso Cæsarem instrui. Quæ omnia eo tendunt, ut non solum non male, sed bene etiam Episcopus fecisse mihi videatur, qui plus etiam, quam modo Cæsar, reliquerit. Ludibrio autem sum non

solum aliis, sed meis Capitularibus, quorum bini ad quinque aureorum millia sine omni fructu, imo cum maximo dedecore et animorum damno dilapidant. Eorum enim quæ contra me futura sit insulentia, Beatissime Pater, id ex eo etiam colligi potest, quod homines sine ratione, fide et conscientia etiam contra Cæsarem, nedum Deum et religionem agere non verentur. Etenim post eam longam actionem, quam de amovendo concionatore sine intermissione eum domino Teutonico mei habuerant, cum jam esset concionator ille in itinere, ut Herbipolim proficisceretur, mittunt celeres equos Capitulares, qui eum revocent reversum in Ecclesia majori, quæ mei Monasterii est, quam ipsi suam vocant, concionatorem restituere voluerunt, vixque post multas et blandas et severas actiones ab hoc pessimo consilio destiterunt, quod illos cum ad placendum populo, tum odio mei sic egisse sine ullo salutis animarum respectu est manifestum. Hisce igitur hominibus tantum prodesse suas nefarias fraudes et perjuria, ut mihi, qui Principis nomen habeam, facultatibus ipsis inferior sim, meisque, quorum egregiæ fidei gratiam ob inopiam referre non possum, insultent. Id vero gravissimum, gravius etiam quam ipsa inopia videtur.

« Hisce rebus coactus, B. P., humilis S. T. filius ad commune Catholicorum Pastorum felix asilum confugio, Sedem scilicet Apostolicam, quam hactenus matrem in consolando, in adjuvando sollicitam et diligentem inveni, pro qua et sanguinem fundere sum paratus. Rogo autem, ut T. S. Cæsari scribat, ut sua Majestas primo omnium iniquissimas illas exceptiones ac contumeliosas protestationes, quibus subditi persuasi, non minus Herbipolensi atque ipsi Cæsari adhuc se obligatos putant, annihilare prorsus atque ita cassare velit, ne sub alieno nomine Herbipolensis omnia teneat, atque ita plenam restitutionem per subditos vane persuasos diutius impediat, aut ad minus difficiliorem reddat. Denique quod etiam antea S.T. scripsit, mihi ditionis meæ sumptus tradantur, necessaria ministrorum mercede detracta. Tertio, quia hoc anno, quo in exilio vixi spoliatus bonis meis, fidem meam multis obligavi, iis, qui mihi fideliter adhæserunt, debita stipendia non solvi, Episcopus signatam pecuniam, aurea et argentea vasa, tum quicquid, supra quam solet annis aliis, expositum et dilapidatum hoc reddat, sicut Cæsar jussit, quamvis factum non sit, mihique tradatur. Quarto autem, ut S. T. Archiepiscopo Moguntino sub obedientia mandet, (id enim eum quo facilius se excuset apud Herbipolensem desiderare scio) ut ipse literis, nunciis ac quibuscunque modis hæc apud Cæsarem et Commissarium atque ipsum quoque Herbipolensem agat, de iis ad S. T. referat, alios etiam Catholicos Principes in auxilium, ut hæc efficiat, sollicitet, mihi interim suppeditando necessaria statui meo non desit. Postremo, ut tandem plenaria restitutio mei cum honore atque ita fiat, ut per ipsum Commissarium virum Principem ego introducar, meisque repræsenter. Id enim et ad faciliorem subditorum deditionem, et ad famæ meæ multum in hac causa læsæ conservationem, ante omnia autem ad religionis propagandæ incrementum, cum multi nunc sint, qui hujus tragœdiæ ob Catholicam religionem exortæ videre exitum desiderent, perutile et in primis fore necessarium videtur, ut filius humilis peto. Molestior sum quam par forte, sed didici omnia a S. T. expectare. Plura enim quam hactenus petii præstita sunt, tum Deus, cujus causa agitur, (tentatur enim Catholica per Germaniam religio) Sanctitati Tuæ abunde retribuet, quem assidue rogare non desinam, ut Sanctitatem Tuam ad Ecclesiæ utilitatem diu incolumem servet. Vale. Datum Ratisbonæ 20. Aprilis anno etc. 77.

Sanctitatis Tuæ

Obedientissimus filius
Balthasar Dei et Apostolicæ Sedis gratia Abbas Ecclesiæ Fuldensis, divæ Augustæ Archicancellarius primas.
Balthasar Abbas Fuld.
mp.

Idem Abbas injurias sibi illatas dolet apud Pontificem; demonstrat falsa, quæ Herbipolenses de sua voluntaria renunciatione objiciebant: deinde subsidium Apostolicæ Sedis alias firmum ac prævalidum se expertum fuisse dicit, et Præsules Moguntinum, Trevirensem et Coloniensem caussam suam apud Cæsarem agere nuntiat. [*]

[*] Germania Vol. 35. fol. 28.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Gregorio Papæ XIII., Dño suo Clementissimo.

Post sanctorum pedum oscula ac humilem meorum obsequiorum oblationem.

« Beatissime Pater. Quæ nuper Sanctitati Vestræ significabam de statu cum meo tum ditionis meæ, ea omnia in hoc finiebantur, quod quando ipse ob rerum defectum non possem, ex meis virum doctum, optimum et catholicum ad Cæsarem mitterem, qui cum talia de Commissarii erga Episcopum indolgentia indicaret, tum de tempore, quo negotium hoc transigatur, et interim de sustentatione mea cum S. Majestate ageret. Rediit is eo impetrato responso, ut quando Cæsar ad invisendum suas hæreditarias provincias proficiscatur, et nullo certo loco subsistat, nec possit de re tota decidenda aut tempus aut locus certus præscribi, mihi interim ex meæ ditionis fructibus sex millia florenorum, aut, quod notius Sanctitati Tuæ erit, forsitan quatuor propemodum ducatorum millia dentur. Quamvis enim Cæsaris animus etiam ad ea, quæ

de ministris Catholicis amotis, de sumptibus integris ditionis meæ ac aliis petiveram, visus fuerit esse propensus, tamen quod nondum allata esset iis de rebus Commissarii instructio, negotium fuit dilatum, ea spe data (quod quidem singularius ego petiveram) fore, ut Cæsar ex sua aula virum Catholicum ac prudentem Commissario adjungat, per quem in particularibus pleraque possint constitui. Rebus igitur, B. P., sic constitutis cum nihil tam necessarium sit, quam hoc unum a Cæsare petere, ut quanto citius fieri possit, de re tota decernatur, mihique restituatur ditio mea, cumque ad impediendum dolis certent et pecuniis pugnent adversarii, ego in bona causa apud Sedem Apostolicam auxilium quæro, quod præsidium certum ac tutum sum expertus. Et quia Herbipolenses rem fœdam, quam nemo etiam Lutheranus probet, eo uno titulo student defendere, ut dicant libere me et non coacte renunciasse meæ Ecclesiæ, idque inepte simul et inverecunde ingeminant, contra quam ipsi in suis ad Cæsarem et ejus Commissarios scriptis fatentur, humiliter, ut filium obedientem decet, S. T. rogo, ut suis ad Cæsarem paternis litteris eum subinde ad decernendam restitutionem hortetur, ostendatque, quam nihil virium habeat ea Herbipolensium objectio de spontanea voluntate, quæ nec tollerari potest, cum ipsorum confessione falsa sit, et vera si foret, canonibus tamen improbaretur. Ut enim filii humilis affectu cum veniæ præfatione scribere id liceat, B. P., novet utique Sanctitas Vestra, nec me nec quemquam talem dignitatem libere resignare, nec Episcopum sine consensu Sanctitatis Vestræ recipere potuisse: manifeste enim vetant Canones, ne quis Abbas, præsertim exemptus, qualem me Sanctitas Vestra agnoscit, sine Sedis Apostolicæ scitu et permissu Abbatiam suam relinquat, aut alteri cedat, cum etiam in simplicibus beneficiis non valeat renunciatio, nisi fiat in manus Superioris, possitque renuncians, antequam Superior renunciationem probet et alteri beneficium tradat, pœnitere et beneficium recuperare. Accedit, quod si vel maxime valuisset renunciatio, non potuerit tamen cedi Episcopo, ut qui matrimonio spirituali Ecclesiæ suæ junctus est, nec, vetantibus canonibus, Abbas vel monachus fieri possit. Cui etiam illud addi potest, quod si omnia alia sint legitima, sicut utique ne in minimo quidem sunt, tamen debuerit Episcopus omnino a Sanctitate Vestra postulare, nec se ante confirmationem immiscere administrationi. Quantumvis enim extra Italiam sita sit ditio mea, possitque in partibus remotioribus electus ante confirmationem administrare, tamen id in Postulatis secus se habet, atque adeo quidem, etsi rite alioquin facta fuisset postulatio, tamen quia spreta Vestræ Sanctitatis auctoritate et confirmatione sese Episcopus administrationi immiscuisset, vel ex eo reddita fuisset ipso jure irrita ac nulla. Ne quid jam dicam, non potuisse Episcopum bona Abbatiæ et ditionem, quæ Regalia sunt, et feudum Imperii, non consentiente Imperatore occupare. Quæ sane Vestra Sanctitas novit singula ejusmodi esse, ut nulla ratione, nulla exceptione, nullo colore quæsito labefactari aut defendi possint, adeoque iniquitas hujus negotii non mentis saltem tacita reprehensione convellatur, sed et oculo corporali, quod ajunt, cuivis intuenti pateat. Quæ si optimo Cæsari a Sanctitate Tua, quæ auctoritate eximia præfulgeat, indicentur, non dubitarim, quin reprehensura ac repressura sint conatus eorum, qui non rectis rationibus ducti, aliud forte Sac. Majestati student inculcare. Quod ut Sanctitas Tua faciat eo commodius, atque in nostra hac causa alii quid fecerint, sciat, mitto eidem exemplar litterarum, quibus apud Cæsaream Majestatem Principes Electores Ecclesiastici communicato consilio pro me intercedunt, atque etiam ut rem pessimi exempli, in qua omnium Ecclesiasticorum securitas contenta est, sua auctoritate et paterna cura evertat, et ego rogo humiliter, et Deus ac Dñus noster retribuet Sanctitati Tuæ abundanter. Vale, Beatissime Pater, teque Dominus Jesus diutissime incolumem servet. Datæ Ratisbonæ 4. Junii anno etc. 77.

S. T.

Humillimus ac obedientissimus filius
Balthasar Abbas Ecclesiæ Fuldensis etc.
Idem Baltasar Abbas Fuld.
mp.

Habes eorum Præsulum supplicem libellum in negotio Fuldensi Cæsari oblatum. (*)

(*) Germania Vol 23. fol 21.

« Clementissime Cæsar, licet Cæsareæ Vestræ Majestati nunc temporis, pluribus aliis iisque gravissimis occupationibus districtæ, molesti esse non debuissemus, inviti tamen sequentes ob causas Cæsaream Vestram M. humillima ista supplicatione convenire fuimus coacti, eidemque significare, Reverendum in Christo patrem, amicum nostrum singularem, Dominum Balthasarem Abbatem Fuldensem, causæ suæ ejusque circumstantiarum per literas facta Declaratione, cum animi quodam dolore, et humaniter ac officiose a nobis petiisse, ut apud Cæsaream Vestram Majestatem pro ipso intercedere dignaremur.

« Quando ergo quivis saniori judicio facillime colligit, quam grave occidat ipsius Dilectioni, quod extra ditionem hactenus vixerit, et adhuc vivere cogatur, et si pro sua ipsius, suorumque sustentatione amplius quid non decernatur, fieri haud posse, ut in posterum quæ ad aulæ sustentationem requirantur, habeat, atque ideo in tanta rerum ipsius perturbatione nos illi præsto esse, atque petita ad Cæsaream Vestram M.

intercessione gratificari maxime deceat. Cæsaream Vestram Majestatem humillime deprecantes, tamquam supremum justitiæ protectorem et fautorem, qui æque sufficienter ac nos ipsi instructionem totius negotii habet, ut et causam ipsam Fuldensem, et ipsum Abbatem sibi quam commendatissimum habeat, efficiatque, ut interea temporis necessaria sustentatione atque commodo residentiæ loco vel intra vel juxta ditionem, ubi minori sumptu vivere possit, illi prospiciatur, donec negotium transigatur, atque tandem ad ipsius sollicitationem, quod æquitati et justitiæ consonum est, decernatur.

« Quod futurum minime dubitamus, nec quicquam Cæsaream Vestram Majestatem hac nostra intercessione offensam arbitramur, sed potius Cæsaream Suam gratiam ac benevolentiam erga nos integram semper fore confidimus. Hoc ipsum singuli una cum Abbate Fuldensi humili obedientia, omnique studio rursum promereri tenemur et summe conabimur: Vestram Cæsaream Majestatem humillime rogantes, ut nos sibi commendatissimos semper habeat, atque Cæsarea benevolentia prosequi dignetur etc.

Principes Electores

Moguntinus, Treviarensis, Coloniensis.

Gregorius nulla interposita mora tum per se ipsum, tum per litteras ad ipsos Archiepiscopos Electores datas res Abbatis Fuldensis, quo fieri majori contentione posset, Cæsari commendabat. En quæ Rudolpho scripsit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 3. f. 337.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere Nobis cordi sint res dilecti filii Balthassaris Abbatis Fuldensis, quibusque de causis cupiamus, eum ab omni molestia liberari, ex aliis nostris literis facile cognovit Majestas Tua, eisdemque de causis illum esse tibi commendatissimum, et tua eximia pietas, et ea, quæ hactenus in ipsius negotio decrevisti, Nos dubitare non sinunt. Quæ restant, ea ut pari voluntate et studio amplectaris, incredibiliter cupimus, ut scilicet quasdam iniquas et contumeliosas exceptiones, quibus Fuldensibus injectus est scrupulus, se adhuc esse Herbipolensi Episcopo obligatos, quantum quidem in te est, rescindas, irritasque esse jubeas, neque patiaris, Herbipolensem verbo tantum de possessione decessisse; interim vero homines illos adhuc implicatos tenere: tum ut detracta ea summa, quam in Ministros impendi necesse erit, statuas præstari Abbati sumptus ejus dignitati congruentes. Deinde quod jussisti, neque tamen hactenus factum est, exequi facias, ut quidquid interim pecuniarum, quidquid argenteorum aureorumque vasorum ab Episcopo ablatum est, quidquid amplius, quam superioribus annis consueverat, expensum, id totum Abbati restitui facias, ut scilicet possit suis Ministris præterita stipendia persolvere, seque ære alieno, quod necessario contraxit, liberare. Illud autem in primis, ut cures Abbatem quamprimum restitui, perque eundem ipsum Theutonicorum Magistrum, cui hoc negotium mandasti, ad suos reduci, et Tuæ Majestatis nomine illis commendari; hoc enim magnopere pertinet ad ipsius existimationem, ad Catholicæ Religionis dignitatem, ad sedandos denique eos motus, quos hominum injuriæ et fraudes concitarunt. Hoc ut fieri jubeas, Majestatem Tuam, quantum possumus, rogamus per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, perque tuam gloriam, quæ postulat, ut hanc causam quam commendatissimam habeas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXIV. — Perincommodum sane accidit, quod tamen in rebus humanis sine admiratione sapientium fieri solet, ut animi utrinque commoverentur vehementius. Qui res Abbatis Fuldensis curabat, vir cæteroquin probus idemque causarum actor, (Advocatum recentiores appellant) scripto quodam, juris magis tenax quam moderationis memor, rationes et jura Fuldensis vindicanda instituerat acrius, quam christiana caritas et Episcopalis dignitas exposceret. In Herbipolensem enim Episcopum ita excandescebat, ut nec famæ, nec amplissimæ dignitati parceret. Qua de re cum hic Præsul querimonias suas ad Pontificem detulisset, Gregorius paterne monuit Fuldensem, ne hujusmodi bonorum omnium offensionem permitteret, ac libellum, ut ferebatur, calumniis refertum supprimendum curaret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 31. f. 381.

Dilecto Filio Balthassari Abbati Fuldensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus, vulgatun esse istic quemdam libellum, Informationis Juris titulo inscriptum, maledictorum in Episcopum Herbipolensem plenum. Is sive te auctore prodiit, quod non facile existimamus, sive te insciente compositus est, cura omnino, ut supprimatur, atque ab iis, ad quos pervenit, auferatur. Nihil enim alienius est a Christiana professione et nomine, quam maledictis certare; in viris autem Ecclesiastica dignitate prædictis hoc adeo absurdum est, ut tolerari non possit: nam si aliorum in nos maledicta patienter ferenda nobis sunt, quam excusationem habebimus, ubi ipsi primum alios maledictis et contumeliis conseiderimus? sunt odia omnia ex cordibus ipsis radicitus evellenda, ac dum ut possit in Christianis sine gravissima reprehensione ulla eorum significatio extrinse-

eus apparere. Non leviter etiam pertimescenda est tenuiorum de nobis existimatio et scandalum. Nihil autem tuæ causæ utilius facere potes, quam ut eam omni cum tranquillitate et modestia tuearis. Curabis igitur, ut libellus ille supprimatur, aboleaturque, idque eo magis, quo magis dicis illum insciente te compositum fuisse, ut scilicet hoc facto atque aperta animi tui testificatione omnes intelligant, te omni crimine et culpa vacare. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Sept. MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Quod Herbipolensis Præsul, christiana caritate servata, calumniis et maledictis respondendum non censuerit, meritam a Pontifice laudem tulit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII, Ann. VI ep. 83, f. 383.

Venerabili Fratri Julio Episcopo Herbipolensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Graviter tulimus de libello illo informationis nomine inscripto, quo te ais lacerari, quia nihil videmus esse maledictis alienius a Christiana professione et nomine. Scribimus ad Fuldensem, ut sive ipse ejus libelli auctor extitit, sive alius quispiam, curet illum supprimi atque aboleri. Recte autem, prudenterque fecisti, dum non putasti, tibi quoque maledictis utendum esse, qua in sententia permanendum omnino est Fraternitati Tuæ, servandumque illud Apostoli, maledicimur, et benedicimus, ac cogitandum, nihil esse, quod doleamus aliorum in nos maledictis et criminationibus, modo nos nostra conscientia non accuset, quin potius esse, quod gaudeamus; semperque in mente habenda est præclara illa Augustini sententia. Si quis, inquit, audiat a litigante, quod Antichristus sit, dicit ei Christus, patiens esto; si falsum audisti, gaude mecum, quia et ego falsa ab Antichristis audio: si autem verum audisti, conveni conscientiam tuam, et si audire times, esse plus time. Hoc eo magis faciendum est Fraternitati Tuæ, quia judicio agitur, in quo legibus ipsis et rationibus certandum est, non maledictis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Septembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXV. — Abbas Fuldensis non modo se Pontifici purgavit, asseverans libellum illum, se inscio, ab negotiorum suorum curatore fuisse concinnatom; verum cum in eo nihil a veritate alienum contineretur, affirmat minime per se ipsum sine dedecore supprimi posse. Ad hæc Pontifici supplicat, ne adversariis suis aures præbeat, seque quam commendatissimum habeat. [*]

[*] Germania Vol. 28, fol. 28.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri et Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo et Dño meo Clementissimo.

Post oscula sanctorum pedum et humillima mea obsequia.

« Beatissime Pater. Ex Sanctitatis Vestræ Brevi Apostolico, quod 22. hujus mensis debita reverentia et humilitate recepi, non sine animi mei dolore perspexi, me apud Sanctitatem Vestram cujusdam editi libelli tanquam maledicti incusatum, quem Sanctitas Vestra, utpote ecclestica persona indignum, percupiat abolitum et suppressum.

« Etsi autem facile suspicandum est, hæc ab Herbipolensi eo fine ad Sanctitatem Vestram delata esse, ut me non solum in Aula Cæsarea, sed etiam in Curia Romana subinde aliis atque aliis machinis oppugnaret, atque ad contegendum factum et remorandam restitutionem omnium animos everteret, meque tandem Sanctitatis Vestræ auctoritate, cui ille tamen ne sub excommunicationis quidem comminatione paruit, terreret: attamen certissime confido, Sanctitatem Vestram in me exule juvando et ab exilio revocando semper constantem fore, atque non tam adversarii falsam accusationem, quam meam justam excusationem paterno animo admissurum.

« Quanquam enim negari non possit, libellum quemdam, qui Informatio Juris in causa Fuldensi inscribitur, impressum esse: eum tamen et me inscio, et sic impressum esse constat, ut nec publice editus, nec in cujuspiam ignominiam scriptus censeri queat.

« Cum enim adversarii, ut rem ab initio recenseam, perpetratum mecum facinus, et illatam mihi vim, metumque pernegarent, atque ob id mandatis Cæsaris non obtemperarent, venit Advocato meo, viro æquitatis amantissimo et nuper, proh dolor, defuncto, cujus hoc in negotio opera usus sum, in mentem, se operæ precium facturum, si proposita facti specie et examinatis utrinque rationibus pro more consulentium de jure responderet. Itaque nulla mea nec monitione, nec jussione, sed solo justitiæ et veritatis propugnandæ studio, suaque sponte motus, ex ipsorummet tum Herbipolensium tum Fuldensium scriptis Cæsari editis confessionibus quædam magna industria et doctrina congessit, non quidem eo consilio, ut ad læsionem cujuspiam, de quo protestatus est, ederentur, sed ut potius singula, si forte ad hanc dictam dimicandum foret, ad defensionem in promptu essent, ac quibusdam amicis, Cæsarisque Consiliariis, tamquam judicibus, pro pleniori causæ informatione privatim communicarentur.

« Cum vero opusculum ob scribarum inopiam toties, quoties necesse erat, describi sine gravi et temporis et pecuniæ jactura non poterat, non tam consilio quam instinctu quorumdam, qui casu meo tristissimo non immerito commovebantur et expensas ad hoc offerebant, cum typographo Imperialis alicujus civitatis de nonnullis exemplaribus imprimendis, me et absente et

inconsulto, auctor pactus est. Ille tamen libellum prælo non tradidit, priusquam vigore Imperialium Constitutionum a Senatu ejus loci, et duobus juratis, et celeberrimis juris utriusque Doctoribus examinatus et perlectus communi omnium calculo approbaretur. Alioquin si vel famosus vel maledicus inventus, vel contra alicujus honorem congestus fuisset, nunquam Senatus et typographo et civi suo excudendum permisisset.

« Accedit, quod eidem sub debito juramento injunxerint, ne quod exemplar in vulgus dispergeret, sed singula auctori pro sua prudentia et dexteritate, quibus vellet, distribuenda restitueret. Id quod ille fideliter præstitit, adeo ut existimem pleraque exemplaria, exceptis paucissimis,quæ hic in Aula Imperatoris ad majorem causæ Fuldensis cognitionem aliquibus privatim communicata fuere, domi in hanc usque horam reservari et quasi supprimi.

« Et licet Herbipolensis apud Cæsaream Majestatem similiter sit conquestus, neminem tamen bonorum video, cui labor Advocati mei tantopere displicuerit, cum non novum, sed et hic et passim in judiciis receptum sit, ut ex partium actis informationes juris pandantur judici.

« Cum ergo hæc sine meo jussu et scripta et typis excusa a convitiis et maledictis peritorum judicio sint alienissima, nec vulgo disseminata, sed paucis communicata, neque ipsemet Herbipolensis, (quem forte narrata rei gestæ veritas mordere potest) quæ injuriosa in ipsum scripta sint, adhuc ostenderit, miror, quid illi in mentem veniat, ut non solum apud Cæsaream Majestatem, sed etiam Sanctitatem Vestram hoc nomine (tamquam sparsis publice libellis diffamatus et contumeliis affectus sit) me antea omni injuriarum atrocissimarum genere conquassatum audeat falso traducere, cum non nesciat, Cæsaream Majestatem querelis hisce suis adeo non commotam, ut etiam, si se illo libro læsum crederet, ad ordinariam juris viam eum remiserit, cui me quoque semper et obtuli et adhuc offero.

« Proinde, Sanctissime Pater, Sanctitatem V. supplex oro, ut me omni suspitione liberet, atque hoc nomine excusatum esse patiatur, paterneque perpendat, etsi desidero, quanta possum, cura et diligentia Sanctitatis Vestræ voluntati sincere morem gerere: tamen libelli suppressionem et abolitionem tum ob causas prædictas, tum ob juris et honoris certum dispendium mihi fore difficillimam, quin potius iterum atque iterum precibus, quibus possum maximis, oro atque obsecro, quandoquidem a maledicendi studio semper fuerim alienissimus, nec quem scripto vel verbo lædere gestiam, hactenusque summa patientia causam meam sustinoerim, ne Sanctitas V. in posterum adversariis meis, qui alias omnes adversus me nervos intendunt, nisi et me audito facile credat, potiusque Episcopum, ne falsa Sanctitati Vestræ narret, acriter et moneat, et increpet. Ego talem me contra ostendam, qualem obedientem et observantem filium decet.

« Et hæc ad defensionem et excusationem meam Sanctitati Vestræ scribenda duxi, cujus patrocinio me et causam meam quam diligentissime commendo, et etiam atque etiam peto, quo severiori ac periculosiori procella me videt jactari, eo impensius mihi suo auxilio adesse dignetur. Deus benignissimus atque idem clementissimus Sanctitatem V. Ecclesiæ suæ Sanctissimæ salvam et incolumem diutissime conservet, et suorum donorum abundantia cumulet et locuplet. Datum Viennæ 25. Octob. anno etc. 77.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius

Balthasar Abbas Fuldensis m. p.

XXXVI. — Abbas tandem, quem exitum habuerit sua Vindobonæ cum Cæsare de ea controversia colloquutio his litteris Pontifici refert. [*] [*] Germania Vol. 33. fol. 27.

Sanctissimo ac Beatissimo Domino Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Post sanctorum pedum oscula, humillimaque mea obsequia.

« Beatissime Pater. Etsi non dubito, quin Sanctitati Vestræ ab ejusdem Nuncio, Rmo et Illmo Domino Episcopo Torcellano, de causa inter Episcopum Herbipolensem et me in Aula Cæsaris modo agitata nonnihil perscriptum sit; attamen pro paterna Sanctitatis Vestræ erga me solicitudine, et pro mea in ipsam observantia debitaque obedientia, tum quid actum, tum quis nunc causæ status sit, ego quoque addendum et qua possum animi submissione ascribendum censui.

« Et initio quidem cum coram quatuor Commissariis a Cæsarea Majestate ad hanc rem deputatis, controversia hæc nostra agitari cœpta est, ego qui restitutione nihil putavi prius, eandem mandatorumque, quibus illa a Cæsare Maximiliano felicissimæ recordationis in Comitiis Ratisbonensibus decreta, et sub pœna privationis mandata fuerat, paritionem non immerito urgere cœpi. A qua mea petitione cum non possem discedere, nonnullis Assessorum, qui honorem Episcopi conservatum cupiebant, medium quoddam ineundæ concordiæ proponere placuit, nimirum ut ego quidem in ditionem meam reverterer; sed quendam Adjunctum, qui in arduis simul administraret, paterer, donec Cæs. Majestas partibus ulterius auditis negotium definiret. Ego de re altius cogitans animadverti, provinciæ administrationem hoc modo institutam et subditis et ditioni perniciosam et mihi, veluti regimini non sim idoneus, ignominiosam, nec decreto conformem judicavi, et cum neque

de Cæsaris super hoc medio resolutione, neque de Episcopi voluntate constaret, illud recusavi, eo tamen ultro inclinans, quod in integrum restitutus a Cæsarea Majestate virum quendam prudentem, cujus consilio pro meo arbitrio et rerum necessitate ad tempus uti mihi liceat, essem petiturus. Verum cum hæc media Episcopo sorderent, et restitutioni meæ sese vehementer opponens ad juris cognitionem provocaret, post longam deliberationem Commissariis Herbipolensi multum propitiis, visum, nescio an serio, an vero ad terrorem, fuit, quandoquidem negotium inter nos controversum per amicabilem compositionem transigi nequeat, ut, relicta penes Cæsaris Commissarios Fuldensi administratione, ad pleniorem causæ cognitionem brevissimus quidam Juris processus institueretur. Illud autem mihi et perdurum et satis iniquum, nec non Cæsaris decreto citationique contrarium videbatur, ac deprecabar, ne in tam confesso casu et cunctis Imperii Romani statibus adeo noto, ut disceptatione ulteriori non egeat, Episcopo potius quam justitiæ obsecundaretur. Præscribere enim decretum, ut causa sine ulla perplexitate et strepitu judicii vel per amicabilem concordiam, vel si hæc locum non babeat, id quod accidit, per Cæsaris sententiam definiatur. Quorum postremum et ore et scriptis urgere et prolixas fori litigationes, quarum nullus sit finis futurus, in re adeo notoria supplex et quindecim mensium exul deprecari quidem non destiti; sed ab ea sententia Commissarios adeo abducere non potui, ut publico etiam decreto eandem confirmarint, quemadmodum Sanctitas Vestra ex ejusdem copia latine reddita cognoscet. Quam vero id mihi grave et molestum accidat, Beatitudini Vestræ cogitandum relinquo. Præterquam enim quod hæc decreto Cæsaris, uti attigi etiam supra, Electoralium in Comitiis Ratisbonensibus considerationi, bonorum omnium judicio, juri ipsi, quo spoliatus ante omnia restituendus jubetur, minus sint consentanea, non video, cur in re liquidissima mihi sit litigandum. Sed non sunt, inquiat aliquis, partes utrinque satis auditæ. At ego arbitror, cum ad duos menses jam hic hæserimus, et procul dubio ad disceptandum parati omnes venerimus, facile necessariam rerum controversarum et ad litis decisionem sufficientem indagationem, si placuisset, institui potuisse. Tametsi non video, quid ultra ea, quæ in Comitiis Ratisponensibus publice oblata et Electoralibus ad cognoscendum sufficientia fuere, amplius afferri in medium possit, taceo, quod Cæsar lex animata sit in terris, atque sola inspecta facti veritate cum in cæteris, tum maxime hoc nostro casu judicare et pronunciare queat. Quæ enim de libera cessione et secuta ratificatione ad purgandum factum adducentur, ea sic jam convulsa atque eversa sunt, ut illa toties repetere molestum pariter ac turpe sit, atque eo pertinent, ut lite in immensum crescente cogar vel expensarum vel consilii, vel auxilii inopia non sine summo meo et familiæ meæ dedecore et adversariorum applausu causam meam deserere. Quod si fides in aliquibus esset, in quibus maxime esse debebat, forte non laboraremus. Videntur enim mihi hæc omnia ad Episcopi voluntatem nutumque, in meam vero pernitiem ita prospere cadere, ut res non careat suspitione, multum favoris sibi assidua conversatione, habitis conviviis, forsitan etiam largitionibus (id quod in aurem Sanctitatis Vestræ scripserim) accessisse. Quare, Beatissime Pater, cum Sanctitas Vestra intelligat restitutionis negotium miris adversarii artibus non retardari modo, sed etiam in infinitum adeo protrahi, ut vix restitutionis amplius mihi spes esse queat, demisse precor, ne me ab omnibus pene desertum suo patrocinio, in quo post Deum omnem spem posui, destituat, sed tanto magis propugnet, quanto oppugnor undique vehementius, et pro sua paterna et ultro oblata solicitudine non quiescat, donec ditio mea mihi reddatur, Cæsarem inter alia moneat, ne ad eludendam Suæ Majestatis autoritatem, ad evertendum Catholicæ religionis statum, ad obfirmandos sceleratorum animos, ad movendos sectariorum risus, ad ciendos similes in Imperio motus patiatur, restitutionis causam sole meridiano clariorem ad incertas et prolixas judicii disceptationes devolvi, priusquam spoliatus videar restitutus. Id quod sua Majestas non solum ex plenitudine potestatis, sed etiam quod ditionem Fuldensem in manibus habeat, tanto facilius ac commodius facere potest, quanto minus juris Episcopus in petenda mea Abbatia habere dignoscitur. Etsi ratio vel jus vel metus, quibus sum ejectus, non sit habenda, perpendatur solum quod vel ex eo capite, quod omnia sine Sanctitatis Vestræ et Cæsareæ Majestatis consensu peracta sint, videor non immerito restituendus. Quin et Episcopo Herbipolensi serio ea suggerat, quæ ad sui agnitionem, tranquillitatis studium et utriusque Ecclesiæ Herbipolensis et Fuldensis utilitatem vel alias ad hanc rem necessaria esse videbuntur.

« Qua re Sanctitas Vestra et Deo Optimo Maximo rem acceptam, Ecclesiæ Catholicæ utilem et mihi exuli gratissimam faciet, et mercedem a Christo, cui pro incolumitate Sanctitatis Vestræ assiduis precibus supplex fio, recipiet æternam. Optime valeat Beatitudo Vestra, et me causamque meam, ut hactenus, ita in posterum quoque commendatam habeat. Datæ Viennæ 26. Octobris anno etc. LXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

BALTHASAR ABBAS FULDENSIS m. p.

XXXVII. — Gregorius, perspecta atque explorata optima Cæsaris Fuldensem juvandi voluntate, eundem hortatur, ut calamitosum illum optimumque virum in ditionem suam et jurium omnium possessionem eum primum fieri possit, restitui jubeat [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 121. f. 108.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariæ et Bohemiæ Regis Illustri, in Romanum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissime dolemus, dilectum filium Abbatem Fuldensem tamdiu carere sua legitima et veteri possessione, ac jurisdictione, quam quidem ei per vim ademptam fuisse omnes intelligunt; Tuæ vero Majestati compertissimum esse non dubitamus, neque potest hoc diutius tolerari sine gravi ecclesiasticæ dignitatis, et utriusque nostrum auctoritatis jactura, bonorumque omnium offensione. Itaque hortamur Majestatem Tuam, quantum possumus, per Dei gloriam, ut amplissimam istam, quam ab ejus bonitate habes, potestatem ad Catholicarum Ecclesiarum res in primis tuendas, optimosque pastores injuria prohibendos adhibeas in hac causa, faciasque id, quod jus maxime postulat, ut Abbas ante omnia restituatur, eo restituto, causa legitime cognoscetur. Erit hoc facillimum Majestati Tuæ; habes enim totam illam provinciam in tua potestate. Hoc autem a Tua Majestate postulamus tanto studio, ut majore non possumus: sic enim judicamus non posse rem differri salvis humani ac divini juris decretis, et utriusque nostrum, ut antea diximus, auctoritate atque existimatione. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Torcellano Nuntio nostro cognoscet Majestas Tua, dignabiturque ei fidem tribuere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima quarta Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

En quoque Pontificis litteras ad Fuldensem datas, quibus confirmat, se magnam spem in Rudolpho posuisse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 122. f. 109.

Dilecto Filio Balthasari Abbati Fuldensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Magnum Nobis dolorem afferunt tuæ res, quas semper optavimus esse florentissimas: sic enim Dei gloriæ, et Ecclesiæ tuæ præclaræ consultum iri intelligebamus. Nunc autem te post illum nefariam vim jactari, neque adhuc restitutum esse ferre non possumus: atque utinam res in ditione nostra esset, certe aut illa commissa non fuisset, aut ne punctum quidem temporis mansissent. Sed magnam spem habemus in æquitate, et pietate charissimi filii nostri Rudolphi Romanorum Imperatoris Electi. Itaque scribimus ad eum, hortamurque, quantum possumus, ut, quod jus postulat, te quamprimum restituat, inque eo et Dei causam, et utriusque nostrum existimationem agi ostendimus. Speramus, illum in causa gravissima atque æquissima summam nostra postulationis, suique muneris rationem habiturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXVIII. — In Helvetia jam defixas radices actura latius hæresis videbatur. Perditi enim quidam homines ex Genevensi pago clanculum cæteros Helveticos pagos percurrebant, ut, veneno errorum suorum propinato, Catholicos corrumperent, sibique proximis in Badensibus comitiis conciliarent, ubi de admittendis ad publica munia Protestantibus deliberandum erat. Nequissimi isti homines, ut eo quo tenderent, pervenirent, auro argentoque non pepercerunt, quo Catholicos ad suis assentiendum postulatis adducerent. Illud enimvero memorare animus refugit, quod non defuerint inter Helvetios Catholici, qui argenti cupiditate illecti per summum nefas fidem patrum suorum prodere non dubitaverint. Quid vero, quod eo socordiæ remissiorisque animi Catholici Helvetii se demiserunt, ut, ut sæpius, nisi soluto pretio, rem Catholicam tuendam haud aggrederentur? Lugenda quidem hæc fuerunt: indoluitque ea maxime Felicianus Ninguarda, Pontificis Legatus, quem Gregorius ob egregia sua in Ecclesiam merita non ita pridem Episcopum Scalensem in regno Neapolitano renuntiaverat. Cum hæc igitur vigilantissimus Pontifex per Ninguardam cognovisset, [*] Helvetiorum Episcopos cohortatus est, ut adversariorum contra fidem molitionibus pro viribus obsisterent. En quæ Episcopo Sedunensi scripsit. [*]

[*] Mantissa document. N. 21.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 97. f. 391.

Venerabili Fratri Episcopo Sedunensi.

GREGORIVS PP. XIII.

Venerabilis frater salutem etc. Sedatis jam Dei benignitate motibus Sedunensibus, providendum magnopere est, ne quid in posterum fraudis committatur ab iis, de quibus suspitio erit, ut in futuris Conventibus moliantur corrumpere omnia largitionibus, cæterisque actibus, quibus Sathan consuevit Catholicam fidem totius salutis fundamentum oppugnare atque animas perdere: neque committendum est, ut ipsi in propugnando studio et vigilantia inferiores esse videamur. Hortamur igitur Fraternitatem Tuam quantum possumus, ut provideas omni cura et diligentia, ne quid in posterum turbæ oriatur, vigilesque ad omnia, neque patiaris quidquam detrimenti Catholicæ Religioni inferri, obsistasque omni ope. Aderit Deus virtuti tuæ, neque suam causam deseret. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Octobris MDLXXVO. Pontificatus Nostri anno sexto.

Nemo tamen mirabitur apud Helvetios tan-

tam commutationem factam esse, cum intellexerit Cleri mores corruptissimos extitisse. Itaque Gregorius vehementissimis litteris Helvetios jubet Clericorum concubinas expellere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 98 f. 308.

Dilectis Filiis Septem Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIVS PP. XIII.

Dilecti filii salutem etc. Quantopere oporteat tum omnes viros pios, quorum corpora atque animi templa sunt Spiritus Sancti, tum vero Clericos, hoc est homines peculiari quadam ratione hæreditati Dei ascriptos, eique consecratos, sese ab omni labe puros atque integros servare, et vos pro vestra prudentia facile intelligitis, et Christiana ipsa professio declarat, et sacrorum librorum monita apertissime testificantur. Nihil autem est, quod majorem Clericis maculam afferat, quam concubinarum infamia, eam gravissimis verbis detestatur Apostolus. Nescitis, inquit, quod corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit, an nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Quod cum verissime dicatur, qui poterit corpus meretricis dicere cum Propheta, Dominus pars hæreditatis meæ? ac verba hæc Clericorum propria esse debent, ab hac enim hæreditate nomen sortiti sunt. Utinam autem in eorum memoria perpetuo hærerent verba sanctissimi Bernardi. Puritatis, inquit ille, auctori impuro corde et corpore ministrantes, non verentur astare Angelum Domini, qui secet medios et disperdat, sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante carnes, proh dolor, meretricias attrectarunt, sic altaria circuire, sic frequentare psalmos, cum et hujusmodi laus execrabilis, et oratio sit in peccatis. Hæc vero infamia plerosque ex vestris Clericis ac Sacerdotibus gravissime laborare dolendum et lugendum est. Vobis autem huic tam gravi malo providendum, atque omni studio et diligentia placandus est Deus; is enim, ut scitis, paucorum aliquorum crimine super universam plectit multitudinem. Quo autem magis cupimus, precamurque vobis a Deo omnem felicitatem, eo vos hortamur magis, ut in hanc curam toto pectore incumbatis, concubinasque ipsas amoveatis, atque etiam, si opus erit, procul amandetis, sicque cogitetis, tantam esse oportere Clericorum munditiam, ut Sanctorum Patrum decretis interdicta sit familiaritas cum mulieribus, nedum ut ferri possit iste concubinarum fœtor. Omnia Nobis pollicetur vestra pietas; hoc autem ut omnino curetis, contendimus, quantum possumus, per eam ipsam Christi gloriam, cujus causa hæc scribimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Octobris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXIX. — Gregorius per Cardinalem Comensem Lucernenses laudat ob egregiam ab iis præstitam operam tum in Episcopis juvandis, tum in arcendis hæreticis, qui se clam in suum pagum immisissent. Addit se certam nummorum summam Jesuitarum Provinciali solvendam mandasse, ut bibliothecam Collegii, quod instituerant, libris, quorum usus esset, adornaret. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol 28 ep. 109.

Illmis Dominis Prætori et Senatui Urbis Lucernæ.

Illustrissimi Domini.

« Redditæ sunt Sanctissimo Domino Nostro literæ Dominationum Vestrarum Illustrissimarum VI. Idus Maji scriptæ, et alteræ item mihi eodem die datæ, ex quibus vestrum cognovi desiderium, et juxta illud libenter meas partes apud Sanctitatem Suam interposui, quæ ut summopere lætata est, constitutum fuisse istic ejusmodi collegium, et talibus redditibus dotatum, unde maximi fructus ad augendam religionem, et refellendas hæreses sperari possint: ita pro sua paterna erga vos, universamque fortissimam istam nationem voluntate, ac propensione decrevit opus tam pium et necessarium in comparanda bibliotheca, quemadmodum petiistis, adjuvare. Itaque mandavit hujus rei causa pecuniam, qua opus erit, Augustæ solvi Patri Provinciali Jesuitarum, et ei negotium dari emendi libros, et istuc mittendi, quemadmodum latius vobis exponit egregius vir Judocus Segisserus custodiæ militum Helvetiorum Sanctitatis Suæ Præfectus, ex quo etiam Illustrissimæ Dominationes Vestræ cognoscent, quanta molestia Sanctitas ejus affecta fuerit ex nefario eorum scelere, qui ignem pago et monasterio Sanctæ Mariæ in Nigra Silva injecerunt. In quibus quidem conquirendis ut diligenter perseverent, et si inventi fuerint, pro modo culpæ eos puniant, scio hortatione opus non esse. Ostendit idem Judocus quantopere Sanctitati Suæ acceptum fuerit, quod auxilio vestro, et favore Episcopum Coyrensem juveritis, hortabiturque, ut in ejusdem Episcopi. ac cæterarum Ecclesiarum tutela constanter perseveretis, quemadmodum Sanctitas ejus superioribus mensibus misso ad vos Brevi petiit. Gratum quoque Sanctitati Suæ fuit, quod proxime operam dedistis, ut minister ille hæreticus ejiceretur ex urbe Sedunensi, in quam irrepserat, atque cum hujus rei causa Sanctitas Sua mittere illuc decreverit Decanum Coyrensem, ut curet ei malo ejusmodi remedia adhiberi, ne radices agat, et vires in perniciem populorum acquirat, cupit ei a vobis commendatitias literas ad Sedunenses dari, et fidem in his, quæ exponet, haberi. Bene ac feliciter valeant Illustrissimæ Dominationes Vestræ, quibus omnia

mea officia ac studia promptissima defero. Romæ die 20. Julii 1577.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

XL. — Res Ecclesiæ in Polonia, sedatis turbis, prospere pacateque progrediebantur; nisi quod Gedanenses, quorum plerique Lutheri dogmata sequebantur, omnia dissidiis ac seditionibus impleverant. Illi enim ob denegatam ipsis liberam Confessionis Augustanæ professionem sub initium hujus anni impio crudelique furore in suos Catholicos cives irruerunt, rebus, hominibus sacris ludibrio habitis, templis monasteriisque solo æquatis. Quibus motibus comprimendis confestim occurrit Rex. Haud vero sine ingenti animi horrore legerentur, nisi graviora nostra ætate vidissemus, quæ Episcopus Vladisladiensis de nefariis eorum facinoribus narrat. [*]

[*] Polonia Vol 11. fol. 313

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Vincentio Episcopo Montis Regalis, Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntio etc. Domino Observandissimo.

Illustrissime ac Reverendissime Domine Domine Observandissime.

« Officii mei, curæque humeris meis incumbentis solicitudo facit, ut dolorem meum pene incredibilem, quem cum jam antea, tum hoc tempore præcipue ex nefario Gedanensium scelere ac sacrilegio capio, Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ, cui hoc idem quod et mihi curæ esse scio, communicem.

« Superioribus temporibus, dum fraudulenter (quod exitus demonstravit) perfidi isti, ad extrahendum tempus ad suum commodum, cum Rege pacis valde cupido de conditionibus pacificationis tractarent, inter cætera postulaverunt, ut Confessionis Augustanæ summa licentia illis permitteretur. De quo cum illis nihil aperte responsum esset, cætera etiam omnia, quæ jam pro Regis indulgentia convenire cœperant, abjecerunt, Regisque postulata æquissima repudiarunt. Vix aliquot dies postea intercesserunt, cum eodem illo, quo jam pridem agitantur, furore correpti, quasi ad ulciscendum religionem Catholicam; non contenti eo, quod jam statim in principio rebellionis in templa, quæ etiamnum aliquot superfuerant Catholicorum, et in eorum sacerdotes, virginesque sacras, ac suppellectilem sacram impie atque crudeliter in urbe perpetraverant, armato exercitu, cum machinis bellicis erumpentes in monasterium Olivense, quod uno Germanico miliari ab urbe distabat, impetum fecerunt, templum atque monasterium satis locuples, rebus omnibus spoliarunt; duos monachos, et aliquot familiares Abbatis interfecerunt; reliquos omnes in vincula conjecerunt. Ad extremum muris templi atque monasterii amplissimi et ordinis Cisterciensis in Polonia antiquissimi machinas admoverunt, pulvere sulphureo subjecto omnia a fundamentis everterunt, soloque per biduum se impie fatigantes æquarunt. Inde postea acie instructa, vestibus sacris induti, spolia sacra præferentes, monachos aliquot nudos, manibus post tergum revinctis, flagris præ se agentes, bovemque omni eo habitu, quo sacerdos ad sanctissimum Missæ sacrificium induitur, vestitum ducentes cum solemni triumphi pompa in urbem redierunt. Hæc tanta sunt, ut omnem impietatem et piorum dolorem superent. Quæ a meis, quos illic habeo fidissimos, quique eorum omnium spectatores fuerunt, ad me perscripta sunt. Quæ ut Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra ad Sanctissimum Dominum Nostrum perscribat, oro. Quantum enim divinare possum, homines isti, qui se tanto scelere obstrinxerunt, externa præsidia sibi quærent, periculumque est, ne non solum vicinas, sed etiam remotiores Christiani nominis provincias perturbent. Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Vestram quam optime ac diutissime valere percupio. Volborio XII. Martii MDLXXVII.

Illmæ ac Rmæ Paternitatis Vestræ

Addictissimus servitor

STANISLAUS CARNCOVIUS EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS ET POMERANIÆ.

XLI. — Gregorius, cognita Stephani Poloniæ Regis volontate de restituendis templis, quæ Catholicis ab Lutheranis erepta fuerunt, ut id quam primum per eum fiat, rogat. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. V ep 173, f. 297.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Magna cum voluptate accepimus, placere Majestati Tuæ, templa Catholicorum a Lutheranis post obitum superioris Regis occupata restitui, idque te venerabili fratri Episcopo Warmiensi significasse, atque etiam ita fieri decrevisse. Hortamur igitur et rogamus, quantum possumus, ut hoc quam primum conficias. Omnia Nobis pollicetur insignis pietas tua, neque dubitare Nos sinit, quin ea, quæ, ad Dei gloriam atque ad Catholicæ Ecclesiæ dignitatem pertinere intelligis, summopere tibi cordi sint. Iterum igitur rogamus, ne patiaris loca sacrosancta ab hæreticis diutius occupari: erit hoc tua virtute dignissimum, Deoque acceptissimum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

XLII. — Quod Poloniæ Episcopi jamdiu exoptaverant, ut pacatis regni rebus sibi facultas daretur Synodi Provincialis cogendæ, ad Cleri mores reformandos, instaurandamque collapsam suis diœcesibus Ecclesiæ disciplinam, id hoc tandem anno præstiterunt. Ineunte enim mense Majo omnes Episcopi, qui erant in potestate se-

dis primatialis Gnesnensis, Petricoviam de rebus communibus deliberaturi convenere. Huic venerando consessui nomine Pontificis Nuntius Apostolicus præfuit, Patresque ita est alloquutus. [*]

[*] Polonia Vol 12 fol. 151

Reverendissimi Domini, Reverendi Venerabilesque Sacerdotes, Fratres in Christo Charissimi.

« Quatuor anni sunt, cum ego pro meo legationis Apostolicæ munere in eam curam et cogitationem incumbo, id potissimum contendo, ut in hoc Regno Religio Catholica in antiquum dignitatis statum, quoad ejus fieri potest, restituatur. Et in eo quidem negocio gerendo nec mihi animus, nec vobis studium et voluntas defuit, ob repentinum tamen Christianissimi Regis discessum, ob longum interregni tempus, ob diuturnam de Regno ipso controversiam, maxime perturbatis Reipublicæ rebus, nondum ad propositum nobis finem pervenire potuimus. Dei tandem consilio et providentia factum est, ut cunctis e medio sublatis dissidiis, omnium consensu, is nunc ad gubernacula Princeps sedeat, qui plane queat in maximis turbinibus ac fluctibus Reipublicæ navem gubernare, salvamque in portu collocare. Sub hoc Rege Synodus Provincialis, (quæ injuria temporum jamdiu intermissa fuerat) veluti postliminio restituta, in hunc locum celebratione complurium Synodorum illustrem coacta est. Enitendum est igitur, ut Synodi hujus sanctionibus evellantur ex animis hominum falsæ recentium sectarum opiniones tam penitus insitæ; propagetur sancta religio, et quod caput est, in posterum conservetur purissimus Divini muneris cultus. Ad id magno erit adjumento insignis virtus ac pietas Reverendissimi Primatis, ac Reverendissimorum Antistitum multis, maximisque in rebus testificata et cognita, nec non singularis Venerabilium Sacerdotum doctrina, integritas et industria. Ego vero dabo, Deo juvante, operam, ut in causa ipsius religionis tuenda, et in sanctæ hujus Polonæ Ecclesiæ incolumitate curanda, quæ meæ partes sunt, a nemine unquam desiderentur. Cum autem nihil sit magis naturæ et rationi consentaneum, quam pro sua quemque parte niti, ut serviat Deo, cujus benignitati acceptum referre debet, quidquid boni possidet in hac vita, speratque in futura, profecto summi beneficii loco ducere nos oportet, aliquam nobis tribui facultatem laboris et operæ in ea, quæ illum velle intelligimus, impendendæ. Nihil vero est, quod magis Deo cordi sit fide Catholica, nihil contra, quod Sathan oderit, magis noceat, nempe Christum tam suo ipsius sanguine hausisse, posuisseque totius salutis fundamentum.

« Adversus hanc fidem omnia moliri, novamque Babel ad gehennam ædificare non cessat per suos ministros idem Sathan. Turpissimum certe esset nobis ad pascendum Christi gregem constitutis, in optima causa, in præsentissimo ejusdem Christi auxilio, in spe certissimæ sempiternæ mercedis inferiores esse cura, labore, studio, vigilantia. Tanto igitur acrius contendendum, quanto in nobis sunt omnia superiora.

« Id tantum nobis vitio dare adversarii queunt, quod ex Apostolorum et veterum Patrum institutis rectam vivendi rationem, non fidem deseruimus. Ad illam ergo majorum nostrorum normam, necesse est, vitam nostram dirigamus. Ejus, inquit Gregorius Magnus, doctrinæ non creditur, cujus vita improbatur. Quod si inter alia Rhetorum præcepta illud præcipuum est, ut orator se virum bonum esse ostendat, si ad persuadendum accommodate dicere velit; quanto magis et videri et esse virum bonum decet Christi sacerdotem, qui res, quæ humanæ mentis aciem prestringant, persuasurus, id non humanis viribus, sed divina tantum ope assequi potest: sine me, ait Dominus, nihil potestis facere. Et quidem cœlestis ille Christi spiritus purarum mentium sibi deligit domicilium, earum preces et vota de hominum salute audit; contra deserit impuros animos, et in tenebris relinquit, seque ab illorum precibus avertit. Scimus, (inquit cæcus natus externis internisque luminibus jam donatus) quod peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, et ejus voluntatem facit, hunc exaudit. Quamobrem si Ecclesiastici ordinis existimationem atque auctoritatem tueri, si adversariis in tantis tenebris erroris et inscitia verum lumen præferre velimus, agite, contendamus Catholicæ fidei veritatem, peccatorum nostrorum caligine pene obscuratam, puræ et incorruptæ consuetudinis nostræ hoc patefacere et illustrare, cœpit Dominus lucrifacere et docere. Hac sola ratione retinebimus vinculum christianæ societatis.

« Porro expeditam nobis hujusmodi viam tradit Sacrosanctum Tridentinum Concilium; id cum duo tantummodo contineat, rectam nimirum Catholicæ fidei regulam, et morum disciplinam, profecto est a Christianis omnibus omni ex parte observandum: neque nempe potest sine utroque salus nostra consistere. Hæc est, inquit Dominus, vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. In hoc autem Joannes testatur, nos scire, quod Deum novimus, si mandata ejus observamus.

« Si hæc itaque Provincialis Synodus, ut vere credimus, in Christi nomine celebretur, idem ipse Christus, qui usque ad consummationem sæculi nobiscum permanens œconomiam Ecclesiasticam moderatur et regit, ejusdem Synodi auctor, dux et moderator erit. Quod nempe ille promisit, fideliter nunquam præstare desinit. Ubi, inquit, duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et dubitan-

dum certe non est, religiosissimos Antistites, piosque Sacerdotes in ejus nomine huc congregatos esse, ejus gloriam quærere, suam et populi sibi commissi salutem præcipue curare.

« Quid igitur obstabit, cur Provincialis Synodus decreta Concilii Oecumenici non sit probatura? Regnat Stephanus primus, qui ut pietate, prudentia et animi magnitudine nostræ ætatis Regum nemini est inferior, sic fidei Catholicæ et libertatis Ecclesiasticæ vindex acerrimus et est et haberi vult.

« Nemo certe eorum, qui religionem oppugnant, quominus fidei ipsius dogmata religiose amplectamini, vobis formidini esse debet. Præest Ecclesiæ Universali Gregorius XIII. Pontifex vigilantissimus et sapientissimus, qui honestis omnibus rationibus hujus Ecclesiæ dignitatem sartam tectam conservare cupit, atque in iis, quæ ad morum emendationem attinent, et præsertim quæ ob sacerdotiorum tenuitatem sine magno totius Cleri incommodo et inopia ad optatum finem vix perduci poterant, jam sacrarum legum gratiam vobis pro loco et tempore benigne facere non prætermisit, misso ad me S. Suæ Brevi, in quo equidem, quæ continentur, universa diligenter exequi curabo; idque eo libentius faciam, quo majora in hunc ornatissimum Clerum officia in dies conferre vehementer opto.

« Jam vera Synodi omnium gentium, apud quas viget Catholicæ religionis observantia, ipsum Tridentinum Concilium sine ulla exceptione receperunt. Idem ego facturam esse plane confido Sanctam Polonorum Ecclesiam, quæ in recto castissimoque Domini cultu nulli cujuscunque nationis Ecclesiæ unquam cedere consuevit. Primum ergo hæc Synodus omnia ejusdem Concilii decreta generatim suscipiat, eaque sancte observanda et custodienda jubeat. Deinde quæ ad hujus Ecclesiæ commodum spectant, tum in abusibus tollendis, tum in divino cultu promovendo, ea secundum ipsius Concilii præscripta particulatim sanciat, et pro more in canones distribuenda curet. Quoniam vero diligens horum canonum animadversio selectorum atque insignium virorum doctrinam et solertiam postulat, ex uno quoque Antistitum, Abbatum et Capitularium ordine singuli vel bini eligendi sunt, quibus hujusmodi cura mandaretur.

« Postremo, quæ pertinent ad decimarum concordiam cum Laicis ineundam et ad reliqua id genus, quæ citra Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem statui non possunt, ea omnia scripto complexa, det operam sancta Synodus, ut primo quoque tempore mittantur ad Sanctissimum Dominum Nostrum, a quo consilium et opem petat. Vobis certe nullum ab optimo Pontifice paterni amoris, nullum pietatis officium est defuturum. Iis denique absolutis Provinciali Synodo finis imponetur ad præpotentis Dei gloriam, qui in Trinitate individua vivit ac regnat in omnia sæcula. Amen.

« Antea vero quam ad aliquid horum progrediamur, necessarium esse plane arbitror, ut cuncti juxta formulam a Pio Papa Quarto ex decreto Tridentini Concilii traditam referamus nostræ fidei professionem; et quod corde credimus ad justitiam, id ore confiteamur ad salutem.

Ea præcipua capita, de quibus consulere Patres illi statuerunt. [*]

« 1. Obedientia Summo Pontifici ab omnibus ex præscripto Concilii Tridentino jurejurando est confirmanda.

2. Ea quæ de doctrina sacra per Concilium Tridentinum sunt constituta, jurejurando itidem ab omnibus sunt approbanda.

3. Decreta ejusdem Concilii, quæ reformationem in se continent, in executionem sunt deducenda, ad eaque perpetuo conservanda Synodi tam Provinciales quam Diœcesanæ suis temporibus ex præscripto Concilii sunt celebrandæ. Itidem ut visitationes per eos, ad quos de jure pertinet suis temporibus sunt faciendæ.

4. Si quid a Concilio Tridentino decretum sit, quod huic Provinciæ recte et sine incommodo Ecclesiastico accommodari nequeat, de eo consultandum et publica Synodi auctoritate Sanctissimæ Sedi Apostolicæ supplicandum, ut eo nos solvere, vel id aliqua ratione non incommoda relaxare velit, ejusque rei rationes per Legatum una cum Legato Sacræ Regiæ Majestatis a Clero mittendum cum cæteris Synodi actis exponendæ.

5. Præsentibus et jam pridem Ecclesiam prementibus malis remedium quærendum, consultandumque de jurisdictione spirituali penitus enervata, quoad fieri potest, in pristinum statum restituenda, de templis prophanatis ac desolatis, de auro atque argento per privatos homines ex eis ablato ac distracto.

6. Compositionis cum statu Sæculari modus atque ratio ineundæ.

7. Si de decimis ac injuriis personarum Ecclesiarum jurisdictione spirituali uti nobis non permittetur, forum quærendum.

8. Imminentibus Ecclesiæ malis mature occurrendum. Nimirum providendum est, ne ad judicia ultimæ instantiæ per Palatinatus instituta, vel aliquod tribunal novum iniqua et bonis Ecclesiæ perniciosa conditione rapiamur.

9. De Ecclesiis jurispatronatus Regis, ac etiam Spiritualium per vim occupatis, spoliatis atque profanatis in pristinum vindicandis.

10. De reformatione bonorum Regularium, quæ partim propter abusum, partim propter desolationem ad interitum spectare videntur.

11. De augendis et reformandis scholis, præcipue vero de schola Cracoviensi.

12. De privilegiis omnium Ecclesiarum tam

[*] Polonia Vol. 12. fol. 161.

Saecularium quam Regularium, quae usquam extant, in unum volumen redigeodis.

13. De gratificando Sacrae Regiae Majestati ex liberalitate Ecclesiastica.

14. De authoritate Primatis stabilienda.

« Omnes ac singuli, qui de jure vel consuetudine ad Synodum Provincialem vocari solent et debent, per litteras Reverendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis mature vocandi sunt, Synodique Dioecesanae et Archidiaconales ex statuto provinciali sunt praemittendae.

« Supplicationes solemnes litaniis per totam Provinciam ab indicta Synodo usque ad finem ipsius pro felici illius exitu sint indicandae; concionatoribusque praecipiendum est, ut multitudinem ad sacra congregatam eodem nomine ad supplicandum Deo Opt. Max. omnibus diebus Dominicis et festis sedulo exhortentur.

XLIII. — Miro admodum Episcoporum Cleriqne consensu in prima sessione hujus Synodi statutum fuit, Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini in omnibus et singulis Poloniae dioecesibus omnino recipienda et promulganda esse. [*] Archiepiscopus deinde Gnesnensis Synodi acta Summo Pontifici confirmanda detulit. [*]

[*] Mantissa document. N. 82
[*] Polonia Vol 11. fol. 360.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Gregorio Decimotertio Divina Providentia Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post oscula pedum beatorum et precum nostrarum humillimam commendationem.

« Quod nobis injuria temporum et variis multisque Regni perturbationibus hucusque non licuit, effectum est tandem pietate et singulari in Catholicam religionem propensione Serenissimi Regis Domini nostri clementissimi, nec non studio Reverendissimi Domini Nuntii et Reverendissimorum Dominorum Archiepiscopi Gnesnensis, aliorumque Episcoporum, ut exoptata multo jam tempore Synodus provincialis cogeretur, et feliciter Deo prosperante coepta, felicissime perficeretur. In qua cum principio omnium Decreta Sacri Concilii Tridentini ab omnibus recepta, jurejurandoque firmata essent, tractatum est deinceps de iis, quaecunque ad bene et ordinate constituendum Ecclesiarum nostrarum statum in tanta temporis calamitate et rerum perturbatione pertinere videbantur. Et quoniam incidebant nonnulla, de quibus ad clementiam Sanctae Sedis Apostolicae confugere necesse fuit, designatus est a nobis, et ab universo Clero praesentis Synodi ad Sanctitatem Vestram Nuntius Reverendus Jacobus Brzesmiczki, Juris utriusque Doctor, Posnaniensis Canonicus, ut ea, quae salubriter in sacra Synodo constituta sunt, exhiberet confirmanda, et in quibusdam aliis paternam Beatitudinis Vestrae benignitatem imploraret.

« Eum itaque Beatitudini V. humiliter commendamus, supplicamusque, ut illi in omnibus fidem plenam adhibere, ac elementer pro felici ac diuturna Ecclesiarum nostrarum conservatione in tantis undique periculis expedire dignetur. Pro cujus incolumitate, felicissimo diuturnoque regimine quotidie ardentibus votis Deum deprecamur. Datum Petricoviae in Synodo Provinciali die xxv. Maji in vigilia Pentecostes, anno Domini 1577.

Sanctitatis Vestrae

Servitor deditissimus ac devotissimus
Jacobus Uchanski
Divinae et Sedis Apostolicae gratia Archiep. Gnesn. suo ac Episcoporum, totiusque Cleri in Synodo congregati nomine.

Id tantae profecto curae Episcopo Vladislaviensi fuit, ut jam aliquot ante annis in sua dioecesi Concilii Tridentini auctoritas recepta sit. [*]

[*] Polonia Vol 11. fol. 361.

Beatissime Pater.

Post oscula pedum beatorum.

« Superiorum temporum iniquitate, continuisque Reipublicae nostrae perturbationibus effectum est, ut ne sacrosancti Tridentini Concilii canones atque decreta, quod jampridem fieri oportuit, usque adhuc publica totius Provinciae istius auctoritate reciperentur. Nunc tandem, ut primum tempus aliquanto tranquillius divina benignitate nacti sumus, nihil mihi majori curae fuit, quam ut Reverendissimum Dominum Vincentium Laureum Montis Regalis Episcopum, Sanctitatis Vestrae Nuntium, in id summo studio incumbentem, pro viribus adjuvarem, ut, quemadmodum jam ante aliquot annos in Dioecesi mea factum est, ita hoc tempore in tota hac Provincia ab omnibus summa sacrosancti Concilii Tridentini auctoritas agnosceretur, omniaque ad ipsius praescriptum penitus accommodarentur. Synodo igitur Provinciali per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum coacta, cui etiam Reverendissimus Dominus Sanctitatis Vestrae Nuntius cum summa auctoritate atque dignitate praefuit: id quod tam diu a nobis desiderabatur, studiose cupideque perfectum est; nec jam amplius quicquam desideratur, quam ut ea, quae tam sancte constituta sunt, omnes religiosissime observent et exequantur. Quam ad rem summa Sanctitatis Vestrae auctoritas perquam necessaria est: quare acta atque instituta Synodi istius ad Sanctitatem Vestram mitto, illique non solum meo, sed etiam totius Cleri nomine submisse supplico, quo ea auctoritate sua confirmare dignetur. Ita enim totius Synodi consensu decretum est, ut ne prius promulgentur, quam iis Sanctitatis Vestrae auctoritas accesserit. Supplicamus etiam Sanctitati Vestrae, quo Serenissimum Regem nostrum, quamvis per se in causam Ecclesiae Dei satis propensum, ad

suscipiendum, quantum in se est, sacrosancti Concilii Decretorum, Provinciæque istius constitutionum patrocinium hortari et incitare dignetur. In eo enim ad obtinendum jus ecclesiasticum, veterisque disciplinæ restitutionem, plurimum situm est. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram quam diutissime felicissimam, beatissimamque conservet. Petricovia XXVIII. Maji 1577.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus servus
STANISLAUS CARNCOVIUS
EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS.

Neque minori id curæ fuisse ipsimet Stephano Regi, litteræ ejus ad Pontificem luculenter demonstrant. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 120 f. 412.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, Domino Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater, post beatorum pedum oscula.

« Sacra Petricoviensis Regni mei Synodus, post multa gravibus, magnisque de rebus consilia, decrevit ad S. Vestram mittere Venerabilem Jacobum Brezinium Canonicum Posnaniensem, juris utriusque doctorem, qui Sanctitati Vestræ ea, quæ in disceptationem vocata, deinde a Sacra Synodo vel probata vel ad Sanctitatem Vestram totius Christi Ecclesiæ in terris Pontificem dilata exponat, et certa postulata perferat. Hunc ego Sanctitati Vestræ commendo, atque ut apud ipsam in iis rebus omnibus impetrandis, quæ datæ illi a Sacra Synodo in mandatis sunt, gratiosus sit, a Sanctitate Vestra, Beatissime Pater, peto: cum ipsa postulata maximum momentum ad labentem Cleri Regni mei disciplinam in pristinum, quoad fieri potest, statum restituendam habere videantur. Cum Sanctitati Vestræ me ipsum commendo, tum cupio illam quam maxime diuturno tempore Ecclesiam Christi felicem et incolumem administrare. Datum ante Gedanum in castris die 17. mensis Junii anno Domini 1577. Regni vero nostri anno II.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ m. p.

Gregorius Episcopis eorum operam optime positam gratulatur et decreta Synodi confirmat; prohibetque, ne quis Episcoporum vel Clericorum scriba, consiliario aut alio officiali hæretico utatur. En ejus litteræ ad Gnesnensem. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 120. f. 412.

Venerabili Fratri Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Ex literis Fraternitatis Tuæ communi cæterorum Episcoporum, Clericorumque omnium nomine scriptis, atque ex actis Synodi istic confectæ apertissime cognovimus, quanta cum laude et status Ecclesiastici dignitate, ac Dei gloria versati sitis in re gravissima, atque a Nobis bonisque omnibus optatissima, in qua etiam certo scimus fuisse tuam operam præstantissimam. Legimus igitur, diligentissimeque consideravimus ejus Synodi acta et decreta, eaque etiam a venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus, Sacri Concilii interpretibus considerari voluimus, fuerunt reperta omnia sapienter pieque constituta, et tuo Clero, tum Regno universo conducibilia ac salutaria. Ea igitur remittimus, paucis aliquot tum mutatis, tum, ut aptissime convenire videbatur, appositis. Hortamur igitur, atque Apostolica auctoritate, quam a Dei benignitate accepimus, jubemus, ut ejus Synodi Decreta omnia quam diligentissime atque inviolate serventur. Illud etiam eadem auctoritate prohibemus, ne qui Episcoporum, Clericorumve utatur scriba, consiliario, secretario, aut alio officiali hæretico. Docent enim Sancti Patres, hæreticorum hominum non modo convictum et consuetudinem, sed etiam sermonem vitandum esse; neque decere illos nimis honorificis verbis appellare; tam exitiosam vero pestem, tamque Catholicis omnibus infensam nutrire, atque in honore habere perversissimum, atque ab omni ratione alienissimum est. Faciet igitur Fraternitas Tua, ut hoc nostrum mandatum ad cæteros quoque fratres Episcopos, quorum communi nomine literas ad nos dedisti, perveniat: quibus autem non poteris has nostras literas coram legere, ad eos exemplum mittes, hortaberisque, ut Clericos suos moneant, nostræque hujus voluntatis certiores faciant. Nihil enim est, quod tam cupiamus, quam Dei gloriam atque animarum salutem: utrique rei insidiari nunquam desistunt hæretici. Cætera ex Nuntio nostro cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pontifex Vladislaviensi etiam Episcopo proprie scripsit, eumque laudibus tulit maximis, propterea quod plurimum laboris et industriæ Synodi illius actis colligendis componendisque impertiverat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 122. f. 408.

Venerabili Fratri Stanislao Episcopo Wladislaviensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibilem Nobis voluptatem attulerunt tum tuæ, tum Nuncii nostri literæ, quas una cum Decretis atque actis synodalibus Nobis reddidit dilectus filius Jacobus Canonicus Posnaniensis. Lætati autem sumus tum ipsa Synodi actione gravissima, Deo acceptissima, Nobis optatissima, universo isti Clero et Regno maxime salutari, tum laborum tuorum fructu:

sic enim ex Nuntio cognovimus, te et acta ipsa collegisse, atque ita ut ad Nos missa sunt, composuisse, et in tota illa Synodo summa semper cum pietate, et Dei gloriæ zelo, Ecclesiasticique ordinis dignitatis, Regnique ipsius salutis desiderio versatum fuisse. Hujus igitur laboris triplex est fructus, primus, quem habet Deos repositum tuæ fidei et diligentiæ, alter, quem singuli percipient tam sanctis Decretis atque institutis servandis, tertius, qui hinc manat universe ad Regni istius tranquillitatem, atque incolumitatem; sapienter enim magnus Basilius, quemadmodum, inquit, sectionis aut cauterii non medicus causa est, sed morbus; sic etiam urbium eversio ex intemperantia delinquentium initium sumens, Deum omni culpa liberat. Et quidem hoc de decretis servandis magna ex parte io Regis ipsius opera situm est, si Episcoporum, Catholicorumque studium sua quoque ope amplectetur: qua de re ad ipsum scribimus, spemque optimam in ejus pietate habemus; de tua autem, cæterorumque Episcoporum vigilantia dubitare non possumus. Contendite igitur quantum potestis parare Christo plebem perfectam, ac si qua in re nostra auctoritate opus esse intelliges, fac Nos certiores. Cætera ex Nuncio nostro cognoscet Fraternitas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima nona Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Plenas etiam gratulationis, exhortationis, speique litteras ad Regem ipsum misit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 125. f. 411.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis literas Majestatis Tuæ dilectus filius Jacobus Canonicus Posnaniensis, cumque his acta Synodi Provincialis. Incredibiliter lætati sumus; sic enim cognovimus, fuisse sanctissimo jurejurando admissa Decreta et Canones Sacrosancti Concilii Tridentini. Consideravimus etiam diligentissime cætera ejusdem Synodi acta, vidimusque omnia fuisse pie sapienterque decreta. Est igitur, quod universe gratulemur isti Regno: his enim duobus quasi fundamentis, fidei nimirum synceritate et Ecclesiasticæ disciplinæ integritate nititur Regnorum omnium et Rerumpublicarum salus; quibus sublatis nullæ plane sunt humani ingenii et consilii vires. Gratulamur etiam Majestati Tuæ; habes enim in literis Episcoporum et Cleri universi eidem Jacobo ad Nos datis præclarum testimonium pietatis, studii, diligentiæ in tam præstanti, tamque Deo accepto negocio conficiendo. Quid igitur restat? Deo primum gratias agamus, tum nitamur omni studio, ut tam salutaria Decreta inviolate serventur, quod Nos quidem curabimus, quantum poterimus; tuum quoque erit, quidquid poteris auxilii atque opis conferre, ac meminisse præclaræ illius Augustini sententiæ: Felices Principes esse dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Majestati ejus famulam faciunt. Posse te plurimum, omnes intelligunt, velle, dubitat nemo: optima igitur omnia expectanda sunt. Postulationibus Clericorum, quantum quidem in Nobis erit, satisfaciemus, intelligetque Majestas Tua commendationem suam plurimom apud Nos valuisse. Cætera ex Nuncio nostro cognoscet, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XLIV. — Ea Synodus in id etiam intendit curas, ut quam plurimæ scholæ tam ad juvenes sive clericos sive laicos optimis moribus informandos, sincerisque doctrinis imbuendos, quam sacris profanisque scientiis ornandos instituerentur. Cum autem Academia Cracoviensis, insignis quondam scientiarum sedes, id temporis nonnihil ab suo splendore defecisset, Patres hic ex omnium sententia decreverunt, illam in pristinum decus esse restituendam, accersitis undique ex Germania ac præcipue ex Italia scientiarum magistris, qui tradendarum litterarum apprime gnari in iis nomen famamque sibi comparassent. Quod ut fieret, opportunum visum, ut singuli Episcopi ad certas quasdam pensiones ex beneficiis Ecclesiasticis solvendas sese obligarent, quas in hanc Universitatem Cracoviensem conferrent, ut Professorum stipendia augerentur. Unus Vilnensis Episcopus huic legi refragabatur ob varias, quas Pontifici his litteris disserebat, rationes. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. ep. 167.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ et mei humillimam commendationem.

« Certo mihi persuadeo, Constitutiones Synodi Provincialis hoc anno sub finem mensis Maji Petricoviæ ad Sanctitatem Vestram vel jam transmissas esse, vel brevi transmissum iri, ac petitum, ut omnes, a Sanctitate Vestra deprecor, ut, quæ sancte sunt constituta, Sanctitatis Vestræ authoritate et confirmatione augustiora et firmiora reddantur. Unum est, quod ad Sanctitatem Vestram referendum esse putavi in eadem Synodo, ad quam ego Nuncium meum unum ex fratribus e Capitulo miseram, ipse autem propter imbecillitatem interesse illi non poteram, mihi absenti et Successoribus meis esse pensionem certam in annos singulos impositam, quam Universitati Cracoviensi ad augenda Professorum illius stipendia persolvamus. Qua re me non mediocriter gravatum esse sentio: nam non est obscurum, quamvis id non mihi, sed Dei beni-

gnitati tribuam, quanti sumptus a me sint facti, ut in hac civitate præcipua Magni Ducatus Lithuaniæ Collegium Societatis Jesu fundaretur, quod etiam, si Dominus vitam prorogaverit, magis augere et privilegiis Universitatis, quemadmodum id non multo ante a Sanctitate Vestra petii, gratia Sanctitatis Vestræ ornari cuperem. Nec minoris esse momenti Collegium hoc in ista provincia, quam Universitatem Cracoviensem in Polonia existimo, cum illa viciniores alias Academias habeat; hoc vero sit ab omnibus remotius, et tamquam propugnaculum quoddam contra hæreses in Prussia et Livonia, et contra schismata ex Moschovia erectum, vel potius tamquam emporium, ex quo sit puritas Catholicæ fidei in illas regiones et in Regnum Sveciæ inferenda, constitutum. Præterea hæ regiones non indigent amplius, nec indigebant Universitate Cracoviensi, cum hic non minus doctos et multo diligentiores Professores tum in humanioribus litteris tam Græcis quam Latinis, tum in Philosophia et Theologia tam scholastica quam positiva sint habituræ, ut taceam disciplinam scholasticam, cujus hic longe major ratio quam isthic habetur. Est autem a ratione alienum, ut is onus sentire debeat, qui nullum percipit commodum, vel ille pendat alicui subsidium, qui nullum ab eo nec auxilium nec emolumentum sit percepturus. Deinde vero si quid Episcopi Vilnenses contribuere debent, justius et secundum regulam Apostoli, ut domesticis et suis, quam alienis largiantur. Has rationes non dubito Sanctitati Vestræ probatum iri. Quam ob rem ab ea supplex oro, ut me ab illa pensionis constitutione liberum esse jubeat, vel id Reverendissimo Nuncio suo, qui est in Regno Poloniæ committat. Ego vero tanto me alacrius ad mea domestica perficienda accingam, quanto ab externis oneribus et huic provinciæ inutilibus ero liberior. Quod superest, Deum deprecor, ut Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ ac Reipublicæ Christianæ diu servet incolumem. Vilnæ 8. die Julii anno Domini 1577.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Minimus Capellanus

VALERIANUS INDIGNUS EPISCOPUS VILNENSIS.

XLV. — Cum Stephanus Rex totus in eo esset, ut regnum tot tantisque tempestatibus jactatum ad tranquillitatem componeret; cumque ad id valde referre existimaret, quos adjutores in eo administrando esset habiturus, petiit a Pontifice, ut sibi facultas daretur conferendi beneficia Ecclesiæ Cracoviensis et Plocensis, atque hanc ob causam Romam misit Joannem Zamoyskium, virum non minus virtute bellica, quam litteris præstantem. Iis autem rationibus se moveri affirmat Rex ad ea postulanda, quod similia privilegia aliis Poloniæ Regibus, ipsique Henrico concessa fuerint, et quod Canonicatus, et Prælaturæ Ecclesiæ Cracoviensis sunt veluti gradus, quibus ad majores dignitates ecclesiasticas devenitur; Episcopi autem regni Senatores sunt, qui proinde suas habent partes in regni administratione. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 40 fol. 110

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Gregorio Divina Providentia Papæ Tredecimo, Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et Domine Clementissime.

« Post oscula pedum beatorum, Regnique mei ac Dominiorum meorum commendationem. Ex beneficentia Sanctæ Sedis Apostolicæ antecessores mei Poloniæ Reges identidem obtinebant jus conferendorum sacerdotiorum mensibus Sedis Apostolicæ in Ecclesia Cracoviensi. Etenim Canonicatuum et Prælaturarum Cracoviensis Ecclesiæ ea ratio est, ut velut primi gradus ad majores Ecclesiasticas dignitates, cum quibus Senatorium munus conjunctum est, sint. Ex iis enim fere instituto veteri istius regni a Regibus Episcopi, qui idem Senatores regni sunt, nominari et Pontificibus Maximis commendari consueverunt. Qua ex re Sanctitas Vestra perspicit, quam opus habeam, ut hoc idem a Sanctitate Vestra impetrem, cum nullius magis quam mea intersit, quos Senatores habiturus sim. Supplico igitur Sanctitati Vestræ, ut hoc jus ex munificentia Sanctitatis Vestræ habeam. Quod me a Sanctitate Vestra pro Sanctitatis Vestræ erga me paterna benevolentia, et pro mea erga Sanctitatem Vestram pietate impetraturum confido; præsertim vero cum hoc idem, ut audio, Sanctitas Vestra Christianissimo Galliarum Regi Henrico, cum Poloniæ Rex creatus esset, aliquot ante annos concessisset. Supplico præterea Sanctitati Vestræ, ut eandem facultatem et in Ecclesia Plocensi ac ejus Diœcesi mihi concedat. Commendo me, Regnum ac Dominia mea paternæ benevolentiæ Sanctitatis Vestræ, illamque bene ac diu valere cupio. Mariemburgi die VI. mensis Junii anno Domini MDLXXVII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ.

Obsequentissimus filius

STEPHANUS REX POLONIÆ.

manu pp.

XLVI. — Ex Gregorii ad Stephanum litteris plane constat, Regi ipsi etsi occupationibus bellorum impedito, nihilo minus litterarum studia et Universitatis Cracoviensis splendorem et amplitudinem cordi imprimis fuisse. Quare Gregorius id sibi jucundissimum accidisse scribit; eique spem facit, quod ad beneficiorum Ecclesiæ Cracoviensis collationem attinet, se ejus votis satisfacturum. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 182 fol. 117.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Jucondissimum Nobis fuit ex literis Majestatis Tuæ, atque ex sermone dilecti filii Joannis Zamoschii perspicere, te in ipsa bellorum occupatione de liberalium quoque artium studiis et doctrinis cogitare, et utraque ratione ad communem societatem et civilem vitam pernecessaria, et optimi Regis cura et vigilantia dignissima, Regni istius incolumitati atque ornamento consulere. Itaque ea, quæ postulabas pro Gymnasio Cracoviæ constituendo libenter concessimus, deque magistris et doctoribus, quantum potuimus, desiderio tuo satisfecimus. Omnia ex Joanne ipso cognosces. De Indulto Cracoviensi non deerimus suo tempore ea agere, quæ erga superiores Reges acta fuerunt. Speramus, perspectam esse Majestati Tuæ nostram erga te voluntatem et paternam charitatem, eam perpetuo retinebimus, et quibuscunque in rebus poterimus, declarabimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XLVII. — Cum obtrectatores quidam Annam Reginam apud Pontificem in suspicionem vocavissent, Gregorius eam solatur, affirmatque se nunquam de ejus pietate dubitasse, cæteraque ipsam ex suo Nuntio cognituram esse. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep. 21. f. 248.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Annæ Poloniæ Reginæ Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

Charissima in Christo filia nostra salutem etc. Nihil unquam Nobis magis inexpectatum accidit, quam posse quemquam suspicari venisse Nobis in dubium pietatem et religionem tuam; inventos vero esse aliquos, qui non solum id suspicarentur, sed etiam affirmare auderent, atque ad Majestatem Tuam referre, tam Nobis novum ac mirum accidit, ut nihil unquam magis, sed agnoscimus Sathanæ atque ejus Ministrorum fraudes, voluerunt istum tibi scrupulum injicere, ut te de ista animi tranquillitate deturbarent, segnioremque in Divinis mandatis redderent: mirum enim quantum distrahatur a Deo calumniis animus, experiebatur hoc Propheta, cum sic orabat: Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua: hoc si in te effecerunt, dolemus tua causa, sin minus, gratulamur virtuti tuæ; Nos quidem certe sermones isti nihil commoverant, ipsi enim nostri animi, nostræque de te opinionis conscii sumus, pietatemque tuam, atque in Catholica Religione constantiam semper amavimus, celebravimusque; neque erat, cur levissimorum hominum sermonibus movereris, tamqoe male de Nobis existimares, ut putares posse Nos quidquam credere de te secus, quam conveniret de Regina optima, Catholicæque Religionis observantissima ac studiosissima. Omnem igitur istam opinionem depone, quæque hac de re cum Tua Majestate loquetur Nuntius noster, super his omnem ei fidem tribue. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XLVIII. — Tandem Rex Stephanus more Christianorum Regum Oratorem suum Paulum Uchanskium obedientiam suo nomine Pontifici præstaturum Romam mittit, et se excusat, quod regni negotiis impeditus id antea non fecerit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 35 fol 41.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Domino Gregorio Divina Providentia Papæ XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

« Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum, meique et Regni ac Dominiorum meorum commendationem. Quod mihi multo ante faciendum fuisse intelligo, si per occupationes Regni mei licitum mihi fuisset, id nunc liberior aliquanto, et difficilioribus illis occupationibus solutior facio, atque ad Sanctitatem Vestram Oratorem meum Illustrem Paulum Uchanski Comitem a Sluzeno Capitaneum Probobicensem mitto, qui studia mea perpetua, et obedientiam Sanctitati Vestræ nomine meo regio, quod in me divina benignitate anno superiore collatum est, debitam ad S. Vestram et Sedem istam Apostolicam, more cæterorum omnium Christianorum Regum deferat. Utinam quo ego studio et cultu Sedem istam Apostolicam veneror, qua pietate Sanctitatem Vestram ipsam, quæ præest huic Sedi Sacrosanctæ, prosequor, eamdem referam a Sanctitate Vestra paternam benevolentiam. Peto et quæso, ut de mea erga se observantia, deque meis et Regni mei rationibus reliquis disserentem Oratorem meum benigne Sanctitas Vestra audiat, eumdemque cum illustribus gratiæ erga me et benevolentiæ significationibus ad me remittat, me etiam, Regnumque meum, et Dominia illi adjuncta sibi imprimis commendata habeat. Datum Mariæburgi 28. die mensis Novembris anno Domini 1577.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ.

Obsequentissimus filius
STEPHANUS REX POLONIÆ.
mpp.

XLIX. — Neque tamen mireris, quod Rex adeo distulerit suum Oratorem solemniori, ut mos erat, modo Romam mittere. Fama enim ad eum pervenerat, Regem Galliarum nihil non tentare apud Pontificem, quominus Oratores sui reciperentur. Jam enim Henricus III. in ipsis Blesensibus Comitiis electioni Stephani Transilvani rogato instrumento XV. Calend. Martias intercesserat; propterea que Oratori suo Romæ negotium dederat, [*] ut idem suo nomine coram

[*] Mantissa document. N. 83.

Pontifice faceret, ab eoque impetraret, ne Transilvani Oratores ad colloquium admitterentur, quando ad obedientiam præstandam venturi essent. En Gallici Oratoris intercessio. [*]

[*] Avignone Vol. 6. f. 182

« Sanctissime Pater. Quamvis devoto et obedientissimo S. V. et Sedis Apostolicæ in Christo filio Henrico III. Franciæ et Poloniæ Regi Christianissimo anno Domini 1573., quo tempore ipse Andegavensium Dux erat, ab universis Ordinibus ac Proceribus unanimi omnium consensu Regnum Poloniæ legitime delatum per electionem fuerit, eaque electio solemni legatione, dum adhuc clarissimæ memoriæ Carolus Nonus Francorum Rex Christianissimus ejus frater in humanis ageret, ex parte dictorum Ordinum Regni Poloniæ in almam civitatem Parisiorum transmissa, et ab Henrico Rege Christianissimo rata habita et accepta fuerit, multis ultro citroque per ipsum et ejus nomine cum selectis viris Poloniæ habitis conventionibus, maxime vero pro confœderatione, mutuoque auxilio Regnorum Franciæ et Poloniæ, et ut quam optime consultum foret dicto Regi Henrico casu quo aliquid contingeret humanitus Christianissimo Regi Carolo, tunc feliciter regnanti, ut postea accidit, ac rebus ita compositis, juramentoque firmatis dictus Henricus Rex in Poloniam magnis sumptibus magnificoque apparatu, rebus tamen in Gallia pro religione nondum confectis se contulerit, ibique magno eorum applausu Rex renunciatus et consecratus, juramentum fidelitatis ab omnibus illius Regni Ordinibus solemniter receperit, ipsumque Poloniæ Regnum in summam pacem et tranquillitatem asseruerit, morte autem gloriosæ memoriæ Caroli Regis, sicut Domino placuit, subsecuta in demortui fratris locum et regnum successerit; cumque reditum in Galliam moltis, iisque justissimis de causis accelerandum putaret, re cum paucis communicata, temporum et viarum habita ratione, qua potuit diligentia in Galliam remigraverit, ad conservationem scilicet status Regni Franciæ, imprimisque ad libertatem et auctoritatem hujus Sanctæ Sedis asserendam, vindicandam et retinendam, qui discessus tam a Vestra Sanctitate, quam a gloriosæ memoriæ Maximiliano Imperatore, et generaliter ab omnibus Christianis Principibus et Rebuspublicis, nec non a quamplurimis primatibus ejusdem Regni Poloniæ, qui Viennam colloquii causa ad ipsum Regem venerant, laudatus ac comprobatus extitit; nihilominus aliqui Poloni fidelitatis a se præstitæ et auctoritatis Regiæ, vinculi denique et obligationis per juramentum prædictorum Regnorum Franciæ et Poloniæ confœderatione immemores, se ipsos ab hujusmodi solemni juramento fidelitatis, nullo jure, nullaque venia juramenti a Sanctitate Vestra obtenta, inaudito etiam Rege, de altero deligendo cogitarunt. Quæ agendi ratio Regibus, Regnisque non parum præjudicatura videtur. Quibus accedit, quod eo absente Regnum Poloniæ nihil detrimenti cœpit, nihilque a Rege hactenus actum contra pacta et fœdera inter eos inita et juramento confirmata, quin et Nuntios ac selectos viros delegit, qui Polonis præsentiam suam brevi pollicerentur. Nec novum fit ab uno Rege plura Regna gubernari, ut etiam in Regno Poloniæ aliquando observatum est, et nunc etiam in pluribus Provinciis et Regnis non minus inter se disjunctis et remotis, quam Regnum Poloniæ et Galliæ experimur. Tamen eo ventum est, ut minus solemnibus comitiis indictis de novo creando Rege non solum cogitarint, verum etiam in electionem Transilvani nonnulli convenerint, quem fama est ad Sanctitatem Vestram Oratorem suum ac Legatum misisse pro præstanda solita obedientia, quæ legitimo tantum Regi convenit, et quam jam a Rege Henrico præstitam S. V. gratam et acceptam habuit, ut nunc Transilvanos admitti posse non videatur absque gravi præjudicio juris jam quæsiti, et jurium prædicti Christianissimi Regis Henrici filii vestri. Quare constitutus personaliter coram Sanctitate Vestra Illmus et Excellmus Dominus Ludovicus Chastagner, Dominus Dabain de la Rochepolay Orator et Procurator ejusdem Christianissimi Regis, habens et tenens in suis manibus mandatum procurationis ipsius Christianissimi Henrici Regis institit et requisivit, ac instat et requirit quam obnixe, instanter et instantissime, etiam nomine procuratorio, quo supra supplicando vobis Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro Domino Gregorio divina providentia Papæ XIII. (prævia qua decet reverentia) quatenus nullo modo, nulloque pacto admittatis, nec admittere debeatis hunc aut ullum alium ad præstandam obedientiam Sanctitati Vestræ et Sanctæ Sedi Apostolicæ, occasione et causa dicti Regni Poloniæ et Magni Ducatus Lithuaniæ, cæterarumque provinciarum et annexarum et illius pertinentiarum debitam ex parte et nomine cujusvis alterius personæ, quam prælibati Christianissimi Henrici Franciæ et Poloniæ Regis etc., in præjudicium ipsius et jurium suorum quorumcunque sibi quomodolibet in dicto Poloniæ Regno et Magno Ducatu Lithuaniæ, cæterisque provinciis ei annexis competentium, aut quæ competere poterunt. Alias protestatur de nullitate et invaliditate quorumcunque in præmissis actorum et factorum ac agendorum contra mentem et voluntatem præfati Christianissimi Henrici Franciæ et Poloniæ Regis etc., ac de omnibus et singulis sibi dicto nomine licitis protestari suo loco et tempore latius deducendis, et præmissa dixit et fecit, ac facit et dicit non solum præmisso, sed etiam omni alio meliori et aptiori modo, quo actus iste potest explicari. Salvo jure etc. Et protestatur etc. Quam quidem protestationem pe-

tit, et petit per Sanctitatem Vestram recipi et admitti, ac mandari afficere quemcumque contravenientem et contrafacientem omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus magis melius et efficacius potuit et debuit, ac potest et debet.

L. — Ex duobus Legatis, quos Joannes Svecorum Rex exeunte anno superiori ad Pontificem miserat, Petrus Michaelis in mare Balthico tempestate periit: Pontus a Guardia, ut alibi fusius enarravimus [*], non secus ac Sacchinus, quem brevitatis causa adducimus, refert, [*] Romam profectus, sicut in arcanis habebat mandatis, postulavit, ut, quoniam haud dubie Danus, Moscus, fraterque Regis Carolus, Svecia ad Ecclesiam Catholicam revertente, arma Regi suo illaturi essent, ac Ministri ad defectionem Svecos ipsos sollicitaturi, Sanctissimus Dominus pro paterna omnium Ecclesiarum custodia Cæsaris Regisque Poloniæ auxilia ipsi conciliaret; insuper ab sancta Urbe sacerdotem mitteret, per quem de religione vera cognosceret. Hæc fuit Possevini, quem Pontifex per occasionem negotiorum Societatis Jesu norat et probabat, causa mittendi: qui nonnisi insequentis anni exordio, ut suo dicetur loco, eo pervenit. Habes modo amantissimas litteras, quibus Regi de unienda Ecclesia Svecana cum Catholica Gregorius ex animo gratulatur sancteque affirmat, se nihil omissurum, quin piis ejus votis, quæ ad religionis negotia pertinent, satisfiat, dummodo ea fidei non adversentur. [*]

[*] Schwe-den etc. T. I P. I pag. 249-260.
[*] Hist. Soc. Jesu lib. V, pag. 141.
[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 83. fol. 208.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Sveciæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Gratissima fuit Nobis legatio a Tua Majestate missa ad Nos visitandos cum ea veneratione atque obedientiæ pollicitatione, quam Catholicæ Ecclesiæ filius debet matri suæ et Jesu Christi Vicario, quem locum et munus nullo nostro merito summa cum ejusdem Christi clementia sustinemus. Ut autem verissime dicimus, hæc Nobis gratissima fuisse, sic nullis verbis possumus nostrum gaudium explicare. Quid enim Nobis optabilius est, quam ut omnes in Christo salvi sint? quid aliud parturit Sancta Mater Ecclesia? hoc autem quantum est? Regem tam nobilem et potentem, ex cujus vitæ, morumque exemplo pendet tam multorum populorum salus, veram salutis viam agnoscere, eaque incedere velle, qua post hujus vitæ miserrimam peregrinationem pervenitur ad summam, sempiternamque felicitatem. Agimus perpetuo gratias Deo, omnis rectæ voluntatis atque actionis auctori, eique istam tuam præclaram voluntatem offerimus. Hortamur autem, ut abjecta omni cunctatione et humanarum rerum cogitatione totum te penitus ejus voluntati committas, inque ejus sinum des. Is enim quemadmodum hactenus lumen protulit Majestati Tuæ, et progrediendi facultatem præbuit, sic reliquum iter muniet, tecumque erit, actionesque tuas omnes ad tuam salutem atque ad suam gloriam diriget, efficietque, ut omnia prospere et feliciter eveniant. Quæ nobiscum agit Orator tuus, quantum quidem in Nobis fuit, amplexi sumus omnia amantissime, nostrumque ei consilium et sententiam exposuimus, ac sic polliciti sumus, nunquam Nos tuis justis desideriis defuturos. Dedimus ei nonnullas literas, de quibus ex ipso cognosces; adjunximus etiam nonnullos Theologos doctrina et pietate præstantes, ut eos ad Majestatem Tuam adduceret; id enim cupere videbare: alios quoque in ea facultate summos misissemus, si id Majestati Tuæ placere existimassemus; id faciemus, ubi opportunum intelliges, quod quidem tuæ prudentiæ erit judicare. Interea certum habe, paterna Nos erga te voluntate esse, nec unquam defuturos in iis, quæ ad tuam amplitudinem atque ad Regnorum tuorum commoda pertinebunt; nec cessamus quotidie te et Regna ipsa toto pectore Divinæ bonitati commendare, atque ab eo tum in hac, tum in futura vita vobis læta omnia et prospera precari. Cætera ex Oratore tuo cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Septemb. MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Haud absimiles litteras dedit ad Reginam, ad Carolum Ducem Sudermanniæ, Regis fratrem, ad Petrum Comitem regii consilii præsidem et alios, qui provehendæ rei Catholicæ in Svecia favebant. [*]

LI. — Quod ad res Galliarum attinet, Lugdunensis Præsul, Ecclesiæ Gallicæ Primas, præ cæteris rem Catholicam in Blesensibus Comitiis mirifice juvit; quamobrem has plenas gratulationis, laudis et officii litteras ad eum Gregorius misit. [*]

[*] Videsis in nostra opera Schweden etc. T. I P. II § 20. 31. pag. 32. 10.
[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 110. f. 271.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Lugdunensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quod ab optimo Christi gregis pastore summopere optandum est, ut Dei gloriæ, Catholicæque Religionis, extra quam salus nulla esse potest, quam studiosissimus sit, id cumulate præstitisse Fraternitatem Tuam in isto conventu, nec quidquam magis laborasse, quam ut, omni hæretica peste ex Regno isto depulsa, Catholica Religio retineretur, sancteque coleretur, gravissimorum virorum testimonio Nobis confirmatur. Volumus igitur per has literas gratulari Fraternitati Tuæ istam laudem, amplissimamque a Deo Optimo Maximo in causa ei acceptissima tuis laboribus repositam mercedem: simul etiam hortari, ut quantum diligentia et vigilantia in posterum providere poteris, nullum locum prætermittas hujus ipsius Religionis tuendæ ac propagandæ. Id facturum te non dubita-

mus, sed nostrum incredibile desiderium hanc quoque cohortationem expressit. Erunt tua omnia officia hac in re Nobis gratissima, nec unquam ex animo nostro discedent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LII. — Hujus autem Archiepiscopi studium, qua in res ecclesiasticas, qua in res civiles maxime tum enituit, cum in illis Comitiis xvi. Kal. Martias pro regni Ordinibus Regem alloquens, cum diserte, graviter, modesteque admonuit de ratione optime administrandæ reipublicæ, medendique gravissimis incommodis, quibus in eo regno jamdiu Ecclesia afflictabatur. Ex qua tanti viri diserta admodum oratione factum, ut omnium suffragiis in hanc sententiam itum sit, unam fidem Catholicam in regno colendam; Decreta Concilii Tridentini in Gallia recipienda; electiones Episcoporum et aliorum Ecclesiarum Prælatorum penes Ecclesiam ut antea esse debere. Sufficiat heic pauca quædam ex illa oratione, quæ tum eloquentia, tum copia rerum atque exemplorum præstat, subjicere. (*)

(*) Gallia Vol. I. f. 33. et gallice : Collection des Procès-Verbaux du Clergé de France T. I. p. 33-47. piec. justif.

« Has ob causas, Christianissime Rex, Ecclesiasticus Ordo te in bonam partem accepturum arbitratur, pro studio tuo perpetuo animoque in fidem Catholicam, quod nunc a te maximo studio contendat, ut in Regno tuo unius religionis exercitationem et cultum versari jubeas, omnemque ministrorum colluviem et pestem quamprimum expelli, qui doctrinam insolenter nefarieque prædicant, a vera, Catholica, Apostolica Romanaque fide et disciplina abhorrentem. Nec vero dubitamus, quin ad hanc rationem voluntas tua sponte sit incensa, cum et honoe Dei, qui tibi antiquissimus est, quique hoc in Regno miserabiliter antea est afflictus, ad id te hortetur et charitas populi curæ tuæ commissi, et existimatio tua atque dignitas. Quod si Majestas tua vetustatis memoriam replicabit, cognoscet, Franciam, quamdiu unius vinculo religionis fuit devincta, famam et gloriam sui nominis longe lateque propagasse, arma sua per omnes terras circumtulisse, de religionis Catholicæ hostibus victorias triumphosque deportasse, easque res gessisse contra infideles gentes, eam gloriam sibi peperisse in Asiaticis populis, Africanis, Indis, Persis, Tartaris, Mauris, Saracenis, ut ab illis gentibus Christiani omnes Europei Franci nominentur. Cum enim externæ illæ nationes solorum Francorum ex Christianis arma senserint, Latinum omne christianorum nomen una Francorum appellatione comprehenderunt.

« Postquam vero Francia in duas diversas religiones discissa ac discerpta est, consideremus, quæso, quantum decesserit de ejus veteri fama et gloria. Nam quæ maxime parti Europæ imperabat, quæ longinqua Regna ad imperium suum adjungebat, cujus denique nomen bellicosissimis nationibus erat terrori, post hoc infœlix inauspicatumque dissidium in eum est adducta locum, ut externa arma in viscera sua receperit, legibus propemodum et conditionibus finitimorum suorum atque hostium paruerit, atque in se crudelis et sæva corpori suo ipsa gladium intentarit, quæque a cæteris nationibus invicta fuerat, se ipsam eliserit, afflixerit, funditus perdiderit. Hos fructus attulit pestilens illud et funestum novarum opinionum seminarium : quod etiam germina feret multo periculosiora, nisi pro populi tui spe atque expectatione quam primum his malis succurras.

« Meminisse te, Clarissime Rex, oportet magni Clodovæi sceptrum manu ista regia teneri, qui Princeps monarchiam hanc ad ejus religionis professionem adjunxit, quæ nunc in dubium atque in controversiam hoc eodem in Regno vocatur. Tu Childeberti hæres, qui homines male de Christiana religione sentientes cum ferre non posset, Visigothis hæresi Ariana infectis bellum intulit, eosque coegit ad sanctæ Catholicæ Ecclesiæ conjunctionem redire. Tua Majestas Caroli illius coronam gerit capite suo, qui propter rerum gestarum magnitudinem et gloriam Magni cognomen adeptus est, armis et virtute Catholicam religionem amplificavit, Sanctæque Sedis Apostolicæ auctoritatem atque dignitatem contra hostes acerrimos, potentissimosque defendit. Tu Philippi Augusti locum atque amplitudinem obtines, qui Albigenses hæreticos a societate Catholica disjunctos, maximo studio animoque persecutus domuit ac subegit. Tu in solio sedes clarissimi celeberrimique Regis Sancti Ludovici, qui in defensione ac propagatione fidei Jesu Christi nullis facultatibus, non viribus et copiis, non capiti suo pepercit, Christianisque gestis suis coronam et nomen Sancti promeritus est. Ac ne in enumerandis omnibus orationem consumam, recordare, nepotem esse te magni illius Regis Francisci I., qui lumen fuit atque ornamentum pietatis religionisque Christianæ; filium Henrici, cujus laus et memoria æterna futura est; fratrem Catholicorum imprimis Principum Francisci II. et Caroli IX., quibus pacem veniamque det Deus. Quod vero te proprius attingit, tu ille Clarissimus Henricus, qui cum Andium Dux etiam esset ac Regis frater, defensionem Ecclesiæ susceperis, tam multa gesseris, tam multas victorias reportaris, ita sæpe fidei Catholicæ hostes domueris, ut Christianum orbem impleveris nominis tui gloria. Atque existimamus omnes, te nec oblitum esse, nec unquam oblliturum sanctissimi jurisjurandi, quod initiando dedisti, non solum te religionem Christianam et Catholicam esse defensurum, sed amplificaturum etiam omni ope, nec ullam aliam religionem toleraturum.

« Sed quoniam non solum ii, qui sese ab ovili Ecclesiæ disjunxerunt, multos deceperunt mortales, cum prætexerunt depravatam Ecclesiasticorum hominum disciplinam, verum etiam qui in fide Catholica perseverarunt, hanc morum et vitæ labem assiduo deplorant: libere confitebimur, hæc nobis quoque dolori esse; at vere addere possumus, ortam ex superioribus calamitatibus licentiam cumulasse mala nostra, bonorumque voluntatem fugisse in instauranda Ecclesiastica disciplina. Hanc autem facultatem in hoc conventu Ecclesiastici nacti, sermones et consilia conferendi sperant, se ex auctoritate tua posse, quæ collapsa sunt, ita restituere, ut et Dei Majestas sanciatur et voluntati tuæ populique optatis satisfiat. Quo autem id facilius aggrediantur, petunt a te maximis studiis, ut in Regno tuo promulgari jubeas sacrosanctum Concilium Tridentinum, in quo ex sententia et auctoritate doctissimorum hominum ea decreta sunt, quæ Ecclesiam in pristinum splendorem restituere possint. In quo voluntatem ac potestatem tuam, qui Christianissimus es et singulari in Ecclesiam studio, sperant sibi non esse defuturam. Quoniam autem præcipuum in eo conventu sanctissimo consilium fuit, ut Ecclesiis providerentur boni ac diligentes Pastores, qui et doctrinæ præsidio et exemplo pietatis atque integritatis lapsa erigerent, labefacta confirmarent, illustrarent obscura, orat te Ordo Ecclesiasticus, ut veterem Electionum formam et consuetudinem in Ecclesiæ præfecturis ex sanctissimis decretis et canonibus restituas. Ex eo fiet, ut ad honores Ecclesiasticos, quod adhuc factum est, non pateat aditus gratiæ, ambitioni, simoniæ, quæ ita pervagata est solutis omnibus frenis, ut quæ commercia et nundinationes in temporalibus bonis prævaluere, eadem imo sordidiora in ecclesiasticis perpetrarentur; idque inde ortum est, quod bona cultui divino attributa et destinata possidentur ac tenentur vel aperte ab hominibus laicis, nedum vel indirecte Ecclesiasticis, in summam Ecclesiæ injuriam ac detrimentum.

« Quod si ita humane et paterne nobiscum ages pro pietate in populum tua, ut ex cujusque integritate vitæ et sinceritate doctrinæ Ecclesiastica munera officiaque mandentur, non dubitamus, quæ violata sunt, ac delapsa omnia restitutum iri; sin erit secus, disciplinæ ecclesiasticæ sanciendæ nulla fundamenta jaci possunt. Ex qua tamen disciplina intelligimus populi universi Catholica religione devincti concordiam pendere. Cum enim Pastores versantes in munere suo et in gregum custodia pervigiles (tales autem futuri sunt, qui propter virtutem creati fuerint) pueritiam catechismi doctrina et sanctis præceptis informabunt, ignarosque homines et idiotas erudient, rationes afferent et confirmationes sacrarum Ecclesiæ institutionum, dubitandum non est, quin brevi tempore ii fructus exoriantur, ut et Catholici ea multo cupidius amplectantur, et qui misere ab Ecclesia aberrarunt, cum ejus sapientiam prudentiamque perspiciant, ad matris gremium mutata mente pœnitentiaque suscepta revertantur. Hac ratione sæpe ferales pestiferæque hæreses paulatim deletæ, non armis et vi expugnatæ profligatæque sunt: hac redintegratione veteris disciplinæ ex auctoritate tua facta, spes est, fore, ut perniciosi errores, quibus hoc Regnum perturbatur, dissipentur ac vanescant.

LIII. — Permotus vero Rex subdolis Henrici Regis Navarræ et Principis Condei artibus, qui Legatis ad eos missis, uti anno superiori narravimus, pertinaciter præfractaque fronte responderant, se nentiquam coacta Blesis Comitia pro universi regni Comitiis habituros, nec in eis conditis legibus obtemperaturos, in eam sententiam adductus est, ut non omnia ea capita confirmanda censeret; itaque ut regni Ordinibus ex parte satisfaceret, rogata lege decrevit, nullam quidem in Gallia præter Catholicam religionem usurpari, de Concilio vero Tridentino accipiendo, de electionibus Episcoporum et aliorum Prælatorum potestati Ecclesiæ permittendis nihil sancitum.

Reversis Blesas Legatis ad Navarrensem et Condeum missis, renunciatisque responsionibus, ineunte Februario mense, cum eo quoque advenisset, ut animos suis adderet, Guisiæ Dux, manifeste apparebat, Comitiorum voluntatem pronam esse ad abrogandam concordiæ edictum, indicendumque Hugonottis bellum. Quamobrem Rex, ne universæ Catholicæ partis odio se subjiceret, neve irreligiosi animi suspicionem daret cum Pontifici, tum Christiano orbi, tanquam occulte Hugonottis faveret, qua incerta opinione periculum erat, ne Catholici fœderati, arreptis ipso non consulto armis, publicarum rerum statum perturbarent, suasus a Lemovicensi Præsule et a Morvillerio, quorum consilia magni faciebat, decrevit, quoniam aperte obsistere jam nimium validis fœderatorum consiliis et conatibus non valebat, ejusdem fœderis patronum et principem semetipsum constituere, eamque sibi auctoritatem vindicare, quam tribuere alii volebant fœderis principi et in Gallia et extra regnum; sperans sibi, hujusce fœderis auctori et moderatori effecto, non defuturas tempore opportunitates ad idem dissolvendum, uti proposito suo prorsus adversum. Idcirco ostendens se maxime exoptare Hugonottorum factionem deleri, iratumque ex datis a regiis Principibus responsis, jussit in Comitiis, Lotharingiis Principibus adstantibus, legi ac publice sacramento firmari libellum ipsum a fœderatis Catholicis editum, decernens, ipsum esse perpe-

tuam et inconcussam regni legem, seque ejusdem principem ac patronum dixit, gravibus et solemnibus verbis professus, se omne studium atque omnem operam daturum, ut universum populum ad unicum Catholicæ religionis cultum adduceret.

LIV. — Plura interea agitata in Comitiis fuerunt eorum, quæ ad rectam rationis normam, justitiam dirigendam, ærarii administrationem, alieni æris solutionem, moresque antiquos restituendos spectant. Inter quæ Præsules aliquot proposuerunt admittenda observandaque Tridentinæ Synodi decreta; verum nobilitatis popularisque ordinis nuncii valide obstiterunt. Et his sese adjunxerant nonnulli ex ecclesiasticis viris, ad tuenda, ut ajebant, Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, quæ res tandem in silentio jacuit.

Non prætermisere fœderatorum patroni, horumque sequaces novam rationem invenire, qua regia potestas coerceretur, in medium afferentes, ejus privatum concilium constituendum ex vigintiquatuor tantum viris, qui non Regis arbitrio, sed ab unaquaque regni provincia legerentur, juxta quarumdam nationum consuetudinem. Verum cum hoc frigide postularetur, acriter, uti contra omnia vetustatis exempla, oppugnatum est, et ne amplius Rex irritaretur, silentio pressum.

Hisce deliberationibus non modo ambiguis incertisque, verum etiam inter se dissidentibus Comitia finem habuere, in quibus cum nec pax firmata, neque bellum decretum fuerit, rerum administrandarum arbitrium penes Regem remansit. Hic autem ad pristina sua consilia perficienda animum convertit, acuto in Guisios odio, re expertus propriæ potentiæ infirmitatem, et contra prævalidas illorum factionis vires, ac statuit firmandam esse pacem. Primum omnium aula dimisit Lemovicensem Præsulem, et ab arcano concilio dexterius tamen amovit Morvillerium, (suspicatus enim fuerat cum Guisio Duce secretam illis necessitudinem intercedere) nec sincere, verum ut ejusdem factionem juvarent, consilium dedisse, ut se fœderatorum caput et patronum constitueret. Ex his Lemovicensis Episcopus domum reversus, reliquum vitæ tempus tranquille atque pacate transegit. Morvillerius autem latenter, quam maxime ambitiosus, tanto animi mœrore correptus est, ut paucorum mensium spatio ex tristitia perierit.

LV. — Henricus in perturbatissimis regni rebus, alteris Legatis ad Hugonottorum Capita missis, iterum pacem conciliare aggressus, nihil promovebat. Rex quidem Navarræ ingenita quadam moderatione, et communis pacis desiderio, mitiorem facilioremque se dabat. At Condeus Princeps elatioris ac ferocioris pro se ingenii, efferebatur etiam magis a Calvinianis ministris, quorum consiliis ac sententiis res publicæ tum apud ipsum, tum apud Navarrensem regebantur, obstinato obduratoque animo omnem concordiam respuebat et rejiciebat. Quamobrem Rex perspecta rei transigendæ difficultate statuit, Hugonottos vi armisque ad pacem redigendos esse. Ineunte igitur mense Aprili duos contra eos validos exercitus educi jussit: quorum alterum, Alenconio duce, ad Ligerim provinciasque citra flumen, alterum, duce Majennio, ultra flumen in Sanctonum regionem misit. Et classem præterea instruxerat ordinaveratque, cui Lansacium præfecit, ut maritimam oram legens, Rupellæ aditum intercluderit.

Non arduum erat regiis exercitibus brevi adversus hostes proficere; Hugonotti enim, militibus auroque exhausti, atque iis, qui arces licet constanter tuerentur, cum educere copias non valerent, et nulla spes esset, aut parati ab suis aut ab exteris auxilii, quorum ope propriam fortunam semper sublevaverant, modo cogebantur aut omnino perire, aut sese victorum arbitrio dedere. Nemine itaque ex Hugonottis principibus, producta acie obsistente, Alenconius paucorum dierum obsidione Charitatis urbe vi expugnata in Arverniam processerat, obsederatque Isoriacum, urbem natura et arte satis munitam, et quod summi momenti erat, a civibus desperatissima obstinatione defensam; verum uti arces tueri, nisi subsidia inferantur, impossibile, urbs primis Junii mensis diebus eo adacta est, ut in obsidentium arbitrium dedita, direptioni, exempta tantum a civium cæde, vastitati et incendio relicta fuerit, ut efferato Alenconii animo satis fieret. Majennius quoque facile Tonnæo, Charenta et Marano potitus, ad Bruagium castra admoverat, urbem situ, munitionibus salinarum vectigali maximi faciendam, huic, dum obsideretur, Condeus omni conatu studioque frustra nisus est auxilium inferre; ideo post varias rerum difficultates obsessi tandem Augusto mense exeunte deditionem fecere, civium militumque incolumitate pacta; cui conditioni Majennius sincere stetit. Nec meliorem fortunam experti sunt Hugonotti in maritimis. Lansacius enim regia cum classe, hostili Rupellensium fugata, cui præerat Claremontis Dinasta, captisque duabus ex majoribus navibus descensionem fecerat, et Olerona insula potitus, inde ad Bajarum promontorium cum classe in statione consistens, non modicam Rupellensibus molestiam inferebat.

LVI. — Hisce adversis casibus, Condei Principis ferocitate, et Calvinianorum concionatorum pertinacia fracta, nemo inter Hugonottos erat, qui impendens exitium reputans, pacem non exoptaret ac quæreret, tanta cum privatorum hominum animi inclinatione, ut milites a signis, et nobiles viri domum dilaberentur, et urbium incolæ armorum tractationem detesta-

ti, ad proprias artes exercendas ultro redirent. Præterea Damvillius Marescallus, qui prospere arridente fortuna, vires cum ipsis consiliaque consociaverat, modo se læsum professus, maleque habitum a quibusdam factionis principibus, concordiam separatim tractabat, suumque reditum ad Regis obsequium: jamque arma in nonnullos ex Hugonottis converterat, a quibus injuria se affectum censebat. Hugonottorum tamen omnium expectatio in uno Navarræ Rege erat, qui antea damnis prævisis, probataque concordia, modo cum Regiis Legatis Bergeraci de eadem tractans, dissimulabat, celabatque suæ factionis imbecillitatem adeo egregie, ut licet recederet a conditionibus pacis novissime cum Alenconio Duce initæ, existimationem tamen ac dignitatem suæ partis mira ratione sustineret. Conveniebant vero et Regis Galliæ propensio, et propterea Legatorum facilitas, æque ac dexteritas, aut forte ars Navarræ Regis: quamobrem ineunte Septembri mense, cum paucorum dierum induciæ pactæ essent, adeo de concordia tractationes incaluere, ut tandem ad conditiones paciscendas devenerint. Concordia inita Rex Pictavium adveniens una cum aulico comitatu publica lætitiæ signa dedit. Nec minus ea res grata fuit Condeo Principi, qui vix accepit nuntium habitæ pacis ioter collucentes faces eventum populo denuntiavit.

LVII. — Hujus concordiæ Edictum satis prolixum, septuaginta et quatoor capita comprehendens, imminuebat plura ex iis, quæ Hugonottis concessa fuerant in proxime evulgato edicto. Calvinianæ religionis ritus celebrari permittebantur in Nobilium virorum domibus, quibus beneficiario jore summi imperii jus erat, quibuslibet admissis; minoris tamen præstantiæ Nobilibus septem tantom ex externis admittere licebat, designato loco in quacumque regione minorive ditione, excepta Lutetia et circumposita ad triginta passuum millia regione, et ad sex ab eo loco, in quo forte regia aula moraretur. Coercebator eorum licentia, qui sacro cœlibatu obstricti uxores duxerant, delictisque horum anteactis clementer venia dabatur, gravi interminata pœna in posterum delinquentibus. Restituebatur Catholicæ religionis cultus quovis in loco, e quo flagrante bello ejectus fuerat: reddenda insuper ubique Præsulibus sacrisque viris, nulla interposita mora, Ecclesiastica bona, quibus exuti fuerant. Compellebantur Hugonotti festos dies observare, interdicebantur juxta Canones inter consanguineos conjugia; pluraque alia a Catholica Ecclesia servata et instituta necessario observanda jubebantur. Abrogabantur Magistratus permixti ex Catholicis et hæreticis Parisiis, Rothomagi, Divioni et in minori Britannia constituti, at alibi permittebantur, minori tamen Calvinianorum judicum numero. Denique alia præscribebantur, quæ concordiæ auctoribus apta videbantur ad arcendas discordias turbarumque caussas, conciliandos hominum animos, et redintegrandam magistratuum legumque auctoritatem. Hugonottis principibus pro securitate tradendæ octo arces ad quatuor tantum annos: quibus transactis spondebant se Regi fideliter reddituros, dummodo in Edicto præscripta sincere implerentur.

LVIII. — Inter tot regni vicissitudines Rex, ut exhausto ærario occurreret, Pontificem adprecatur, novom ecclesiasticum sibi subsidiom indulgeat [*]; deinde enixe eundem orat, auctoritate sua apud Regem Catholicum adhibita efficiat, ut ejus filia Duci Alenconio, fratri suo, in matrimonium detur [*]; utque Carolo ac Ludovico Guisiis et Birago Magno Cancellario Cardinalatus honores, jam alias efflagitatos, elargiatur. [*] Fuxium etiam, designatum Tholosanum Archiepiscopum, singulari per Cardinalem Borbonium commendatione apud Pontificem prosequitur. [*] Ad ea postulat, ut sibi gratificetur de facultate conferendi Magnum Prioratum Alverniæ ex Ord. S. Joannis Hierosolymitani [*]; denique, ut Romanam S. Ivonis quæ antiquitus ad Armoricos Britannos spectabat, ecclesiæ S. Ludovici Gallorum conjungere vel benigne annuat. [*]

[*] Mantissa document. N. 84.
[*] Ibidem N. 85.
[*] Ibidem N. 86.
[*] Ibidem N. 87.
[*] Ibidem N. 88.
[*] Ibidem N. 89.

Neque vero tanta gravissimarum rerum mole disteotus fuit, quominus levioris momenti res ac privatorum hominum commoda sibi curæ essent: itaque Maurevertium, quem in carissimis habebat, Pontifici commendat, ut quædam hæreditaria bona in regno Neapolitano sita, invito obniteote Prorege, adipisci posset. [*]

[*] Ibidem N. 90.

LIX. — Ea erat misera temporum conditio, ut vel de ipsis Episcopatibus, ad quos designandi facultas penes Regem esset, eodeqoe jam ab designatis disceptaretur, litesque orirentur, quas tandem æquissimo Sanctæ Sedis judicio dirimi oporteret. Id Genebrardo, viro omnibus celebrato, accidit, qui ipsis in Blesensibus Comitiis nominatim a Rege ad Vaorensem cathedram designatus fuerat. En ejus litteræ XIII. Kalendas Septembris ad Gregorium datæ. [*]

[*] Gallia Vol. II fol. 84.

Beatissimo Papæ Pontifici Maximo Gregorio decimo tertio, post humilia pedum oscula.

« Rei indignitas me Tuam Sanctitatem, Pater Sanctissime, obtestari atque hæc scribere compulit. Mihi a Regia Majestate nominato, cessione defuncti Episcopi confirmato, trium Regni Ordinum viva voce expetito, Episcopatum Vaurensem Guido Faber Dominus a Pibrac extorquet: qui suam in religionem et Catholicam Ecclesiam, cujus nunc muneribus frui contendit, præposteram pietatem re et voce publice in Tridentino Concilio, vobis audientibus, prodidit. Hoc unum abs te obnixissime peto, ut quidquid in mea nominatione est juris, id totum io aliquem

alium conferas, ut populus Vaurensis doctrina et exemplo pasci, et Tholosa maxime Catholica civitas in his tristibus hæreticorum conjurationibus tuto versari possit: nec Fabris, inconsultis Tholosatibus ipsorum concivibus, quibus illa provincia proxima est, prostituas. In eo noto esse prolixior. Nam et de universa istorum familia universi Galli Catholici amplissimum et certissimum dicent testimonium, et civilia hujus etiam anni bella clamitant. Deus Optimus Maximus tuos venerandos canos diutissime Ecclesiæ conservet. Amen.

Ad humillima tuorum sanctñorum pedum oscula
G. GENEBRARDUS THEOLOG. PARISIENSIS.

Idem Cardinali quoque Comensi fusius explicat: eique, ut ab ea Diœcesi certissima pestis arceatur, paratum juri suo cedere se præbet, si quidem alter sinceræ fidei vir pro se in ea Ecclesia a Romano Pontifice constituatur. (*)

(*) Gallia Vol. II. fol. 401.

Illño et Amplissimo Cardinali Comensi.

« Cum rei insolentia, tum tua humanitate adducor, Illustrissime Cardinalis, ut has scribam et libere apud te expostulem. Mihi a Rege nominato, cessione defuncti Episcopi confirmato, trium Regni Ordinum viva voce Blesis expetito, Vaurensium et Tholosanorum studiis adjuto Episcopatum Vaurensem Guido Faber Dominus a Pybrae extorquet, cujus religio Tridentino in Concilio nimis innotuit, quando scripto orationem Catholicam Patribus obtulit, demum vere longe diversam pronuntiavit. Si Illustrissimus Cardinalis Lotharingus viveret, adjiceret cætera, quæ et tu perdiscere poteris e tabulis censoriis Tholosani Magistratus, qui universam Fabrorum istorum familiam variis judiciorum formulis perpetuo est persecutus. Fratrem nominat, qui, si est ullo Ecclesiastico munere dignus, si alienus ab omni religionis labe, per me eum persequatur. Sed quoniam video Vaurenses et Tholosanos Catholicos contra illum esse armatos, et vereri Diœcesis illius perniciem istius designatione, obnixe a te et Vestro Sacro Cardinalium Senatu contendo, ut meum potius jus in tertium aliquem Summus Pontifex transferat, quam Fabris, inconsultis Tholosatibus et Vaurensibus, male aliquid fabricandi facultatem esse patiatur. Rex noster, Dei munere, est Christianissimus, acquiescet facile Sanctissimi Pontificis et Vestro omnium judicio: Vestræ authoritati et consilio, sat scio, parebit, ubi se circumscriptum intellexerit. Deus Optimus Maximus te in perpetuum beet. Vale.

Tuæ Celsitudinis addictissimus
G. GENEBRARDUS
Theologus Parisiensis, Hebraicarum Literarum Professor Regius.

Verum ipsi Tholosani cum ipsum Episcopum exoptabant; in nihilum magis incumbebant, quam ne ejus adversarius Episcopatu potiretur. (*)

(*) Gallia Vol. II. fol. 401.

Beatissimo Patri et Dilectissimo Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

« Etsi non dubitamus, SSme Pater, tibi Summo ac Sapientissimo totius orbis Christiani Pastori literis nostris nihil opus esse ad ea decernenda, quæ ad pietatem et Ecclesiæ statum in hac provincia nostra Tholosana pertinent, tamen cum Petrus Danesius, magna vir doctrina et integritate, nuper e vivis excedens Ecclesiam suam Vaurensem Gilberto Genebrardo legitima cessione commendasset, non sine Regis nostri Christianissimi assensu et probatione, nostra duximus maxime interesse, prece et humili obsecratione contendere, ut quod feliciter cœptum est, tua auctoritate (qua nihil est in terris augustius) perficias, et hunc Vaurensis Ecclesiæ pastorem constituas, quem omnes pii et probi tantopere exoptant, verentes, ne jam detectus lupus in hanc gregem irrepat. Ut autem nihil de lectissimi viri Danesii judicio dicamus, certe solo probitatis ac eruditionis testimonio Genebrardus ad hunc non tam honorem, quam onus piorum omnium votis accersitur, cum is literarum reconditarum causa otium laudabile molestissimo, et hac ætate ac regione laboriosissimo negotio longe præferat. Tantumque abest, ut ab eo locus iste superior, quem alter de Religione graviter suspectus jam lite atque judicio ambitiose assequi cogitat, appetatur, ut hac sarcina, nisi eam Sanctitas Tua ei imponat, tutissima et tranquillissima studiorum suorum quiete contentus, libentissime sit cariturus. Sed hic horridus ager, et vepribus ac dumetis obsitus diligentissimum et peritissimum colonum postulat, cujus oratione ac vitæ sanctimonia errorum spinis ac vitiorum salebris repurgatus segetem uberem in divina horrea perferat. Sunt vero res nostræ ac regni fere totius eo loco jam sitæ, ut in tanta animorum de fide ac religione dissensione verendum sit, ne illæ urbes ab improbis hominibus ad defectionem excitentur, quæ integerrimis doctoribus et Episcopis destitutæ, funestis hæreticorum insidiis patent. Cui malo cum nos non in hac solum urbe, sed finitimis etiam oppidis, quorum pace ac salute stamus, consilium, opes ac ipsa denique corpora objiciamus: tuæ benevolentiæ erit, Pater Beatissime, Vaurensem hanc Ecclesiam amplecti, et afflictissimæ plebi formatum hunc ad amussim Apostolicum præficere Episcopum; illum vero arcere, qui gravi hæreseos suspitione hactenus laboravit. Nos vero, ut solemus, et facimus, semper Christum Jesum pastorum omnium principem quanta possumus devotione precamur, ut tuam Sanctitatem nobis, universoque Christiano gregi diutissime incolumem servet, nosque tuæ Sanctissi-

mæ benedictionis honore dignos præstet. Tholosæ xi. Cal. Julii MDLXXVII.

Sanctitatis Tuæ observantissimi et obsequentissimi, Capitolini antiquissimæ Civitatis Tholosonæ administratores

L. VIDOSME CAPITULINUS.
L. DEVIGNIAUL CAPITULINUS.
N. A. CALMUNTIO CAPIT. ETC.

LX. — Eo autem discriminis hujus regni Ecclesiæ tunc temporis deductæ erant, ut, qua ecclesiasticis redditibus ex subsidiis Regi dandis valde imminutis, qua civilibus tumultibus bonis ac ipsis ecclesiarum ædificiis pessundatis, qua jungendi muneris difficultate objecta, Episcopatus inire sæpe qui magis idonei essent, recusarent. Hinc factum est, ut Clerus et populus communibus interdum votis Pontificem crebris litteris obsecrarent, quem ipsi opportuniorem ad Episcopatum cognovissent, iis præficeret. Quod et pro Mimatensi Episcopo Collegia et Clerus Biturigum fecerunt. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 33. ep 221.

Pientissimo et Sanctmo Patri Gregorio XIII. Pontifici Summo, et Clementissimo Dño suo, Collegia et Clerus Civitatis Archiepiscopalis Biturigum salutem, et felicitatem perpetuam cum humili submissione precantur.

« Ad cæteras miserias et calamitates, Pater Sanctissime, quibus hæc tota ditio Ecclesiæ Patriarchalis et Archiepiscopalis Biturigum gravius multo, quam reliquæ omnes regni Francorum provinciæ, his procellis intestinorum, et plusquam civilium bellorum per tot annos sic divellitur, ut non tantum corporum valetudo peste ac fame, omnique malorum genere, sed etiam animorum syncera disciplina et religio vehementer labefactata et propemodum oppressa fuerit, accessit nuper luctuosa nobis et bonis omnibus mors Rmi Antonii Vialar nostri, dum viveret, Archiepiscopi, quæ nos hoc fideli pastore orbatos longe miserabiliores reddidit. Eo autem ita præpropere sublato, fluctuantibus nobis misericors Deus, quamvis indignis, propitius Regis Christiani, ejusque fratris Ducis nostri, zelo in Ecclesiam Christi restituendam eximio, pectora movit, ut in defuncti Archiepiscopi locum e multis Reverendum D. Reginaldum Beulnum Mimatensem Episcopum, virum profecto eximia vitæ integritate, religione, scientiarum bonarum omnium, maxime vero sacrarum, usque ad rerum publicarum statum singulari, nempe a multis jam annis in summum ejusdem invictissimi Ducis nostri Cancellarium promotum, successorem nominarent. Idque optimo jure et prudentissime a nostris Principibus factum. Si quidem hisce temporum asperitatibus et perturbationibus, neminem inter Ecclesiasticos hujus regni magis idoneum et necessarium reperire potuissent, sive ad hanc diœcesim, perversis opinionibus depravatam, in pristinum religionis et dignitatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gradum restituendam, sive ad ruinas ædificiorum hujus fere prostrati et vastati Archiepiscopatus instaurandas, collegia excitanda, et alias ædes sacras deletas et collapsas temporum infelicitate, vel potius hominum schismaticorum, Dei et Ecclesiæ Christi hostium impietate, restituendas. Quæ quidem omnes in eo virtutes pios omnes et Catholicos hujus urbis ac provinciæ Bituricensis vehementer excitarunt, ut his tam afflictis et prope deploratis rebus suis, a Deo votis et orationibus assiduis hunc sibi Antistitem desiderarent. Verumtamen, cum grassantibus undique bellicis tumultibus, quibus hæc tota regio misere in dies divexatur, ædes sacræ diripiuntur, et ecclesiastica Sacerdotia ad extremam prope inopiam rediguntur, nullus in tanto discrimine rerum (nisi Deus nobis prospiciat) tutus aliunde portus appareat: hisque tot miseriis accedant etiam decimarum et subsidiorum ad bellicos sumptus onera prope intolerabilia, Ecclesiasticis omnibus sustinenda, præsertim vero in hac dignitate subeunda longe majora, quam totius Archiepiscopatus redditus annui, summam mille ducentorum auri ducatorum non excedentes, ferre possint: subvereri nobis contigit, ne designatus a Principibus nostris ad hanc Archiepiscopalem vigiliam hic, de quo agimus, Reverendus Mimatensis Episcopus tam onerosam provinciam recuset. Cumque nunc miseris modis Episcopatus Mimatensis hisce tumultibus diripiatur, nec facile sit, idoneum et legitimum in eodem Episcopatu sibi Successorem deligere; his rationibus et causis impulsi, ne oblatam occasionem optimi et maxime omnium nobis hisce temporum momentis necessarii Antistitis amittamus, secundum Deum Opt. Max. quo potius supplices quam ad Sanctitatem V. clementissimam confugiamus, non habemus. Ad cujus pedes obvoluti supplices contendimus, ut pro innata vestra munificentia et bonitate paterna, gratuitam possessionem hujus Archiepiscopatus Bituricensis ei donare, et literis Vestræ Sanctitatis confirmare velitis: nec non ut eidem tantum temporis, quantum vestræ sapientiæ visum fuerit satis, (dum hæc misera defervescunt tempora) ad Successorem in Episcopatu Mimatensi pietate et doctrina spectata idoneum Vestræ Sanctitati offerendum concedatis. Quæ quidem si cum beneplacito Sanctissimi decreti impetraverimus, non solum gratissima Principibus nostris, ordini Ecclesiastico, et populo Biturigum salutaria, sed etiam ad priscæ et veræ illius Apostolicæ Christi Ecclesiæ Catholicæ et Romanæ integritatem in pristinum dignitatis et unionis statum hic restituendam (divina favente gratia) successum habitura longe maximum, non dubitamus. Nos vero omnes addicti perpetuo

Sedi Romanæ et Apostolicæ, populusque universus privatis precibus, et publicis supplicationibus pro Reipublicæ Christianæ tranquillitate, et Sanctissimæ Vestræ Paternitatis incolumitate, totius Ecclesiæ Catholicæ profectu Deum Optimum Maximum in ævum precabimur. Biturigis anno Incarnationis Dominicæ MDLXXVII. 13. Calend. Junii.

Vestræ Augustissimæ Sanctitatis

Servi obsequentissimi
Collegia et Clerus Civitatis
Archiepiscopalis Bituricum.

LXI. — Feliciano Archiepiscopo Avenionensi, virtute et litteris præstanti viro, haud ita pridem vita functo, Gregorius, ut Avenionensibus obsecundaret, Cardinalem Arminiacum suffecit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V ep. 161. f. 287.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Arminiaco Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Contulimus tibi hoc die in Consistorio nostro secreto Ecclesiam Avenionensem, summo venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consensu. Qua in re tibi quidem nuus additum est gravissimum Christi oves pascendi, nec quidquam est, cur tibi hoc nomine gratulemur: gratulamur autem propter eas virtutes, quæ in te sunt, quarum testimonii fructum ex nostro judicio, atque ex Cardinalium consensu retulisti, propterque ipsius Christi gregis tuæ charitati, prudentiæ, vigilantiæ commissi bonum. In quo ut nostro, nostrorumque fratrum judicio respondeas, nihilque aliud nisi animarum salutem, et Dei gloriam præ oculis habeas, eundem ipsum Deum precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXII. — Avenionenses incredibili prope lætitia Arminiacum sibi datum pastorem consalutant; grates Pontifici quam maximas reddunt; et miseram rerum suarum conditionem ob oculos ei ponunt, et simul Damvillium ob egregiam in rebus Comitatus Avenionensis componendis navatam operam maximis ferunt laudibus. [*] Leonccortius etiam exantlatos Damvillii labores Gregorio valde commendat. [*]

[*] Mantissa document. N. 91.

[*] Ibidem N. 92.

Interea voces perlatæ erant ad Pontificem, Damvillium abalienato esse ab Rege animo, et se cum ita dictis Politicis conjunxisse. Nihilominus sapientissimus Pontifex res Catholicæ religionis in finitimo Arausionensi Principatu, quem nuper regendum cum imperio acceperat, ei commendavit; illinc enim Clerici, aliique Catholici viri indignissime ejecti fuerant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 143. f. 276.

Dilecto Filio Nobili Viro Anvillæ Marescallo Regni Franciæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil Nos neque Deo acceptius, neque nostro muneri congruentius, neque Tuæ Nobilitati honorificentius facere posse judicamus, quam si in commendanda Catholica Religione et Dei ipsius gloriæ inserviamus, et commissi Nobis ab ejus bonitate gregis sui saluti provideamus, et te utriusque laudis, ac summæ sempiternæque mercedis participem fieri cupiamus. Commendamus igitur Nobilitati Tuæ Catholicæ Religionis res in Civitate Orangia, rogamusque, quantum possumus, per eundem ipsum Christum, cujus causa laboramos, ut potestatem facias Clericis cæterisque Catholicis viris, indignissime inde ejectis, redeundi, seque in Catholicæ Religionis rebus libere exercendi. Erit hoc tibi facillimum, habes enim a Principe ipso summam in ea Civitate imperandi potestatem. In tanta autem, tamque aperta postulationis nostræ æquitate neque debemus de tua optima voluntate, neque possumus afferre graviores causas iis, quas initio proposuimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima nona Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXIII. — Cum etiamnum vero Pontifici aliqua suspicio injecta esset de Damvillii cum Politicis conjunctione, Gregorius sui esse minime dubitavit, quominus tantum virum adhortaretur ad Conventus Blesensis pro pace decreta tuenda, atque ab eis, qui his adversarentur, discedendum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 163. f. 288.

Dilecto Filio Nobili Viro Anvillæ Marescallo Franciæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quanti te faciamus, quantumque in tua virtute spei situm habeamus, testimonio sunt ea, quæ ad Tuam Nobilitatem scripsimus, quæque cum tuo Secretario locuti sumus de rebus nostris Avenionensibus et Venusinis, quibus jam tua auctoritate atque opera provisum esse speramus, ejusque rei nuncium optatissimum expectamus: pollicetur autem hoc tua pietas, nosterque paternus in te amor. Interim cognovimus Regem Christianissimum Ordines convocasse, inque eo conventu de Regni quiete et tranquillitate constituenda, deque iis motibus auferendis, unde hactenus tot mala extiterunt, summo studio agi cœptum esse, magnamque spem esse, Ordines ipsos optima, syncerissimaque et conjunctissima voluntate fore, unam tantum suspicionem esse eorum voluntatis, qui neque ipsi convenire, neque legitimos procuratores mittere voluerint; facile enim fore, ut non probent ea, quæ fuariut a cæteris decreta et constituta. Hac igitur re cognita, volumus tecum agere ea charitate et libertate, qua decet parentem cum filio agere, ut si forte conventu peracto, erunt aliqui, qui illis decretis standum

esse minime arbitrantur: nullam causam existimes tanti esse posse, ut aut ex illis, aut cum illis sit; sed congruenter Nobilitati Tuæ, et majorum tuorum laudi, tuæque perpetuæ Catholici atque honorati Ducis professioni, amplectaris summam facultatem a Divina providentia tibi oblatam totius Regni quietis et salutis constituendæ: id quod facies, si te ab iis, qui res miscere et turbare molientur, sejunxeris, teque ad eos adjunxeris, quos vides tanto numero, tantaque gloria Regni partes sequentes Divinis præceptis obtemperare, in quo etiam facile perspicis, Regem ipsum eam, quam diximus, Regni tranquillitatem tibi uni acceptam laturum, neque se beneficio vinci passurum, sed gratissima liberalitate omnia tibi concessurum, quæ quidem poteris honeste expetere; idque ipsum facturum certo scimus, et si opus esset, nostram tibi fidem daremus; ejus enim optimæ erga te voluntatis conscii sumus. Satis jam omni ex parte laboratum est, tempus nunc est tantorum laborum ac molestiarum fructum percipiendi: itaque non debes summam facultatem amittere cum pluribus, et melioribus conveniendi et consentiendi. Nobis autem crede, qui Dei locum tenemus, tametsi indigni, majorem in dies voluptatem et fructum percepturam esse te ex hoc nostro amantissimo ac paterno consilio, si tamen eo indiges; nam non indigere te, tuaque sponte pro tua singulari et virtute et probitate multis in rebus spectatissima id velle, facturumque esse quod rogamus, persuasissimum habemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xu. Januarii MDLXXVII. Pont. Nostri anno quinto.

Ab Duce quoque Sabaudiæ, cui magna cum Damvillio necessitudo intercedebat, Pontifex per litteras petit, ut auctoritate sua, qua apud illum valeret plurimum, in eam sententiam adducat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 311. f. 277.

Dilecto Filio Nobili Viro Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

» Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Scripsimus, octavo fere ab hinc die, dilecto filio Anvillæ Marescallo Franciæ, eumque diligentissime hortati sumus, ne summam facultatem amittat summæ erga Regem Christianissimum fidei declarandæ, magnæque ab eo gratiæ, atque a bonis laudis ineundæ in assentiendo obtemperandoque iis decretis, quæ fiunt hoc tempore in Principum apud Regem conventibus pro Dei gloria, Regnique ipsius quiete et tranquillitate; nihil autem magis suæ existimationi adversarium fore, quam si aut ex iis aut cum iis fuerit, qui repugnaturi videntur. Quoniam vero scimus, Nobilitatem Tuam plurimi, ut par est, ab ipso fieri, rogamus, ut in eandem sententiam ad eum scribas, tuaque præstanti auctoritate ipsum a dissidiis fovendis deterreas. Qua in re nostrum summum desiderium ex tuo Oratore, qui has literas reddet Nobilitati Tuæ, fusius cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXIV. — Adeo Gregorio cordi erat sejunctio Damvillii ab Politicis, ut alteris litteris ac per Aurelium Savinianum Secretarium suum, quem nuper ad Regem Christianissimum, ut cum eo de Minerva et Pilea ab Hugonottis adhuc occupatis ageret, miserat, paterne admodum ipsum allicere atque incitare existimaverit ad factionem Politicorum relinquendam, seseque cum Rege conjungendum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 207. f. 314.

Dilecto Filio Nobili Viro Anvillæ Marescallo Regni Franciæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere cupiamus, ut cum Rege tuo, cumque iis, qui cum eo sunt, conjunctus sis, ex aliis nostris literis cognoscere potuisti; id enim et divinæ atque humanæ leges omnes jubent, et communis Galliæ tranquillitas, quam tibi magnopere cordi esse non dubitamus, requirit, et tuarum etiam privatarum rerum, de quibus pro nostra singulari in te charitate graviter laboramus, ratio postulat: et quamquam existimamus, Nobilitatem Tuam ea jam optimæ voluntatis argumenta dedisse, ut et Rex ipse et Nos summa spe esse debeamus, tamen voluimus etiam dilectum filium Aurelium Savinianum Secretarium nostrum ad te mittere; perque eum eadem de re agere, teque quantum possumus, rogare, ut hoc quod tantopere cupimus, iis scilicet de causis, quas diximus, omnino efficias, ut te cum Rege conjungas, Regnique ipsius, tuarumque rerum et nobilissimæ domus, posterorumque tuorum tranquillitati atque amplitudini consulas. Omnia fusius ex Aurelio ipso cognosces, eandemque ei fidem tribues, quam Nobis ipsis tribueres. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quarta Martii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXV. — Nihil igitur mireris, quod Gregorius Damvillio, qui abdicato Politicorum atque Hugonottorum imperio, non ita pridem suscepto, in pristinam cum Rege concordiam xii. Kal. Junias redierat, tam effuse paterneque gratulatus fuerit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 2. f. 333.

Dilecto Filio Nobili Viro Anvillæ Marescallo Franciæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ut nihil erat, quod quidem hoc tempore majoribus votis a Deo expeteremus, quam ut te cum Rege Christianissimo copiis et potentia conjunctum audiremus, sicut

semper fuisti animo et voluntate, qua etiam de re sæpius ad Tuam Nobilitatem perscripsimus, sic et ex literis dilecti filii nostri Cardinalis Arminiaci, et ex aliorum sermonibus ac nunciis de hoc optatissimo exitu certiores facti, egimus Divinæ bonitati gratias, quantas potuimus maximas, teque cogitatione atque animo amplexi et deosculati sumus. Quo enim magis favebamus virtuti tuæ, eo gravius angebamur nonnullorum malevolorum sermonibus; nec pati poteramus præstantem istam fidem et pietatem tuam in suspicionem adduci apud eos, quibus minus perspecta esset et cognita, Regiæque Majestatis et Galliarum rerum tranquillitatis, atque Ecclesiæ dignitatis hostes exultare optato ab ipsis, ac sparato magis quam ullo tuo facto significato dissidio. Illos igitur spe falsos esse, eumque exitum consecutum esse, quem Nos, quemque boni omnes expectabant, incredibiliter lætamur; teque eo magis diligimus, quo certiores sumus, sic profiteri te, nostras cohortationes tantum apud te valuisse, quantum certe debuit solicitudo optimi parentis, tuæque gloriæ studiosissimi. Nos vicissim quidquid poterimus auctoritate atque opera, id totum ad tuam amplitudinem conferemus. Interim vero oramus toto pectore summam Dei bonitatem, ut istam tuam eximiam pietatem et virtutem remuneretur sua gratia atque omni felicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Belleguardio etiam altero Galliarum Marescallo gratulatur, quod Damvillio auctor fuerit in gratiam cum Rege redeundi. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep. I. f. 338.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Bellæguardiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis dilecti filii nostri Cardinalis Arminiaci summa cum voluptate cognovimus, quanta cum fide et laude versatus sis in negocio dilecti filii Anvillæ Marescalli Franciæ, utque nunquam quieveris, nisi eo exitu secuto, quem boni omnes, Nosque in primis expectabamus. Que quidem nomine amamus te unice, gratiasque agimus Divinæ bonitati, quæ tam præclara in re adfuit virtuti tuæ. Itaque voluimus has ad Nobilitatem Tuam literas dare, ut essent testes nostræ erga te voluntatis animique tam omnibus in rebus ad ea, quæ tibi utilitati aut ornamento esse poterunt propensa, quam potest esse parentis erga filium optimum, summisque in rebus optime meritum voluntas atque amor. Amplissima autem reposita sunt tuæ pietati præmia apud Deum Optimum Maximum, cujus interim perpetuam opem et gratiam Nobilitati Tuæ toto pectore precamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die septima Junii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXVI. — Aurelius Savinianus, dum Blesis Comitia haberentur, Regem alloquutus, ipsum, cæterosque regiæ stirpis Principes, in iis Alenconium Ducem [*] et Cardinalem Borbonium paratissimos rebus Avenionensibus juvandis cognovit, ut Cardinalis Borbonius Pontifici refert. [*]

[*] Mantissa document. n. 93.

[*] Lit. Principum Vol. 31. fol. 111.

Sanctissimo Domino Nostro PP.

« Beatissime Pater, post humillima fœlicium pedum oscula. Hanc in urbem undique convocatos (ut publico hujusce regni bono provideretur) communi omnium assensu in unius Religionis Catholicæ et Apostolicæ sententiam devenisse, Sanctitati V. perspectum satis non ignoro: quanta vero cum lætitia hujus rei supplicationem Rex Christianissimus exceperit, quantaque animi alacritate et devotione tam pium opus perficiendum amplectitur, fusius enucleabit Illustrissimus Dominus Cardinalis Estensis et tanquam oculatus testis fidelissimam rerum omnium fidem faciet. Verum profecto ægre non possum non maxime ferre, quod Civitatis Avenionensis Comitatusque Venaissini incolis, Sanctitatis Vestræ subditis, ea (quam et labore non parvo et peculio privato partam sibi existimaverant) tranquillitate frui non liceat, pactum de restituendis Menerba et Pilea, in nescio quam suspicionem dejectis inimicis vel renovandarum calamitatum spe elatis, nunc denegantibus. Cui morbo quantocius ut mederetur, secundo hoc jam mense Sua Majestas tam suo quam fratris Dñi Ducis Alenconii nomine Mollcum istuc demandavit, qui ante discessum Beatitudinis Vestræ voluntate ab ejus Nuntio concepta, de consilio Cardinalis Armeniaci res componere mitiori conditione tentaret. Cujus dum nullum adhuc, nec initi cum inimicis colloquii, nec pactionis ullæ propositæ verbum audivimus, quid in hoc perficiendo negotio agendum sit, hæsitamus. Si quid tandem in melius (quod et sperandum est) succedat, certiorem curabo fieri Sanctitatem V. nihilque, quod ad ejus religionisque Catholicæ et Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ statum tuendum et conservandum attinere videbo, omittam.

« Deum Optimum Maximum rogo, ut eandem Sanctitatem Vestram Sacrosanctæ Ecclesiæ suæ, orbique Christiano quamdiutissime fœlicem conservare dignetur et incolumem. Blesiis die XXII. Martii Anno Domini MDLXXVII.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON.

Alteris litteris idem Purpuratus Pontifici spem facit de Minerva et Pilea oppidis quam priorum recuperandis. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 31. fol. 148.

Sanctissimo Domino Nostro.

« Beatissime Pater, post humillima fœlicium pedum oscula. Post ultimas meas ad Sanctita-

tem V. per Illmum Dominum Cardinalem Estensem litteras, nihil quod ad esm de Avenionensi statu scriberem, rescivi. Dum tamen Aurelium Savinianum tædere cœpit diuturna Molei expectatio, nec in ejus negotiatione progressum ullum agnovit, reditum ad Sanctitatem Vestram properare instituit; idque per Avenionem, ne omnino vacuus, sed quomodo res istic sese habeant, fideliter ut referre possit. Illi Rex Christianissimus ad Dominum Cardinalem Armaniacum litteras dedit, quibus Moleum accersere jubet, eumque quantocius ad Menerbam dimittere, quo ex accepto dudum mandato cum Ferriero agat. Alteras etiam sua Majestas Audiumque Dux frater ejus ad Dominum Comitem Carseum in Provincia proregem dederunt litteras, quibus denuociatum est, dictum Ferrierum super ejus Menerbæ restitutione convenire, contendere etiam, ut confestim eo discedat, jussaque prædicti Domini Ducis adimpleat, prout et additis etiam ad id eidem Ferriero litteris mandatum est, unde non possum profecto non fœlicem progressum auspicari, urgente maxime dicti Aurelii Saviniani presentia, circa tantos viros, quibus hoc tandem negotium committitur. Quod et ipse pro sua erga Sanctitatem Vestram fidelitate omni cum diligentia conficiendum procurabit.

« Deum Optimum Maximum rogo, ut eandem Sanctitatem V. Sacrosanctæ Ecclesiæ suæ orbique Christiano quamdiutissime fœlicem conservare dignetur et incolumem. Blesiis die XXIII. Martii Anno Domini MDLXXVII.

Vestræ Sanctitatis

Humillimus servus

CAROLUS CARDINALIS DE BOURBON.

LXVII. — Cum tamen omnis spes componendarum Avenionensium rerum vacua esset, dum rebelles nullis, ne honestissimis quidem conditionibus acquiescerent, Gregorius vim armaque adhibenda ratus, M. Antonium Comitem Martinengum, supremum suorum militum Avenione ducem, Romam evocavit, quocum utpote viro prudentissimo et usu rerum experientissimo de tam impedito difficilique negotio consilium iniret. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 211 f. 320.

Dilecto Filio Nobili Viro Marco Antonio Martinengo Comiti Villæ Claræ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Magnam hactenus spem habuimus, fore auctoritate et prudentia tua, ut res ditionis nostræ Avenionensis iis conditionibus, quas æquissimas proposueras, pacatæ et tranquillæ essent. Itaque supersedendum censuimus iis remediis, ad quæ tum pervenire minus necessarium esse existimabamus. Postquam autem et temporum iniquitas, et hominum injuria omnem honestæ concordiæ spem adimit, cogimur alia via nostris rebus providere, et tum eas, quas retinemus, tueri, tum quas amisimus recuperare. Nihil tamen prius agendum duximus, quam de tua sententia, quam plurimi facimus propter eximiam prudentiam et rerum usum, consilium caperemus. Necesse est autem, ut quid optimum factum sit, coram inter nos agamus. Facies igitur, ut cum has literas acceperis, statim ad Nos accurras, quamprimumque pervenias citatis equis: rerum autem bellicarum curam, et gubernationem relinques Saporoso Matheucio, quem mittimus, ut te absente tuum locum omnibus in rebus teneat, quæque opus esse intelliget, provideat, atque administret. Eum igitur instrues, ostendesque quid agi conveniat absente te; paucis autem diebus te detinebimus, eumque decreverimus quid agendum maxime sit, deque militibus aliisque rebus necessariis providerimus, statim remittemus. Scribimus etiam ad dilectum filium nostrum Cardinalem Arminiacum, ut aliquem ad nos mittat, perque eum certiores Nos faciat, quid maxime agendum censeat hoc tempore atque hoc rerum statu; cupimus enim ejus quoque sententiam cognoscere, quo melius deliberare possimus. Venies igitur ad Nos quamprimum, neque ullam moram interpones. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Aprilis MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXVIII. — Egregiam quoque operam in Avenionensibus rebus pacandis præstabant Episcopus Parisiensis ejusque frater clarissimus ille Radesiorum Dux, alter Galliarum Marescallus, qui Provinciæ erat præfectus. Verum illud sane incommodum accidit, ut strenuus hic vir, bellica virtute præstans, dum de Minerva et Pilea oppidis recuperandis ageretur, gravem in morbum inciderit; quod Gregorius vehementer condolet cum ejus fratre, quem una hortatur, ne in fovendis rebus Comitatus Avenionensis de studio unquam remittat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 173. f. 296.

Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. De Marescallo Rezii fratre tuo graviter dolemus, et quia eum suo ipsius merito, tuoque etiam nomine multum amamus, et quia veremur, ne ex ejus ægritudine aliquid incommodi perveniat ad Provinciam Narbonensem; sed speramus, ipsum Dei benignitate jam convaluisse, teque præsentem auctoritate et prudentia tua rebus omnibus providisse. Magnam autem voluptatem attulerunt Nobis literæ Nuncii nostri de tua summa voluntate in rebus Avenionensibus, neque dubitamus, quin eas sis amplexurus omni studio et vigilantia, sic enim pollicetur spectatissima virtus tua, eaque conjunctio, quæ Tuæ Fraternitati cum hac San-

cta Sede arctissima intercedit. Si quid autem ad Nos scribendum esse existimaveris, aut cum nostris communicandum, habebis Avenione dilectum filium Aurelium Savinianum Secretarium nostrum, cum quo omnia tutissime conferes. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXIX. — Quanta autem cura, quanta contentione tum Episcopus Parisiensis [*], tum ejus frater [*] Pontificis votis obsecuti fuerint, plures eorum ad Gregorium et Cardinalem Comensem datæ litteræ testificantur. Posteaquam Radesiorum Dux pristina valetudine, thermis Lucensibus in Italia usus, recuperata in Galliam redierat, expugnationi Minervæ maximo ardore insistebat: quamobrem cum eo de valetudine restituta Gregorius gratulatur, hortaturque, ut in sententia tuendi jura Romanæ Ecclesiæ manere velit. [*]

[*] Mantissa document. N. 91. [*] Ibidem N. 93.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 80 f. 267.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Rezii Provinciæ Præfecto.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Evasisse jam te ex gravi morbo lætamur, valetudinemque tuam speramus Dei benignitate confirmatum iri, quo scilicet possis perfecte summæ ejus Majestati, Catholicæque Religioni inservire. De rebus nostris Avenionensibus, quæ cum dilecto filio nostro Cardinali Arminiaco, cæterisque Ministris nostris egisti, in his satisfecit Nobis tua diligentia. Curabimus, ut ea, de quibus inter vos convenit, serventur nostra ex parte. Speramus item Nobilitatem Tuam suis promissis et receptis, nostræque expectationi responsuram, neque ulla in re suo muneri defuturam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Septembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXX. — Itaque Pontificis et Regis Christianissimi administri, communicatis inter se consiliis de recuperandis iis locis, quæ per summam injuriam Hugonotti in sua potestate retinebant, Septembri mense statuunt Minervam oppidum vi armisque, pontificiis regiisque militibus consociatis, ab rebellibus extorquendum et in Pontificis potestatem vindicandum. Quod ut fieret, haud exigui momenti subsidium Alenconius Dux contulit. [*] Pontificiis copiis summo cum imperio præerant Dominicus Grimaldus, qui Venusinorum regionem regebat, et Soporosus Matheucius, qui Comiti Villæclaræ suffectus fuerat: Regis vero auxiliis Dux Engolismensis, vulgo Prior Galliæ dictus, et Radesiorum Dux. Oppidum illud expugnare pervalde difficile erat: situm enim est edito monte, adeoque loci natura munitissimum. Cum et oppidani et Hugonotti sentirent rem ad extremum casum esse deductam, nihil non experti sunt, ut suæ salutis arcem et perfugium tuerentur. Faciendum igitur fuit, ut obsidione arctissima circumdaretur. Utrinque ferociter acriterque pugnatum fuit, velut desperatis extremisque rebus. Tandem Minervenses viribus fracti, cladeque magis accepta quam data, pontificiorum ac regiorum militum vim cum vix ægre sustinere possent, armis positis pacis conditiones postulant. Interim vero fœdere ab utriusque exercitus Legatis icto firmatoque, ex improviso Hugonottorum Minervensium duces, quod cum Ladisghierio, Delphinatus Hugonottorum capite, inito ante consilio convenerant, nobilem quemdam, Dominum Sancti Albani nuncupatum, cum multitudine militum noctu per fraudem in mœnia submittunt, Minervensibus civibus animos addunt, ad conditiones jam firmatas rejiciendas impellunt, ad bellum redintegrandum incitant. Redintegrata pugna ab utrisque acrius ferociusque dimicabatur, jamque ad pontificios regiosque milites victoria inclinari videbatur, cum Rex, ut superius narravimus, pacem generalem, Bergeraci XV. Kal. Octob. firmatam, III. Nonas Octobres Pictavii sancitam per totum Galliarum regnum promulgari jussit; sed Hugonotti ex Delphinatu, arrepta hac occasione, magna cum arrogantia se huic regio edicto obtemperaturos esse negaverunt, nisi antea obsidione Minerva liberata. Ne igitur illa pax irrita esset futura, duces pontificii et regii ab armis desistendum esse censuerunt, impositis præsidiis Minervæ vicinis ad Hugonottorum diuturnas in Comitatum Avenionensem incursiones continendas. Engolismensis Dux, Gondius ipse, et Cardinalis Arminiacus non defuerunt, quin Pontificem de tam adverso casu docerent solarenturque. [*] Ipse etiam Navarræ Rex, quod haud scio an sit mirandum magis, proditionem illam Minervensium litteris ad Cardinalem Arminiacum datis exprobat. [*]

[*] Mantissa document. N. 96

[*] Mantissa document. N. 97 98 et 99.

[*] Ibidem N. 100.

Pontifex utrique regii exercitus Duci meritas de Avenionensium rebus egregie propugnatis laudes tribuit. En litteræ ad Ducem Engolismensem datæ. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII Ann. VI. ep. 111 f. 101.

Dilecto Filio Nobili Viro Priori Galliæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Nostræ spei ac Christianissimi Regis judicio actiones tuas præclare respondere, mirifice lætamur, confidimusque spem nostram et gaudium eventu ipso in dies magis ac magis cumulatum iri; perspicimus enim ex literis Nobilitatis Tuæ datis XV. Octobris, quanto studio nostras et Sedis Apostolicæ res, et Regis ipsius mandata amplectaris. In optima autem causa facile possumus a Divina primum benignitate, tum ab optima præstantissimi viri voluntate, summaque in agendo contentione optima omnia expectare. Datum

Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Novembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Et quas ad Radesiorum Ducem scripsit. [*]

[*] Seg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 130 f. 116.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Rezii Provinciæ Præfecto.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Certiores facti simus a nostris, qui isthic sunt, summa semper cum fide et virtute versatum esse te in rebus nostris Avenionensibus, nec unquam labori pepercisse, neque ullum Nobis ab optimi filii opera amplius optandi locum reliquisse. In quo præclare respondit pietas tua nostræ expectationi, speque optima sumus, eundem in posterum fore te in nostris rebus, qui hactenus fuisti, eoque etiam majore, si fieri poterit, studio usurum, quo magis intelliges, grata esse Nobis tua officia: sic autem pollicemur, ea fuisse, ac fore semper Nobis gratissima. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Decembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXI. — Philippus II. Hispaniarum Rex Pontifici supplicavit, ut quosdam regni Aragoniæ mercatores, qui pessimo publico omne fere frumentum coemere consueverunt, quo summa annonæ caritate per anni tempus consequuta quamplurimi venderent, censuris ecclesiasticis cohiberet atque a publica fraude deterreret. [*] Idem Rex Petrum de Frago, primum Jacensium Episcopum, virum cum vitæ sanctitate et litterarum fama inter coævos clarissimum, tum præsertim mirum in modum effusa in pauperes caritate, ejus inopiæ levandæ causa ad Oscensem Episcopatum transferri curavit; quare et designatus hic Oscensis Episcopus, qui doctor theologus Synodo Tridentinæ interfuerat, commemoratis suis in Sedem Apostolicam meritis, a Gregorio petit, ut suæ inopiæ ratione habita Apostolicas litteras ad Oscensem Ecclesiam gratis expediri jubeat. [*]

[*] Mantiss. document. N 104

[*] Hispania Vol 26, fol 30.

Beatissime Pater.

« Post exactam capessendis bonis literis, Theologicaque facultate eisdemque tradendis in florentissimis Lutetiæ, Bononiæ, Salmanticæ gymnasiis, bonam vitæ meæ partem, Tridentinæ primum Synodi celebrationi ut doctor Theologus sub Paulo III. et Julio III. fel. rec. Pont. interfui, postea vero, ut Usellensis episcopus ibidem ab Illño Cardinale Morono consecratus sub Pio IIII. b. m. Pontifice, quo non minus sapienter, quam feliciter universalem hanc militantem Ecclesiam moderante, ea ipsa œcumenica Synodus ut celeriorem, ita et feliciorem opinione hominum finem exitumque a Deo Opt. Max. cum summa bonorum omnium lætitia malorumque confusione est consecuta, ubi ego Beatitudinem tuam et assidue vidi, et pro singulari tua sapientia vitæque integritate quasi supremo jam isto regiminis fastigio dignum, quamvis non admodum familiariter, tamen perquam reverenter observavi. Quales vero, quantæque fuerint meæ Tridentinæ vigiliæ et labores, quibus Sedi Apostolicæ, Ecclesiæque Catholicæ inservivi, honorifice profecto magnisque suis erga me beneficiis testati sunt tres Summi Pontifices, quos honoris causa nominavi ut sapientissimos reparandæ per ipsius Synodi celebrationem ecclesiæ architectos. Et ut de duobus hic prioribus sileam, Pius certe quartus et singularibus me beneficiis, dum Tridentina Synodus celebraretur, ornavit, missa etiam mihi sponte sua et gratis testandi de sex millibus ducatorum facultate, Tridentoque etiam profectum, absoluta jam Synodo, in Sardiniam usque suis me honorificentissimis literis, quibus ad meas de felicissimo Concilii exitu gratulatorias respondit, est prosecutus, nihil non pollicens, quod ecclesiæ meæ, rebusque meis commodum judicaret; quod quidem non minus cumulate, quam lubenter est executus. Quoniam vero quanta mea fuerit in regendis reformandisque Usellensi et Alguerensi Episcopatibus vigilantia, quanta in illis ecclesiis materialiter, ut ita dicam, spiritualiterque reparandis erogatio, quanta denique sustentandis pauperibus, et hospitibus in eam Insulam tempestate evectis benignitas! quod vel unius Illmi Domini Fabricii Columna testimonio probari potest, quem cum ejus pater magna prius mecum necessitudine conjunctus, in Hispaniam ad regem duceret, triremibus ejus tempestate disjectis in Sardiniam delatus hospicio a me cum plerisque aliis non inofficiose est susceptus: quin et ex ipso quoque informationum examinumque contextu, quæ juxta Tridentinam Synodum coram legitimis Judicibus canonice confecta sunt, et Beatitudini tuæ missa cognosci potest, ne mea tibi prolixitate sim molestior. Velim attendas, Pater Sancte, paucos admodum ex præsulibus, qui sub tribus Pontificibus Tridentinæ Synodi congregationibus interfuimus, superesse. Cumque ego ita me gesserim in componendis reformandisque meis diœcesibus, ut easdem et vitiis, quoad ejus fieri potuit, expurgatas, illicitisque et turpibus lucris, quæ vulgo specioso magis, quam vero titulo jura episcupalia nuncupantur, ita dimiserim exoneratas, ut avaritiam ex ejusmodi ecclesiis videar expulisse; et cum nihil illis ea re salubrius, et Beatitudini tuæ gratius, nihil mihi gloriosius esse possit, quam quod mea hac continentia et integritate tres, quos haetenus rexi, episcopatus non solum catholica doctrina instruxi, sed etiam exactis disciplinis Ecclesiæ regulis ad christianæ vitæ integritatem, quantum in me fuit, reduxi, ut omittam hic bellum, quod cum Galliæ Vasconiæque hæreticis, qui nimium sunt mihi vicini, inde-

fesso labore, magnoque sumptu, nec exiguo capitis mei periculo pro orthodoxæ fidei Sedisque Apostolicæ defensione sine intermissione gero: ut omittam etiam ardentissimo me conservandæ ac Beatitudinis tuæ Sedisque Apostolicæ obedientiæ, et reparandæ ecclesiasticæ immunitatis, quæ nefaria non paucorum sæcularium judicium temeritate conculcata est, studio animoque intrepido, bullam quinta feria majoris hebdomadis Romæ legi solitam, in Hispanum sermonem transtulisse, eamdemque typis mandasse, ut eam vel latinæ linguæ ignoratione, vel alio quopiam prætextu nollent ejusmodi judices et magistratus juxta Psalmographum intelligere, ut bene agerent, omni eos excusatione, illata meæ hujus translationis ipsorum et oculis et mensibus lumine nudavi, prorsum et exarmavi. Cujus exemplum ad te mittendum curavi. Qua quidem bulla, Hispanum sermonem jam sonante et per universam Hispaniam diffusa, vix credas, Beatissime Pater, quantus sit illis ipsis judicibus scrupulus, quantus Dei Sedisque Apostolicæ timor injectus. Irascuntur ii mihi, invidiamque conflare pergunt, quod primus ausus sim proferre et manifestare, quod utcumque latere videbatur, tamque majore me dictitant dignum reprehensione, quod mea ipsius bullæ tradutione et impressione non solum in Aragonia, sed etiam in universis Hispaniæ regnis dispersa, cæteri præsules meo exemplo excitati, meam hanc traductionem simul atque eam acceperunt, et imprimendam, et per suos episcopatus cum maximo christianæ Reipublicæ fructu Sedisque Apostolicæ obedientiæ et ecclesiasticæ immunitatis reparatione distribuendam curaverunt. Adde quod Reverendissimus Patavinus Episcopus Sedis Apostolicæ Nuntius, verbis tuis cum Philippi Regis Hispaniæ beneplacito atque etiam monita præcepit mihi semel atque iterum, ut Barcinonensis Cathedralis et diœcesis visitationem susciperem. Et quamvis initio, ne ovile hoc meum Jacense Vasconiæ Galliæque hæreticis nimis vicinum desertum paterer, quibuscum mihi perpetua est pro Orthodoxæ fidei Sedisque Apostolicæ defensione pugna et decertatio, ejuravi equidem primo hanc provinciam propter manifestum meæ hujus diœcesis periculum. Ut præcepto Beatitudinis Tuæ nihilominus obsequerer atque obedirem, senex jam et valetudine parum firma, maximoque sumptu eam ipsam haud gravatim suscepi. Quid ego in ea exequenda effecerim, malo, Pater Sancte, ipsius Nuntii Apostolici aliorumque sermone, quam meo intelligas: hoc unum dicam, ex magnis ejus mihi visitationis laboribus præter magnos sumptus, morbum mihi non paucorum mensium cum maximo vitæ meæ periculo evenisse, nec ullum me adhuc tot sumptuum incomodorumque meorum fructum reportasse; sperare tamen, ut mei tu, Pater Optime, in dictis literis expediendis miserearis, benigneque subveniendo respicias. Quæ cum ita se habeant, Pater Sancte, per Crucifixum mundi salutem tuam ego Beatitudinem quam humillime possum, oro, precorque, ut inopiam meam leves, studiaque mea et labores meos conciliares tam diuturnos, meamque erga te Sedemque Apostolicam reverentiam et pietatem gratis, si molestum non est, expediendis meis ad Oscensem Ecclesiam Apostolicis literis probare velis, et cohonestare. Nam præterquam quod hoc me beneficio non male de Sede Apostolica meritum, et juveris et bearis, quamplurimos certe hac tua ex paterna in me benignitate ad idem faciendum excitaturus. Christus Dominus Beatitudinem tuam diutissime servet incolumem. Jacæ III. Cal. Martii MDLXXVII.

Beatitudinis Vestræ

Humilimus obsequentissimusque servus
P. Episcopus Jacensis.

LXXII. — Ormanetto Episcopo Patavino et Nuntio Apostolico apud Regem Catholicum Matriti vita functo, Gregorius Episcopum Ripæ Transonis, qui in Belgica legatione obeunda magnam sibi nominis famam pepererat, in Hispaniam ad idem munus obeundum misit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep. 30. fol. 303.

Venerabili Fratri Philippo Ripæ Transonis Episcopo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Accepto ex Hispania nuncio obitus Nicolai Episcopi Patavini, cujus memoria in benedictione est, fecimus statim te in eodem Hispaniæ Regno nostrum et Sedis Apostolicæ Nuntium, quod etiam munus tibi antea destinaveramus. Eo igitur statim proficisceris, neque ullam moram interpones, eamque nostrarum rerum et negotiorum curam geres, quam tua fides, prudentia, integritas pollicentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pacecum Cardinalem ab sua diœcesi in Hispania Romam evocat, ut ejus prudentia et doctrina in Ecclesia Universali gubernanda utatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 193. f. 307.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Paceco Nuncupato.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem etc. Accepimus confecisse jam te visitationem tuæ Diœcesis, multaque præclare constituisse. Et quamquam certum habemus permultum interesse ad salutem animorum, atque ad istius Ecclesiæ tuæ bonum te istic remanere: tamen quia experti jam sumus, quanto usui Nobis esse possit ad Catholicæ Ecclesiæ gubernationem doctrina et prudentia tua, volumus, ut postquam tui Episcopatus rebus quam diligentissime provideris; sicque

omnia constitueris, ut ex tua absentia nihil istic detrimenti accidere possit, quamprimum poteris tuo commodo ad Nos venias. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Martii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXIII. — Sebastiano Lusitaniæ Regi ad Turcarum potentiam in Africa delendam hoc anno exercitum comparaturo Gregorius decimas ecclesiasticas trium regni Diœcesium in subsidium tribuit; additis tamen certis conditionibus, ne Ecclesiis illis nimis grave onus imponeretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 18. fol. 361.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Majestatis Tuæ, atque ex sermone Oratoris tui cognovimus, quid a Nobis atque ab hac Sancta Sede obtinere cupias super emphiteusi rerum Ecclesiasticarum Regni tui. Fecit autem nostra paterna charitas, et rei ipsius, cujus gratia id postulas, gravitas, tuumque optimum studium Catholicæ Religionis amplificandæ, ejusque hostium delendorum, pecuniæque ad tam gloriosum bellum gerendum, et conficiendum tenuitas, in qua esse te dicis, ut diu multumque cogitaremus, qua ratione possemus Tuæ Majestati gratificari sine conscientiæ nostræ et Ecclesiarum ipsarum, quarum summam curam sustinere debemus, detrimento. Decrevimus igitur id concedere in tribus tantum Diœcesibus Regni tui, iis scilicet conditionibus, quas ex aliarum literarum nostrarum exemplo, quod Oratori tuo dedimus, cognosces: nam ipsas literas hinc afferet vir gravis, et in Ecclesiastica dignitate constitutus, quem earum executorem fecimus, is brevi discedet, maturabitque quantum poterit. Speramus, te et alias perspectam habuisse, et hac etiam in re perspicere nostram erga te voluntatem, quam etiam omnibus in rebus retinebimus. Tuæ Majestatis erit curare, ut in ipsa executione nulla in re nostra voluntas, et literarum ipsarum modus violetur, inque eo omnem tuam auctoritatem et potestatem adhibere. Id facturum te pro tua præstanti pietate confidimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXIV. — Proregem regni Neapolitani Gregorius rogat, ut naves, quæ ad istos portus appulerint, Regi Lusitaniæ expediat, quæ illi honestis conditionibus operam locent ad milites in Africam contra Infideles transvehendos. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 13. f. 160.

Dilecto Filio Nobili Viro Proregi Regni Neapolis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. In gravissimo hoc et laboriosissimo Catholicæ Ecclesiæ præsidendi munere Nobis a Deo imposito ea debent inprimis Nobis cordi esse, quæ pertinent ad ejusdem Ecclesiæ dignitatem, Sanctæque Religionis amplificationem, eorumque studium potissimum amplecti debemus, quorum operam tam gravi in re præclare versari intelligimus. In his est Charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliæ Rex; parat enim ingens bellum in Africa adversus hostes Christi, eoque magnam vim tam Italorum, tum Germanorum militum comportare instituit; eget autem ad eam rem navibus. Rogamus Nobilitatem Tuam, ut hoc tam pium Regis inceptum tua auctoritate complectaris, efficiasque ut naves, quæ ad istos portus pervenerint, honestis conditionibus operam suam locent Regiis Ministris, qui isthic erunt, neque patiaris, ut hic tam gloriosus, tamque Deo acceptus conatus navium inopia impediatur, retardeturve. Erit hoc Nobis gratissimum, tuaque pietate dignissimum. Omnia plenius ex Nuncio nostro cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Eadem Gregorius petit a Magno Etruriæ Duce, ab Januensibus et Venetis. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 41-16.

LXXV. — Regi Lusitaniæ petenti, ut Cardinali Infanti, patruo, suo se removendi ab munere Generalis Inquisitoris detur facultas [*], Gregorius scripsit, se omnia quidem sua causa velle; in hoc vero ei gratificari haud posse: plurimi utique Regi ipsi interesse, talem virum apud se retinere. [*]

[*] Santissa document. N. 102.

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 17. f. 360.

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Semper optavimus Majestati Tuæ quibuscumque in rebus possemus gratificari, de sancto autem hæreticæ pravitatis istic Generalis Inquisitoris officio non possumus; neque causas illas probamus, quibus Cardinalis conatur, quantum potest, a nobis impetrare, ut patiamur ipsum se a tali officio removere, quod etiam quantum quidem in se est, deponit; regitur enim munus illud, et sustentatur non corporis viribus, quibus se destitui dicit, neque valetudine, qua, ut scribit, incommoda utitur, sed consilio, prudentia, auctoritate, integritate, Dei gloriæ et Catholicæ Religionis zelo, quæ quidem eximia in ipso sunt, neque aut corporis imbecillitate aut annorum accessione minuuntur; quin augentur potius. Mandavimus igitur ei, ut in eodem munere perseveret; sicque etiam dabitur Majestati Tuæ facultas ipsum apud se retinendi, ejusque amantissima et fidelissima opera utendi. Qua etiam de re alias ad Majestatem Tuam scripsimus. Si quid aliud erit, in quo Majestati Tuæ gratificari poterimus, nosti perpe-

tuam nostram erga te charitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXVI. — Joannem Austriacum Belgicis provinciis præfectum in suo instituto leniora consilia sequendi confirmat; suadetque, ut, catholica religione ac jure regio in tuto positis, cæteris in rebus connivere ac tempori servire velit, quo facilius tot motibus et calamitatibus finis afferatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 138. f. 273.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis viri salutem et Apostolicam benedictionem. Acceptis tuis literis, quas ex Hispania dederas, cum in Flandriam properares, Deum precati sumus, ut te incolumem servaret, iter tuum prosperum redderet, consiliaque suscepta feliciter evenire vellet; sic enim conveniebat nostræ paternæ erga te charitati, summoque Catholicarum rerum dignitatis atque amplitudinis desiderio. Postea certiores facti de tuo in istam provinciam adventu et gratias agimus Divinæ bonitati, et quod antea faciebamus, ut pro istius ipsius provinciæ tranquillitate et salute precaremur, nunquam facere intermisimus. Audiet, ut speramus, summa Dei bonitas preces nostras, spemque afferunt alteræ tuæ literæ datæ XX. Decembris, et sermo dilecti filii Joannis Zunigæ Catholici Regis Oratoris: sic enim cognovimus, Regem ipsum, Tuamque Nobilitatem in hac ipsa Dei gloria et provinciæ istius salutis cogitatione et cura versari, neque ullum cuiquam amplius postulandi locum relinquere. Semper autem judicavimus, præcipuam summamque curam esse oportere Catholicæ istic religionis tuendæ, Regiæque auctoritatis et juris conservandi, quibus duobus salvis cæteris in rebus connivere licere, quodque prudentiæ est, tempori inservire, tantisque motibus et calamitatibus finem imponere. Hæc te tua prudentia et virtute, in primis vero Divina ope et gratia adjutum, facturum speramus, ut et afflictis istius provinciæ rebus, et Divinæ gloriæ, Catholicique Regis auctoritati provideas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri an. quinto.

Alteris litteris eidem scribit, se nihil optare magis, quam pacatas illas provincias esse: quod ut fieri tandem possit, ad eum mittere Philippum Ripæ Transonis Episcopum, propinquum suum, virum singulari prudentia, quocum collatis consiliis rem conficiat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 167. f. 302.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis optamus, nullas istic bellorum reliquias superesse, (optamus autem incredibiliter) eo gravius angimur rem tardius procedere, quam sperabamus, neque post tuum adventum ullam hactenus quietis et pacis formam reperiri potuisse. Id autem rerum temporumque injuria evenisse certo scimus: neque enim deest Nobilitati Tuæ prudentia, neque voluntas ad optima et maxima quæque constituenda. Nos vero non possumus non magnopere soliciti esse in iis rebus, quas ad Catholici Regis dignitatem, ad nobilissimæ istius provinciæ tranquillitatem, ad Catholicæ Ecclesiæ bonum pertinere intelligimus: constat autem hæc omnia in hac causa versari. Mittimus igitur ad Nobilitatem Tuam venerabilem fratrem Philippum Ripæ Transonis Episcopum, propinquum nostrum, virum singulari integritate et prudentia præditum, omnibusque in rebus Nobis probatissimum, ut hac in re tuæ optimæ voluntati, nostroque summo desiderio omni studio et diligentia inserviat, Tuæque Nobilitati adjumento sit omnibus in rebus, in quibus aliquid profici posse existimaverit. Gratissimum Nobis facies, si eandem ei fidem tribues, quam Nobis ipsis tribueres, ejusque opera uteris; Nos enim ei mandavimus, ut omnia agat ex tuo judicio et consilio. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI. Februarii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXVII. — Joannes Austriacus consiliis Pontificis permotus, decretis Conventus Gandavensis, quæ VI. Idus Novembres præterlapsi anni firmata fuerunt [*], subscribere statuit; præsertim quod in iis sibi quidem satis videretur esse consultum religioni regiæque dignitati, dum fœdus in postrema hæc verba sancitum esset: Nos Ordinum Delegati, qui Ordines conficimus, heic subscripti, promisimus, promittimusque, ictum hoc fœdus perpetuo retenturos, ad sacrosanctæ nostræ fidei et Apostolicæ Romanæ religionis conservationem, ad hujusce Gandavensis pacificationis perfectionem; ad Hispanorum eisque inhærentium ejectionem, obedientia Regiæ Majestati debita interim semper salva. Placuit nihilominus Austriaco rogare antea sententias virorum omni doctrinæ genere præstantium, num ex illis capitibus, quæ accurate omnia expendenda tradiderat, detrimenti aliquid capere videretur orthodoxa fides, Regisque dignitas. Quum ii nullum inde periculum affirmarent, præcipue si novo additamento caveretur, nihil in eorum singulis aut universis sancitum placitumve fore adversus religionem Catholicam ac Principis auctoritatem: Austriacus horum sententia firmatus, ipsa eorumdem consulta, Episcoporumque litteras in eandem sententiam misit ad Regem. Quo annuente, simulque fidem suam obligantibus Rudolphi Cæsaris, Leodiensis Antistitis ac Ducis Cliviæ Oratoribus, nova pacificatio, Edictum perpetuum appellata, Marchæ in Famina,

[*] Apud Dumont: Corps diplom. T. V. P. I. pag. 278 et apud Lunig Part. Spec. Contin. T. I. p. 136.

quod est oppidum Lucemburgensis provinciæ, concepta est. In qua et ab Austriaci Legatis Hispanorum missio totumque Gandavense fœdus XIII. Kalend. Mart. confirmatum, et ab Ordinum Delegatis præter cætera religioni atque obedientiæ in Regem, quas se perpetuo retenturos jurejurando affirmabant, iterum ac diserte cautum. Tum vero Joannes, pacificatione Bruxellis primum, deinde Antverpiæ, aliisque in urbibus promulgari jussa, obviis Belgarum proceribus magna cum Nobilium frequentia Lucemburgo egreditur, ac Lovanii ineunte Martio mense Belgii gubernator summa omnium ovatione salutatur.

[*] Apud Dumont loc. cit. p. 285.

LXXVIII. — De hac confirmata pace [*] Gregorius magnupere cum Joanne gratulatur; et res ecclesiasticas et Antistites illius provinciæ enixe commendat, utque humanissime cum illis populis se gerat, hortatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 220. f. 321.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Cum primum certiores facti fuimus de pacificatione istius nobilissimæ provinciæ, deque tua præstanti in ea re cura atque opera, gratias egimus Deo quantas potuimus maximas; nihil enim erat, quod tantopere optaremus, tum privatim istius provinciæ boni causa, tum Catholici Regis gloriæ desiderio, tum vero universe Catholicarum rerum tranquillitatis atque amplitudinis studio. Quibus in rebus cum extet singularis opera et vigilantia tua, necesse est, maximam quoque laudem ad te pervenire. Restat, ut eam tuearis et cumules omni charitate in populis istis humanissime tractandis, conservandisque in perpetua et perfecta Regis obedientia, quantumque in te erit, in syncero justitiæ et Catholicæ Religionis cultu. Summam igitur tum omnibus in rebus, tum vero in iis, quæ decernentur in proximo Statuum conventu, curam suscipies, ne quid sacrosanctæ Religionis, Catholicæque fidei res detrimenti accipiant, tum provinciæ istius Ecclesiarum Antistites omnes quam commendatissimos habebis: Ecclesiasticam vero jurisdictionem nulla in re lædi aut violari patiaris. Hæc te omni studio curaturum pro nostro de tua præstanti pietate judicio speramus, pro paterna in te charitate ut cures monemus; pro ea autem auctoritate et potestate, quam sustinemus, sola Domini Dei nostri in muneribus distribuendis benignitate præcipimus et jubemus. Interim autem Nobilitati Tuæ læta et felicia omnia ab eodem Domino Nostro optamus, et precamur ad sui nominis gloriam, Catholicæque Ecclesiæ suæ amplitudinem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXIX. — Eadem de causa Ripæ Transonis Episcopo adhuc apud Belgas degenti scribit, verbis suis hortari velit illarum provinciarum Episcopos atque Ordines propediem de pace conservanda conventum inituros, ut justitiam, pietatem et religionis Catholicæ commoda in consilium adhibeant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 221. f. 320.

Venerabili Fratri Philippo Episcopo Ripæ Transonis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem etc. Certiores facti sumus, brevi fore, ut conveniant Episcopi, cæterique Ecclesiarum Antistites cum aliis istius provinciæ primariis viris de pace conservanda, deque cæteris rebus publicis constituendis. Scis autem rectarum consultationum ac deliberationum omnium fundamentum esse pietatem. Ages igitur cum venerabilibus fratribus nostris Episcopis, cæterisque Ecclesiasticis, hortaberisque eos nostris verbis, ut pro sua quisque parte, quantum possint, incumbant in causam Christi, studeantque Catholicam Religionem tueri atque amplificare, quæque superiorum temporum injuria atque hominum iniquitate depravata et corrupta fuerunt, emendare et restituere, attentissimeque pro Christi gloria atque animarum salute vigilare, inque præsenti pace, quam Divinæ benignitati acceptam se referre debere intelligunt, omni studio et diligentia versari in eo, quod sciunt esse Christo acceptissimum, ut ipsius gregem pascant vitæ exemplo, doctrinæ synceritate, et cœlesti sanctorum Sacramentorum pabulo. Laudabis item nostris verbis eos, quorum in rebus istius provinciæ hactenus componendis, et pacificatione constituenda præstantem operam fuisse intelligens. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDLXXVII. Pontif. Nostri anno quinto.

In eamdem fere sententiam ipsis Ordinibus scribit, monens, ut qui a Catholica Ecclesia descivissent, ad eam reducendos apostolica suavitate curent; neque sua eos ope desertos esse patiantur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 221. f. 320.

Dilectis Filiis Trium Ordinum Statibus Belgii.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam summa Domini Dei Nostri benignitas, et vestra etiam æquitas ac pietas in hac ipsa benignitate agnoscenda atque amplectenda eam istic pacem peperit, quam summopere optabamus; quæ restant ab eadem ipsa Dei benignitate, vestraque prudentia magnopere sperare atque expectare debemus, ut perpetuas nimirum gratias agatis immortali Deo, rectarum actionum consiliorumque omnium auctori, ut præsenti isto bono perfruamini omni cum modestia et Dei timore; ut nihil antiquius habeatis syncero et puro Catholicæ Religionis zelo et cultu; ut majorum vestrorum similes

esse velitis, qui eadem religione pie sancteque colenda et tuenda provinciam istam vobis florentissimam reliquerunt. Si qui autem hactenus Sathanæ fraude abducti sunt, eos vestra ope ne destituite; omni autem ratione reducendos curate, nostram atque Apostolicam ipsis benignitatem proponite; Nos enim ad Catholicam Ecclesiam redeuntes amplexabimur, charissimosque habebimus, exultabimusque in Domino iisdem ipsis vocibus, quibus pater ille Evangelicus: Filius hic meus mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est: vos etiam simul ex tam laudabili studio immortalia a Deo præmia referetis, et optimum omnino ejus Majestati sacrificium est zelus animarum, et qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum. Erit simul vestræ pietatis existimare monita hæc a paterna charitate profecta esse, persuasumque habere, nihil Nobis magis cordi esse, quam istius nobilissimæ provinciæ tranquillitatem, et Dei gloriam atque animarum salutem; quantum autem possunt sibi optimi filii polliceri a parente amantissimo, tantum vobis a nostra charitate paratum esse persuasum habete. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die octava Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Gregorius, qui esset in summa magnitudine animi atque humanitate temperatus, haud ægre tulit, ipsum Arausiacum Principem, præcipuum in his provinciis turbarum auctorem, et Catholicæ religionis acerrimum insectatorem, humanissimis litteris allicere et hortari, ut cum Nuntio Apostolico, quæ ad Christi causam et ad bonum illius regionis collatura essent, provideret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 223. f. 229.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Orangiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. In tantis tamque diuturnis nobilissimæ istius provinciæ malis præstitimus semper vobis eam charitatem, quam debuimus, ut charissimorum filiorum nostrorum malis angeremur intimis sensibus, eaque gravissime doleremus; neque tamen unquam spem abjecimus voluntatis tuæ in publica quiete optanda, inque iis rebus curandis et restituendis, quas intelligeres ad Dei gloriam, atque ad Catholicæ Religionis dignitatem pertinere. Itaque mandavimus venerabili fratri Philippo Ripæ Transonis Episcopo, nostro isthic et Sedis Apostolicæ Nuntio, ut cum Tua Nobilitate agat iis de rebus, quas ad utramque causam tum Christi, tum istius provinciæ magnopere pertinere judicavimus. Ei omnem fidem tribues; quæque ex eo cognosces, a nostra paterna charitate profecta esse existimabis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

LXXX. — Verumtamen, ut res ferunt humanæ, hæc pax haud ita pridem omnium Belgarum plausu et exultatione confirmata, mox clandestinis imprimis ipsius Arausiaci Principis artibus in tumultus atque arma abitura videbatur. Joannes ipse Austriacus, vir sapientissimus ac modestissimus, a pacis violatoribus teterrimis calumniis apud ipsum Catholicum Regem proscindebatur; quare Philippus injustis molestisque de eo Belgarum querimoniis et insimulationibus quotidie obsessus, pacandique Belgii absque armis ne victori quidem innoxiis perquam cupidus, provinciarum votis annuere; eoque sororem Margaretham Austriacam cum Alexandro filio submittere decrevit: sperans aut illius prudentia gratiaque apud Belgas rationem concordiæ aliquam ineundam, aut hujus virtute, si armis opus esset, bellum strenue administrandum. Igitur Granvellano Cardinali Romæ agenti mandat, ut Margarethæ ad Belgas reditum persuadeat; qui Aquilam in Samnitibus ad eandem profectus, ibique et Alexandrum nactus recitat utrique litteras et consilium Regis. Margaretha et Alexander diu hæserunt, num votis Regis obsequerentur: accessit tandem Pontificis auctoritas, qui Margarethæ discessum in Belgium suasit, eam ad fidem catholicam in iis provinciis tuendam paternis verbis adhortans. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VI ep. 101 f. 395

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Margarithæ Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem et Apostolicam benedictionem. Dignissimum est nobilitate et prudentia tua consilium de rebus Flandricis, et conatus tuus, de quo tum ex tuis literis, tum ex sermone dilecti filii Joannis Zunigæ cognovimus; pertinet enim, ut scribis, tum ad Catholici Regis Philippi potestatem, tum vero ad Catholicæ Religionis res; nihil autem potest esse utraque causa præstantius, nihil dignius, in quo Catholicorum Principum omnium labor atque industria versetur. Sic enim curatur, ut utrique præcepto ejus Evangelii, quod hodie in Ecclesia legitur, satisfiat. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo: debent autem homines Regibus suis obedientiam, Deo purum ac sincerum cultum, quem Catholica tantum Religio retinet. Prosequimur igitur hunc tuum conatum nostra atque Apostolica benedictione, precamurque Nobilitati Tuæ eadem ipsa, quæ precabatur David: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob, mittat tibi auxilium de Sancto, et de Sion tueatur te, tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die V. Octobris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Eandem præterea per Sylvium Sabellum Cu-

bicularium suum secretum, clarissimum virum eo missum, ad iter in Flandriam maturandum hisce litteris excitat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VI. ep. 118. f. 106.

Dilectæ in Christo Filiæ Nobili Mulieri Margarithæ Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem et Apostolicam benedictionem. Quia appropinquat discessus tuus in Flandriam, voluimus ad Nobilitatem Tuam mittere dilectum filium Sylvium Sabellum nostrum Cubicularium secretum, Nobisque et nobilitate ipsa et suis multis virtutibus charissimum, ut eam, quam his literis ascribimus, salutem et Apostolicam benedictionem dicat etiam coram nostris verbis, horteturque Nobilitatem Tuam, ut quoniam negotium est, ut vides, gravissimum, multumque ad id obtinendum, quod cupimus, situm est in præsentia, prudentia, auctoritate tua, non cesses profectionem atque iter quantum potes accelerare. Oramus autem Deum assidue, ut tuis consiliis optimis, et ista animi tui magnitudine dignissimis perpetuo adsit sua gratia. Hæc atque alia ex Sylvio ipso cognoscet Nobilitas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decimanona Novembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXI. — Non defuerunt inter Belgii Episcopos reliquosque Ecclesiastici Ordinis viros, qui a pacis perturbatoribus speciosis libertatis et religionis nominibus hallucinati, perversis eorum conatibus in magnum sane et fidei et reipublicæ damnum faverent. Quæ omnia cum Gregorius singillatim cognovisset, eos graviter commonefacere satius duxit, ut ab tanto facinore abstinerent, populosque suæ curæ concreditos in fidem Regis compellerent, mentione etiam inducta Ecclesiæ pœnarum, in quas prolapsi fuerant. Quæ monita Archiepiscopo Ultrajectensi primum misit, atque mandavit, ut has litteras ad Suffraganeos suos Episcopos et reliquos ecclesiasticos viros perferendas daret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VI. ep. 113. f. 102.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Ultrajectensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, plerosque istius Provinciæ Episcopos et Suffraganeos, Cathedraliumque Ecclesiarum Canonicos ac dignitates, aliosque professione ipsa et nomine Ecclesiasticos viros sese iis dissidiis ac tumultibus, qui istic adversus Religionem Catholicam, Sanctæ Ecclesiæ tranquillitatem, legitimi sui Principis obedientiam excitati sunt, admiscuisse, studiumque id, quod Christo, Catholicæque ejus Ecclesiæ, Regique suo præstare debebant, in omnibus illis motibus, quantum quidem in se erat, sedandis, ad eos alendos, ad hæreticos et rebelles consilio atque opere juvandos, ad utramque denique Majestatem tum Divinam, tum humanam violandam contulisse; inque eadem insania adhuc perseverare. Neque vero hæc obscure, aut confuse Nobis indicata sunt, sed habemus singulorum nomina descripta. Quo quidem facto perspicuum est, illos sese censuris et pœnis Ecclesiæ constrinxisse; nec quidquam aliud restare, nisi ut declaremus eos in bujusmodi censuras et pœnas incidisse, ipsosque suspendamus privemusque. Quod tametsi jure optimo facere possemus, tamen voluimus paterna charitate atque Apostolica clementia eos prius sui muneris atque officii commonefacere, atque hortari, ut ei ipsi ab hoc tam gravi scelere obstineant, et eos, quos habent suæ potestati ac jurisdictioni subjectos, deterreant, et quantum possint, cœrceant, inque eos animadvertant, neque posthac aliam a Nobis monitionem expectent: sentient enim malo suo, nisi resipuerint, quantopere Nobis cordi sit Ecclesiastica disciplina, et Catholicæ fidei incolumitas, sanctæque Ecclesiæ pax. Deus meliores illis mentem immittat. Nos certe commissuri non sumus, ne videatur Ecclesia Pastore carere, id quod sanctissimus Gregorius ait ipsa criminum impunitate. Quia autem infinitum esset ad singulos scribere, facies, ut publicum harum literarum exemplum ad cæteros istius Provinciæ Episcopos, Suffraganeos, Abbates, Capitula, majores dignitates mittas: voluimus enim has literas illis omnibus communes esse, atque exempla illa perinde eos, ad quos pervenerint, obligare, ac si has ipsas literas ad eos misissemus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XVI. Novembris MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Nec absimilibus litteris ad pacis studium reliquarum Belgii provinciarum Episcopos Clerumque adhortatus est. En quæ Leodiensi Præsuli scriptæ fuerunt. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 111. f. 103.

Venerabili Fratri Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Gravissime Nos commoverunt ea, quæ de nonnullis Flandriæ Episcopis, Abbatibus, Canonicis accepimus, ipsos scilicet sese admiscuisse iis motibus, qui adversus Religionem Catholicam, suique legitimi Principis obedientiam excitati sunt, eosque motus et discordias alere. Monemus illos, ut desistant iis literis, quas cum his mittimus ad Fraternitatem Tuam, mandamusque eis, ut publica earum literarum exempla ad cæteros mittant; fuisset enim infinitum scribere ad eos omnes, quos in hoc furore versari cognovimus. Curabis igitur, ut hæ literæ ad eos perveniant, ad quos sunt scriptæ. Id autem te libentissime facturum non dubitamus; scimus enim, te his malis gravissime dolere. Oremus Divinam bonitatem, ut succurrat: neque tamen interim cessemus, quantum quidem possumus, consilio, auctoritate, opere pro-

videre. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatorie die decimasexta Novembris MDLXXVI. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXII. — In Anglia Elisabetha Regina, quæ adhuc a sanguine Catholicorum abstinuerat, edictis quidem severissimis, una cum mulctis, ut plurimum, pecuniariis contenta, hoc anno vero sævitiei et crudelitati studuit, et acerbissime de iis placuit consulere. Qua re Guthbertus clarus sacerdos, quod supremam Reginæ in Ecclesia auctoritatem denegaverit, eique pontificiam prætulerit, ad oppidum Launstonii, sive S. Stephani in Cornubia summo cruciatu et supplicio adfectus est. Frugionus autem nobilis vir, qui eum hospitio receperat, fortunis suis spoliatus et perpetuo carceri fuit addictus. Eadem pœna complures passim afficiebantur, ita ut nonnulli opportuna fuga regno evaserint. Quos Gregorius paterna caritate complexus, litteris ita dictis apertis Catholicis Principibus cæterisque Christianis hominibus vehementissime commendavit. Lubet earum exemplum in medium proferre. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 217. f. 288.

GREGORIVS PP. XIII.

Universis et singulis præsentes literas inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectus filius Riccardus Nortonus Anglus, vir nobilis, domique suæ opibus olim atque honoribus florens, in primis vero Catholicus et pius, hancque ipsam ob causam patria extorris, summaque et decrepita ætate omni alio adjumento et solatio destitutus, a sola filia non derelictus, biennium et amplius iu hac nostra Urbe commoratus est: is nunc cum eadem filia ærumnarum comite in Belgium proficiscitur; cupimus eum esse omnibus quam commendatissimum. Itaque hortamur omnes Principes, Dominos, Gubernatores et Custodes eorum locorum, ad quæ pervenerit, ut eum omni cum charitate excipiant. Postulat hoc tum communis naturæ atque humanitatis ratio, tum causa ipsa; quamquam enim Dominus Noster Jesus Christus pronunciat beatos spe atque expectatione esse eos, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, tamen nulli sunt, quos interim magis commendatos habere debeamus. Potuerunt impii illi quidem huic servo Christi adimere propinquos, patriam, humana denique omnia; at non fidem, non pietatem, non patientiam, non interioris hominis bona, quæ vere sunt bona atque opes Christianorum: sed non si ipse injurias omnes fert æquo animo, et gratias etiam agit Deo, propterea debent Catholici sua illum ope destituere. Iterum igitur hortamur, atque etiam rogamus, quantum possumus, pios omnes, ut eum quam commendatissimum habeant, studeantque in eo amplectendo amplissima atque immortalia a Deo præmia promereri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Maji MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno quinto.

Episcopo quoque Leodiensi gratulatorias misit litteras, qui calamitosos illos non modo ex Anglia, sed ex Belgio etiam ejectos Catholicos nobili hospitio receperat, nulloque modo nec minis nec suasionibus crudelissimæ Elisabethæ, ut eos ab sua civitate ejiceret, adduci passus fuerat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 60. fol. 272.

Venerabili Fratri Episcopo Leodiensi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Biennium jam est, cum commendavimus Fraternitati Tuæ Anglos ob perpetuam in Catholica fide constantiam Anglia expulsos, nulloque suo crimine e Belgio item ejectos, hortatique fuimus, ut eos tua humanitate et misericordia amplectereris in nomine Christi, cui tantopere cordi est hoc pietatis officium, ut sese ipsum affirmet in suis recipi et juvari. Id omni cum charitate fecisse te, nec unquam iniquissimæ fœminæ, ac potius furiæ postulantis, ut eos ex ista quoque tua Civitate et regione ejiceres, impietati atque iniquitati cessisse ex gravissimorum hominum sermone incredibili cum voluptate cognovimus. Voluimus igitur per has literas significare Fraternitati Tuæ hoc nostrum gaudium, atque una gratulari; hanc enim semper justam, et Christiano homine dignam lætitiæ et gratulationis causam judicavimus, quæ ex Dei gloria, ex ipsius pauperum bono, ex sempiternæ mercedis a Deo expectatione proficiscitur. Nihil autem opus esse intelligimus Fraternitatem Tuam hortari, ut in ista voluntate perseveres, impiique monstri voces a tuis auribus repellas, quoque illud pertinacius Christi pauperes oppugnabit, eo audacius illos tuearis, neque studium tuum in Christi causa tuenda cedat Sathanæ studio in oppugnanda, neque Catholicis istis destituendis Nobis ac bonis omnibus summum dolorem inuras, deque tantorum præmiorum spe decidas; perspectissimam enim habemus pietatem tuam, et in omni recta actione constantiam. Laudamus igitur istam tuam voluntatem atque operam, eamque offerimus Deo, tibique ab ejus bonitate et in hac, et in futura vita omnem felicitatem precamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Augusti MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Scotorum quoque Reginam in tam diuturna ærumnosaque captivitate versantem Gregorius solatur, eique animum addit, ut læto constantique animo vexationes pro fide perferat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 61. fol. 273.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Scotiæ Reginæ Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem et Apostolicam benedictionem. Non cessat venerabilis frater Episcopus Rossensis, quoties facultas datur, multa de tuis virtutibus comme-

morare. Legit fere Nobis omnes tuas ad eum literas, proxime autem datas mense Majo plenas singularis erga Deum pietatis, atque erga Nos et Sanctam hanc Sedem observantiæ. Agimus immortales gratias Deo, qui te in ista tam diuturna, tamque indigna custodia et calamitate roborat, consolaturque atque efficit, ut quæ intolerabilia viderentur iis, qui non essent in Dei charitate stabiliti, leviora tibi videantur. Ex iis autem bonis, quæ solent afferre calamitates, patientiæ exercitationem, virtutis probationem et sempiternæ gloriæ præmia, gaudemus priora illa duo in Tua Majestate cerni summa cum laude, tertium a Divina benignitate paratum est. Neque tantum oppressis interea desperandum est, finem aliquando injuriarum fore, sed ita sperandum fore, ut omnino statuant, id sibi melius fore, quodcunque Divinæ benignitati visum fuerit, ac sic cogitent de terrenis rebus, quibus abundant etiam mali, nihil esse, quod laborent illa vere esse bona, quæ bonos faciunt, fidem, spem, charitatem, quæ quidem non potuit Majestati Tuæ Ministrorum Sathanæ vis atque injuria adimere. Si quid autem erit, in quo tibi, filio ac Regno tuo adjumento esse possimus, nihil libentius faciemus. Tu modo persevera forti animo esse, nec dolori succumbe; certumque habe, res tuas Nobis in animo insidere, nec quicquam magis optare, quam aliquam Nobis facultatem dari nostræ paternæ erga te voluntatis et charitatis declarandæ. Cætera ex literis venerabilis fratris Episcopi Rossensis cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Augusti MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXIII. — Ad hunc annum referri etiam debet factum sane mirum, quo Oxonii divina ultio impios orthodoxæ fidei insectatores perculit. Etenim cum ex more judices Regni, aliique viri principes illius provinciæ ad causas judicandas convenissent, eo tamen animo, ut opprimerent eos, qui religionis Catholicæ doctrinam profiterentur, inopinato multi ex iis vel in ipsis Comitiis, vel paulo post subito morbo correpti brevi interierunt. En quæ pius quidam Anglus sacerdos hoc de eventu, iram Dei in impios homines portendente, Nuntio Apostolico Matriti degenti retulit. Cujus casus et Sanderus de schismate Anglicano lib. III, et Camdenus in Elisabethæ annalibus meminerunt. [*]

[*] Hispania Vol. 28. fol. 13.

« Hoc anno Domini 1577. in mense Julio in Oxonio, quæ florentissima quondam omnium studiorum Academia et Universitas fuit, nunc hæretica schola est, convenerunt certi Judices Regni, et multi primarii Viri totius Provinciæ ad causas ejus regionis solito more decidendas, ubi etiam inter crimina numerant Missæ officiis interesse, peccata Sacerdoti confiteri, Primatum Pontificis agnoscere, et Crucis vexillum aut Agnos Dei retinere aut venerari. Ecce autem in mediis Comitiis ira Dei decidit super eos, adeo ut, cum sani et integri ad Curiam convenissent, duo primi Judices, duo Vicecomites, octo ex duodecim viris, qui causis cognoscendis more Anglico præsunt, Consiliarii sex, Irenarchi sex, tum autem ex iis, qui spectandi et audiendi causa aderant, plurimi ægritudine quadam subitanea percussi fuerint, et permulti ex ipsis e vestigio in eodem loco mortui, alii autem dum ad ædes vel hospitia sua deferrentur, in plateis expirarunt, alii mox ac ædes suas attigerunt. Itaque intra viginti quatuor horas ducenta mortuorum cadavera numerata sunt, porro intra triduum alii centum quinquaginta diem suum obierunt, et adhuc sæviebat malum, quando de his rebus literæ perscriptæ sunt. Inter hos duo pestilentis Puritanorum sectæ Doctores, et concionatores defuncti sunt cum aliis octuaginta discipulis. Unus ex Doctoribus erat Laurentius Hunfridus, qui Divi Cyrilli commentarios in Isaiam ex græco latinos fecerat, et Elizabethæ dedicaverat, cujus dedicatoriam epistolam sacra Hispanica Inquisitio merito condemnavit. Qui literis operam dabant, ex Civitate velut ex incendio aufugerunt; nec dubitandum est, quin multi ex illis ad catholicam fidem convertentur. Nam ex eadem Academia circiter ducenti hoc biennio præterito (relicta hæresi et patria) mare transierunt, et catholicam fidem summis viribus partim Doaci, partim Lovanii amplectuntur. Itaque juventutis admonendæ causa, quæ illuc ex toto Regno confluebat, in eo potissimum loco Deus hoc miraculum operatus est, sicut etiam regnante Eduardo Sexto simile quid in celeberrima Vintoniensi schola ad plurimorum adolescentium salutem operatus fuerat.

LXXXIV. — Cum igitur in Britannia adeo exagitarentur et opprimerentur Catholici, nemini profecto mirum videatur, quod ii, præsertim Angli exules, qui in aula hispanica commorarentur, in expeditionem, quam Philippus II. contra Reginam Elisabetham aggredi instituebat, quo majori studio fieri potuisset, omnes animi ingeniique vires contenderint. His se adjunxit Gaspar de Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, qui eam expeditionem sibi maxime amplectendam existimavit, eamque fere solus Regis nomine curabat. Huic viro confisus Jacobus de Giraldis, nobilis Hibernus, cum manu Anglorum Hibernorumque exulum militum e portu Ulyssiponensi mense Novembri Hiberniam versus solverunt; quod ipsius Jacobi litteræ ad eundem Archiepiscopum datæ testantur. [*]

[*] Hispania Vol. 28 fol. 67.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

« Ultimas Dominationis V^{tæ} Ill^{mæ} literas III. Octobris recepi, exaratas 23. Septembris, quibus luculenter ostendisti, ut patriam ne differem petere. Priores Dominationis Vestræ Illu-

strissimæ literæ me multum retardarunt. Ex quo igitur Dominationis Vestræ literas recepi, omnem meam solicitudinem et curam adhibui apud Oratorem et Regem, ut invenirem navem; usque tamen ad hodiernum diem, quæ est 29. Octobris, non potuimus nancisci navem; quo quidem die pepigimus pactum cum nautis, quibus astringimur hinc discedere ante novem dies. Tandem ancora solvemus versus Hiberniam in nomine Domini, ut Deo et suæ Sanctæ Ecclesiæ, et Regiæ Majestati possemus servire. Demum rogo Illmam Dominationem Vestram, ut solerter agat cum sua Catholica Majestate, ut mittatur auxilium post nos ad Hiberniam, et hoc quamprimum, saltem ante mensem Februarium et antequam ego et omnes mei viribus et nervis privamur. Cæterum post discessum nostrum hinc mittemus ad Reverendum Dominum Cornelium Leonensem Episcopum, qui dum nos præibat in patriam, spoliatus est a piratis Rupellentibus in mari, qui quidem nobis fidelissimus est, cuique committimus omnia arcana nostra ad vos potissimum, ut tractet de auxilio nobis mittendo quamprimum: utcunque nobis erat multum frugi, ut sit ipse cum eodem auxilio veniendo ad nos, ut ostendat, quid debeant agere, et quomodo ingrediendum sit illis in patriam, et quomodo mox poterint convenire. Valeat Illma ac Rma Dominatio Vestra in multos annos. Ex Ulissipona penultimo Octobris 1577.

Spes nostra Jesus et Maria.

Illmæ ac Rmæ Dominationis
Vestræ deditissimus
Jacobus Dessmoniæ de Geraldis.

En haud absimiles ejusdem ad Cardinalem Comensem litteras, auxilium ut a Rege Hispaniarum mitteretur rogantes. [*]

[*] Hispania Vol 28. fol. 72.

Illustrissimo Cardinali Comensi.

« Ulissiponensem urbem appuli, ut illinc Hiberniam peterem, jamdiu est, quod in Hiberniam essem, nisi quod Nuntius Apostolicus Curiæ Regis Hispaniarum retardavit me literis, putans quod aliquod subsidium per suam sollicitationem mihi impetraret, qui tandem in postremis literis suasit, ut nihil expectarem. Ego igitur sine dilatione, inermis, sine classe, sine hominibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et fretus Apostolica auctoritate, adeo Hiberniam, multum confidens in vestris orationibus, quibus clementissimum Dominum autumo mihi propitium esse, et victoriam allaturum contra Sanctæ matris ecclesiæ hostes. Denique hactenus præstolatus sum auxilium, et quia illud minime nactus sum, omnes mei, qui avido animo me expectabant, tepidi et remissi animo omnino erant; insuper adversarii omnes, avidiori promptiorique animo dimicabunt contra me, cum me inermem et sine adjutorio viderint euntem in patriam. Proinde rogo Illmam Dominationem Vestram, in qua confido, ut festinet auxilium pollicitum post me ad Hiberniam, nec non ut sollicitet mihi mitti auxilium per Regem Catholicum, qui tantumdem spopondit Majonensi Episcopo. Valeat Illma ac Rma Dominatio Vestra. Ex Civitate Ulissiponensi Nonis Novembris 1577.

Spes nostra Jesus et Maria.

Illmæ ac Rmæ Dominationis
Vestræ addictissimus
Jacobus Dessmoniæ de Geraldis.

LXXXV. — Magnam Etruriæ Ducem Gregorius monet, ne singulare certamen (quod recentiores duellum vocant) inter Julianum Medicem et Torquatum Malaspinam in sua ditione iuiri permittat, utpote sacris Ecclesiæ canonibus et Romanorum Pontificum decretis jamdiu interdictum. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. Ann. VI ep. 83. l. 369.

Dilecto Filio Nobili Viro Francisco Medices Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quid istic moliantur Julianus Medices et Torquatus Malaspina a malo spiritu agitati, non potest Nobilitatem Tuam latere, cum fama ad Nos pervenerit. Sic enim fertur, velle illos committere inter se execrabile vitæ certamen, et ferro decernere, seque ad id provocare et exercere, armaque instructa et denunciata habere, brevique fore, ut in tua ditione digladientur. Nolumus te Dei odium incurrere; scis enim, ex decretis Romanorum Pontificum proximeque Concilii Tridentini gravissimo anathemate (ut cæteras pœnas taceamus) feriri omnes Principes, qui talia suis in locis committi patiuntur. Hortamur igitur, et pro nostra auctoritate, tuæque salutis et laudis studio mandamus, ut huic malo obsistas, neque patiaris odia ulterius procedere, illosque a tali furore deterreas, et si opus fuerit præhendi et coerceri jubeas, eamque, quæ tuæ prudentiæ videbitur, satisfactionis et pacificationis rationem adhibeas; nullæ enim possunt esse tanta injuria, ut non possint aliqua idonea satisfaciendi ratione deleri; tametsi homini vere Christiano id unum cogitandum esset, non satisfaciat ne sibi is, a quo est læsus, aut injuria affectus, sed satisfaciat ne ipse Deo, et legi Evangelicæ tum in cætera vita, tum vero in injuria memoria atque ulciscendi voluntate. Non dubitamus, te pro tua præstanti pietate, Nobisque obtemperandi studio, hoc gravissime curaturum, neque passurum, ut Sathan miserabilem triumphum agat de animabus Christi sanguine redemptis. Loquetur etiam cum Tua Nobilitate hac de re Nuncius noster, ei omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Augusti MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Pius hic Princeps Pontificis voluntati paruit, et deplorans detestansque perpetratum crimen, promittit, se nulla unquam in posterum hujusmodi singularia certamina permissurum. [*]

[*] Mansioa document. N 107

LXXXVI. — Religiosus Sabaudiæ Dux ad ditionis suæ inopiam levandam iterum Pontifici supplicat, ut subsidium ecclesiasticum, quod Pius V. per novem annos tribuerat, ad totidem annos elargiri velit [*]; quod ei Gregorius libenter gratificatur.

[*] Ibidem N 105.

LXXXVII. — Inveterata odia et discordiæ Januensium vixdum sedatæ, hoc anno iterum subortituræ videbantur; quare Gregorius per Legatum suum principes viros Januenses, penes quos summa erat rerum potestas, monet, ut ne quid detrimenti capiat eorum Respublica, sedulo caveant. Quam grato animo hæc Pontificis monita Januenses acceperint, ipsorum ad eundem litteræ ostendunt [*]

[*] Genua Vol 1. f 12.

Beatissimo Patri ac Domino Nostro.

Sanctissime et Beatissime Pater.

« Venit ad nos litterasque Sanctitatis Vestræ, sept. Cal. Martii datas, reddidit R. Joannes Franciscus Canobius, qui multa nobiscum egit, tum de perpetua Sanctitatis Vestræ in nos benevolentia, tum de Republica administranda, de pace tuenda, de civibus officio continendis. Et hæc ille sapienter quidem et perhumaniter, ita ut non solum illam, quam de Sanctitatis Vestræ protectione perceptam animo habebamus, opinionem plane confirmarit, verum etiam, si fieri potest, auxerit. Quæ res tantæ nobis fuit voluptati, quantum vix ullis verbis aperire queamus. Et quamvis nihil ejusmodi in nobis esse sciamus, quod ad id jure Sanctitas Vestra adducere debuerit; attamen non possumus isto benevolentiæ testimonio plurimum non delectari. Quare Sanctitati Vestræ gratias agimus immortales, et sibi persuadeat, velimus ita nos animatos esse, ut nihil ardentius ejus monitis, consiliis, præceptis amplexuri simus. Cæterum petimus, ut, quando nos sua sponte in firmiorem protectionem recepit, in ista voluntate atque animi inductione perseveret. Nos enim perficiemus, ne quod studium aut officium nostrum in colenda S. V. requiratur, quam ut salvam et incolumem nobis conservet, Deum præcamor, et cujus pedes osculamur. Genua vii. Idus Martii MDLXXVII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientis. et obsequentis. filii et servi

DUX ET GUBERNATORES REIPUBLICÆ GENUENSIS.

Cum autem quatuor fere post menses audisset Pontifex, longe abesse, ut odia inter Januenses extincta essent, quin magis in dies exardescerent, Duci et Gubernatoribus Reipublicæ significat, se, quando iniquissimi homines tot tantosque suos labores parvi penderent, et patriæ tranquillitatem non sine totius Italiæ discrimine perturbarent, graviora quidem remedia perfringendis eorum facinoribus adhibiturum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep. 39 fol. 387.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem et Apostolicam benedictionem. Nunquam putavimus vestræ Reipublicæ res post tam multos labores a Nobis, atque ab aliis Principibus tam amanter pro vestra salute susceptos eo perventuras, quo pervenisse ex gravissimorum hominum sermone cognovimus. Sic enim accepimus vestrorum civium inter ipsos odia non solum non esse extincta, sed magis ac magis exardescere, unde necesse est, certissimum istius Reipublicæ exitium expectari, neglectis ac violatis saluberrimis decretis, remotaque ea, quam servare magnopere oportebat, juris justitiæque æquabilitate. Volumus igitur vos monere per has literas, perque dilectum filium Robertum Fontanam utriusque nostræ Signaturæ Referendarium, ut his malis provideatis, sicque intelligatis, omnia vobis læta et prospera eventura esse observandis iis, quæ hactenus sunt decreta. Nos autem minime passuros, paucorum hominum factione atque odiis Italiæ quietem et tranquillitatem in discrimen adduci, quam si illi pro nihilo ducent, nec verebuntur omnia perturbare, modo alant odia, acerbitatemque suam exsaturent, inviti Nos quidem, sed tamen necessario ad graviora remedia perveniemus: sed meliora a vestra prudentia et pietate expectamus, speramusque vos et sanctissimarum legum, et nostræ voluntatis, et amplissimorum Principum auctoritatis, et quod caput est, vestræ salutis summam rationem habituros. Cætera ex Roberto ipso cognoscetis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Julii MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Si vero in vinculis quemdam civem perditum, qui nefariæ impiæque conjurationis particeps fuisset, haberent, multo facilius de conjuratione inquirere posse his litteris eos edocet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep 95. f. 290.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Semper Nobis molestissima acciderunt ea omnia, quibus vestram Rempublicam perturbari, ac violari cognovimus, nostramque hanc charitatem et summum desiderium istius Reipublicæ tranquillitatis, atque amplitudinis perspectum vobis esse gaudemus. Postquam autem comprehendistis civem illum, quem comprehendi summopere Reipublicæ interesse existimabatis, facilius poteritis de conjuratione inquirere, verumque invenire, inque seditiosos cives et turbulentos animadvertere, utque bonis et pacificis tuto vivere liceat, curare: universæ denique Reipu-

blicæ providere, quam quidem salvam, et florentissimam esse incredibiliter cupimus; utque esset, semper laboravimus, nec unquam defatigabimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septemb. MDLXXVII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXVIII. — Magnum Hierosolymitanorum hieromilitum Magistrum, ab suis obtrectatoribus calumniis impetitum, effusis in gratulationem litteris Gregorius solatur, quod facta per Cardinales de moribus institutisque ejus cognitione nullius noxiæ reus extiterit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. V. ep. 17. f. 316.

Dilecto Filio Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magno Magistro.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Facta Nobis per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales super visitatione Apostolica deputatos relatione processuum, et informationum per dilectum filium Petrum Businam Notarium nostrum alias pro nonnullis negociis in istam Insulam Melitensem destinatum receptorum, et habitorum, comperimus in Magistratus tui munere bene, et laudabiliter te gessisse, teque veritatem, et pietatem colere, jurisdictioni, et libertati Ecclesiasticæ favere, et imprimis in iis, quæ ad catholicæ fidei conservationem, et incrementum spectant, favorabilem te semper præstitisse, multa quoque, quæ de te, vel contra honorem tuum circumferebantur, non jure objecta, ac inania, et vana esse deprehendimus. Quare te commendatione nostra, dignum esse censuimus, teque ob fidem, et Religionem erga Deum, et obedientiam erga Nos, et Sedem Apostolicam, nec non propter promptum animum tuum ad jurisdictionem, libertatem, et alias res Ecclesiæ tuendas, et conservandas, prout hactenus te fecisse cum magna animi nostri satisfactione percepimus, et in futurum melius te facturum esse speramus, plurimum in Domino commendamus, hortantes te, ut usquequaque proficiens, de bono in melius, et de virtute in virtutem studeas ambulare, sed ne obtrectatorum linguis aures accomodes, et si quæ contra te dicta esse referantur, ex his profecto tuum honorem, existimationem, et famam in nihilo obscuratum esse, sed integrum, et illæsum apud Nos manere existimes, quin potius hæc ipsa te ad perseverandum in bono proposito, quod cœpisti, et ad alia hujusmodi bona opera alacriorem reddere debent. Itaque hilari animo et singulari benevolentia religiosos, reliquosque tui ordinis prosequens, te totum fidei Catholicæ asserendæ, et Religioni tuæ conservandæ ita incumbas, ut præmia vitæ æternæ a Deo, et a Nobis benedictionem, et a toto populo Christiano laudem consequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDLXXVII. Pontif. Nostri anno quinto.

LXXXIX. — Quæ hucusque de Gregorii gestis narravimus, magna quidem sunt, ac pene credibile, unum hominem tot tantasque res non animo solum agitare, sed et curis atque opera complecti potuisse; quæ tamen vastissimis fere Europæ finibus continentur, quibus animi ejus magnitudo haud circumscribi poterat. Adeo enimvero flagrabat prolatandæ fidei studio, ut nisi in dies nova populorum accessio ad Christi Ecclesiam fieret, quamvis cæteris omnibus satisfecisset, nunquam sui se voti compotem existimaret. Itaque Orientales circumspiciens regiones, simulatque eas vel sacrarum rerum ignorantia obtenebratas, vel diro græcanico et orientali schismate dilaceratas viderit, curas ac labores omnes eo intendit, ut miseros illos populos Catholicæ Doctrinæ radiis exhilararet, et in Christi domum reduceret. Quod ut fieret non ad exigui temporis vestigium, sed instituto opere, ad posteritatem usque remotissimam permansuro, Idibus Januariis Apostolico diplomate [*] Collegium Græcum in Urbe condidit; eique annuum satis amplum censum attribuit, ut in eo illius gentis juvenes omni pietate alerentur, et ad sacras litteras informarentur; qui optimis disciplinis institutisque imbuti, domum ad suos reversi, illuc doctrina Catholica inferenda erroribus schismatis irretitos solverent, libertateque filiorum Dei iis data ad suum veterem antiquioris urbis Romæ Patrem allicerent deducerentque.

[*] Extat in Bullar. Mag. Roman. T. IV. P. III. N. 63. p. 328.

XC. — Neque his contentus, Gregorius iis etiam applicuit animum, qui nullam orbis terrarum certam regionem incolunt, Judæi videlicet, quibuscum perpetui christiani nominis hostes, Turcas intelligas, adjunctos voluit. Itaque altero diplomate [*], suadente atque urgente imprimis S. Philippo Nerio, quem sacerdotes Congregationis Oratorii Parentem colunt, itidem Romæ Kal. Sept. Neophitis, idest ex Hebraismo et Islamismo ad sacra Christiana conversis, collegium erexit, amplis in annos redditibus assignatis.

[*] Extat in Bullar. Mag. Roman. T. IV. P. III. N. 73. p. 346.

XCI. — Petrus Maronitarum Patriarcha et Archimandrita monasterii B. Mariæ de Canubino ad Montem Libanum per litteras et Oratores, Georgium scilicet Episcopum et Clementem archipresbyterum, totius Cleri populique nomine nunciat Pontifici, se suosque in Romanæ Sedis potestate esse, quod est obedientiam præstare. Præterea ei quam maximas gratias agit pro iis, quæ sibi dono miserat, exponit ærumnosam Cleri et totius Maronitarum gentis conditionem, diramque in quam inciderint Turcarum tyrannidem: eum denique adprecatur, ut ad Ecclesias et monasteria Patriarchatus sui, a Turcis fere diruta et eversa, locoque prædæ habita, reficiendas atque suppellectili sacra instruendas pecuniarium subsidium mittere, et Clementem archipresbyterum, Oratorem suum, Episcopum creare et consecrare velit. [*]

[*] Mantissa document. N. 163.

XCII. — Cum et hoc anno Albanenses in Epiro crudeliter a Turcis excruciarentur, immanique dominatu exagitarentur, universa gens illa et totus Clerus ad Pontificem confugiunt, cumque omnibus precibus exorant, ut liberalitate sua eos prosequatur, subsidium mittat, quibus arma ad Turcas repellendos comparare possint. Ecce eorum supplex libellus. (*)

(*) Armar. VII capo II. N. 9.

Sanctissimo a Deo Concesso Supremo Papæ Antiquioris Romæ, Orphanorum Patri et Advenarum Consolatori.

Jesus ✠ Christus.

Sanctissime divinitus concesse Supreme Papa antiquioris Romæ, Pater orphanorum, et Consolator advenarum, qui ad te confugimus.

« Ex Epiro cognomento Chimara presbyteri, clerici, laici, et omnis nostra Respublica genuflectentes devote adoramus Sanctitatem Tuam. Notum tibi sit, Sanctissime Pater, quod ex antiquo tempore, postquam ad Deum migravit fortissimus, et serenissimus olim Rex noster Scandrebecus, cognomento Castriotes, nemo unquam alius, ne ipse quidem Christianæ fidei hostis tyrannus, atque impius Turca cum execrabili sua potentia et vi nos imperio suo subjicere potuit, nihilo minus tamen per singulos dies et horas non desinit nos vexare, atque assidue ita invadere, ut ad hanc usque diem multas calamitates, cladesque in pugnis, et captivitates passi sumus. Quin etiam nostram episcopalem ecclesiam ter captam incenderunt. Itaque nunc ad extremam redacti sumus necessitatem, nec habemus facultatem ullam pugnandi adversus hostes, aut episcopalem ædem instaurandi. Quandoquidem omnis nostra civitas et finitimæ regiones captæ sunt, ita ut subveniendi sibi, aut ecclesiis nullas habeant vires. Quam ob rem Gicus Nicolas et Georgius Coclas cives nostri veniunt ad Sanctitatem Tuam a nobis missi oratores, quos, precamur, ut participes faciat suæ benignitatis ac beneficientiæ, ita ut subsidium clementiæ vestræ assequentes, episcopalem domum instaurare, et arma, quibus impiis resistamus, comparare nobis possimus. Noli, Pater Bfise, nostræ petitioni deesse, neque auxilio destitutos nos esse patiaris: quoniam in alio spem nostram non reposuimus, nisi in unigenito Dei filio, cujus nomen præscripsimus, et in te, Sanctissime Pater, ut in ipsius Christi Vicario: quem suppliciter precamur, ut his nostris orationibus petitionem concedas. Dominus et Deus noster felicem et voti compotem diu conservet Sanctitatem Tuam. Ex Chimara, hoc est Epiro Albanitarum XII. Mensis Julii MDLXXVII.

S. Tuæ servi et famuli ex Epiro Albanitæ

PRESBYTERI, CLERICI, LAICI, ET OMNIS RESPUBLICA NOSTRA.

XCIII. — Illud insuper sapientissimi Gregorii mentem non fugit, quam ad rerum sacrarum ignorationem excutiendam, hæreses profligandas, schismatis tenebras expellendas, veritatem Catholicam asserendam ac propugnandam pertineret, si litterarum studia promoverentur, doctique viri accerserentur et foverentur et lautius aleretur. Cum horum igitur utrumque aggredi e re Christiana et sua dignitate esse optime animadvertisset, persuasum sibi erat, efficere, ut scripta veterum Sanctorum Patrum, Græcorum præsertim, aut emendatiora in vulgus ederentur, aut quæ adhuc in Bibliothecarum pluteis situ ac pulvere obsita laterent, in medium proferrentur, et typis exenderentur. Quod ut quam diligentissime fieret, viros tum ecclesiasticos tum laicos litterarum fama illustres maxime ex Italia Romam evocare cogitabat: cumque intelligeret, plerumque homines haud magna conari, nisi majoribus propositis præmiis, amplissimis eos stipendiis ornaturus erat, ut in id operis incumberent, in eoque diu noctuque unice versarentur. Nemo inter doctos viros hoc sapientissimum, et omnium ore litterisque commendatum consilium adeo ingenti ac prope gestienti lætitia prosequutus est, quam Petrus ille Victorius Florentinus, cui Respublica litteraria inter Græcarum Musarum instauratores facile principem locum decrevit. En tanti viri hac de re ad Gregorium, litteras nescio, an orationem appellem. (*)

(*) Scritture e Notificazioni di Gregorio XIII. Vol. XIV. f. 468.

Sanctissimo Patri Gregorio XIII. Pontifici Maximo

Petrus Victorius.

« Non primum nunc audivi egregium animum Sanctitatis Tuæ, voluntatemque optimam erga humaniora studia, gavisusque magnopere sum nuntio illo: quis enim non valde lætetur, deditus honestis artibus, amansque ex animo fœtus musarum, cum accipit graves personas, et quæ potestatem summam in terris adeptæ sunt, favere litteris et operam dare, ut quantum per majores ipsorum curas, administrationemque proprii præstantis muneris concessum est illis, producant longius ingenuas artes, opemque ipsis pereuntibus, nisi sedulo subveniatur, ferant? In primis igitur sapientia tua, Beatissime, hac quoque de causa, laude hac digna est, vincitque cæteros omnes omnis ordinis ac loci, qui has salutares cogitationes aliquando susceperunt, laborantque non nihil, ut ab interitu ipsas revocarent. Relictis autem nunc aliis rationibus ac viis, quibus profuisti non parum huic consilio, quis non videt, quantum valeat ad id adjuvandum, et ad exitum perducendum, quod curasti, ut Græcus sermo ille antiquus atque eruditus, a pueris, et propriis ejus gentis, et alienigenis perdisceretur, collegio ipsis erecto, et omnibus rebus instructo atque ornato, quæ requiruntur ad tam eximium opus absolvendum? intelligebas enim, nisi spes tua te frustra-

ta esset, quod vix fieri potest, cum tam recte ordineque cuncta gesta sint, futurum prorsus, ut inde prodirent homines doctissimi, et qui studio diligentiaque sua auxilii non parum ferrent Christianæ pietati, verisque atque integris ipsius sententiis et decretis, et declarando aliis, quæ Græci eloquentissimi et sapientissimi viri de optimo cultu Dei nostri scripta reliquerunt, et monimenta eorum in latinum sermonem fideliter vertendo, ut a multo pluribus percipi et cognosci possint. Quis enim dubitat, quin vetus illa Græcia, postquam inanem suam religionem, et maximorum errorum plenam repudiavit, totamque se convertit ad purum gravemque Christi cultum auctoris humanæ salutis, ornavit plurimum acumine ingenii sui, et incredibili facultate dicendi, cui arti prius toto animo incubuerat, in eaque ipsa supra cæteras omnes gentes se extulerat, novos ritus, et cœlitus delapsam disciplinam? Accessit huic optimo, ac divinissimo instituto S. tuæ, alterum et ipsum magna laude dignum: quodque eosdem fructus parit: junctumque aliquo modo est cum superiore, quod scripta nostrorum theologorum, quæ adhuc in lucem non prodierant, sed, tenebris involuta, vitio et carie corrumpebantur, sive mendose venibant, studuit ut divulgarentur, et formis politioribus excuderentur, atque ita ab omni injuria temporis periculoque extinctionis soluta ac libera forent, qui plurimi variique casus huic nobili thesauro, relicto nobis a veteribus optimis ingeniis cum magno ipsorum sudore ac vigiliis infinitis, impendent. Satis notum est libros complures refertos eleganti, atque utili doctrina inscitia superioris ætatis, miseriaque eorum sæculorum, ad unum tantum exemplar olim pervenisse: quod si et ipsum periisset, quod pæne factum fuit, fructu omni earum vigiliarum caruissemus: non enim opus est commemorare, quot damna accepta sint a nobis jactura penitus facta maximorum scriptorum: neminem enim fallit, incommodumque hoc sæpe deploratur a cunctis mortalibus, qui omnino non sunt aversi ab optimis studiis. Quare qui remedium adhibent huic sævo malo, pro viribusque nituntur ne hujuscemodi aliquid contingat, infinita profecto laude digni sunt: beneque merentur de genere humano: pellent enim vacuitatem honestarum Artium e pectoribus mortalium: nec sinunt eo penetrare, gravissimum omnium malorum, ignorationem utilium vitæ nostræ rerum; qui autem facilius possunt obstruere viam huic cladi, nec pati, ut ulterius progrediatur tanta pestis optimorum auctorum, majore gloria digni sunt, si sedulo enixeque hoc faciunt. Quod tua summa prudentia, divinumque in omnibus factis consilium, in primis moliri atque efficere non desinit, nec nova sane atque inaudita hæc cura est in ista gravissima persona, quam geris: Leo quoque enim, ut erat excelso animo præditus, studiosusque cunctarum rerum, quæ juvarent mortales, in Quirinali colle scholam græcam constituit, et veteres quosdam scriptores, fugientes e manibus, liberalitate sua ad lucem vitamque retraxit; veluti etiam priorem melioremque partem prudentis gravisque historiarum auctoris Cornelii Taciti, qui hodie tanto in honore pretioque merito habetur. Sunt aliæ quidem majores dotes in vita institutisque tuis, quas non deerunt, qui ferant in cœlum summis laudibus. Quod facile vereque facere poterunt, quemadmodum facilitas morum, integritas vitæ, juris civilis scientia singularis, prudentia in administranda republica christiana, studium communis pacis ac concordiæ in animis regum ac populorum in fide retinendis, innocentia, clementiaque admirabilis: quæ virtus in primis convenire videtur isti divinissimæ personæ, imitatrixque est atque æmula ejus, unde fluxit nostra salus ac vita; ille enim semper exemplo sui, mansuetudineque, dum mansit in terris, vitamque mortalem coluit, studuit corrigere atque emendare errata hominum ac culpas, non nimia severitate atque acerbitate suppliciorum. Verum hæc, ut dixi, alii celebrabunt, monimentisque litterarum tradent: ego, qui mansuetiores musas colui, versatusque sum toto animo in studiis sapientiæ, partem mihi hanc commendandam sumpsi, e multis virtutibus, honestisque factis, quæ in te lucent, splendorisque ac dignitatis plena sunt. Tanta autem est voluptas, quam capio, cum audio operam dari ab opulentis fortunatisque hominibus huic laudi, tantoque amore flagro juvandi scripta optimorum ingeniorum, quæ relicta nobis sunt a veteribus et Græcis et Latinis hominibus, ut nisi longa ætas obstaret, senectusque gravis me premeret, simulque nisi deberem præsto esse omni tempore commodis ac voluntati nostri Magni Ducis, Principis optimi, meique amantissimi, qui studia mea semper fovit, ac liberaliter in omni re me tractavit, diligentiam studiumque meum oblaturus fuerim huic præstanti operi, quo semper delectatus sum, et in quo diu me exercui, non sine fructu, ut arbitror, aliquo piorum gravissimorum scriptorum. Sed non desunt Romæ docti et accurati viri, qui laudi huic tuæ gloriæque servient, quales plures nominare possem, si opus esset: quare cum omnia prompta et parata habeas, quæ requiruntur in tam præclaro munere obeundo, perge tueri, ornareque honestas artes: et qua una ratione id fieri potest, in vita luceque retine veteres bonos auctores, qui tota vita sua laborarunt, vigiliisque plurimis conflictati sunt, ut posteris prodessent, moresque eorum et ingenia expolirent. Florentiæ pridie Kalendas Decembris CIƆIƆLXXVII.

AN. J. CHRISTI 1578. GREGORII PP. XIII. - 7. RUDOLPHI II. IMP. - 3.

I. — Protestantes ex Archiducatu Austriæ ita animos extulerunt, eoque audaciæ progressi sunt, ut, cum sibi per leges solummodo in privatis domibus, in Nobilium pagis et castellis suæ religionis cultu externo uti liceret, majora sibi jura asseruerint, latiusque extenderint. Qua in re adeo sibi fidebant, ut contenderent et cæteris persuadere se posse censerent, sibi a Maximiliano Cæsare facultatem factam fuisse, non modo religionem suam publice quibuslibet in locis profitendi, sed in palatiis etiam oppidorum, quæ communalia vulgo nuncupantur, scholas publicas instituendi. Qua fiducia, vel potius audacia freti eorum ministri seu, ut vocant, Prædicantes in ipsa Imperiali sede Vindobonæ et in urbano palatio publicas suis asseclis conciones habere, ac cætera, quæ cultum spectarent, publice usurpare, atque ludimagistros, qui suos docerent juvenes, constituere non dubitaverunt. Quæ cum legibus, superioribus annis editis, adversarentur, Rudolphus decreto xi. Kal. Jul. promulgato, omni publico religiosi cultus exercitio Protestantibus interdixit, concionatoribus, nec non ludimagistris ipsis Vindobona exulare jussis: quos inter famosum illum Opitium, jam priori anno exilio mulctatum, ex provinciis Austriacis re coegit excedere. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 687.

« Romana Cæsarea Majestas Rudolphus II. Dei gratia Hungariæ ac Bohemiæ Rex et Archidux Austriæ, Dñus Noster Clementissimus, Equitibus auratis, cæterisque nobilibus ac Dñis Augustanæ Confessioni addictis infra Onasum Archiducatus Austriæ, clementer hæc indicari jubet.

« In memoria utique recenti tenent, quo pacto elapso tempore, dum Majestati Suæ fidem publico juramento darent, pro confirmatione religionis suæ ab amantissimo S. C. Majestatis piæ memoriæ parente obtentæ et concessæ, apud S. Majestatem institerint.

« Neque eosdem latet, quibus justis de causis S. Majestas mota, generalem hanc confirmationem, quæ omnes ordines et status concernit, hactenus distulerit, cum hæc prædicta religionis permissio duobus tantum statibus privatis ac particularibus facta sit. Nihilominus tamen oretenus atque literis clementer se obtulit, ut quantum hanc suæ religionis concessionem generali confirmationi inserere nequeat: ita eandem his duobus ordinibus adimere aut penitus tollere non lubeat in animo.

« Quemadmodum vero hisce Majestatis Suæ pollicitationibus prædicti duo ordines tum temporis optime contenti fuere: ita in Suæ Majestatis mentem ac cogitationem nihil aliud incidit, quam suis usque stare ac satisfacere promissis.

« Verum postquam S. C. M. ejusdem concessionis scripta diligenter revolvit, hujusmodi exercitium concionum atque scholarum ab his duobus ordinibus Augustanæ confessionis in hac S. Cæsareæ Majestatis urbe hæreditaria, primo in æde sui Consiliarii ac Marescalci Austriæ, tum in domo provincialium S. Majestatis privilegiis donata institutum, hucusque excultum, latiusque propagatum, literæ et sensui illius plane contrarium esse deprehendit. Cum in ea cessione et hujus assecuratione (ut vulgo dicitur)

de tali exercitiu sic in civitate aut in æde tum Marscalci tum Provincialium instituendo ne verbuli quidem unius mentio fiat; sed hoc potius expresse dicatur, ut tantum his duobus ordinibus propter assiduas illorum preces ex mera gratia Confessio Augustana certo modo suis in arcibus, pagis, domibus et oppidis in Austria et extra S. C. Majestatis urbes et ditiones pro se suisque in illorum templis concessa sit.

« Neque hosce duos status fugit, eorum concionatorum tum ludimoderatorum non unum tantum, sed et plures, partim ab aliis locis in Imperio Rumano ob pravam illorum doctrinam et vitam expulsos, in hac S. C. Majestatis urbe apud cives inquilinos et advenas, in domibus et plateis absque omni jurisdictione et venia parentis Suæ Majestatis, piæ memoriæ dilectissimi, munus et officium totius Ecclesiæ, tum animarum curam arroganter sibi assumpsisse. Quos et in vita sua eadem S. Cæsarea Majestas Maximilianus inclytæ memoriæ intolerabiles et dimittendos esse cunctis Imperii ordinibus insinuavit.

« Quare enm nemo sibi plus, quam concessio et assecuratio in se continet, merito debeat arrogare, nec S. M. ad majora, quam sibi duo ordines petiverunt, et quæ tum temporis summa cum ipsorum gratiarum actione concessa sunt, astringatur, hæc, cum Sua Majestas tanquam Dominus atque Archidux Austriæ sine medio, in sua præsertim regione tantam mandandi potestatem habeat, quam ipsi duo ordines in suis arcibus, pagis et oppidis, istam ob causam S. M. propter hujus exercitii propagationem et ejusdem scripti tenorem a Suæ Majestatis parente Maximiliano traditi, omni remota injuria, per suæ religionis studium abolere et antiquare potuisset.

« Ut vero hi duo ordines, omnes alii Suæ Majestatis benevolam ac paternam voluntatem experiantur, propria persona hoc illis indicare jussit, sibi de illis tantum polliceri, secundum loci suique Archiducatus instituta, et adeptæ illorum concessionis modum et formulam se gesturos.

« Quam graviter vero hoc tulerint, et quomodo illorum concionatores et ludimoderatores ubique se ostenderint, quam benevolo animo etiam Sua Majestas omnem illorum necessitatem et plura quam debebat lubens audiverit, non ignorant.

« Sua itaque Majestas omnem illorum necessitatem distinctis temporibus summa diligentia audivit, et testatur Deum atque conscientiam, se nihil aliud nisi divinam æquitatem et justitiam, quorum rationem coram Deo redditura est, in illis respexisse. Verum nequicquam eorum, quæ duo ordines probare pollicitabantur, (ut nempe illis tale exercitium concionum et scholarum a Suæ Majestatis parente amantissimo in domo provincialium unquam concessum fuisset) attulerunt, sed prorsus contrarium, ut eadem S. C. Majestas Maximilianus non permittendum, neque unquam concedendum judicaverit. Hinc maturo et bono consilio non melius se resolvere, totamque rem commodius decidere potest, quam ut in hac Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditaria civitate Vienna, in domo provincialium nova instituta religio cum scholarum exercitio penitus aboleatur, simul et Opitius cum suis assedis et coadjutoribus eliminetur.

« Sin vero hi duo ordines oretenus quicquam hisce de rebus tractare et concludere volunt, petitis ad eam rem Consiliariis Suæ Majestatis intimis pro sua innata clementia etiam permittit, et ut majorem erga eos animum et benevolentiam Suæ Majestatis experiantur, insuper hoc clementer admittit, si hæc religionis suæ (quam S. M. ferre non poterat) in domo provincialium abolitio hic Viennæ degentibus intolerabilis videbitur propter Sacramentorum administrationem sublatam, hanc, imo et aliquid amplius (modo pro se suisque) in proxima provincialium congregatione proponant, neque si sermones hisce de rebus collati S. Majestati displicebunt, imo tantum concessurum annuit, ut ea omnia, quæ literis parentis comprehensa, habituri sint.

« Sin vero his non contenti, sed et cives et advenas ad eandem religionem sectandam polliceri, et S. Majestati in dimittendis concionatoribus modum præscribere vellent, cum tamen hi duo ordines prius declararint manifeste, modernorum concionatorum ejectionem, tum ludimoderatorum sibi nequaquam adversari, Suæ vero Majestatis declarata sit sæpenumero voluntas, indulgentia in petitis et patientia, tum multiplex et varia adhortatio in luce clarissima versetur, tam clemens et benignus erga illos semper fuerit, ut majora quam fecit præstare vix illis potuerit, S. M. in spem venit, ab istis articulis duobus hosce ordines recessuros.

« Verum his omnibus spretis, cum in iis perseverarint contra illorum quidem conscientiam, nec suis hisce de rebus rationem ullam reddere possint, quam omnia ante acta suorum colpa rescissa fuerunt, S. Majestas tanquam Dominus et Archidux provinciæ clementer, benigne ac finaliter se resolvit, se ob eadem Cæsarea et Archiducalia jura, piam et christianam conscientiam, et potestatem in hac sua ditione adeptam, tum Opitium, suos comilitones et coadjutores, tum etiam scholas erectas, tum exercitium in domum provincialium introductum in hac civitate Vienna amplius ferre non posse. Quamobrem absque mora omnia hæc tollantur, Opitius cum suis ante solis occasum e civitate egrediatur, et infra dies 14. in Suæ Majestatis regioni-

bus ac provinciis se deprehendi non sinat: ludimoderator vero civitate nostra se abdicet.

« Praelictis vero duobus ordinibus S. C. M. imperat, huic ultimae resolutioni et exercitii totius, tum concionum sublationi ut pareant, et in hoc magistratui humiliter subjaceant, nec illi sese opponant, quod M. S. juxta formulam juramenti de illis sibi persuadet. Et haec est ultima S. Majestatis voluntas. Decretum per Imperatorem XXI. Junii anno MDLXXVIII.

II. — Qua de re Gregorius mirifice gratulatur Caesari, meritas laudes tribuit, spemque exprimit, cum in incepto perstaturum. [*]

[*] Reg Gregorii XIII. An VII. ep. 73. f. 10.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariae et Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Postquam accepimus Majestatem Tuam decrevisse Ministros haereticos Vienna, atque aliis ex locis patrimonii tui pellere, nihil longius habuimus, quam dum id perfectum esse intelligeremus; nihil enim videbamus posse fieri Deo acceptius, tua gloria dignius, Catholicae Ecclesiae fructuosius, bonis omnibus optatius, populis ipsis privatim publiceque salutarius; evertit enim haec pestis infensissima orthodoxam fidem, virtutesque omnes, quarum comprehensione et cultu vitae sanctitas, certissimaque spes sempiternae beatitudinis continetur. Maxime vero sollicitos atque anxios Nos habebant fraudes Sathanae; verebamur enim, ne quod gravius impedimentum in ipso initio opponeret. Nunc autem certiores facti, suscepisse jam te, et ex parte etiam executum id, quod optimo consilio cogitasti, immortales Divinae bonitati gratias agimus, teque omni laude dignum judicamus, rogamusque, ut quod tanta cum gloria suscepisti, magno etiam animo persequaris, nec nisi perfecta re conquiescas. Malorum vero odiis, quibus id molestum accidere intelligis, terreri nulla ratio est: habes enim certissimum pignus coelestis praesidii, istam ipsam nimirum tam praeclaram voluntatem. Idem enim Deus, ut ait Apostolus, operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate, neque deerit tuis conatibus is, quem eorum ipsorum habes cum auctorem tum finem; certas enim Catholicae Religionis atque animarum salutis, hoc est Dei ipsius gloriae causam. Is igitur Tuae Majestati aderit, neque suam causam destituet, sceleratorumque hominum superbiam, et capita ipsa confringet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

III. — Apostolicus apud Caesarem Nuntius nec non Archiepiscopus Pragensis in spem venerunt, fore, ut ii, qui primigenam Joannis Hussii doctrinam sequerentur, quique prout anno MDLXXV. narratum est, vaferrimis Protestantium artibus, sibi illos adjungere conantium, sese capi et irretiri non caverant, in Ecclesiae Catholicae sinum se reciperent. Quamobrem Gregorius Caesarem hortatur, ut Nuntium Apostolicum ac Pragensem Praesulem adjuvet, qui cum quinque ex Clero spectatissimis viris in hoc sanctissimum opus pro virili parte incumbebant, quo ejus auctoritate tanti momenti res conficeretur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII An VII ep. 186. f. 123.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rudolpho Hungariae et Bohemiae Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti sumus, Nuncium nostrum una cum nonnullis aliis Dei gloriae studiosissimis laborare de certis Hussitis ad Catholicam Ecclesiam revocandis, hoc est, ex certissimo naufragio eripiendis atque ad tutissimum portum salutis perducendis. Nihil unquam libentius audivimus, nihilque Tuae Majestati optatius fieri posse certum habemus. Et quamquam non dubitamus, quin hunc conatum sis tua auctoritate atque opera juvaturus: quia tamen nihil est, quod tantopere cupiamus, cogimur id facere, quod quidem minime opus esse intelligimus, ut Tuam Majestatem rogemus, ut hoc negocium suscipias eo studio, quod Nobis pollicetur tua pietas praestantissima; nihil enim est, quod possit fieri populis illis ad salutem praestantius, ad tranquillitatem accommodatius, nihil Catholicae Ecclesiae ad laetitiam majus, nihil tuae gloriae ad immortalitatem illustrius, nihil ad Divinam gratiam promerendam summae Dei bonitati acceptius. Caetera ex Nuncio nostro cognoscet Majestas Tua, cupimus, ut ejus verbis fidem tribuat. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Decembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

IV. — Mortuo Thoma Albino, Episcopo Olomucensi, Canonici illius Ecclesiae in eligendo Episcopo contrariis inter se studiis ac simultatibus contendebant, instigantibus sane et discordias consulto serentibus Petro Illicinio et Joanne Philipponio: iidem qui jam antea [*] in electione defuncti Episcopi tot et tanta dissidia excitaverant. Caesar hac de re, ut ejus pater Maximilianus in similibus egerat negotiis, Pontificem exoravit, ut illos perturbatores coerceret, suoque judicio finem dissidiis imponeret. Proponit etiam, quae hoc in negotio facienda, ita tamen ut fateatur harum controversiarum judicium ad Apostolicae Sedis auctoritatem pleno jure spectare. [*]

[*] Vide an. 1571 §. III. et IV.

[*] Lit Principum Vol. 35 fol. 26.

Beatissime in Christo Pater et Dñe Rñe.

Post humilem commendationem filialis observatiæ continuum incrementum Sanctitatis Vestræ in primis optamus.

« Egimus superiore tempore cum Reverendissimo in Christo Patre Dño Ludovico S.R.E. et titulo S. Onophrii presbytero Cardinale Madrucio, electo et confirmato in Episcopum Tridentinum, Principe et amico nostro charissimo, de Rñi Antonii Archiepiscopi Pragensis, et Bernardi Baronis Bruntolii postolatione in Episcopum Olomucensem; propterquam utrinque exortæ sunt dissentiones, ut rem ad Sanctitatem Vestram deferret. Cum itaque nonnullorum ejus Collegii Canonicorum, potissimum vero Petri Illicinio et Joannis Philoponi in emolumentum privatum studia non obscure appareant, ut qui arbitratu suo Episcopum isti Ecclesiæ cum præfici cupiunt, cujus nutu rei summam administrarent, et commodum suum procurarent: vel ex eo aliisque circumstantiis rerum gestarum facile colligi potest, in his postulationibus contra sacros canones commissum esse, ut Sanctitas Vestra ex ipso processu his nostris litteris adjuncto liquido cognoscet. Proinde scimus Imperatorem Maximilianum parentem nostrum charissimum, memoriæ augustissimæ, in simili pene casu, qui superioribus annis in eadem Ecclesia obtigit, litem dirimendam ad Sanctitatis Vestræ cognitionem rejecisse. Atque cum ad nos potissimum spectet, pacis ac tranquillitatis ducere rationem, Ecclesiæque incolumitati studere, petimus a Sanctitate Vestra pro nostro in eam filiali amore et observantia, velit ea paterne cogitare, quibus remediis diuturnis his dissidiis et mutuis Canonicorum simultatibus finis imponatur; utque remotis primum supranominatis publicæ concordiæ perturbatoribus, quos ab electione et communibus suffragiis arceri debere (salvo Sedis Vestræ judicio meliore) arbitramur, ii omnes, qui designandi Episcopi habent jus et facultatem, ad diem certum scrutinii conveniant legitime, et novam electionem instituant: sicque omnia recto ordine, quem S. V. Nuntio suo in aula nostra, ut is negotium diligentius expediat, noverit paterne mandare, succedant, et discordiarum rixarumque tollatur quævis occasio, et periclitantis ipsius Ecclesiæ consulatur incolumitati. Indignum enim esse censemus, duorum Presbyterorum rei in hoc negotio privatæ dantium operam conatu, publico bono neglecto, Ecclesiam cum jactura tamdiu Episcopo destitui. Quod quidem Sanctitatis Vestræ officium, Deo inprimis gratum, nos omni nostra in eam observantia filiali promerebimur, cui nos reverenter offerrimus et obsequiose commendamus. Regia nostra Praga 22. die mensis Novembris anno Dñi 1578. Regnorum nostrorum Romanorum et Imperii quarto, Hungariæ septimo, Bohemiæ vero quarto.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Obsequens filius

Rudolphus.

V. — Pilsnenses Catholicos in Bohemia, a Protestantibus atque Hussitis ob avitam fidem plurima graviaque incommoda perpessos, Gregorius et per litteras et per Antonium Possevinum e Societate Jesu, qui iter in Sveciam parabat, solatur, eorumque in fide Catholica retinenda constantiam laudat. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 175. f. 118.

Dilectis Filiis Civibus et Populo Nobilis et Catholicæ Civitatis Pilsnensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis necessaria est ad salutem fides, quoque verius est illud Apostoli, sine fide impossibile est placere Deo, eo dolendum est magis, tam multos homines Sathanæ fraude ab ea abduci, cumque fides plus una esse non possit, nec ea alibi, quam in Catholica Ecclesia reperiri, tamen miseros ant novas ipsos sibi fides configere, aut ab aliis hæreticis confictas sequi, neque sua tantum pernicie contentos esse, sed laborare, ut alios etiam ad suum interitum adjungant, Catholicamque fidem, quaotum quidem in ipsis sit, evertant. Sed non potest veritas mentiri: Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Illorum igitur cæcitas atque interitus lugendus est homini christiana charitate prædito, dolendumque iis procellis, quas in Petri naviculam, quæ Catholica Ecclesia est, excitare non desinunt; sed simul etiam immortales gratiæ agendæ sunt Divinæ bonitati, quæ dum patitur suos hoc pacto exerceri, parat eorum virtuti et in Catholica fide retinenda constantiæ præmia sempiterna. Hujus vos constantiæ et pietatis semper laude excelluisse, inque tanta perditorum hominum, et tam vicina lue nunquam a Catholica fide discessisse, neque ut curvaretis genua ante Baal ulla unquam vi adduci potuisse; vestramque gloriam et salutem in fidei synceritate retinenda semper sitam putasse, hodieque eadem voluntate esse, neque dubitare sanguinem ipsum, si ita opus sit, pro Catholica veritate profundere; voluisse etiam in templo ipso extare majorum vestrorum in Witcheffitarum atque Hussitarum monstris ab ista civitate et mœniis propolsandis æternum virtutis monumentum, illis quidem ad gloriam, vobis vero, universæque posteritati ad exemplum propositum; agnoscere etiam et profiteri, istam tam præclaram voluntatem Divinæ in vos benignitatis munus esse, eamque beatissimorum patronorum vestrorum Nicolai et Viti precibus obtinuisse; hoc, inquam, vestro tam certo, tamque excellenti bono incredibiliter lætati sumus. Narravit Nobis hæc omnia dilectus filius Anto-

nius Possevinus, cujus fidem, prudentiam, modestiam, pietatem, doctrinam, et Dei gloriæ zelum semper plurimi fecimus. Immensæ igitur bonitati Dei gratias egimus, quantas potuimus maximas, vosque ut filios in Christo charissimos atque optimos amplexi sumus, semperque in corde habebimus, neque ulla in re vobis deerimus, quantumque apud Catholicos Principes auctoritate atque opera poterimus, semper vestræ incolumitati monendo, hortando, rogando inserviemus, efficiemusque, ut nullum a vobis amantissimi parentis officium desiderari possit. Cætera ex Possevino ipso cognoscetis, omnibusque in rebus summam ei fidem tribuetis: est enim vestri studiosissimus, neque satiari potest vestra pietate prædicanda. Datum Romæ apud S. Petrum die prima Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Paternis quoque verbis Magistratus hujus civitatis alloquitur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 179. f. 120.

Dilectis Filiis Consuli et Senatoribus Nobilis et Catholicæ Civitatis Pilsnensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Reddidit Nobis vestras literas delectus filius Antonius Possevinus, narravitque, quanta cura et studio Catholicam fidem tueamini, quamque fortiter Christi hostium conatus propulsetis, utque citius extrema omnia sustinere parati sitis, quam Christi causam prodere, traditamque a majoribus vestris, constantissimeque a vobis retentam laudem abjicere; quantum etiam in vobis atque in vestra civitate præsidii sit Catholicis omnibus adversus impiorum hominum injurias. Accepimus hæc omnia cum eo gaudio, quod vobis afferre debuit Christi gloria, quam ut semper propositam haberemus, eique inserviremus, idem Dñus Nos huic muneri præesse voluit. Et quanquam certo scimus, Dei charitatem omnes labores vobis jucundissimos reddere, tamen curabimus, quantum quidem in Nobis erit, omnes injurias dimoveri, quantumque apud Catholicos Principes auctoritate atque opera præstare Nos posse intelligemus, vobis debere profitemur. Interim fortiter sustinete. Est enim Catholicis omnibus propositus cursus magnus ille quidem, sed præmium longe maximum. Ego enim, inquit Deus, protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Cavendum autem magnopere est, ne dum totum simul spatium aspicimus, deterreamur, atque a proposita spe et præmio decidamus. Scripsimus fusius ad vestros cives, eas literas vobis quoque communes esse volumus; quo etiam in his breviores sumus. Cætera ex dilecto filio Antonio Possevino intelligetis, eique omnibus in rebus summam fidem tribuetis; est enim vestri studiosissimus, Nobisque propter pietatem, doctrinam, modestiam et Dei gloriæ zelum charissimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

VI. — Mulhusienses quoque Catholici in Thuringia, a Protestantibus suis civibus iniquum prorsus in modum vexati, et gravissimis damnis quotidie affecti, supplices ad Pontificem confugiunt. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 61.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio XIII. Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Pontifici Max. Domino Nostro Clementissimo.

Beatissime Pater.

Post pedum oscula beatorum.

« Civitas est Imperialis et libera in Thuringia nomine Mulhusium Moguntinæ diœcesis, in qua cum non pauci sint Catholici cives, hæretici Confessionis Augustanæ protestantes omnia illis templa eripuerunt, sacrasque conciones, divinaque officia prohibuerunt, quibus rebus necdum contenti, etiam iniquis exactionibus et molestiis pios cives quotidie gravare non desinunt, ut afflictionibus hisce tædio affecti, vel ad hæresim deficiunt, vel patria relicta in exilio vivant. Jus constituendi pastorem est penes Ordinem Dominorum Teuthonicorum, sed quia Commendator proximus ad hæresim delapsus est, plus detrimenti quam commode ab eo Ordine experimur. Quamobrem Catholici istius nostræ civitatis cives supplicant Sanctitati Vestræ, ut ipsis paterno favore et auxilio subvenire dignetur, literisque suis Magistrum Teuthonicum istius tam gravis defectus monere, non gravetur quoque ad Cæsarem Majestatem literas dare, ut eo Reverendissimum Archiepiscopum Moguntinum ad perficienda, quæ ipsi commissa fuerunt, urgeat. Siquidem Cæsarea Majestas Rñum Archiepiscopum nostrum istius rei conficiendæ Commissarium suum constituit; sed nihil interea auxilii experti videmur. Misimus ad Illustrissimum Cardinalem Moronum uberiorem instructionem, cui etiam Ratisponæ plene omne negotium exposuimus. Christus Dominus Noster S. V. Ecclesiæ suæ diu servet incolumem. Datæ primo Julii anno ab incarnatione Jesu Christi 1578.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi servi
JOANNES KOCH,
BARTOLOMEUS KEFFERHAUSEN,
nostro et cæterorum Catholicorum
Civium Mulhusensium nomine.

VII. — Gregorius eorum postulatis mox satisfecit, nuntiatque, se eorum res Moguntino Præsuli et Magistro Theutonico, quorum jurisdictioni suberant, nec non ipsi Cæsari quam maxime commendare. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 182. f. 66.

Dilectis Filiis Joanni Koch, Bartholomæo Kefferhausenio, et cæteris Catholicis Civibus Mulhusensibus.

catus es, funditus evertendum, ad Dei indignationem atqoe iracundiam provocandam: revelatur enim ira de cœlo supra omnem pietatem: horrendum vero est incidere in manns Dei viveotis. Hæc si ita sunt, angimur sane intimis sensibus, Nobilitatem Tuam a perpetua majorum suorum laude atque ab ea spe, quam Catholica Ecclesia in tua virtute repositam habebat, tam graviter decidisse: dolemus rei exitum; quid enim aliud expectandnm est, quam nt abjecta fide Catholica res ad idolatriam redeat? dolemus istius nobilissimæ provinciæ eversionem, quam mente jam atque animo prospicimus; idem enim est noster et patrum nostrorum Deus: ille vero gravissime semper ultus est hominum impietatem a vera religione ad falsam desciscentium, nec civitatibus, aut regnis pepercit, nationesque ipsas durissimæ hostium suorum servituti subjecit: plena exemplorum sunt sacra veteris legis volumina, quod si tam severus tum fuit Deus, quid hoc tempore expectandum est, post æterni Verbi, filiique sui ad Nos missionem, nostræ naturæ assumptionem, mortis acerbissimæ perpessionem, post tot et tanta beneficia numero infinita, magnitudine inæstimabilia? dolemus denique tam gravem tot animarum Christi ipsius sanguine redemptarum interitum, tantamque ejus gloriæ, quæ hujus ipsius sanguinis fructu continetur, jactnram. Horum autem meliorum omnium tibi imprimis reddenda ratio erit, si quidem sunt vera ea, quæ Nobis nunciata sunt: eadem enim pœna manet eos, qui malum aliquod committunt, quique, cum possint, committentibus non resistunt: nec quicquam magis monent sancti Patres, quam ut hæreticorum pestis a civitatibus, eque Catholicorum hominum cœtu pellatur; gravissimeqne comminatur Dominus Antistiti Ecclesiæ Pergamensis, quod pateretur, in Ecclesia illa esse Nicolaitas, hortaturque eum ad pœnitentiam. Nos item hortamur Nobilitatem Tuam, nt et præterita doleas, et quidquid hactenus adversus Religionem factum, concessumque est, rescindas, nec amplius conniveas, neque tam execrandam pestem tuis in locis consistere patiaris. Conare modo, spemque omnem in Domino repone, aderit ille suæ causæ virtutique tuæ, ingentesque, si forte consurgent, hostium copias parva, ut consuevit, manu fugabit delebitque. Hoc a te postulant clarissima majorum tuorum mooimenta, tua ipsius gloria, Catholicæ Matris Ecclesiæ lachrymæ, Christi patris nostri vulnera et sanguis. Cætera ex venerabili fratre Feliciano Episcopo Scalensi Nuntio nostro accipies, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Maji MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

IX. — Libertate sane mira et viro apostolico digna Episcopus Scalensis Carolum Archiducem in hoc negotio alloquebatur. Quis sine admiratione legat, quæ de colloquiis cum eodem circa res fidei habitis quam diligentissime ad Summum Pontificem scribit. [*]

[*] Germania Vol 120. fol 237.

Instructio rerum actarum in Ditionibus Serenissimi Archiducis Caroli.

«Quæ acta sunt per me F. Felicianum Episcopum Scalensem etc. a die xxx. Maji, qua Venetiis profectus sum, usque ad xxvi. Junii, qua Grætio discessi.

« Venetiis profectus appuli Grætium die XIII. Junii. Substiti enim in itinere aliquot in locis apud Catholicus mihi cognitos, ad accipiendam inforoıationem de negotiis Comitatus Goriciensis et Comitiorum Muræpontanorum, et id genus aliis, ut ad Serenissimi Archiducis Caroli conspectum de rebus omnibus bene instructus venirem.

« De Comitatu Goriciensi hoc habui, quod de immutatione religionis nihil esset periculi; esse tamen Goriciæ quosdam paucos hæresi occulte infectos, maxime tres Serenissimi Archiducis officiales, inter quos etiam clandestina conventicula fieri dicantur. Verum Parochum ipsum plurimum laborare, et esse solicitum, nt Civitas in fide Catholica conservetur, quod etiam Locumtenens Civitatis sedulo efficere studeat.

« Audivi etiam Tergesti quosdam in fide claudicare, et clam a Catholicismo deficere, cujus rei magna causa sit, quod cum cives Episcopo infensi sint, ille neque resideat, neque provideat. Quare Grætio Breve Apostolicum ad Episcopum misi, adjunctis litteris meis, quibus illum serio admonui, ut in Ecclesia sua resideat, vigilantius in negotium religionis incumbat, ac nascentia semina hæresum prius opprimat quam radices agant.

« De Civitate Fluminensi nihil aliud relatum, quam quod adhuc tota in religione Catholica perseveret, et omnes officiales Catholicos habeat.

« De Comitiis Muræpontanis habui, quæ sequuntur: Indicta fuere hæc Comitia Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ et Comitatui Goriciensi in mense Novembri anni 1577. et incepta die 2. Januarii anni sequentis, quibus interfuerunt Prælati et Commissarii quatuor supradictarum Provinciarum; finita vero die 10. Martii ejusdem anni.

« Principio Serenissimus Archidux tum ipse oretenus, tum etiam per Cancellarium suum aulicum D. Doctorem Wolfgangum Schranz gratias egit congregatis, qud ita prompte ad locum Comitiis destinatum comparuissent, deferens etiam illis suam benevolentiam. Deinde ad rem ipsam accedens proposuit illis, in quantis difficultatibus ac periculis hæ Provinciæ versarentur propter quotidianas incursiones ac depopulationes Turcarum: proinde opus esse maxime, ut iniretur aliqua certa ratio colligendæ pecuniæ

atque alia necessaria subsidia conferendi ad fines tuendos ac defendendos, et hostes longe a patria arcendos prohibendosque. Demum hortatus est illos, ut propositum negotium mature deliberare, tractare atque expedire vellent, cæteris omissis, quæ ad id non spectarent.

« Ad hæc Reverendissimus Episcopus Secoviensis nomine congregatorum paucis respondit, gratias in primis agens Suæ Serenitati de tanta cura ac solicitudine, quam defendendæ ac conservandæ patriæ præ se ferret; tum deinde promittens, se libenti ac parato animo ea omnia facturos in proposito negotio, quæ possent.

« Deinde Commissarii Provinciarum exhibuerunt mandata obsignata, quæ a Provinciis acceperant ad Comitiorum tractationem, quorum unum exemplum Provinciæ Carinthiæ mittitur, signatum litt. *A.*, cujus fere tenoris erant etiam mandata Styriæ et Carniolæ. Nam Comitatus Goriciensis mandata hoc differebant, quod nihil de religione continebant.

« Postea aggressi sunt consultationem, ac primum de militia confinium Croatiæ et Slavoniæ computatum est ad alendum militem, et alia necessaria suppeditanda pro nostrorum defensione et offensione hostium, in singulos annos impendi oportere quingenta ac circiter quinquaginta millia florenorum.

« Hic Sectarii statim religionis tractationem immiscuerunt, Prælatis, Sæcularibus Catholicis, ac nonnullis ex Sectariis ipsis frustra contradicentibus, quod hæc tractatio non faceret ad propositam materiam. Itaque negotio principali intermisso, in causa religionis tres totæ hebdomadæ consumptæ sunt varie, sed eo tandem deventum est, ut major pars Sectariorum affirmarit, se nihil collaturos subsidii contra Turcas, nisi libere concederetur illis Augustanæ Confessionis exercitium: cum tamen alii supradicti vehementer reclamarent, id esse præter rem et scopum Comitiorum. Hoc tempore Sectarii Serenissimum Archiducem sæpe molestarunt, instanter postulantes, ut religionis libertatem illis concederet, permitteretque, ut pecuniæ, quas Summus Pontifex et Imperii Principes dono mitterent, Provinciis distribuerentur in æquales partes. Quibus Serm̃us Archidux responsum dedit, cujus exemplum mittitur, signatum litt. *B.*

« Eodem tempore Prælati verentes, ne Serenissimus Archidux importunis Sectariorum persuasionibus flecteretur, supplicem libellum Suæ Serenitati obtulerunt, monentes et orantes, ut nihil Sectariis concedere vellet, quod in fidei Catholicæ et jurisdictionis auctoritatisque Ecclesiasticæ præjudicium ac detrimentum urgere posset; cujus supplicationis exemplum mittitur notatum litt. *C.*, subjecto etiam responso Suæ Serenitatis defensionem religionis Catholicæ et Ecclesiasticorum pollicentis.

« Sectarii sopradicto responso Serenissimi Archiducis non contenti, novam consultationem in loco Comitiorum inter se habuerunt, rogatis Prælatis ac Sæcularibus Catholicis D. Ernfrid Comite de Ortemburg, D. Georgio Sigismundo de Meuhaus Vicedomino Frisacensi, Domino Jacobo de Atymis Gradiscæ Capitaneo, Domino Magno Commendatore ac nonnullis aliis, ut, inter se dum quædam colloquerentur, paullulum secederent; quod factum est. Ibi Sectarii, ut inter se constituerant, ita postea denuo Suæ Serenitati importunissime supplicarunt pro Confessionis Augustanæ concessione, asseverantes nihil se omnino subsidii daturos, nisi voti compotes fierent; quibus etsi Serenissimus Archidux diu viriliterque reluctatus est, die tamen IX. Februarii post meridiem, ab eo proposito a quibusdam ex Sectariis distractus, quod mane inter sacra adhuc firmiter animo retinebat, Sectarios in conclave suum introire jussit, Prælatis et cæteris Catholicis, excepto Domino Jacobo de Atymis cubiculario, per aulæ magistrum Dominum Georgium Kevenhiller dimissis: ubi illos non scripto dato, sed oretenus tantum ita est allocutus, ut postmodum conquieverint. Quid vero supplicatio illorum complecteretur, quidque responsum Suæ Serenitatis contineret, cum nunquam ad manus Prælatorum et aliorum Catholicorum, nedum in consultationem venerint, nescitur; hoc solum palam est, quod Sectarii libenter postea Suæ Serenitatis postulata de contributione admiserunt. Proinde Commissarii Provinciarum Styriæ, Carinthiæ et Carniolæ per unum annum tantum, videlicet præsentem 1578. promiserunt dare Suæ Serenitati ad defensionem confinium integram summam supradictam: Provinciis ita taxatis, ut Carinthia solvat 146,000. florenorum, Carniola 90,000. et reliquum Styriæ. Quæ suæ parti solvendæ hanc rationem ac viam excogitavit, ut quilibet tam Ecclesiasticis, quam Sæcularis, cujuscumque sit gradus ac conditionis, exceptis rusticis, ex omnibus bonis tam mobilibus, quam immobilibus, demptis libris, equis et armis bellicis, quadragesimam partem solvere debeat.

« Constitutum etiam est, ut quicunque habet bona immobilia in prædictis Provinciis pro taxa ac rata portione debeat quotannis, si opus fuerit, mittere ad confinia certum equitum numerum, eosque in castris tres menses alere.

« Prælati autem cum animadverterent, Sectarios de Sua Serenitate jam esse contentos, ac gloriari, quod obtinuissent, quantum petierant, novo supplici libello conquesti sunt apud Serenitatem Suam de secreta concessione in religionis negotio Sectariis facta, cujus exemplum mittitur, notatum litt. *D.* Quibus Sua Serenitas respondit, se illis nihil concessisse, quod in præjudicium Ecclesiasticæ jurisdictionis et Catholi-

cæ religionis detrimentum cederet; cujus etiam responsi exemplum mittitur signatum litt. *E.*

« Post Comitia Provinciales Sectarii ultimam declarationem Serenissimi Archiducis circa religionem illis oretenus factam, quam studiose et callide, dum Sua Serenitas loquebatur, scripto exceperant, et ad libitum accomodaverant, propriis sigillis impressis etiam subscribentes in publicum dederunt, cujus exemplum mittitur signatum litt. *F.* Quod cum Serñus Archidux rescivisset, vehementer indoluit ac conquestus est. Ejus enim scriptæ declarationis vigore quædam Civitates et oppida rebus novis studere jam cœperant, ad quæ Serenissimos Archidux iratus seria mandata transmisit, ut desisterent et quiescerent, nisi ejus offensionem experiri vellent: cujusmodi, cum Leobnam venissem, duo reperi, unum ad Parochum, et alterum ad Senatum Civitatis scripta, quorum exempla mittuntur, notata litt. *G.* Quas scripturas, ut etiam omnes superiores, cum essent germanicæ, curavi in latinum verti.

« Præterea tempore Comitiorum convenerunt privatim ac secreto nonnulli Provinciales Confessionistæ, et adhibitis quibusdam prædicantibus suis consilium inter se cœperunt constituendæ unionis in Confessione Augustana, ad illius defensionem, confecto super ea re scripto, quod brevi in lucem fertur emittendum, ut mihi quidam Prælatus retulit, qui illod apud quendam secreto vidit ac legit, cujus summa hæc est.

« Quod ipsi Confessionem Augustanam, hoc est illam, quam Protestantes Carolo V. Imperatori anno trigesimo Augustæ obtulerunt, una cum Apologia Philippi Melanthonis, catechismo Martini Lutheri ac Gregorii majoris, et Biblia latina quidem juxta veterem traductionem, germanica vero juxta Lutheri versionem, ac privatim etiam Biblia latina Erasmi, admittant et acceptent.

« Catalogum quoque sacrorum librorum confecerunt, quos ipsi recipiunt. De Epistola Divi Jacobi monent hortanturque, ut legatur cum prologo Lutheri.

« Protestantur etiam se nullam aliam velle religionem in his Provinciis Styriæ, Carinthiæ et Carniolæ admittere, recipere vel tollerare, præter veterem Romanam Catholicam ac suam Augustanam. Alias sectas omnes damnant ac rejiciunt, et nominatim Sacramentarios, Illyricos, Anabaptistas, Antinomos, aliosque. Proinde si qui reperientur in his jam dictis Provinciis hujusmodi sectis depravati et infecti, promittunt Serenissimo Archiduci omnem auctoritatem potestatemque illos ejiciendi ac privilegiis omnibus privandi.

« Insuper prædicantibus suis oretenus præceperunt, ut posthac abstineant a maledictis ac probris, quibus Catholicos onerare solent. Quod si acciderit arguere defectus Catholicorum, ut id modeste faciant, et cum auctoritate Sacræ Scripturæ.

« Ut Grætium appuli, priusquam Serenissimum Archiducem accederem, contuli omnia cum Reverendissimo Episcopo Gorcensi, R. Rectore Collegii Societatis Jesu P. Henrico Blyssemio Suæ Serenitatis Confessario, et M. D. Wolfgango Schranz Cancellario aulico, viro de religione Catholica optime merito, qui mihi suaserunt, ut non solum Brevia et mandata Apostolica Suæ Serenitati proponerem, verum etiam ea monerem, quæ tum in itinere mihi fuissent relata, tum etiam ipsi essent relaturi in negotio Comitiorum Muræpontanorum ac religionis. Quæ autem de gravaminibus haberem sigillatim proponenda, consultius esse, ut in aliud tempus differrentur, ne Sua Serenitas nimium oneraretur; quod ego feci eo libentius, ut prius cum Reverendissimo Archiepiscopo Salisburgensi etiam communicarentur, quemadmodum Romæ in instructione habui. Inter alia vero, quæ mihi supranominati retulerunt, illud præcipuum fuit, quod Suam Serenitatem jam induxissent, ut quæ Sectarii se obtinuisse gloriarentur, ea revocaret, utque ad id aliquem fidelem mitteret, qui consilium caperet rei gerendæ ab Archiduce Ferdinando fratre et socero Duce Alberto, sique opus esset, etiam a Sac. Cæs. Majestate et ab Archiepiscopo Salisburgensi: proinde ut ego quoque Suam Serenitatem in hoc eodem proposito confirmare vellem, quod postea feci, ut videre est ex sequentibus.

« Die autem XV. Junii præsentis anni MDLXXVIII., quæ fuit Dominica, hora secunda post meridiem ingressum habui ad Serenissimum D. Archiducem Carolum, quem præmissa debita salutatione Sanctissimi Domini Nostri nomine, ac meis etiam officiis privatis exhibitis, in hunc modum allocutus sum.

« Serenissime Princeps etc. Cum Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Gregorius XIII. Pont. Opt. Max. Reverendissimum Dominum Bartholomeum Portiliarum Comitem, qui apud Serenitatem Vestram, Serenissimum D. Archiducem Ferdinandum, Reverendissimum Archiepiscopum Salisburgensem ac Serenissimum Ducem Bavariæ Nuntium Apostolicum agebat, ad Sac. Cæs. Majestatem in locum Reverendissimi Episcopi Delphini, Nuntium ordinarium sufficerit, me in has regiones misit ipsius loco. Cum autem Sua Sanctitas multas querimonias cum a Serenitate Vestra ac cæteris Principibus Catholicis istarum regionum adversus negligentiam Ordinariorum, ac vice versa, alias non paucas ab Ordinariis contra gravamina et impedimenta, quæ ipsis a Ministris Principum Sæcularium inferuntur et objiciuntur, accepisset, literas credentiales (ut vocant) ac mandata coram expo-

nenda mihi dedit, quatenus agam cum Principibus Sæcularibus quidem, in quos tandem magna pars culpæ refertur, cum prohibere et possint et debeant, ut Ministris suis serio præcipiant, ne in posterum Ordinarios officio ac munere suo fungi volentes impediant, imo potius ut auxilio sint, ubi opus est: cum Ordinariis vero, ut deinceps vigilantius Ecclesiis suis inserviant, ac gregi commisso diligentius præsint; ut tandem aliquando, Deo inspirante ac gratiam suam largiente, Ordinariis strenuam et indefessam operam navantibus, ac Principibus Sæcularibus necessariam opem conferentibus, hæreses, quæ in dies magis magisque serpunt, ac sensim ulterius progrediuntur magno Ordinariorum ac Principum Catholicorum dedecore et summo damno omnium, reprimantur, coerceantur ac penitus tollantur, et Religio Catholica, quæ humeros nimio hostium fraudum pondere depressa inclinat, dum adhuc tempus ac bona spes est, sublevetur et in pristinum statum, quantum fieri potest, restituatur: hoc enim est, quod Sua Sanctitas ardentissimo desiderio exoptat, efflagitat, urget, ut rebus labentibus succurratur, per quos potest: nam quo diutius negotium hoc religionis differtur a nostris, eo causa pejor redditur, de qua justissimus judex Deus non modo ab Ordinariis, sed etiam a Principibus, si quod debent non præstiterint, severissimam rationem ac gravissimas pœnas exiget, de cujus honore præcipue agitur, cujus verba nunquam fallent: Honorem meum alteri non dabo; nec dubitatur, quin adhuc aliquid effici possit, imo etiam res eo dirigi, ut plurimum efficiatur, si per eos tamen non steterit, qui multum possunt ac debent, hoc est per Ordinarios et Principes. Itaque ad hoc munus obeundum mihi a Sanctissimo Dño Nostro demandatum, commoditas itineris ac necessitas quorundam negotiorum alibi conficiendorum inducebant me, ut prius Serenissimum D. Archiducem Ferdinandum, D. Episcopum Curiensem, Serenissimum Ducem Bavariæ, Reverendissimum Archiepiscopum Saliburgensem accederem, tum deinde Serenitatem Vestram convenirem, quod tunc diutius hic manere, ac mandatis integre satisfacere potuissem, quæ non parvum tempus requirerent propter multitudinem querelarum ab Ordinariis contra Ministros Serenitatis Vestræ in Urbem transmissarum; sed rumor in negotio religionis sparsus ex Comitiis Muræpontanis, postremo habitis, periculum quod Comitatui Goriciensi imminere ferebatur, Suam Sanctitatem vehementer commoverunt, ita ut me statim in viam ingredi ac recto itinere Venetias, et illinc ad Serenitatem Vestram venire jusserit, quod ego sine ulla mora feci. Cum igitur tria sint, quæ ad Serenitatem Vestram in mandatis a Sua Sanctitate habeo: unum quod aliis quoque Principibus commune est, de amovendis impedimentis, quæ per Ministros et Officiales Sæculares Ecclesiasticæ jurisdictioni et Ordinariorum officio inferuntur, qua de re Serenitati V. has literas Apostolicas exhibeo; alterum de rumore sparso exercitii Confessionis Augustanæ in postremis Comitiis Muræpontanis, concessi Provincialibus Styriæ, Carinthiæ et Carniolæ; ac tertium de suspicione et periculo, quod prodierat, ut eadem libertas religionis in Comitatu quoque Goriciensi permittenda putaretur: et hoc tertium Suam Sanctitatem admodum premeret, ne errori novus error additus majus religioni Catholicæ crearet periculum; ab eo ipso exordiar, tum deinde ad alia progrediar. Quod ad hoc itaque attinet de Comitatu Goriciensi, dum adhuc Romæ essem, cum Suæ Sanctitati tum Amplissimis Cardinalibus affirmavi, me induci non potuisse, ut eo perlatæ famæ ac suspicioni hujus imminentis periculi ullam certam fidem adhiberem; propterea quod optime compertum haberem, Comitatus illius incolas, paucissimis exceptis, ita hactenus in fidei Catholicæ constantia perseverasse, ut illos religionis immutationem nunquam perpessuros, aut admissuros, nedum talem novitatem petituros crederem; præterea Serenitatem Vestram ea esse pietate, zelo ac mente, ut quos in ditionibus suis adhuc habet Catholicos, eos in ea ipsa religione nostra Catholica conservare, defendere ac tueri velit et studeat. Ad hæc cum Serenissima Domina Conjux super illo Comitatu assecurata sit, eam pro summa religione ac vitæ et morum sanctitate, quæ est, nunquam passuram, ut se vivente hæresis Comitatum illum occupet ac perturbet. Venetias deinde perlatus, ac de re tota a Sac. Cæs. Majestatis et Serenitatis Vestræ Oratore Domino Vito a Dornberg, viro admodum Catholico et integerrimo, melius informatus, qui mihi præter relationem oretenus factam, literarum etiam Serenitatis Vestræ ad Status illius Comitatus exaratarum exemplum legendum exhibuerat, ad hæc etiam literas fratris sui Locumtenentis in prædicto Comitatu, qui scripserat, ut nihil dubitaret, neque immutationem religionis ullam vereretur, quia ipsi essent sua sponte animati nullam aliam religionem amplecti et admittere, quam veterem Catholicam, quæ hactenus apud ipsos fuerit semper retenta ac conservata: Suam Sanctitatem literis certiorem feci, ut se negotium hoc haberet, et quomodo in illo Comitatu nihil periculi esset. Verumtamen peto etiam a Serenitate Vestra, ut ipsamet negotii hujus seriem explicare non gravetur, quatenus Suæ Sanctitatis mandatis satisfieri possit, quod commode fiet, si mihi exempla literarum exhibebuntur, quæ propter rumorem sparsum hujus rei a Serenitate Vestra ad Status prædicti Comitatus datæ sunt, et a Statibus illis ad Serenitatem Vestram perscri-

ptæ, atque ea omnia exponentur, quæ ad certitudinem negotii pertinere possunt. Porro cum in itinere a multis instructus fuerim, in Civitate ipsa Goriciensi quosdam paucos esse hæresi jam secreto infectos, præsertim vero aliquos Nobiles, inter quos tres ex primariis sint, quorum auctoritate et nutu cæteri pendeant, nempe sylvarum Præfectus, Capitaneus præsidii Civitatis ac quidam ex Cancellariis, a quibus aliquando, nisi præveniatur, periculum oriri, et hæresis venenum in alios clam transfundi posset, maxime cum fama etiam sit occulta, inter aliquos conventicula interdum haberi, moneo et obtestor Serenitatem Vestram, ut illos quamprimum inde amovere et dimittere, atque in locum illorum nunc et in posterum Catholicos homines reponere velit; ad hæc etiam suis Præfectis et officialibus ibidem serio mandare, quatenus posthac diligentius inspicere debeant, ne quid fiat, quod religioni nostræ Catholicæ contrarium ac dissentaneum sit. Præterea cum S. S. etiam acceperit Civitates Tergestinam ac Fluminensem, a supradicto Comitatu Goriciensi non procul sitas, in aliquo hæresis periculo versari, non ita tamen, quin facile occurri possit, dum res in vestibulo adhuc est, monet et hortatur Serenitatem V. ut non modo Præfectos, magistratus, et officiales non Catholicos, quorum opera virus hæresis clam spargi plerumque solet, ex illis avocet locis, ut in ipsorum locum semper Catholicos substituat, verum etiam Ordinarios instanter excitet et omni conatu adjuvet, quatenus hujusmodi mala semina nascentia, priusquam altas radices agant, opprimantur, ac qui in hæresi obfirmati sunt, nec reduci volunt, ablegentur, præsertim Tergesti, ubi magis laborare dicitur: quæ res nullam habebit difficultatem, cum Civitates illæ erga Sedem Apostolicam adhuc officiosæ sint, ac libenter pareant.

« Alterum est (quod Suam Sanctitatem mirum in modum afflixit, præsertim cum tardius fuerit admonita, ita ut non potuerit mature occurrere et impedire) supradicta concessio libertatis in religione: licet enim antea multi Nobiles et aliqui alii temere et sine ullius auctoritate exercitium Confessionis Augustanæ in suis arcibus et jurisdictionibus, imo etiam in quibusdam civitatibus Serenitatis V. et quod pejus est, Græcii ubi Serenitas Vestra residet, palam tractarent, et Prædicantes ac synagogas haberent, ita tamen pendebant animo, ut timerent Principis vel animadversionem vel correptionem: alii etiam, quamvis occulte tales essent, metu tamen Principis tales se profiteri publice non audebant. At nunc permissa religione et conscientia cuique pro arbitrio suo, non solum commemorati audacius contra nostros sese ingerent et insurgent religionem Catholicam floccipendendo ac persequendo, sed multi alii quoque ansa hinc arrepta illis adhærebunt, ac fidem Catholicam, quam alioqui retinuissent, per nefas deserent, ut hæc ipsa concessio facta nihil aliud esse videatur, quam religionis Catholicæ pernicies ac multarum animarum perditio. Nam Sua Sanctitas acerbissimo (ut dixi) animi sensu intellexit, Serenitatem V. supradictis Nobilibus Styriæ, Carinthiæ et Carniolæ concessisse, ut non modo in propriis arcibus, oppidis ac dominiis, verum etiam in quibusdam civitatibus Serenitatis Vestræ, etiam in Græcensi Metropolitana publice ac libere Confessionem Augustanam exercere, synagogas et Prædicantes retinere possint, et civibus promisisse, quod cujusquam conscientiam in rebus fidei aggravatura non sit, quod sane nihil aliud est, quam ipsissimos interitus tot animarum precioso Christi sanguine redemptarum, quæ in extremo Dei judicio contra Serenitatem Vestram exclamabunt, ac pœnarum et æternæ damnationis suæ causam et culpam in eandem Serenitatem Vestram conferent, quæ illis has occasiones præbuerit, ut ab Ecclesia Catholica et Christi grege segregarentur, aberrarent, et in plurimos inextricabilesque errorum laqueos inciderent; quid enim aliud tamen expectandum erit his in locis, ubi hæc misera libertas religionis permittitur, quam merus paganismus? Nam qui Ecclesiam non vult habere Matrem, neque Deum habebit Patrem. Angitur etiam Sua Sanctitas, quod Serenitas Vestra, quæ semper pietatis, religionis et constantiæ nomine multis hactenus laudibus fuit prædicata, nunc primum de spiritu, zelo et animi magnitudine remittere, ac suam majorumque suorum gloriam, quæ rerum præclarissime gestarum monumentis celeberrima est, obscurare cœperit, si ea sunt vera, quæ Suæ Sanctitati nunciata fuerunt, et a me nunc commemorata. Hoc idem Suam Sanctitatem in magnam etiam induxit admirationem, propterea quod Serenitas Vestra, quæ multis singularis sapientiæ ac longæ experientiæ dotibus prædita haberetur, eo se temerariis et inconsideratis rationibus consiliisque deduci passa sit, ut falcem suam in alienam messem miserit, præsertim Ecclesiastica in re tam gravi ac seria id sibi usurpando, quod nullo modo oportebat: non enim spiritualis potestas a temporali, sed temporalis a spirituali regi debet, ut non sacræ modo literæ, sed etiam prophanæ docent, et ipsa rerum natura loquitur. Quis enim nesciat rerum divinarum tractationem religionisque moderationem non ad Sæculares Dominos, neque ad Comitia temporalia, sed ad Summos Pontifices, ad Concilia generalia, ad Episcopos et Pastores Ecclesiasticos proprie pertinere? Quod si secus aliquando factum est, quæ non mala postmodum subsecuta sunt? calamitates, miserias et clades, divino judicio ita disponente, severissimo religionis et Ecclesiasticæ

auctoritatis vindice, non acceperunt ii omnes, qui prophanas manus in terram sanctam extendere, ac se in munera Ecclesiastica temere intromittere non sunt veriti? Quod si Oza repentino interitu punitus est,quod arcam Dei,ne caderet, manu tetigisset ac sustinere voluisset, et Rex Ozias gravissima lepra percussus, quod cæremoniis Ecclesiasticis perficiendis in templo sese tantum curiose immiscuisset; quanto severius Deus in illos Reges, Principes ac Magistratus est animadversurus, qui propter humanos respectus, præsertim ob temporalia bona religionis Catholicæ immutationem permittunt, nefariis sectis consentiunt, et cujusquam conscientiam aggravare nolunt, cum tamen secus facere possint et debeant? Spargebatur enim non solum Romæ, sed etiam in reliqua Italia et extra Italiam, quod Serenitas V. vendidisset Sectariis religionem quingentis millibus florenorum; qua tamen in re ubique Serenitatem Vestram, quantum licebat, excusabam, sed quoad concessionem factam nullam certe potui unquam invenire causam purgandi Sereoitatem Vestram, cum hæc concessio non alio, quam ad interitum animarum, religionis Catholicæ exitum, novarum sectarum introductionem corroborationemque, et harum regionum omnium apertissimam cladem ac certissimam ruinam tendat, et facta sit. Evolvat autem Serenitas Vestra exempla Sacræ Scripturæ, eaque diligenter ob oculos ponat et attente consideret, in quibus reperientur divinæ animadversiones et vindictæ, tum adversus populum electum a veræ religionis cultu ad idolatriam deficientem, tum etiam contra Reges ac Magistratus conniventes et permittentes; eos enim Deus etiam in hac vita multis modis afflixit, hostibus subjecit, servitute oppressit, et in eum ipsum mundanum timorem, quem stulte induxerant, conjecit. E multis, quæ occurrunt ejusmodi, exemplis hoc in medium proferam: Regi Achab, propterea quod in idolatris consensisset, pessime omnia cesserunt, ut etiam miserrime in bello interierit. Filius ejus Joram patris vestigiis insistens, eodem tempore et Regno et vita privatus est. Taceo alios multos ex veteribus, de quibus Biblia sacra multam mentionem faciunt, quod gravissimas pœnas aut desertæ religionis, aut permissæ idolatriæ dederint. Venio ad nostros, quorum memoria recentior est. Græciæ ac finitimis Provinciis defectio ab Ecclesia Catholica et Sedis Apostolicæ obedientia quam infeliciter successit? nonne brevi tempore Imperium florentissimum amisere? huc illacque passim discurrentes hostes, et omnia pervastantes conspexere? tandemque amissa libertate Turcici Imperii jugo ac tyrannidi colla servitute durissima constricti submisere? Quid? annon idem teterrimus hostis Christiani nominis, Hungaria fere tota et Illirico penetratis, his etiam regionibus imminet, minatur, arma intentat? Divina hæc ultio est, quæ in ea loca immittitur, ubi religio et cultus divinus remittitur et conculcatur. Quod si Serenitas Vestra dicat se non propterea id permisisse, quod de religione Catholica male sentiret, aut eam imminui vellet, sed potius, ut ita a Provincialibus suis subsidium ad defendendos fines contra Turcas obtineret, qui obstinate affirmabant, nihil se collaturus, nisi id illis concederetur, responderi potest, ut alii multi asseverarunt, id esse pusillanimitati tribuendum; nam si Sectarii nullam timiditatem in Serenitate V. animadvertissent, sed firmi propositi constantiam vidissent, tandem fracti animo ac posternati ab importunis petitionibus suis destitissent, ac Serenitatis V. jussis morem gessissent, præsertim ne manifestum rebellionis crimen incurrissent. Sed sit, quod Provinciales Sectarii nihil contribuissent, non propterea tamen erat facienda illa concessio seu permissio; iniquum enim videtur, ut propter humana auxilia divinam gratiam et opem abjicere velimus. Quid, quod subsidium humanum, neglectis Deo ac religione, sine fructu est? Nisi enim Dñus custodierit Civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam, imo etiam cum gravi damno corporis et animæ: nam qui despiciunt consilium Domini, et increpationes ejus negligunt, adhærentes opinionibus hominum, ab eo pariter deserti in repentinas calamitates et interitum incidunt. Propterea bene inquit Dñus per Prophetam: Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Dño recedit cor ejus etc. et paulo post: Expectatio Israel, Dñe, omnes, qui te derelinquunt confundentur, recedentes a te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium. Et alibi: Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, et cærimonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris etc. donec conterat te, et perdat velociter propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. His de causis omnibus Sua Sanctitas monet et vehementer hortatur Serenitatem Vestram, ut quicquid hactenus consilio et impulsu Sectariorum adversus religionem factum, concessum, permissumve est, prudenter rescindat, et quæ minus considerate ac supra auctoritatem suam decreta sunt, intrepide revocet: dicat hujusmodi concessiones suæ non esse potestatis, remittat illos ad Summum Pontificem vel ad alios Ordinarios, ad quos proprie religionis negotia spectant; ne conniveat amplius, nec tam execrandam pestem hæresum in suis ditionibus serpere in posterum patiatur, moveat omnem lapidem et conetur quantum potest, ut tandem aliquando religio Catholica, oppressis et evulsis

sectarum zizaniis, pacato ac tranquillo loco constituatur: nihil est difficile volenti, modo spem omnem fiduciamque suam in Domino collocet, qui potens est de lapidibus filios Abrahæ suscitare, et paucis ex hostium multitudine victoriam dare. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus etc. Quoniam faciet te Dominus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, venientque super te universæ benedictiones istæ, et apprehendent te, si tamen præcepta ejus audieris. Benedictus tu etc. et dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo, per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua etc. si converteris, (ait Dominus) convertam te, et ante faciem meam stabis: et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos, et dabo te populo huic in murum æreum, fortem, et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te, et eruam te, et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium. Ut autem Serenitas Vestra id prudenter et caute absque tumultu ac seditione efficere possit, suadeo, ut de modo agendi ac procedendi aliquam rationem secreto ineat cum suis Consiliariis Catholicis, præsertim Rmis Dominis Episcopis Gurcensi ac Secoviensi, et M. D. Doctoribus Walthero ac Schranzio Cancellariis, simul etiam consilium per aliquem ex quatuor supradictis Consiliariis Catholicis petat a Sacra Cæsarea Majestate, Dominis Archiduce Ferdinando ac Bavariæ Duce Alberto, et Reverendissimo Archiepiscopo Salisburgensi, et postea quod sancte utiliterque consuluerint, id celeriter ac diligenter exequi studeat, si divino honori quem offendit, conscientiæ propriæ ac famæ, quæ læsa est, sibi subditorum hominum saluti, in maximum discrimen adductæ, SSmi Domini Nostri querimoniæ, quam ex his alteris litteris Apostolicis etiam intelliget, et omnibus Catholicis, qui scandalizati sunt, satisfacere cupit. Quod ut Serenitatem Vestram per viscera Domini nostri Jesu Christi oro atque obtestor, ita etiam non dubito, quin pro sua pietate, religione ac sapientia non sit sibi ac religioni Catholicæ defutura.

« Tertium est de impedimentis et obstaculis, quæ Ministri Serenitatis Vestræ Ordinariis afferunt, quominus jurisdictionem suam exercere, officio fungi et Ecclesiarum necessitatibus debita provisione succurrere possint. Quo fit, ut Ordinarii potissimum Reverendissimi Domini Patriarcha Aquilejensis et Archiepiscopus Salisburgensis, qui primarii sunt, sese excusent, si proinde hæreses natæ sunt, ac religio Catholica labefactata, culpam in Vestræ Serenitatis Ministros referentes, a quibus impediri se affirmant. Ea gravamina, quæ multa sunt, oretenus et scripto Serenitati Vestræ alio tempore proponam: nam cum non tam explicatione egeant, quam etiam executione, quæ longioris temporis erit, in reditum meum differenda censui, propterea quod nunc rebus ita exigentibus, in superioris Germaniæ partes concedere debeo, ex quibus quamprimum fieri poterit ad Serenitatem V. revertar, horum gravaminum negotium tractaturus atque executioni affuturus, ut non tam apud Serenitatem V. quam apud Ordinarios quoque instem ad seriam reformationem instituendam efficiendamque, prout Serenitas V. et omnes Catholici magnopere desiderant. Hæc sunt quæ in præsentiarum Serenitati V. significanda Suæ Sanctitatis nomine fuerunt, quæ omnia in eam partem interpretentur, ut Suam Sanctitatem tum officio, tum etiam charitate, qua Serenitatem Vestram complectitur, adductam existimet.

Responsio suæ Serenitatis ad supradicta. [*]

[*] Germania Vol 139. fol. 251.

« Ad hæc Serenissimus Archidux primum summas gratias egit, quod cum Sua Sanctitas eum per literas, quas singulari alacritate ac reverentia acceperit, tum etiam per Internuntium visere, et officii conscientiæque paterne admonere voluerit. Deinde se gaudere dixit, quod ego missus essem, quem jam nosset, ac sciret aliquam rerum experientiam Germaniæ habere, ita ut mea etiam opera atque auxilio religioni Catholicæ ac rerum Ecclesiasticarum statui in his ditionis suæ Provinciis laboranti consultum et prospectum iri speraret. Postea ad primum caput accedens de impedimentis, quæ ab ipsius Ministris Ordinariorum officiis inferri dicuntur, asseruit, se reversionem meam expectaturum, et ad singula, cum in specie proponentur, responsurum; universim autem affirmavit, se illis nulla præbuisse impedimenta, quod sciat, nec per se nec per suos Ministros, sed negligentiam illorum potius accusavit, maxime Reverendissimorum DD. Patriarchæ Aquilejensis et Archiepiscopi Salisburgensis, qui tam longo tempore, quo Ecclesiis suis præsunt, nunquam has regiones visitaverint, quas si vel semel lustrassent, dubio procul multum adjumenti ac fructus rebus Ecclesiasticis et religioni Catholicæ attulissent. Quod si adhuc venient, ut magnopere desiderat, aut suo loco aliquos mittent, pollicitus est, se non solum omnem daturum operam quominus impediantur, verum etiam auctoritate, consilio atque auxilio libenter affuturum, ut tandem aliquando afflictis rebus religionis et Ecclesiarum præsens et opportunum remedium aliquid afferri possit: me rogato, cum illis agam, ut ad meum redditum vel ipsi veniant, vel aliquos mittant, qui in seriam reformationem incumbere debeant.

« Ad alterum caput negotium Goriciense concernens, magnam sibi injuriam factam dixit,

quod fuerit hæc sinistra fama de ipso sparsa, cum id semper firmiter propositum habuerit, ut omnia loca ditionis suæ, quæ adhuc in fide Catholica perseverant, maxime Comitatum Goriciensem in ea ipsa orthodoxa religione retinere et conservare velit. Cui rei vel id evidenti argumento esse posse subjecit, quod cum Annibal de Eckh in ultimis Comitiis Muræpontanis supplicationi Sectariorum pro libertate religionis, sive Confessionis Augustanæ exercitio subscripsisset, illi subiratus litteras ad Status prædicti Comitatus dederit, quærens an privatim fortassis ita mandasset, cum id ipse non crederet, neque in publico scripto contineretur, et eos adhortans, ne a majoribus suis degenerare et ab Ecclesia Catholica, cui semper extiterint fidelissimi et obedientissimi filii, deficere vellent: cui Status responderint, se præfato Annibali de Eckh nihil tale mandasse, imo se ita esse animatos erga veterem et Catholicam religionem, cui semper addicti fuerint, ut propter eam nullam aliam passuri unquam sint. Adjunxit etiam, quod cum paucis ante diebus intellexisset, Goriciæ quosdam esse occulte suspectos, qui clam inter se conventicula quoque habere dicerentur, scripserit ad Parochum, qui etiam Archidiaconus Patriarchalis est, ut id diligenter sciscitaretur, investigaret, ac quam primum admoneret, quatenus remedium adhiberi posset. Quare eam esse concipiendam opinionem de negotio Comitatus Goriciensis, ut ejus rei nulla amplius sinistra suspicio Suæ Sanctitatis animo insidere debeat. Prædictarum vero literarum mihi exempla dare pollicitus est.

« Ad tertium caput de exercitio Confessionis Augustanæ permisso in Comitiis Muræpontanis postremo habitis, mirari cœpit ac dicere, quod ut ipse cum suis fidem Catholicam semper religiose professus est, ac nec latum quidem unguem ab ea unquam discessit, in qua etiam nunc constanter perseverare ac mori velit; ita ditiones suas quoque in ea, quantum per hæc turbulenta tempora potuit, conservare studuerit. Quod si Confessio Augustana aliquibus in locis publice factitata est, id jam tum extitisse, priusquam ipse harum Provinciarum gubernacula susciperet. Se tamen eo semper animo fuisse, ut provisurus esset, nisi assiduæ Turcarum incursiones ac bellici tumultus interpellassent, ac tantæ vires defuissent, quantis opus esset. Porro cum Provinciales Sectarii multis vicibus ac diversis temporibus instanter et obnixe peterent exercitium suum Confessionis Augustanæ libere concedi et approbari, id se illis audacter negasse, atque in postremis Comitiis Muræpontanis hujusmodi importunis illorum petitionibus repetitis diu pro viribus repugnasse, sed cum tandem nullum facerent supplicandi finem atque importunissime instarent, ac nihil prorsus ad fines adversus Turcas tuendos conferre vellent, nisi voti fierent compotes, se ad placandos illorum animos nullo scripto dato, tantummodo hæc verba protulisse, quod ut hactenus in propriis illorum dominiis atque in quatuor civitatibus, Græcii, Judenburgi, Clangenfurti ac Labaci, nec illos, neque Prædicantes illorum in exercitio Confessionis Augustanæ quicquam molestaverit; ita neque in posterum molestaturus sit, reservatis tamen illarum quatuor civitatum civibus, cæterisque subditis omnium aliarum suarum ditionum. Quibus verbis se novi nihil statuere aut concedere existimaverit, sed tantum id efficere, ut semel conquiescerent. Quæ tamen verba prædicti Provinciales appositis etiam sigillis ac propriis manibus, ipso inscio, scripto exceperint, ac multa addiderint longe aliter, quam ipse senserit et dixerit; quod ipse ægerrime ac molestissime tulerit: ejus enim subdoli scripti occasione factum, ut aliquæ aliæ civitates rebus novis etiam studere inceperint, ad quas statim seria mandata transmiserit, ut abstinerent, nisi in ipsius offensionem incurrere ac gravem animadversionem experiri vellent: et literas ad Parochos dictarum civitatum dederit, ut moneant, si cives ac parœciani omnes imperata non fecerint; quas apud Parochos ipsos peragrando invenire ac legere possim. Hæc esse, quæ ex tempore oretenus respondere voluerit, scriptum postea responsum daturus, cum mentem Suæ Sanctitatis et Brevia Consiliariis suis aperuerit, ac cum illis negotium contulerit.

« Post hæc fuit inter nos institutum familiare colloquium, in quo convenimus, ut generale decretum per omnes ditiones emittatur, pœna proposita, ut in commemorato Provincialium composito scripto nullam spem collocent, nihil innovent, moliantur, immutent, sed in pristina obedientia ac statu religionis Catholicæ quieti permaneant. Deinde ut quæ Provinciales Sectarii se nunc obtinuisse gloriantur ac subdolo scripto publicarunt, et quæ ante ex nimia ipsius ac prædecessorum Principum conniventia introduxerunt, aperte revocentur: quam ad rem aliquis Consiliarius Catholicus ad Sacram Cæsaream Majestatem, ad Serenissimos Archiducem Ferdinandum ac Ducem Albertum, et ad Reverendissimum Archiepiscopum Salisburgensem mitti debeat, qui consilia capiat, quomodo id sine ullo periculo fieri possit, et si res postea exiget, ut etiam petatur auxilium a Summo Pontifice et ab Italiæ Principibus; tum ut in posterum Catholici Consiliarii, arcium atque aliorum locorum Præfecti et Officiales suscipiantur, ac paulatim opportuna occasione Sectarii dimittantur.

« Postridie Serenissimam Archiducissam invisi, cui Suæ Sanctitatis nomine salutem, divinæ gratiæ incrementum, ac felicem rerum suc-

cessum deprecatus sum, pietatem singularem, religionem, constantisque animi voluntatem, qua est erga Catholicam Ecclesiam, commendavi, et Suæ Sanctitatis benevolentiam detuli. Deinde monui ipsam, ut Serenissimum Conjugem suum assiduis adhortationibus ac precibus commonefaciat, excitet, impellat, quatenus seposita omni timiditate viriliter religionem Catholicam defendere, tueri ac promovere, atque illius adversariis audacter et intrepide repugnare velit, nec se ullis persuasionibus aut intentatis minis periculisque, seu alio quocumque modo vinci, flecti et ab optimo proposito unquam abduci patiatur. Ad hæc illa gratias maximas agere Suæ Sanctitati, quod ipsius memoriam ita paternam retineret, cui etiam in posterum semper commendata esse cupiat: suam postea polliceri diligentiam in adhortando Conjuge, ut religioni Catholicæ strenuus defensor ac propugnator adsit: præterea me rogare, agam cum Serenissimis Parente Duce Alberto et avunculo Archiduce Ferdinando, ad quos me profecturum sciret, ut Serenissimum Conjugem suum optimis monitis et consiliis etiam adjuvare ac sæpe confirmare velint. Quod me libenter facturum dixi, maxime quod idem etiam Sua Sanctitas mihi mandasset.

« Postea Serenissimus Archidux literas Apostolicas, ac quæ ego proposueram Consiliariis suis, etiam Sectariis proposuit, idque data opera, ne Sectarii propter meum adventum in suspicionem venirent alicujus occultæ tractationis contra illos institutæ. Interea tum apud Principem, tum etiam apud Consiliarios Catholicos procuravi ac sollicitavi celerem expeditionem, ac responsum scriptum, quod mihi missum est die xxiii. Junii, vesperi, et una mandatum pro visitatione Monasteriorum ad Præfectos, ut auxilium præstent, ubi opus est, et ad Monasteria, ut obediant justa tenorem Brevis Apostolici. Verum cum in responso ipso quædam inserta animadvertissem, quæ non conveniebant cum his, quæ Serenissimus Archidux oretenus mihi dixerat: illud enim quod de revocatione ac de legatione mittenda ad quosdam Principes Catholicos pro consilio rerum agendarum certo et absolute fuerat promissum, illud, inquam, in scripto responso in dubium vocabatur, et cum hac conditione ponebatur, id tum demum Serenissimum Archiducem facturum, si excusationibus et aliis rationibus in sui purgationem adductis, Sua Sanctitas non acquiescat et contenta sit: eapropter Serenissimum Archiducem die xxvi. ejusdem mensis cum pridie abesset, iterum accessi, et tam oretenus quam scripto vehementer questus sum. Quod ipse miratus, plane se ejusdem adhuc mentis esse, et animi asseveravit, cujus antea fuerit: et si quid secus responso scripto insertum est, id præter suam intentionem ac scientiam factum. Quare illico præcepit, ut clausula illa conditionalis tolleretur, ac responsum bene et juxta mentem ipsius antea mihi declaratam accommodaretur, quod statim factum est, ita ut etiam eo ipso die valedicens discesserim. Exempla vero tum nunc commemorati scripti mei Serenissimo Archiduci secundo oblati, tum etiam scripti responsi emendati paulo post sequentur.

« Die supradicta xxvi. mensis Junii inter valedicendum Serenissimo Archiduci ea breviter etiam repetivi, quæ ipsum antea admonueram, de revocatione concessionis factæ, de mittendo pro ea re Legato Rmo Episcopo Gurcensi aut D. Doctore Wolfgango Schranz Cancellario aulico, viro integerrimo acerrimoque fidei Catholicæ defensore, ad supra nominatos Principes Catholicos, deque retinendis confirmandisque civitatibus et oppidis in veteri fide Catholica. Quæ se diligenter facturum pollicitus denuo est, rogans, ut reditum meum ad ipsum maturarem, ageremque cum Reverendissimis Patriarcha Aquilejensi et Archiepiscopo Salisburgensi, vel ut ipsi venirent vel aliquos mitterent, qui Ecclesias sint reformaturi ac religioni remedium aliquod allaturi. Quod me præstiturum dixit. Ad hæc monui ipsum, Provinciales Sectarios hinc inde arma colligere, proinde vigilantior esse velit, et cum id de scitu suo fieri respondisset, ad tuendos fines, adjunxi, ut nihilominus apertis oculis esset; propterea quod perspiciebam quosdam ex Catholicis dubitare de aliqua novitate. Præterea indicavi, ut in consilio suorum cautior esset, quia nonnulli ex Consiliariis Sectariis omnia, quæ fierent in consilio, asseclis suis et Consectariis revelarent: quod licet ipse vix credibile arbitraretur, se tamen in posterum cautius acturum respondit. Ita a sua Serenitate bona cum venia et Græcio discessi.

X. — Habeas etiam Archiducis mandatum, ne Scalensis Episcopus in visitandis Monasteriis, et instauranda regulari disciplina ullum haberet impedimentum. [*] [*] Germania Vol. 129. fol. 266.

« Nos Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ et Wirtembergæ etc. Comes Tyrolis et Goriciæ etc. Omnibus ac singulis nobis subordinatis Præfectis ac subditis fidelibus, præsertim vero Prælatis et Claustra seu Monasteria passim incolentibus, qui hisce præsentibus requisiti fuerint, nostram gratiam et omne bonum.

« Cum Sua Sanctitas Summus Pontifex Gregorius XIII. suo nunc ad nos destinato Nuncio Rmo, nobisque singulariter dilecto Domino Feliciano Episcopo Scalensi in mandatis dederit, ut in hisce nostris Principatibus ac regionibus omnia ac singula Monasteria seu Claustra, ubi ita res postulaverit, vel per se ac in propria persona, vel per subdelegatum sibi Commissarium,

prout ipse in Domino judicaverit, aut necessarium esse dixerit, visitet atque reformet; cumque ad hoc tam arduum ac summe necessarium opus tanto fructuosius perficiendum, nostram quoque (utpote brachiis sæcularibus) opem et auxilium, exhibito etiam Brevi Apostolico, requisiverit expetieritque, clementer ac plane serio mandamus, ut non solum vos Prælati ac Monasteriorum seu Claustrorum incolæ, ubicunque locorum in nostris regionibus existitis, prædicto Apostolico Nuncio in tali sibi jam contradito officio omnem convenientem ac debitam obedientiam præstetis; verum etiam vos nobis subordinati Præfecti cujuscunque dignitatis, status vel conditionis tandem sitis, nullum obstaculum, impedimentumve aut molestiam illi afferatis; sed nostro potius nomine omne possibile ac fidum auxilium promovendique studium illi exhibeatis; præcipue autem vos Prælati aliique viri spirituales ac Religiosi, quos ad exequendum prælibatum suum institutum assistentes Coadjutores vel subdelegatos Commissarios sibi eliget atque expetet, ut illi hac in parte haud gravatim industriam vestram commodetis; vobisque una cum illo et juxta illum prædictorum Monasteriorum necessariam ac bonam reformationem in optimum finem maxime cordi esse patiamini. Qua in re non modo clemens ac beneplacens nostra voluntas, verum etiam seria ac indubitata sententia perficietur. Datæ in Civitate nostra Grætio xxiii. Junii anno 1578.

CAROLUS.

Wolfg. Schranz.

Ad mandatum D. Archiducis proprium

P. Wanzel.

XI. — Idem Felicianus Cæsarem etiam liberrime monuit, ut quod consilium susceperat de hæreticis e Viennensi urbe ejiciendis sine ulla cunctatione perficeret, atque Ordinariis locorum opem ferret, ne in munere suo exequendo impedirentur. [*]

[*] Germania Vol 129, fol. 230.

Sacratissimo et Potentissimo Principi ac Domino, Domino Rudolpho Secundo Romanorum Imperatori Electo etc. Dño meo Clementissimo.

Sacratissime Cæsar etc.

« Cum me Sanctissimus Dominus Noster, Dominus Gregorius Papa XIII. huc ad Serenissimum D. Archiducem Carolum, et in alias superioris Germaniæ partes ad cæteros Principes Catholicos cum literis et mandatis miserit, unaque injunxerit, ut quibusdam negotiis diuturniorem moram non ferentibus in hac et finitimis regionibus expeditis, Sac. Cæs. Majestatem Vestram conveniam, ad quam cum literas, tum mandata coram exponenda habeo, nec commode hoc tempore venire possim, brevique Sac. Cæs. Majestatem Vestram isthinc discessuram audiam, hasce literas interea exarandas mihi duxi, ut officio meo ex parte satisfaciam. Licet enim Sac. Cæs. Majestatem Vestram sua sponte ita erga rempublicam Christianam universam et Ecclesiam Catholicam affectam atque animatam esse constanti fama et sermone omnium certo persuasum habeo, ut eam alterius incitantis calcaribus indigere non arbitrer, ad hæc multos etiam monitores habeat, præsertim Reverendissimum Nuntium Apostolicum Portiliarum Comitem, quorum consilio et opera fideliter uti possit, nihilominus meæ etiam partes jura sua me obstringunt, Catholicæ fidei inclinantis discrimen compellit, et animo meo syncere quasi innata voluntas erga Sac. Cæs. Majestatis Vestrae et universæ domus Austriacæ gloriosum ac Christianissimum nomen urget, ut Sac. Cæs. Majestatem Vestram moneam, horterque, sive potius confirmem, ut quo zelo ac fervore rem fidei ac religionis orthodoxæ fulcire, promovere ac fovere præclare et cum laude cœpit, ita in posterum quoque pergere velit, et quod de perversis hæreticisque concionatoribus ex civitate Viennensi expellendis, ejiciendisque consilii ac propositi sancte laudabiliterque cœpit, id intrepide fortiterque perficiat; non enim incipientibus, sed usque in finem perseverantibus æternæ salutis præmia proposita sunt. Nec vero est, ut ullum periculum pertimescat, ullius verba ac minas reformidet, aut alio humano respectu ab optima mente ac proposito suo abducatur, quod is, qui Sac. Cæs. Majestatis Vestræ præclarum animum, sana consilia ac strenuas actiones intuetur et respicit, Deus eam ex sævis quibuscunque humanarum tempestatum procellis, quas communis Dei et hominum hostis fortia audentibus ac nitentibus objicere atque obtendere solet ad retardandos, debilitandos ac revocandos animos, tandem eripiet, ac feliciter in portum evehet; suos enim Deus ab orbe condito ad haec usque tempora nunquam deseruit, nec juxta promissiones suas aliquando deseret. Sac. Cæs. Majestas Vestra magnam certe sui opinionem rebus in omnibus, præsertim in superius commemorata contra concionatores hæreticos apud omnes bonos excitavit, tum maxime apud Sanctissimum Dominum Nostrum, qui plurima sibi de Sac. Cæs. Majestatis Vestræ pietate ac religione pollicetur, cui, ut semper factis respondere possit, nihil studii ac laboris intermittere debet, cum ea auxilia et adjumenta, quæ fortassis ætas ipsa non subministrat, zeli sanctitate ac gravitate judicii suppeditentur. Sac. Cæs. Majestas Vestra Ecclesiæ Dei istis in locis laboranti plurimum prodesse potest, tum auctoritate sua, tum etiam Ordinariis locorum debitu munere fungi volentibus favorem suum præstando, quominus impediantur, ut plerumque fieri consueverat. Quod in me erit, Deum Opt. Max. assidue precabor, ut Sac. Cæs. Majestatem Vestram in hoc Imperii culmine ad Ecclesiæ suæ conservationem ac propagationem

quam diutissime salvam ac florentem servare velit. Datæ Græcii die XVI. Junii MDLXXVIII.

Sac. Cæs. Majestatis Vestræ

FR. FELICIANUS EPISCOPUS SCALENSIS ETC.

XII. — Græcio Frisingam in Bavaria idem Præsul se contulit, totum se collocans in instauranda collapsa Cleri disciplina. Habeas, quæ Canonicis hujus Cathedræ servanda sapienter præscripsit. [*]

[*] Ormenia Vol 129. fol. 280.

« Fr. Felicianus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Scalensis etc. Dilectis nobis in Christo Præposito, Decano et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Frisingensis salutem in Domino sempiternam. Etsi vobis die 14. hujus mensis oretenus et scripto proposuimus querelas, quas Sanctissimus Dominus Noster contra vos et universum Clerum hujus civitatis accepit, cum nihilominus fere omnes in visitatione veras esse, ac præterea alias novas comperimus non sine magno animi nostri dolore, partium nostrarum existimavimus, tum ut Sanctissimi Domini Nostri optimæ menti satisfiat, tum etiam ut hujus Ecclesiæ urgenti necessitati consulatur, vobis et universo Clero necessaria et opportuna remedia, quæ nobis hoc tempore occurrerunt, et vos jam tam sigillatim quam in communi admonuimus, hoc scripto quasi per capita quædam summatim ac breviter comprehendere, quemadmodum vos etiam optastis atque a nobis postulastis, ut firmius memoriæ hærere ac diligentius ad effectum adduci possint.

« Ordinamus vobis et universo Clero sub pœna suspensionis a beneficiis, ut in spatio octo dierum concubinas amoveatis ad quinque ad minus milliaria a civitate, exceptis Decano Ecclesiæ vestræ Cathedralis et Canonico Lucio, quibus rationabiles ob causas mensis conceditur. In posterum vero caveta, ne easdem iterum ad vos recipiatis, aut alias de novo suscipiatis, neque omnino mulierem ullam habeatis ad culinæ ac curæ domesticæ vestræ ministerium, nisi sit bonæ famæ ac 46. annum ætatis excedat juxta decreta Synodi Provincialis Salisburgensis, exceptis matre ac sororibus propriis et aliis consanguineis usque ad tertium gradum, quæ etiam juniores retineri poterunt, si tamen honestis moribus fuerint ac bene audiant.

« Deprehensi quocunque tempore in plateis aut in ædibus sæcularium cum armis, vel in habitu sæculari aut larvati, Canonici quidem Cathedralis Ecclesiæ a Decano ejusdem, reliqui vero Clerici a Vicario Generali graviter puniantur. Cujus rei executionem seriam prædictis Decano et Vicario sub gravissima pœna arbitraria injungimus.

« Canonici et alii Clerici omnes non frequentent in posterum tabernas, neque intersint choreis, nisi fuerint invitati ad nuptias, et tunc sese accommodent ad constitutiones Synodi Provincialis Salisborgensis: contravenientes puniantur a Decano et Vicario ut supra.

« Canonici et alii Clerici in testamentis concubinis eorumdemque spuriis ex institutione nihil relinquant, factaque jam testamenta hujuscemodi rescindimus et annullamus: siquidem sacris Canonibus cautum est, ne concubinæ aut spurii hæredes instituantur, nisi intercedat dispensatio; sed filiis ex æquitate canonica poterunt legari alimenta.

« Cum hactenus a quibusdam Clericis malitiose fuerint obtentæ ædes Capitulorum Cathedralis et Collegiatarum Ecclesiarum ad duo vel tria aut quatuor corpora cum magno dedecore ac detrimento earumdem Ecclesiarum, ut quæ postea concubinis et earundem liberis relinquebantur inhabitandæ, nolumus, ut ædes in posterum cuiquam concedantur, nisi vita ipsius durante.

« Mandamus Dominis Christophoro Gail sac. Theologiæ Licentiato, Prodecano et Canonico Ecclesiæ Cathedralis, ac Ludovico Schrenck J. U. Doctori, Canonico ejusdem Ecclesiæ et Vicario Generali, ut quamprimum perlustrent et inspiciant omnes libros Canonicorum et aliorum Clericorum, quorum habentes libros hæreticos ac prohibitos condigne puniant, ac libros hujusmodi ablatos igni tradant.

« Cum hactenus Sacramentum Confessionis admodum fuerit neglectum a Canonicis et aliis Clericis, ut qui raro, aliqui semel tamen in anno et alii interdum peccata sua nunquam confessi sint, admonemus et hortamur omnes, ut in posterum circa confessionem assidui ac devoti sint, quemadmodum Dei Sacerdotes decet, quos purissimos esse oportet. In qua Superiorum conscientias oneramus, si non diligenter inspexerint.

« Admonemus etiam Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, ut deinceps sæpius Missam celebrent, nec expectent, ut ex officio cogantur, veluti hactenus factum est. Privatæ autem Missæ non celebrentur amplius absque respondente; et dum celebratur, omnia distincte, clare ac devote proferantur, et fiant, ut tanti Sacrificii dignitas postulat: et ad calices purificatoria semper adhibeantur.

« Claves ciborii non relinquantur amplius in manibus æditui, sed dentur alicui Canonico aut alii Sacerdoti asservandæ, et sacræ vestes laceræ ac discissæ resarciantur, et omnia quæ ad altaria, templum ac sacrarium spectant, munda ac nitida teneantur.

« Cum hactenus aliqui ex Canonicis et aliis Clericis censuris irretiti, non impetrata absolutione ingredi Ecclesiam veriti non sint, et officiis suis fungi, monemus omnes, ut conscientiam suam inspicere velint, et si qui adhuc in eo luto hæreant, ut absolutionem procurare atque in posterum diligenter cavere studeant.

« Nemo in posterum deambulet in templo,

præsertim sub horis Canonicis, multominus sub Sacro, et maxime summo officio, cui omnes Canonici interesse debent, aut garriat: res enim homine Christiano nedum Ecclesiastico indignissima videtur, ut in domo Dei ita versari audeat, præsertim tempore divinorum officiorum, ut nonnulli ex Canonicis hactenus fecerunt.

« Caveant, ne secreta Capituli amplius revelent Sæcularibus, ut hactenus fecerunt tam concubinis, quam aliis: et contravenientes puniantur ac voce Capituli priventur.

« Mandamus præterea summo Scholastico, nec non Vicario Generali, ut scholæ, cujus hactenus nullam rationem habitam intelleximus, diligentem curam suscipiant, ut juventus bonis moribus et disciplinis instituatur: curet etiam Ludirector, ut scholares pro ministerio altaris debite instruantur, nec diebus Dominicis ac festivis ante finem summi Sacri choro exeant.

« Admonemus etiam et mandamus, ut constitutiones Synodi Provincialis ad ipsos pertinentes diligenter et inviolate observent ac custodiant, ut tenentur ac debent.

« Admonemus quoque, ut sæpius ac diligentius fiant rationes Ecclesiæ atque custodiæ.

« Cum ob diversas rationabiles causas, maxime propter infirmitatem Dñi Joannis ab Adelzhausen Decani Ecclesiæ Cathedralis, D. Christophorum Gail Canonicum ejusdem Ecclesiæ et Prodecanum, qui prædicti Decani vices et officium exerceat, de communibus totius Capituli suffragiis ac consentientibus votis Apostolica auctoritate instituerimus, quousque aliter a Sanctissimo Domino Nostro disponatur, vobis omnibus et singulis ejusdem Ecclesiæ Canonicis serio mandamus, ut dicto Prodecano in his, quæ officii sui erunt, omnem obedientiam præstetis ac reverentiam adhibeatis.

« Postremo quod ad reliqua pertinet, monemus et hortamur omnes ac singulos tam Canonicos, quam cæteros Clericos, ut in cultu divino procurando, officiis suis diligenter exercendis ac vita honeste et cum laude traducenda seduli et assidui esse studeant.

« In quorum omnium fidem etc. Actum Frisingæ anno a Nativitate Domini 1578. die vero 18. Octobris. Pontificatus etc.

XIII. — Qui Canonici obsequentissimo se animo jussis obtemperaturos fore profitentur. (*)

(*) Germania Vol. 129. fol. 251.

Responsum Capituli Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis ad monita ac mandata Rñi Episcopi Scalensis, Nuntii Apostolici.

« Reverendissime in Christo Pater, Breve Apostolicum a Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papa XIII. ad nos directum, perque Reverendissimam D. V. nobis insinuatum, humillima (sicuti decet) reverentia accepimus. Quæ præterea Rña D. V. tanquam Nuntius Apostolicus cum potestate Legati de latere ex Sanctitatis Suæ mandato nobis oretenus proposuit, similiter debita animi submissione percepimus, dolentes summopere nos vitæ ac status nostri tempore præterito non meliorem rationem habuisse, quam ut tales tamque graves apud Sanctitatem Suam querelæ de nobis subortæ sint. Verum cum animus emendandi jam in promptu sit, nosque ad illud vitæ genus tendamus, quod Deo. Opt. Max. placitum, ad Reip. Christianæ emolumentum animarumque nostrarum salutem cessurum non diffidimus; idcirco Rñæ D. V. vigore præsentium promittimus et pollicemur, nos ea omnia, quæ nobis per Rñam D. V. ex mandato Apostolico injuncta sunt, pro posse ac viribus nostris adimpleturos, vitamque nostram sic instituturos, ut Sanctitas Sua nullius indignationis contra nos causam habere possit: Rñam D. V. humillime orantes, ut apud Sanctitatem Suam, in quantum potest, nos excusare, emendationem promittere atque ad pedum beatorum oscula commendare, et sibi etiam quam commendatissimos habere non dedignetur. In fidem ac testimonium præmissorum nos omnes tunc temporis præsentes Canonici manu propria subscripsimus, sigillumque Capituli nostri præsentibus appressimus. Actum Frisingæ xix. Octobris anno Domini 1578.

Alexander Secundus. – Fuccarus Præpositus. – Joannes ab Adelzhausen Decanus. – Valentinus Sommer Scholasticus etc. – Jo. Thomas ab Rorbach Senior. – Joachimus a Wemding Canonicus. – Joannes Pfister J. U. Doctor et Canonicus. – Adamus de Berwang etc. – Joannes Jacobus a Burkenhofen. – Ludovicus Schrenck D. Vicarius et Officialis. – Christophorus Gail. – Guilhelmus Bastynus.

« Omnes Canonici Cathedralis Ecclesiæ præsentes propria manu subscripserunt, excepto Canonico Lucio, qui ob ægritudinem et omnium membrorum resolutionem nec digitum movere, nedum subsignare potuit.

XIV. — Ducem etiam Bavariæ sub finem hujus anni adiit, frequentesque cum eodem de rebus Ecclesiæ sermones habuit. En quæ ipsi libero sane animo proposuit ac commendavit. (*)

(*) Germania Vol. 129. fol. 290.

Proposita nomine Sanctissimi Domini Nostri Gregorii XIII. Pont. Max. Serenissimo Duci Bavariæ per me Fr. Felicianum Episcopum Scalensem et Nuntium Apostolicum.

« Cum jam Serenitati Vtræ exposuerim mandata, quæ habebam circa negotium Serñi Archiducis Caroli, restat nunc ut ad alterum caput accedam, quod proprie ad Vestram Serenitatem pertinet. Quotiescunque Sanctissimus Dominus Noster ardentissimum Serenitatis Vestræ zelum, singularem pietatem ac summam diligentiam in retinenda, conservanda, tuendaque fide ac religione Catholica mente contempla-

tur, plurimam animo lætitiam capit : facile enim perspicit, Serenitatem Vestram ita in omnem partem eniti, et Ecclesiæ Catholicæ operam ac patrocinium suum multis curis, vigiliis et laboribus utiliter susceptis præbere, ut in Serenitate Vestra Ecclesia firmissimam columnam habeat, qua hisce calamitosis ac turbulentis hæresum temporibus sustentetur, ac fulciatur ab hostium impetu, qui eam deturbare ac demoliri frustra conantur. Quæ Serenitatis Vestræ pia et christianissima opera ut Deus Opt. Max. in cœlis misericordiæ ac beneficentiæ suæ benignis oculis intuetur, certissima et propria eis præmia designans, ita in terris S. Mater Ecclesia libenter quoque agnoscit, ejusque loco Summus Pontifex, quoad poterit, tum erga Serenitatem Vestram, tum etiam universam Domum suam clarissimam compensare studebit, Serenitatem Vestram adhortans, ut non solum ita Ecclesiæ opitulari pergat, sed etiam interdum Ordinarios officii admoneat, excitet et inflammet ad visitationem et reformationem serio instituendam ac cum fructu perficiendam, a qua Ecclesiæ universæ bonus status ac tranquillitas maxime pendeat, necessaria eis auxilia per ditionem suam quoque præstando. Nam cum Sua Sanctitas eosdem sæpe cum per litteras, tum per Nuntius suos diligenter de eadem re admonuerit ac paterne rogaverit, parum tamen, imo nihil apud eorum aliquos hactenus cum piorum omnium scandalo et summa Catholicæ religionis jactura profecisse videtur, ut qui semper hanc excusationem prætenderint, quod a Ministris, hoc est Præfectis, Rectoribus atque aliis Officialibus Principum secularium impediantur, quo minus jurisdictione atque officio suo libere fungi possint. Quare mandavit mihi Sua Sanctitas, ut querelas ab Ordinariis ad Suam Beatitudinem delatas Principibus secularibus proponam, et cum iisdem agam, quatenus omnia hujusmodi impedimenta, si quæ erunt, tollenda procurent, et Ordinariis visitantibus ac reformantibus quibuscumque poterunt modis præsto esse, atque auctoritate etiam sua negotium tanti momenti promovere velint, ut optatos effectus sortiatur, nec Ordinarii deinceps quicquam conqueri impedimenta afferre, et in alios negligentiæ culpam convertere debeant. Nam cum Sua Sanctitas magno animi dolore consideret, in Provincia Salisburgensi et locis finitimis una cum abusibus et scandalis hæreses quoque incrementum sumere, maxime necessarium existimat, ut Ordinarii hujus Provinciæ Synodum Provincialem a Sancta Sede jam pridem approbatam, et ab eis promulgatam ac receptam executioni mandent, necnon instituant diligentem et accuratam visitationem, vitia Cleri extirpando, abusus et scandala tollendo ac (Deo adjuvante) cursum hæresum adeo periculosum reprimendo. In quibus cum aliquando difficultates et impedimenta se objiciant propter inobedientiam populi, licentiam Nobilium et abusum Ministrorum, nihil dubitatur, Serenitatem Vestram perspecta utilitate, inde sperata et extrema necessitate idipsum postulante, sua sponte ac voluntate præstituram, ut Ordinarii officium suum exercere valeant, quod certe recte ac cum fructu exerceri non potest, quando opponuntur obstacula, quæ etiam ab ipsis malis Ecclesiasticis seditiosis subditis, Ministro aliquo Principum secularium, vel Nobilibus et Baronibus hæresi infectis, aut erga religionem et statum Ecclesiasticum parum æquis procurantur. Est autem adhuc tempestivum per Dei gratiam ejusmodi sanctam operationem cum spe boni fructus incipere, ex qua magnam partem meritorum apud Deum Serenitas Vestra obtinebit : siquidem non solum absque confusione et perturbatione functionem spiritualium ac secularium favebit Prælatis, ut officium suum faciant; verum etiam eis auctoritatem et auxilium suum ad id præstabit, ac tam utilem, necessariam et justam actionem totis viribus provehet : quoniam nisi Ordinarii serio executionem hujusmodi rerum semel capessant, ex frigidis et inconvenientibus principiis non poterit expectari (sicut et antea accidit) nisi finis infructuosus ; quod non est aliud quam fomes scandalorum et sustentatio hæresum, certissimarum pestium et corruptelarum omnium Provinciarum et Dominiorum quantumlibet magnorum et potentium. Ad Vestram autem Serenitatem habeo sequentia, quæ ideo exponuntur Serenitati Vestræ, ut non solum Ordinariis negligendi officii omnis occasio præcidatur, sed etiam ut Sua Sanctitas super iis a Vestra Serenitate instructa, Ordinariis respondere possit. Hæc ipsa vero ita sunt in instructione, quam habui a Sua Sanctitate de verbo ad verbum, ut a me proponuntur.

« Quod in Bavaria Magistratus secularis de mortuis Clericis, præsertim ditioribus ac Prælatis, intrudat se in bona illorum conficiendo inventarium ac disponendo, ac Prælato aliquo vita functo non solum inventarium conficiat, verum etiam œconomos instituat et jus in bona temporalia sibi vendicet, ita ut etiam cum aliquam magnam pecuniæ summam reliquit, eam aliquando sub pretextu mutui ad se arripiat, et auctoritatem novum Prælatum in possessionem immittendi sibi usurpet : imo etiam quod vacantibus Prælaturis Ordinariis vel Capitulis sine voluntate Ducis liberum non sit ad electionis actum procedere.

« Item quod electus seu destinatus Abbas vel Præpositus non audeat Ordinarium pro confirmatione accedere, nisi prius se Duci vel suis præsentaverit, aut ab eis licentiam obtinuerit.

« Item quod iis, quibus beneficia per Ducem conferuntur, Officialibus ipsis multum dare de-

beant, qui non alio modo inducuntur, ut faveant eis ad promotionem.

« Item quod diversis in locis multa simplicia beneficia reperiantur, quæ a Patronis etiam officialibus Ducis detinentur, ut non satisfaciat fundationibus et obligationibus illorum. Proinde commonefaciendus erit Dux, ut Ordinariis auxilium suum præbeat.

« Item quod Patroni, licet conferant, nullos tamen præsentent ad beneficia vacantia (maxime non curata) pro confirmatione Ordinarii.

« Item cum Pii IV. et V. sanctæ memoriæ ac Sanctitas moderni Pontificis Archiepiscopo Salisburgensi indultum concesserint conferendi beneficia vacantia in mense Apostolico, quod nihilominus Dux etiam conferat.

« Item si Sacerdos aliquis non est solvendo, quod Magistratus sæcularis convocat creditores, ac super solutione decernat, bona etiam pauperis Sacerdotis sequestrando ac dispensando.

« Item si quispiam Sacerdos aliquid admittit, quod per Magistratum sæcularem in carcerem conjiciatur, et in litibus ac controversiis cum parte adversa coram illo convenire et concordare cogatur, ac pœna quandoque pecuniaria mulctetur, et ubi delictum gravius videtur, quod privetur suo beneficio aut parochia, et absque processu ac defensione quandoque relegetur ex territorio, vel Ordinario turpiter vinctus transmittatur iterum puniendus.

« Item quod præter annuas steuras et communes exactiones exiguntur quoque ab Ecclesiasticis personis alia multa pro Ducis arbitrio, veluti pro erectione ac sustentatione Collegiorum et aliarum rerum, ita ut Clerici ac Religiosi pessime tractentur; imo quod etiam canes venatorii in Monasteriis et Parochialibus Ecclesiis pasci debeant, ac tempore messis Parochorum equi in Ducis usum accipiantur.

« Item quod per Prælatos minores, Parochos et alios beneficiatos ad consensum Ducis bona Ecclesiastica, et interdum absque ulla Ecclesiarum necessitate oppignorentur ac vendantur, etiam sine scitu Ordinariorum. Qui si se opponant, quod nihil tamen efficere possint, licet etiam in nonnullis juspatronatos ad Ordinarios spectet.

« Item quod multi Prælati ac Monasteria cogantur aliquando magnas pecuniæ summas Duci mutuo dare, quæ vel nunquam aut certe cum difficultate restituantur.

« Item quod Prælati, Monasteria et Parochi, ut benevolentiam Officialium et Aulicorum Ducis retineant ac conservent, illis multa quotannis donare debeant, unde Ecclesiæ magnum dispendium faciant: et si facere neglexerint, quod offensionem illorum incurrant ac per illos etiam Ducis gratiam interdum perdant.

« Item quod Abbates, Præpositi, alii Prælati, administratores, œconomi per sæculares propria auctoritate instituantur, ac deponantur. Imo quod ab aliquo jam tempore introductum sit, ut cum Abbates ac Præpositi Monasteriorum vita defunguntur, Magistratus sæculares œconomos ipsorum loco instituant, impedientes, quominus Prælati pro more eligantur, et ubi Dux juspatronatus prætendit, quandoque non conferantur, vel sero. Quo tandem fiat, ut res Ecclesiarum ac Monasteriorum paulatim labantur ac ruant.

« Propter quæ gravamina et alias continuas exactiones conqueruntur Ordinarii Ecclesias et Monasteria ruinam minari, nec facile succurri posse. Quare admonendus erit Dux, ut hujusmodi indebita gravamina tollat, nec extraordinarias exactiones Clero imponat, quæ sine Ecclesiarum ac Monasteriorum detrimento exigi non possint, quatenus ædificia collapsa restitui et integra sarta tecta conservari, ac debita contracta solvi queant.

« Item quod Prælati minores, ac Parochi et alii Sacerdotes fere omnes cum ab Ordinario citantur, confugiunt ad Dominos sæculares, a quibus ipsorum defensio suscipiatur, et Ordinarii auctoritas imminuatur, officiumque impediatur. Cum vero ab Ordinariis citantur, etiam sub pœna excommunicationis, quod aliqui comparere renuant et ab Officialibus Ducis defendantur, quominus ab Ordinariis ad officium cogi possint. Imo quod pejus est, Nuntii ab Ordinariis ad illos missi inique etiam tractentur.

« Item quod ob justas causas rejectos a confirmatione beneficiorum detineant Laici.

« Item si Monachi apostatæ vel alii Clerici propter flagitia ab Ordinariis ejiciuntur ac pelluntur, quod a sæcularibus potentioribus suscipiantur ac defendantur.

« Item quod causæ matrimoniales coram Magistratibus sæcularibus transigantur, præsertim arcium et oppidorum Præfectis.

« Quare commonefiat Dux, ut dicta impedimenta omnia tollantur, quatenus Clerum sub obedientia Ordinariorum vivere, et Ordinarii ipsi Ecclesiarum necessitatibus prospicere possint, nisi velit, ut omnia spiritualia cum temporalibus ruant.

« Monendus est Dux Ordinarios graviter conqueri, quod impediantur, ne visitare et Ecclesiis pro necessitate providere possint, tum quia Ordinariis hæc facere non liceat, nisi prius accedat consensus Principis, ac certum tempus præscribatur: tum etiam quia nihil illis permittatur, nisi assistant etiam Principis Officiales, quod quidem jurisdictionem Ecclesiasticam multum imminuit, et Ecclesiis ipsis in damnum cedit; quia impensis ac sumptibus Ecclesiarum adveniunt et assistunt, viatica exigunt, omnia

quæ tractantur scire volunt, et interdum discolis occulte favent, acceptis muneribus, ac pravam vitam illorum excusationum velo tegentes apud Principem commendant, interdum etiam bonis detrahunt, et apud Principem in offensionem adducunt, si nullum munus dederint. Dicuntur autem prætendere hanc potestatem eo pretextu, quod cognitionem rerum temporalium non ad Ordinarios, sed ad Ducem spectare affirment. Quo fit, ut captata occasione etiam spiritualia inspicere ac scire velint. Quare commonefaciendus Dux, ut ab hoc in posterum abstineat, cum non spectet ad ipsum visitatio, neque ut sui assistant visitationi, nisi Ordinarii ejus auxilium requirant. Nec vero est, quod timeat, ut Ordinarii ex bonis Ecclesiarum aliquid asportent, cum id clam ipso facere non possint, unde si contigerit, (quod tamen non est credibile) tum posset conqueri et obstare.

« Item conqueruntur Ordinarii, quod etiam in temporalibus bonis, redditibus et quibuscumque obventionibus Monasteriorum etiam a suis prædecessoribus fundatorum nulla sibi a Duce dispositio, nihilque juris permittatur, sed eodem pretextu jam dicto. Quocirca monendus Dux, ut illis officium integrum relinquat, ut supra dictum est.

« Cum ad Seminariorum erectionem ac sustentationem, quæ secundum decretum Concilii Tridentini ac Synodi Provincialis Salisburgensis ab Ordinariis instituuntur, deberent Prælati minores ac Parochi juste aliquam portionem singuli pro facultate sua contribuere, quod a Ministris Ducis interdictum sit illis, ut faciant: unde Seminaria negliguntur et Ecclesiæ non mediocre damnum accipiunt.

« Admonetur quoque Dux, et hortatur, ut cum Ordinariis conveniat, nec ita facile suorum omnium consiliis aures præbeat, cum illorum aliqui querant, quæ sua sunt, et muneribus se corrumpi sinant, Ordinarii autem nihil aliud propositum habeant, quam bonum publicum Ecclesiarum et Monasteriorum.

« Item ut Ordinariis auxilium omne non solum præbeat, sed etiam urgeat, quatenus omnes Monachi apostatæ et Clerici concubinarii e sua ditione exterminentur.

« Item ut Monasteria, præsertim Canonicorum regularium ac Benedictinorum, in quibus deficit regularis disciplina, in pristinum statum reducantur, et ubi non sunt Religiosi idonei ad docendos illos atque instruendos, aliunde accersantur.

« Item ut cum eisdem Ordinariis rationem aliquam ineat, qua Ecclesiarum ac Monasteriorum ædificiis ruentibus succurri, ac proventus annui, qui indies imminuuntur, conservari, ac potius augeri possint.

« Cum in civitate Ratisponensi sint multa beneficia simplicia a civibus hæreticis occupata, quorum redditus majore ex parte in ditione Ducis Bavariæ esse dicantur, rogatur Dux, ut Episcopo et Capitulo favere et auxilio esse velit, quatenus redditus illi recuperentur ac Seminario Ratisponensi applicentur.

« Hæc sunt, quæ Serenitati Vestræ hoc tempore Sanctissimi Domini Nostri jussu ac nomine proponenda et explicanda fuerunt.

Responsum Domini Ducis Bavariæ Alberti ad supradictos articulos. [*] [*] Germania Vol 129 fol. 103.

« Cum Domino Duci suprascriptas querelas et gravamina Ordinariorum oretenus Sanctissimi Domini Nostri nomine indicassem, postulavit a me, ut easdem Cancellario suo aulico Cristophoro Elsenhaymero et uni aut alteri Consiliariorum Ecclesiasticorum, quos ipse adjunxisset, etiam exponerem, et scriptas darem, ut super iis consultatio institui ac debita consideratio adhiberi posset; quod libenter præstiti, omnibus querelis ad suprascripta capita redactis. Ad hæc Dominus Dux, se quidem posse ex tempore etiam majori ex parte respondere dixit; sed tamen cum in quibusdam Officiales ipsius nutentur, quod velit prius ab ipsis de ratione rerum objectarum et serie informari, tum deinde alio tempore mihi in Bavariam redeunti consideratum responsum dare. In præsentiarum autem quod pertinet ad ea, quæ personam ipsius Ducis concernunt, universim immemorabilem multorum annorum consuetudinem in suam defensionem adduxit; sigillatim enim etiam ad ea respondebit alia vice commodius, quam primum suorum Officialium informationem super aliis articulis receperit. Sed tamen miratur, quod Ordinarii conquerantur, ipsum aut ejus Ministros impedire, quo minus debito officio fungantur, cum id per eos potius stet, quos etiam sæpe moneat et adhortetur, ut munus suum Ecclesiæ præstare velint, quod cum Ordinarii negligant, cogatur ipse interdum religionis in bono statu servandæ causa manus admovere, unde jam consilium Ecclesiasticorum in civitate Monacensi, absque præjudicio tamen Ordinariorum, instituerit in eum finem, ut disciplina Ecclesiastica, quæ Ordinariorum negligentia collabitur, in suo Dominio retineatur. Addit, ut inspiciantur civitates et alia loca omnia, quæ Ordinariis etiam in temporalibus subjecta sunt, ea enim cum non parva reformatione egeant, non tamen reformantur, neque visitantur, ut inde etiam existimet judicari posse, adductam Ordinariorum excusationem et culpæ contorsionem inanem esse et vanam.

XV. — Gregorius eidem Archiduci res Ecclesiæ in sua provincia denuo commendat, atque ab eodem poscit, ut sine cunctatione iis occurrat malis, quæ ex Murepuntano Conventu in religionis damnum dimanarunt. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An VII ep. 141 fol. 91.

Dilecto Filio Nobili Viro Carolo Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Optimo semper animo fuisse Nobilitatem Tuam in iis, quæ pertinent ad Catholicam Religionem, neque ulla ratione passurum esse te, quantum quidem in te erit, eam ulla in re violari, et antea certum habebamus, et hoc tempore summa cum voluptate cognovimus. Certiores enim facti sumus magnæ tibi curæ esse providere detrimento sanctæ Religioni illato in Conventu Murepuntano. Agitur, ut vides, Dei gloria, qua nihil tibi commendatius esse debet, nec quidquam est, in quo possit tua pietas majore cum laude aut fructu sese ostendere; sed nihil cunctandum est, facilius enim multo recenti malo, quam inveterato et confirmato succurritur. Contende igitur per eam, quam diximus, Dei gloriam, perque istorum populorum tuæ fidei ac pietati ab eodem ipso Deo commissorum salutem, tuamque majorumque tuorum perpetuam laudem in Catholica Religione tuenda atque amplificanda; ut ei malo quamprimum medearis, nihilque aut Deo ipsi, cui omnia debes, acceptius, aut Nobis bonisque omnibus optatius facere te posse existima. Longiores essemus, si te nostra cohortatione indigere putaremus, aut nostrum summum hac tanta in re desiderium satis explicare possemus. Omnia autem fusius cognosces ex venerabili fratre Feliciano Episcopo Scalensi Nuntio nostro, eique tum in hoc negotio, tum in cæteris, quæ dies ipsa feret, omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Octobris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XVI. — Cum Pontifex audivisset, Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Aquilejensis, inscio Carolo, ab exactoribus novarum impositionum vexari, eosdem Carolo per Cardinalem Comensem commendat, ut a molestiis liberarentur. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 25. ep. 117.

Serenissime Domine.

« Præteritis mensibus cum perlatum esset in notitiam Sanctissimi Domini Nostri, Canonicos Aquilejenses ab exactoribus novarum quarumdam impositionum in Comitatu Goritiæ valde molestari super pecuniis, quæ singulis diebus servientibus Ecclesiæ dinumerari solent, Sanctitas Ejus literis suis eos Celsitudini Vestræ commendavit, petiitque, ut juberet ab hujusmodi molestiis illos liberari: quod ipsa ut tunc prompto animo pollicita est, ita etiam postea jussisse eam non dubitamus. Sed quoniam auditur ministros illos et exactores adhuc Canonicis eadem de causa molestos esse, voluit Sanctitas Sua me ejus nomine his literis Celsitudinem Vestram hortari atque rogare, ut nolit permittere, ut hujusmodi vexationibus Canonici illi, et divini cultus exercitium amplius perturbetur. Erit id præstantissima Celsitudinis Vestræ pietate ac religione dignum, et Sanctitati Suæ valde gratum. Quod reliquum est, eam diu ac felicissime valere opto. Romæ die XI. Januarii MDLXXVIII.

PTOLOMÆUS CARD. NOVOCOMENSIS.

XVII. — Gregorius econtra huic tam sibi obsequenti Principi in ejus rei familiaris commodis augendis non deerat, quapropter Proregem Neapolis monet, ut ipsi centum millia aureorum, quæ eidem Rex Catholicus ex ærario regni Neapolitani dono dederat, quam primum curet persolvenda. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 161. f. 135

Dilecto Filio Nobili Viro Proregi Neapolis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Re ipsa experti sumus, summo semper studio curasse Nobilitatem Tuam omnia, quæcumque Nobis cordi esse cognovit, hoc autem summopere est, de summa centum millium aureorum a Rege Catholico dilecto filio Carolo Archiduci Austriæ donata, atque isthic persolvenda. Gratissimum igitur Nobis facies, si Regis ipsius liberalitatem singulari cum pietate conjunctam in fratre juvando, munitioneque jam cepta adversus immanissimi tyranni totius Christiani nominis hostis potentiam perficienda, tua quoque diligentia atque opera persequeris, curaverisque, ut ea pecunia quamprimum persolvatur. Id vero facturum te pro tuo perpetuo Nobis gratificandi studio non dubitamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XVIII. — In summa tamen nummaria difficultate maxime enituit Gregorii in Austriacam domum liberalitas. Nam Mariæ Imperatoris Maximiliani viduæ, præstanti pietate fœminæ, quinquaginta millia aureorum ex Archiepiscopatus Toletani spoliis in donum assignavit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 118. f. 127.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Hungariæ et Bohemiæ Reginæ Illustri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem etc. Semper optavimus tuis postulationibus gratificari, quibuscumque in rebus possemus, idque tuo magno merito: habemus enim perspectissimam pietatem tuam, et studium Dei gloriæ Catholicæque Ecclesiæ dignitatis, tum antea imperante Maximiliano viro tuo, tum hoc tempore Rodolpho filio. Postquam igitur non libenter utebaris nostro beneficio centum millium aureorum ex fructibus Archiepiscopatus Toletani; quia scilicet Catholicus Rex Philippus frater tuus jam eos exegerat, neque velles, quidquam agi, quod non ei gratissimum accideret, decrevimus in hac tanta difficultate nummaria, in qua versamur ob Sedis Apostolicæ impensas assiduas gravissimasque, aliunde providere Majestati Tuæ. Ita-

que mandavimus persolvi a nostro spoliorum Collectore in Hispania quinquaginta millia aureorum ex iis, quæ non fuerant usque ad diem obitus Archiepiscopi a Catholico Rege aut ab alio exacta. Qua de re planius cognoscet Majestas Tua ex eo ipso, quem hujus rei gratia ad Nos misit. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Januarii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XIX. — Ferdinandus Caroli Archiducis frater, ejusque pietatis et religionis æmulator, ex intimis animi sensibus cum Pontifice dolet, quod quamvis nihil unquam prætermiserit, quod ad novas hæreses e suis provinciis exterminandas prodesset, tamen in Alsatia, Suntgovia et Brisgovia in dies magis novorum dogmatum sectatores augerentur, erroresque latissime effunderentur. Cum autem huic gravissimo damno obviam iri nulla alia potiori ratione posse cognosceret, quam si plurimi suppeterent probatissimi divinis humanisque litteris instructi sacerdotes, quorum in iis provinciis pauci admodum reperiebantur, exorat Pontificem, ut earum regionum Episcopos, Constantiensem inquam, Basileensem, Argentinensem atque Bisuntinum pro sua auctoritate non hortari modo, sed et impellere velit, ut dent operam secundum Tridentinum decretum Seminariis Clericorum instituendis, ex quo Catholicorum præceptorum copia facta parentibus posthac non sit necesse, infectis hæresi magistris liberos suos instituendos tradere. [*]

[*] Germania Vol. 88. fol. 103.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dñe Clementissime.

« Humillimam mei commendationem et pedum oscula beatorum. Quamquam Sacra Romana Cæsarea Majestas quondam Ferdinandus, Dominus ac parens meus colendissimus, augustæ memoriæ, et post obitum suæ Majestatis ego quoque, ut filius et successor, in omnibus meis ulterioris et citerioris Austriæ provintiis plurima eadem seria mandata passim publicari fecerimus, quibus omnibus Præfectis et Officialibus, vicesque nostras gerentibus serio præceptum atque injunctum fuit, ut hoc unum præcipue curarent, atque in eo solliciti et intenti essent, quo non solum ipsi, verum etiam subditi nostri ipsis a nobis commissi, veræ atque Catholicæ religionis nostræ, obedientiæ atque ordinationis Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cultum, a majoribus nostris ad hæc usque tempora admodum pie ac sancte derivatum conservatumque, firmiter atque constanter retinerent, neque ullas fidei nostræ adversarias et novas sectas, aut hæreticas atque damnosas opiniones introduci sinerent; verum ut ejusmodi novorum dogmatum propagatores ipsorumque assectatores nusquam reciperentur, sed ubique expellerentur, ac pœnis debitis coercerentur, enixe ac diligenter procurarent: tamen Beatissime Pater, non absque gravi animi mei mœrore certior factus sum, quod non obstantibus jam præmissis nihilominus ejusmodi damnati Sectariorum errores antedictos ulterioris Austriæ meæ provintias, utpote Alsatiam, Suntgoviam, Brisgoviamque (eo quod hæc loca undique hæreticis circumvicinis pateant) jamdudum invaserint. Quibus fidelium subditorum meorum malis atque incommodis ego tanquam Princeps Catholicus, et Sedis Apostolicæ filius obsequentissimus pro viribus obviare atque mederi volens, nec quicquam tantopere cupiens, quam ut vera atque Catholica religio in omnibus meis provintiis et ditionibus integra et inconcussa conservetur, Sectarii autem omnes una cum exitiosis ac detestandis ipsorum erroribus explodantur, nunc rursus ejus rei causa seria mandata promulgavi, et ut ea ab omnibus subditis meis stricte observarentur, atque earundem transgressores et inobedientes debitis pœnis afficerentur, ejus rei sedulam animadversionem Regentibus et Consiliariis meis ulterioris Austriæ provintiarum demandavi. Cum autem ultra hæc ad prosequendam animi mei intentionem plurimum emolumenti allaturum intelligam, quando Ecclesiæ parochiales et beneficia piis, doctis atque probatis presbyteris et pastoribus regendæ committerentur, qui populum fideliter exhortari, riteque instituere, atque hoc pacto in Ecclesia Dei uberrimos fructus proferre possent, facere equidem non potui, quin hac in re Sanctitatis Vestræ paternam opem obedienter implorarem atque requirerem, eandem Sanctitatem Vestram demisse rogans, ut pro sua qua fungitur pastorali sollicitudine et potestate Reverendos Episcopos Constantiensem, Basiliensem, Argentinensem et Vesuntinensem (quorum Diœceses in prædictas meas provintias extenduntur) non solum paterne admonere, verum serio quoque ipsis mandare velit, ne in hoc suis partibus desint, sed omnino in hoc incumbant, ut idonei, probi atque pii sacerdotes Ecclesiis præficiantur, et sæpius illorum Diœceses visitentur, omniaque vitiosa apud Clerum removeantur et exterminentur. Et quia ut plurimum interest, ut juxta sanctissimum Concilii Tridentini decretum Seminaria ad juventutem probe instituendam erigantur, ut vel hoc pacto aliquando viri idonei et honesti tam ad Sæcularia quam Ecclesiastica ministeria obeunda educari, et Ecclesiæ Dei, aliisque offitiis prodesse possint, quæ res hucusque per supradictos Diœcesanos dilata et suspensa videtur. Rem certe Sanctitas Vestra apprime utilem, maximeque necessariam fecerit, si sua authoritate adhortabitur eos, et urgebit negotium, ut quamprimum Sacrosanctum illud decretum cum effectu executioni mandetur et pium hoc institutum studiose per ipsos

promoveatur, quo quidem fiet, ut antedicti subditi mei posthac liberos suos dictis collegiis ac Seminariis, utpote ab omni hæretica pravitate puris et incontaminatis Catholice erudiendos concredant, neque ita juventus ad circumvicinas hæreticorum scholas et collegia studiorum causa confugiat, et a primis annis hæreticorum pestiferis opinionibus imbuatur, sicque alii in perditionem trahantur. Quod equidem, sicuti honestum, atque Reipublicæ Christianæ utile et necessarium fore censeo, ita haud difficulter a Sanctitate Vestra, quam Omnipotens Deus fœlicem Ecclesiæque suæ statum diu ac votive sospitem et lætum conservet, me obtenturum confidenter spero. Datæ Oeniponti decima octava die mensis Februarii, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ
FERDINANDUS.

XX. — Gregorius, cui tantum rei catholicæ in laico Principe studium gratissimum erat, nihil interposuit temporis, quominus mox ejus postulatis satisfaceret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI ep. 186 f. 117.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quod summopere optamus, ut certiores efficiamur, quid in quaque diœcesi sit, in quo possimus diligentiam eam, quam debemus Deo et Dño Nostro Jesu Christo præstare rogando, hortando, monendo, hoc Nos consecutos esse ex literis Nobilitatis Tuæ datis XVIII. Februarii incredibiliter lætati sumus. Recte autem sapienterque judicas Dei gloriæ et animarum saluti his maxime rebus consuli probis ac piis sacerdotibus Ecclesiis præficiendis, Ecclesiastica disciplina iis in locis, in quibus depravata est, restituenda (quod quidem sine frequenti visitatione fieri non potest) et Seminariis ex decreto Concilii Tridentini constituendis. Quibus de rebus scribimus ad eos Episcopos, quos nominas, hortamurque, ut hæc curent quam diligentissime. Speramus, illos suo muneri nostræque expectationi minime defuturos. Si quid aliud erit, in quo intelligas, posse Nos, nostram operam navare Christo, Catholicæque ejus Ecclesiæ, rogamus, ut Nos certiores facias: sic enim et tua apud Deum merita augebis, et Nobis id, quod in primis cupimus, ejus gloriæ istic inserviendi facultatem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Martii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXI. — His Catholicæ fidei in tam necessario Germaniæ tempore tutoribus ac defensoribus accedebat etiam Clivensis Dux, qui sane in postremis Comitiis Imperii immodicis Protestantium postulatis valde obstitit. Cujus rei fidem faciunt tum Bartholomæus a Portia, tum ipsius Principis ad Pontificem litteræ: in quibus tamen preces sæpius antea porrectas iterat de communione sub utraque specie suis subditis concedenda. [*]

[*] Germania Vol. 27. fol. 11.

Sanctissimo Beatissimoque in Christo Patri et Dño Gregorio Divina providentia Papæ XIII. S. Romanæ Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

Post debitam more Majorum meorum observantiam.

« Sanctissime Beatissimeque Pater. Cum Reverendissimus Dñus Bartholomæus de Portia ex Comitibus Purlitiarum, Sanctitatis Vestræ Nuntius Apostolicus, in suo transitu per nostras ditiones non solum nobis Sanctitatis Vestræ mentem et intentionem ad longum declaraverit, Sanctitatem Vestram celare haud possumus, nos eo animo semper fuisse, et adhuc esse, quo sacra Orthodoxa Catholica religio non secus, ac per nostros majores fœlicis memoriæ factum, promoveri ac conservari possit. Neque ullam libertatem vel mutationem Catholicæ religioni adversantem permittemus, multominus etiam unquam a filiali debita obedientia erga Sedem Apostolicam discedemus, quemadmodum hujusmodi voluntatis nostræ nos in Comitiis Principum Germaniæ declaravimus, et Sanctitas Vestra ex prædicto Nuncio plenius cognoscet. Quod autem cum ipso Nuncio de dispensatione communionis sub utraque specie communicaverimus, non dubitamus, quin ipsemet Sanctitati V. probe hoc explicaturus sit; et Sanctitas Vestra sibi certo persuasum habeat, nos nil aliud hac in re, quam salutem et tranquillitatem nostrorum subditorum quærere. Ideo Sanctitatem Vestram obnixe rogamus, ut nostris precibus benigne et paterne annuere non dedignetur, atque Sanctitati Vestræ nos humiliter hisce commendamus, cui prosperum et fœlicem successum in omnibus, quæ ad Ecclesiæ Christi honorem pertinent, exoptamus. Datæ in Arce nostra Hambach 28. mensis Januarii anno Domini 1578.

S. V. Obsequentissimus filius
GULIELMUS DUX JULIÆ ETC.

Prudentissimus Pontifex, Ducis in avita fide tuenda laudata cura, scribit, se celebrem illum Petrum Canisium e Societate Jesu ad eum missurum, qui suis verbis de gravissimo calicis concedendi negotio cum eo colloqueretur, edoceretque, quid ea in re vertatur discriminis. Ad hæc circa res Ecclesiæ Monasteriensis, de quibus Dux sæpius scripserat, respondet, se mandasse eidem Canisio, quid agere deberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI. ep. 205. f. 437.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostoli-

eam benedictionem. Nunquam fuit Nobis obscura tua pietas, digna ista tua excellenti tum generis tum animi nobilitate, et perpetua majorum tuorum laude in Catholica Religione ab hostium injuriis tuenda, Sedisque Apostolicæ auctoritate colenda. Hanc vero pietatem a te commemorari, et a Portia Nuncio nostro in suis literis summis laudibus celebrari, atque extare in repudiandis impiorum hominum postulatis, quantopere lætati simus, novit Deus, cui cor nostrum patet: Nos certe id verbis explicare non possumus; quod possumus, hoc facere non desistimus, ut præclaram istam voluntatem et factum tuum Divinæ bonitati offeramus, precemurque tibi, domuique tuæ, cunctæque ditioni omnem tum in hac vita, tum in futura felicitatem; iis vero, qui a fide orthodoxa alieni sunt, veritatis agnitionem, quæ quidem sancto et syncero hujus ipsius fidei cultu continetur. Quod scribis de concedenda laicis communicatione sub utraque specie, qua etiam de re Nuntius Portia fusius ad Nos perscripsit, quia maximi momenti res est, pertinetque ad tam multarum animarum salutem: Nuncius autem istinc abest, optimum factum judicavimus mittere ad Nobilitatem Tuam dilectum filium Petrum Canisium Jesuitam, virum ea doctrina, pietate, integritate, religione, quam omnes norunt: is exponet Nobilitati Tuæ nostris verbis ea, quæ censemus esse in hoc negotio magnopere consideranda. De rebus Ecclesiæ Monasteriensis, in quibus sæpius scripsisti, Scholasticum illum improbissime versari, omniaque miscere et perturbare, ostendistique, quantopere conveniat provideri atque hominis audaciam frangi, mandavimus Canisio, quid agere debeat. Ipsum igitur libenter videbis, atque audies, unicumque ei fidem tribues, certumque habeto, te, ditionemque tuam omnem Nobis summopere cordi esse, nec quidquam magis cupere Nos, quam nostram perfectissimam erga omnes voluntatem quibuscumque rebus possumus declarare. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXII. — Cum Westerholtio postea de quibusdam famosis libellis ab eo editis expostulat: cumque Romam se purgatum evocat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI. ep. 515. f. 657.

Dilecto Filio Conrado Vesterholtio Scholastico Monasteriensis Ecclesiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Cum aliquorum testimonio acceperimus, te nonnulla isthic commisisse, et præsertim libellos aliquos famosos edidisse in grave scandalum bonorum omnium; etsi talia facile non credimus; quia tamen te de iis purgatum apud Nos vehementer cupimus, Apostolica Auctoritate tibi committimus et mandamus, ut postquam hæ tibi redditæ fuerint literæ, nulla interposita mora iter ad Nos arripias, nostroque conspectui te primo quoque tempore repræsentes, ut si de innocentia tua Nobis constiterit, quod optamus, nostræ benignitatis et gratiæ notam aliquam reportaturus quamprimum in patriam redeas. Quod si mandatum hoc nostrum, quod absit, exequi neglexeris, et quominus venias, excusatione ac tergiversatione quacunque uti volueris, te ex nunc uti inobedientem et contumacem ab officio et beneficio suspensum decernimus, et declaramus, volumusque, te ut talem omni et quacunque appellatione remota, ex Choro et Capitulo ejici, nec vocem ullam activam vel passivam habere, nostro nihilominus arbitrio inflictionem gravioris pœnæ reservantes. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, atque istius Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Verum cum Gregorio suspicio incesserit obstinatissimum hunc hominem suis mandatis non esse obtemperaturum, Clivensi Duci negotium dedit, ut si Romam ille venire detrectaverit, eum comprehendi, tutaque in custodia haberi jubeat, donec possent provideri, quæ ex jure essent. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VI. ep. 213. f. 663.

Dilecto Filio Nobili Viro Gulielmo Juliæ Cliviæ Duci.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Quia gravissimorum virorum testimoniis certiores facti sumus, Conradum Vesterholtium Ecclesiæ Monasteriensis Scholasticum multis in rebus graviter deliquisse, et inter cæteras libellos quosdam famosos edidisse magno cum bonorum omnium scandalo, et Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione; quo etiam facto in magnam suspicionem venit hæreticæ pravitatis, mandavimus ei per nostras literas, ut sese nostro conspectui quamprimum præsentaret, seque purgaret. Et quamquam causa nulla est, cur non obtemperet, tamen si diabolica perversitate obstinatus id facere recusaverit, aut excusationes aliquas commentus fuerit, ex quibus conjici possit, ipsum tergiversari, monemus Nobilitatem Tuam, proque nostro jure, et Ecclesiæ Monasteriensis pacis ac tranquillitatis desiderio, Catholicæque Religionis zelo, quem in Tua quoque Nobilitate præcipuum esse agnoscimus, mandamus, ut ipsum prehendi cures, atque in loco tuto et sub fida custodia retineri, quoad provideamus ea fieri, quæ jus postulare intelligimus. In quo et tuo muneri satisfacies Catholicæ religionis dignitati, atque hujus Apostolicæ Sedis auctoritati inserviendi, et Nos tuam hac in re obedientiam mutuis officiis compensabimus. De complicibus

etiam, deque eorum motibus Nos certiores facies. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXIII. — Electio Archiepiscopi Coloniensis præter omnium bonorum expectationem eum exitum habuit, ut hæretici tantum homines lætarentur. Canonici enimvero illius Capituli, quorum plerique (quod ita miserrima illa tempora ferebant) falsa neotericorum placita fuverint, spretis paternis Pontificis monitis, nullaque ratione habita de Cæsaris voluntate deque votis aliorum Catholicorum Imperii Principum, qui omnes Ernestum Bavarum potissimum maluissent, eumque maxime commendaverant, fœdissima conspiratione conflata Truchsessium Archiepiscopum Coloniensem renunciaverunt. Igitur nebulo iste illum amplissimum episcopatum, duobus tantummodo excedentibus Suffragiis, quæ ipsi homines de hæresi palam suspecti contulerunt, obtinuit. Quare Ernestus non tam ob sibi illatam injuriam, quam ob Ecclesiam illam in discrimen vocatam adeo turpi electioni optimo jure hisce ad Pontificem litteris intercessit. [*]

[*] Armar. XII. caps. 3. N. 15.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine Benignissime.

« Humillimi et ad Sanctorum pedum oscula devota proni filii officia paratissima. Nisi plus valuisset hominum religioni, arisque nostris inimicorum conspiratio, quam Sanctitatis Vestræ ac Sacræ Cæsareæ Majestatis, aliorumque Catholicorum Principum de Archiepiscopatu Coloniensi desiderium et voluntas, nihil esset, cur quererer: nunc illorum diurnis nocturnisque consiliis, studiis et machinationibus effectum est, ut justas ad Sanctitatem Vestram querimonias adferam, non de contemptu meo invidiave, quæ immerenti æquo animo toleranda est: sed de Sanctitatis Vestræ in provinciam eam cura, pietate et sollicitudine ab hominibus male de nostra fide sentientibus serio delusa, de spreta a viris veterumque ac novorum canonum sanctitate et integritate, quam majores nostri tantæ rei semper accomodandam esse voluerunt: denique de rejectis tot Principum optimorum legationibus, precibus, studiis, quos mei causa molestiam, laboremque suscepisse, et nihil præter ignominiam reportasse vehementer doleo.

« Ego quidem cum conventicula eorum clandestina, conjurationesque sæpius animadvertissem eo demum tendere, ne eligeretur is, qui Sanctitati Vestræ et reliquis Principibus placeret: quantum potui, omni conatu, studio ac diligentia contra niti non destiti, quo ab electione sejungerentur, qui se dudum ab Ecclesia nostra Catholica sejunxissent, qui sacra, ritusque nostros contempsissent, et ut ante nunquam, ita ne eo ipso quidem Electionis tempore, quo publica supplicatio ad Sanctum Spiritum a reliquis habita fuit, in chorum prodire voluissent, haud obscure, quo spiritu ducerentur, declarantes. Itaque et in ipso Electinnis actu ante scrutinium de celebranda canonice electione removendisque iis, qui de jure electionibus interesse non deberent, vel saltem eorum votis non computandis protestatus sum, capitulumque ita tum de ea re, tum de votorum minorum ad majora accessione decrevit. Et post scrutinium, cum renunciatum esset, majoribus Suffragiis electum esse Fruchsessium contra inutilem pravamque votorum collationem et illegitimorum admixtionem, duorum nimirum, Hermanni Adolfi Comitis in Solms, et Joannis Baronis in Winnenburg, quorum votis partes contrariæ numero prævaluissent, uti manifestorum hæreticorum, solemniter et in specie excepi, eam mihi nocere, si quod mihi jus in ea Electione legitimorum votorum suffragiis acquisitum esset, ac super mala scrutinii publicatione ad ulteriora, donec illegitima vota deleta non essent, procedi non debere protestatus sum. Sed (ut redeam ad principium) vicit malitia, et electio spontanea admixtione illegitimorum votorum nulla contra relevantem protestationem meam a scientibus et prudentibus publicata fuit. Quapropter cum considerarem ea in re adversarios Religionis nostræ, qui ad eam electionem cum magna expectatione venerant, tamquam de acta feliciter fabula majorem in modum plaudere, superbire et audacius lascivire, et quia religio, aliaque omnia Ecclesiæ jura in ea electione graviter afflicta erant, me adhortantibus, cogentibusque, prætermittendum mihi non putavi, quin ad oppositionis remedium, cum aliud non viderem, confugerem, et ad Sanctitatem Vestram hujus rei verum supremum judicem provocarem. Nam quem nemo fallere potest, ipse cuncta intuens et judicans Deus novit, videtque nullius privatæ utilitatis causa, quam dudum spernere didici, sed meræ pietatis amore, et fidei nostræ catholicæ desiderio, quam etiam atque etiam in proclivi positam video, me in hanc contentionem devenire. Neque enim eum jure quæsito admonere, juvareque propositum pium, quod semper habui, temere deserere debui, et permittere, ut adversarii fidei nostræ hoc successu contra Ecclesiam Catholicam audacius opprimendam amplius inflammarentur: quod et factum, et magis video futurum. Quorum contra impios conatus, si sanguinem me profundere necesse esset, nullibi libentius profunderem. Sed hæc prolixius, quam coram Sanctitate Vestra satis est. Restat ut Sanctitati Vestræ humiliter supplicem, non ut amoris affectusque paterni,

quem mihi hactenus abunde satis declaravit, voluntatem propensionemque in me retineat, sed ut seposita insigni sua in me benevolentia et favore ad rectum totius rei judicium sancte integreque peragendum se benignissime accingat, de eaque re pro admirabili sua prudentia statuat, quod mihi honestissimi mei propositi causa jure tribuendum, quod non tribuendum arbitrabitur; ita ut quicquid Sanctitas Vestra seu in hanc seu in illam partem decreverit, avide sim amplexurus, sique Sanctitati Vestræ visum fuerit, neutiquam gravabor me ipsum sistere, et totum rei statum coram plenissime exponere, idipsum Sanctitatis Vestræ placito et arbitrio, cui me omnino submitto, relinquens.

« Quod superest, præterire silentio non possum, quin Sanctitati Vestræ pro obligatione ad hoc Electionis negocium, tam mei quam Ecclesiæ causa facta, humillimas et perpetuas agam gratias; deinde etiam veritati, id quod quilibet tenetur, testimonium feram de Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ Nuntio Bartholomæo Comite Purlitiarum. Is enim ut est vir magnæ prudentiæ, consilii, fidei, et integritatis, hanc causam ita fideliter fovit, Sanctitatisque Vestræ voluntatem ac paternam monitionem, rerumque Ecclesiæ, et temporum statum, qualitatemque Capitulo Coloniensi tam in genere quam in specie sæpissime tam graviter exposuit, suggessit, et inculcavit, ut nullo unquam tempore quieverit, nihilque laboris, diligentiæ et curæ subterfugerit, nedum omiserit, quod ad implendum Sanctitatis Vestræ piissimum desiderium, Dei honorem, Ecclesiæ incrementum, et deoique mei auctionem pertinere quoquo modo potuit. Ea fide, ea dexteritate, prudentia et integritate in omnibus tractatibus cum Capitulo, Legatis Cæsareis, Hispanicis et aliorum Electorum et Principum Imperii ad hoc electionis negocium deputatis consiliariis, tam scriptis quam verbis continuo habitis, tanta cum laude usus est, ut non solum Sanctitati Vestræ ornamento, sed etiam omnibus admonitioni fuerit; ita ut merito, si ulla fides rebus humanis, si ulla Divini et humani juris, si utriusque summi in terris Magistratus, si denique æquitatis, et pietatis vel minima ratio superfuisset, res longe aliter, quam factum, cecidisset. Rogo igitur humiliter Sanctitatem Vestram, præfatum Nuncium, qui omnes præscutis mali circumstantias, et rei contingentiam novit, audire dignetor: et causam hanc non meam, sed Dei, Sanctitatis Vestræ et Ecclesiæ pro necessitate et conservatione ejusdem iterum benignius et serius discutiendam, decernendamque in se suscipiat. Cujus rei ille, cujus præcipue causa agitur, erit remunerator liberalissimus. Ego vero Sanctitati Vestræ, quam Deus Optimus Maximus afflictissimæ et undique periclitanti Ecclesiæ totique Reipublicæ Christianæ florentem et incolumem quam diutissime conservet, me humillime commendo. Datum Monachii die 23. Januarii An. 1578. »

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius

ERNESTUS EPISCOPUS FRISINGENSIS ET HILDENSIS,

BAVARIÆ DUX.

Alteris etiam litteris Ernestus ob oculos Pontifici ponit, quanti intersit, nihil de Sedis Apostolicæ auctoritate, adeo iis in regionibus labefactata, diminutum videri: nuntiatque Albertum Ducem patrem suum tum per fusiores litteras tum per legatum extra ordinem diligentius, quibus fraudibus atque artibus transacta illa electio sit, relaturum. [*]

[*] Armar. XII. caps 3. N. 13.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Decimo tertio, Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater,

« Quam sinistre, ne dicam infeliciter cesserit electio Coloniensis, quamquam injuste fuerit Sanctitatis Vestræ paterna plane et pia admonitio sæpius atque sæpius iterata neglecta, et non parvus inde authoritatis et debitæ obedientiæ contemptus illi acciderit, verbis exprimi non potest. Intelliget tamen Sanctitas Vestra tum ex adjunctis meis litteris, tum a Serenissimi parentis mei et meo agente, ob hoc unicum negotium ad illam destinato, per multas circumstantias, statum successumque omnium, quæ circa hujusmodi electionem contra sacros canones, statuta, concilia, contra jura denique omnia tam divina quam humana contigerunt: propterea non volui eidem Sanctitati Vestræ prolixiore narratione molestus esse. Hoc unicum humillime deprecans, quatenus Sanctitas Vestra hanc quidem meam; præcipue tamen suam ipsius, et Ecclesiæ Catholicæque religionis causam serius tractandam, discutiendamque benignius suscipiat. Sic enim futurum est, ut magna jam ex parte collapsa in Germania Sanctitatis Vestræ, et Sedis Apostolicæ authoritas reparetur restaureturque, nec minus, quæ ob oculos versatur, ruina, et interitus religionis, et Ecclesiæ mature caveatur, et dum adhuc facultas superest, tanto malo occurratur. In quo faciet Sanctitas Vestra rem æterno nomine, et nunquam satis laudanda, nulloque tempore intermoritura memoria dignissimam. Cui me totum semper humillime commendo devoveoque; valeat Sanctitas Vestra quam diutissime et felicissime. Datæ Monaci die penultima mensis Januarii Anno 1578.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus et obedientissimus filius

ERNESTUS EPISCOPUS HILDENSIS ET FRISINGENSIS

BAVARIÆ DUX.

XXIV. — Haud equidem præteriri possunt Alberti Ducis litteræ, quibus præter cætera il-

lud vel maxime verendum proponit, ne si hæc adversariis ex sententia processerint, usque eo res pertineat, ut aliquando Germaniæ populi hæreticum Imperatorem sint habituri. [*]

[*] Armar. XII caps. 2. N. 16.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ atque Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Benignissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota. De Coloniensis negotii eventu ita jam procul dubio cognovit Sanctitas Vestra, ut nihil hic necesse mihi sit in eo enarrando pluribus elaborare. Itaque perjuria ista, fraudesque hæreticorum hominum, quibus filii causa labefacta est, lubens omitto, neque in iis etiam explicandis morabor, quæ ex Sanctitatis Vestræ primum partibus, deinde Cæsareæ Majestatis, Catholici quoque Regis, ac aliorum Principum studio atque benevolentia, pro filio, pro religione, ac Ecclesiæ istius salute diligentissime sane instituta, gestaque sunt: quorumque apud me universamque meam familiam perpetua, gratissimaque memoria supervivet. Scripsit etiam de omnibus procul dubio pro sua prudentia et singulari in Sanctam Sedem studio Reverendus Nuntius, Comes Portianus, cujus quidem in tractando curandoque hoc negocio ea enituit virtus atque integritas, quæ Sanctitati Vestræ satisfacere et possit et debeat merito. Quod si de aliquibus tamen ulterius inquirendum cognoscendumque judicaverit Sanctitas Vestra, in iis non incommodam operam præstabit, quem cum hisce ad Urbem mitto, vir doctissimus Adrianus Arentspergius, Juris Consultus, filii Ernesti Consiliarius, per quem ea, quæ ab electione pro filii dignitate instituenda videbantur, confecta sunt, atque eidem, non aliter quam ipsi Oratori meo Sanctitas Vestra plenam fidem certo adhibere poterit. Ea porro, quæ ex rebus istis omnibus ad Sanctitatis Vestræ imprimis gravem contemptum, ad Catholicæ religionis non dubia pericula, denique ad meam, filiique injuriam pertinere videntur, si ipse quoque hic aliquantulum attigero, non improbabit, spero, Sanctitas Vestra, cujus una benignissima voluntate cum hisce negociis accesserim, commune ipsa non illibenter mecum habebit, quidquid inde indigne magis et incommode evenisse apparet. Sane hic non potest non esse conjunctum cum Sanctitatis Vestræ animo, quod cum ad Dei gloriam, ac sanctæ religionis consolationem tanta sollicitudine atque prudentia ipsa instituisset, nulla alia re, quam sola hæreticorum et impiorum hominum perfidia manifeste jam videt impeditum. Hoc etenim erat tuendæ libertatis ingens studium illud apud eos Canonicos, qui Sanctæ Sedis dignitatem cum universa religione Catholica pessundatam cupiunt, ut ne admitteretur is, qui Sanctitatis Vestræ gratia valeret. Illuc relatum consilium illorum omne, ut quod jam scirent Sanctitati Vestræ probari maxime, nulla ratione procederet. Hinc quod adversarii isti in Capitulo sola sua machinatione minus tueri se posse adversus Sanctæ Sedis authoritatem jam videbant, etiam Provincialium eorum, qui priscæ pietati animos infensiores gerunt, studio atque cohortatione firmaretur; is namque videtur convocatæ Nobilitatis, antequam electio fieret, scopus fuisse quæsitus; facileque tum accidit, ut qui manifeste horrerent Romanæ Ecclesiæ majestatem, ad omne etiam scelus instigarentur: ii vero, quorum æquiores essent in capitulo animi, aut saltem non omnino improbi, minis ac machinationibus a recti et honesti studio abducerentur. Quibus quidem artibus effectum est, ut hoc solum redderetur invisum, quod Sanctitati Vestræ placeret. At vero nec sua solum hæc est injuria, non sui solummodo contemptus, quovis modo vindicandus, ad religionem, ad Ecclesiam hoc pertinet, reliquiis, quæ in Germania ægre sese sustinent, avitæ pietatis, discrimen hoc quæsitum est. Dum enim pessimis istis consiliis atque dolis obtentum hoc loco cernunt perversi homines, quod Summi Pontificis voluntati non queat non repugnare, verendum est, ne facile sit futurum posthac quovis tempore, quavis etiam electione, quod eludendæ Pontificiæ authoritati audacter et impune opponatur: atque ita res nullo propemodum negocio in periculosissimum istum diu jam affectatæ quarumvis religionum libertatis statum adducantur. Hoc quippe erat, quod integro Sanctæ Sedis jure, salvaque Sanctitatis Vestræ dignitate, quod filio denique Ernesto ad Ecclesiam istam promoto, introduci posse, sperare nemo poterat. Idem vero nunc ad voluntatem, libidinemque suam omnem opportunissime comparatum judicabunt, non solum qui multo maxima Capituli pars sunt, Canonici Lutherani, sed cum iis omnis alia Provincialis nobilitas, Wederavica imprimis, hæresibus ut plurimum infecta. Qui ut numero, ita importunitate ac insolentia superiores plerumque fuerunt inter eos, qui cum publice in Comitiis Imperialibus, tum privatim pro Religionum libertate rem agunt. Cui gravi malo ne ostium aliquod jam effregerint in præclara ista Ecclesia, non abs re metui potest. Licet enim qui illorum studio intrusus est, Catholicam præ se ferat religionem, quia tamen is neminem alium habuit partibus suis magis addictum quam hæresi notabilem, aut certe a talibus in ejusdem favorem variis artibus pertractum, valde videtur verisimile, istorum suffragiorum accessionem non esse præter malum aliquod consilium institutum ab iis, qui sincere Catholicum Antistitem cane et angue pejus oderunt: augetque hanc suspitionem, quod res omnis pro Truchsessio ab iis ge-

sta est potissimum, qui Calvinisticæ impietati manifeste sunt addicti, Comite Sulroensi, ac Basone Winnenbergio. Et ut nihil etiam intercesserit periculosæ pactionis ad conquirendas Electionis voces, certe absque suspicione esse noo potest is, quem sola hæreticorum voluntas extulit. Ae si vel maxime velit aliquando curare religionem, quia tamen suam dignitatem omnem iis solummodo debet, qui ne velint consilio, dolo, fraude omni et ne queant etiam viribus curaturi, effecturique sunt, facile de profecto judicium ferre non admodum magnæ erit difficultatis. Quod si insignis hæc Ecclesia a veræ religionis studio sanctæque Sedis observantia discesserit, Catholicis per imperium Romanum partibus lethale vulnus dabit, nec tutum deinceps erit, si Archiepiscopus vel ipse non sincere cum Catholicis sentiat, vel (quod eum isto intruso certissime futurum videtur) a solis pendeat hæreticorum nutibus atque consiliis, ne aliquando hæreticus assumatur ad Imperium.

« Non minori quoque periculo tuoi laborarent Serenissimi Regis Catholici Provinciæ vicinæ, quibus tamen quam prospectum velit Sanctitas Vestra, ut in sana religione conserventur, exempla sunt publice in hominum oculis posita.

« Certe Catholicæ religionis per imperium, ipsiusque Catholici Regis interest maxime, ut hæc Ecclesia Episcopum habeat sincere Catholicum, gravem, et a pravorum hominum consiliis alienum, ac tutum.

« Jam ad me quod attinet, domusque ac familiæ meæ causam, quæ hic agitur, si ad ea respicio, quæ ut animum huc adjicerem, primo impulerunt, quæve filii jura tueri posse videntur, non sum certa spe destitutus, Sanctitatem Vestram istis authoritate, benignitateque sua perspectissima libenter adfuturam. Quod enim ad ejusdem voluntatem, pro augenda divina gloria, sanctæque religionis conservatione, pie admodum ac sincere abs me institutum est, quod ex filii partibus minime deserendum censent boni prudentesque viri, ad quod etiam asserendum non contemnenda Capituli pars suam adhuc operam constanter ac intrepide pollicetur, id vero Sanctitati Vestræ non erit curæ. Me quidem, præter officium quod Sanctitas Vestra semper probavit, nec quidquam egisse, ideoque non esse meritum, quem in filio tanta ignominia afficiant hæretici, gaudeo me sana conscientia dicere, neque deest consiliom, quo, si non desit Sanctitas Vestra, ego honori meo commode adsim. Filii quæ jura sint, quam causa firma, exponent luculenter, de quibus ab initio dixi, Orator meus atque Doctor Adrianus. Et his quidem tantis rebus, quæ ad Sanctitatis Vestræ, quæ ad religionis et ad meam meorumque dignitatem, conservationem atque honorem pertinent, non possum non a Sanctitate Vestra consilium et auxilium efflagitare, atque hoc ut facerem, perpetua ejus erga me, meosque omnes benignissima propensio ita hortatur et animat, ut spe sim certissima, non me hic frustra laboraturum. Nec enim adducor facile in eam opinionem, ut statuam meeum Sanctitatem Vestram aversiore in me animo esse, nullaque me gratia dignum judicare, quod, ob perpetuum et constans erga ipsum, sanctamque Romanam Sedem, studium meum, publico hæreticorum odio fere solus per Germaniam sum expositus: quodque utraque filii causa, et Coloniæ et Monasterii, non aliam difficultatem ullam majorem est experta, quam quod Sanctitati Vestræ ac fortissimis veræ fidei propugnatoribus Jhesuitis sit is addictior. Rogo autem a Sanctitate Vestra humilimo studio, ne hoc negocium, quod sua cura dignissimum est, facile deserat: ne religioni, quæ præsentem, ac necessariam opem rogat, desit: ne meum, ne filii ac familiæ honorem, in quem se summo favore propendere tot argumentis asseruit, negligat. Erit hoc Sanctitatis Vestræ summarum laudum ornamentum non postremum, adeoque dignitatis authoritatisque suæ justissima vindicatio, consolabitur sic, servabiturque religio Catholica, cui apertæ per hæc consilia insidiæ structæ sunt; in tuto magis erunt Catholici Regis Provinciæ, atque intercidentur hæreticorum conspirationes et doli, quibus si hac via tam prospere succedat, omnibus ii Ecclesiis vel eos saltem antistites imponent, qui suæ sint farinæ, vel certe tales, quibus curandæ religionis animus, facultasque nulla supersit. Ego vero post multa alia in me data beneficia, hic etiam intellexero, quam sit charus Sanctæ Sedi meus, meæque familiæ honor, ad quem asserendum ita sum paratus, ut non modo, si e re sic futurum videatur, Sanctitati Vestræ ipsum filium Ernestum statim ad Urbem proficisci sim curaturus, sed quidvis aliud aggressurus, quod me facere et aggredi eadem voluerit. Cui me meaque omnia reverenter ac humiliter commendo et offero. Datum in Civitate mea Monachio XXIX. die Januarii Anno a Christo nato MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ.

XXV. — Canonici Colonienses, facta ab Ernesto intercessione, objectaque appellatione aliquantulum permoti ad novam electionem in suffragia ad Nonas Decembris iri statuerunt. Verum, quod non erat mirandum, electores, utpote qui plerique vel Lutheranis vel Calvinianis doctrinis addicti, eundem Truchsessium iterum in Archiepiscopum sibi assumpserunt. Quam turpibus artibus vir iste utendum existimaverit, ut infulam Coloniensem sibi arriperet, Albertus Dux fusiori narrat stylo, ex animi tamen conscientia, uti affirmat, et sequentibus ea de re ad Pontifi-

cem litteris; in quibus etiam contentione, quæ fieri major nequiret, obtestatur obsecratque Pontificem, ut nullo unquam pacto persoaderi sibi patiatur ejusmodi electionem auctoritate Apostolica confirmandam esse oportere. Utinam quæ longævus hic ac pietate præstans vir de malis, quæ ex Truchsessii electione in diœcesim Coloniensem cum summo totius Ecclesiæ Germanicæ detrimento essent derivatura, supra quam cuique conjicere fas est, prævidit, nunquam re eventuque probata fuissent! [*]

[*] Germania Vol. 29. fol. 64.

Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater ac Domine Domine mi benignissime.

« Humilem obedientissimi filii oblationem, pedumque beatissimorum oscula devota. Ubi rediissent nuper huc dilectissimus filius Ernestus, atque ii, quos cum ipso ad Sanctitatem Vestram ablegaveram in Urbem, Consiliarii mei, de iis quæ in Coloniensi negotio, cum apud ipsam Sanctitatem Vestram, tum alibi quoque meo nomine atque mandato peregerint, quidve Sanctitas Vestra responsi dederit, propensæque voluntatis significationem, ac in quibus etiam terminis res illa tota versetur, accurate mihi retulerunt. Quod vero Sanctitas Vestra filium adjunctosque consiliarios, in tot tantisque, quas pro Christiana Republica cumulate sustinet, curis atque negotiis tam clementissime audire voluit, pro ea summa qua possum reverentia gratias ago, nihilque hic magis cuperem, quam id omne quod in Urbe tum peractum est, eo versari loco, ne opus mihi esset, ulterioribus hisce literis molestiam aliquam Sanctitati Vestræ adferre. Quandoqoidem vero tota ipsorum explicatio nihil fere adtulit aliud, quam veterem illam cantilenam, quod nimirum, circa concessionem remissoriarum atque compulsorialium, non minor adhuc adpareat, quam ab initio, difficultas maxima, additis solummodo generalibus quibusdam consolatiunculis, mihi vero hæc res non solum ob meam, hauditissimæque Domus meæ dignitatem atque existimationem, sed etiam ad ingravescentem ætatem, propter conscientiam, quam hic purgatam securamque exopto, maximopere cordi sit, ita quidem, sicuti alia nulla per totum regiminis atque vitæ tempus, intermittere nulla ratione possum, quin Sanctitati Vestræ hanc ultimam animi mei declarationem offeram, humiliter admodum orans et obtestans, ut ne ea in pejorem aliquam partem rapiatur, sed ita accipiatur habeaturque, quod ex singulari quodam zelo, quo, citra tamen jactantiam dicendo, erga catholicam religionem permoveor, magis quam ullo privati alicujus commodi studio proficiscatur.

« Ac primum, hic nulla prorsus mihi est voluntas Sanctitati Vestræ longiori aliqua deductione et enumeratione eorum, quæ publici sunt scripti atque etiam Canonici Juris, graviorem esse, cum ea neque edoctus sim admodum ipse, nec exercuerim, in iisque fidem tribuam omnem illis, quorum ista sunt facultatis ac professionis. Sed id solum repetam apud Sanctitatem Vestram, eique reducam ad mentem, Ecclesiam nimirum Coloniensem pro filio, proprio aliquo motu, nunquam me affectasse, licet ad id magnis sæpe cohortationibus ac promissis a Serenissimo Hispaniarum Rege Catholico, Domino et Cognato meo honorando fuerim excitatus. Facile enim intelligere potui, cum istius Ecclesiæ Canonicorum major pars novis in Religione opinionibus sit dedita, plurimum fore ea in re difficultatis atque laboris, adeoque graviter iri obtentum. Unde nunquam me induci passum sum, ut de hoc apud ullum hominem sollicitarem, de quo multæ multorum literæ luculenter adhuc testari poterunt, ac ipse in primis Ill^mus Dux Albæ, qui Serenissimi sui Regis mandato per Oratorem quondam in aula Cæsaris D. de Chantanaj ea de re mecum egit. Ubi vero postmodum Sanctitatis V. prædecessor in Romana Sede, Pius V. Pontifex maximus, item Imperator Maximilianus, sanctæ et honoratissimæ memoriæ, ambo istud opus amplius urgerent, summamque ad illud et opem et promotionem pollicerentur, horum tandem voluntati repugnare nolens, reverenter obsequendum duxi, moremque gerendum, maxime cum animadverterem, totum illud in Reipublicæ commodum institui, quo inferiores Burgundicæ Provinciæ ipsaque Coloniensis Diœcesis in debita obedientia sanaque religione, unde jam tum istis partibus periculum imminere videbatur, conservari possent. Ideo ne hoc loco quidquam apud me desideraretur, ipsum filium, ubi de instituta resignatione superioris Archiepiscopi accepissem, iniquo satis tempore Coloniam destinavi, nullaque habita sive laborum sive sumptuum ratione, ut in Capitulum reciperetur, atque ita futuræ Electioni redderetur habilis, effeci. Sed nec aliorum intermissum est abs me quidquam, quod ad rem promovendam pertinere videbatur, ita tamen ne inter illa essent ullo modo, quæ sacris Canonibus, ipsique honestati repugnarent. Sicut nec ipsa quoque Sanctitas Vestra hic defecit, paternam suam opem exhibendo, quo de sua illa, qua me atque filium prosequuta est, ac etiamnum, quod spero prosequitur propensissima voluntate, ipso opere constaret, ad quod quam debeo, perpetuam gratitudinem agnosco lubens. Quoniam autem illud omne ad assequendam Sanctitatis Vestræ aliorumque summorum Principum voluntatem meamque intentionem sufficere non potuit; sed factum potius est, ut maligni spiritus instinctu, qui turbator est omnis boni, perque dolos, frau-

des ac pessimas machinationes hæreticorum, plura quidem in Truchsessium vota caderent, quam in filium; ipse vero filius majores sanioresque respectu Capituli voces obtineret, nihilominus tamen adversarii et complices de facto procedentes, suum illum illegitime electum publicarunt. Qua ex re permotus filius meus, de iniquissima ista electione ejusque proclamatione, et aliis nullitatibus, quæ tum intercesserunt, cum ad Sanctitatem Vestram, Sedemque Romanam et Apostolicam solemniter provocasset, ego quidem sic existimavi, posteaquam hic non mea solum, filiique res ageretur, sed in primis Catholicæ Ecclesiæ Vestræque Sanctitatis, quæ Christi vices gerit, summumque est istius Ecclesiæ caput, mearum in primis fore partium, in eo ut elaborarem, quo illa ipsa interposita filii appellatio competenti suo loco insinuaretur, ac prosequeretur: nihil prorsus addubitans, cum Sanctitas Vestra eo etiam tempore, quo non in sua, sed Capituli Coloniensis facultate negotium fuisset constitutum, illi tamen adeo sese propensam faventemque exhibuisset, idipsum multo tum facturam magis, ipsoque declaraturam opere, ubi res illa tota ad omnimodam suam dispensationem plenissimamque potestatem fuisset devoluta, siculi etiam spes mihi fuit injecta ab initio statim, ubi propositam appellationem benignissime recepit, eamque selectis quatuor Cardinalibus commisit. Cujus tamen quod in hunc usque diem nulla facta est expeditio, ad certam meam totiusque familiæ ignominiam, despectumque gravem, cum ipso Ecclesiæ incommodo conjunctam, ad filii vero suique Juris maximum præjuditium impedimentumque spectare videtur. At dicet forsan Sanctitas Vestra, hic sibi amplius non licere, quam quod juri conveniat, cum teneatur ex officio justitiam et æquitatem administrare omnibus: adversarium quoque non solum Electionis decretum, sed etiam singulorum Canonicorum Capitularium subscriptiones produxisse, ubi econtra pro filii partibus præter nudas allegationes nihil fuerit allatum. Quod quidem sic se habere non ego negarim, nec fuit unquam vel ex mea vel filii mente, id a Sanctitate Vestra contendere, quod Juri repugnaret; at vero dubium quoque mihi nunquam esse potuit, posteaquam filius aperte explicasset, rem istam omnem multo aliter sese habere, quam in falso illo Electionis decreto contineretur, quodque Canonici, quorum sententiæ in ipsum coivissent, ad subscriptionem illam inique, contraque Juris præscriptum fuissent adacti, atque eorum omnium veritatem probare se posse, illam ad hanc ipsam probationis viam, vel ex naturæ dictamine æquitateque omni non modo admissum iri facillime, sed et rationes omnes, quibus pertingere illuc liceret, tam diu scilicet expetitas remissorias et compulsoriales nequaquam negandas, imo decernendas ipsi fore potius summa cum benevolentia, præsertim cum negotium hoc non mere sit privatum, sed ad Sanctitatem Vestram, adeoque Ecclesiam et religionem Catholicam pertineat, ut in ejuscemodi Episcoporum Electionibus sincere, honeste adque sacrorum Canonum præscripta procedatur, atque huc pertinet, quod a Primario deputatorum Cardinalium statim ab initio prolatum palam audivi, Sanctitatem nimirum Vestram ex pastorali officio, subque animæ periculo prætermittere non posse, ne per Commissarios idoneos de totius hujus electionis veritate plene cognoscat. Et in hoc consentire etiam video alios prudentes ac celebres Jureconsultos, idque mea opinione naturæ ipsi et æquitati prorsum est consentaneum. Eequid enim ad justitiam administrandam commodius, magisque necessarium? quidve justitiæ propinquius, conformeque magis, ipsa veritate? sine qua tanquam basi fundamentoque suo Justitia non potest consistere, atque ita non video, aut intelligo ego, quomodo in Ecclesiasticis præsertim negotiis absque justitiæ impedimento veritatis indagatio possit prætermitti. Unde quoque, cui decentia edocendi veri media subtrahuntur, negatæ recusatæque justitiæ æquissimam habet querelam, de quo tamen mihi hoc loco, ubi fons est et scaturigo Juris omnis, metuere non debeo, sed certo potius sperare ac polliceri, non admissuram Vestram Sanctitatem, ut primus sim ego, qui vere hoc de Sancta Romana Sede conqueri possim, maxime cum in hoc casu et facile videatur futurum et absque cujusvis injuria, ut de veritate inquiratur. Nec est ut impediat apud Sanctitatem Vestram, quo minus justitia libere progrediatur, etiamsi a summis forsan capitibus magnisque Principibus subinde inculcetur, ac si res ingens habeat discrimen aliquod, adque communis tranquillitatis perturbationem et Ecclesiæ Coloniensis eversionem, aut certe ejus a Romanæ Sedis authoritate et obedientia secessionem pertineat, de quibus quidem in Urbe sparsum esse non ignoro. Sed hic potius reputandum erit, quem hucusque magnum dederit fructum in talibus negotiis, ex quibus vel addi poterat religioni Catholicæ, vel detrahi longior aliqua conniventia: item quæ sit religionis facies in eorum ditionibus, qui talia suggerunt Sanctitati Vestræ, num non ea ibidem per majorem adeoque propriam ipsorum laxationem ac indulgentiam eo videatur loco constituta, ut vix ejus vestigium aliquod sive imago appareat; an non etiam similis exitus timendus sit iis terris, in quibus pari dissimulatione et incuria omnia negliguntur. Expendat secum obsecro Sanctitas Vestra, quam tandem mentem induere debeant erga Curiam Romanam Principes per Imperium Catholici, (quorum tamen, proh dolor, parvus admodum superest numerus) si iis etiam in can-

sis, quas, ipsa et consulente et instigante, in Ecclesiæ atque religionis usum suscipiunt, ita deserantur, inque summum honoris dignitatisque adducentur periculum: econtra vero, quam idoneum firmumque sit hæreticis exemplum, si animadvertant ii, dolo fraudique ipsorum sic esse locum, seque ita formidari, ut contingere nequeant Catholicis communia etiam illa Juris remedia, quibus machinationes ipsorum indignæ detegantur: num non per ejuscemodi intempestivam conniventiam præclaræ multæ Archiepiscopales Episcopalesque Cathedræ ab Ecclesiæ Catholicæ reverentia in hæreticorum potestatem jam abierint? an non etiam alii fere omnes Imperii Episcopatus ad ruinam et ultimum excidium sint inclinati ob hanc unicam causam, quod in iis passim admittuntur hæretici, impuneque est apris istis sylvestribus Christi vineam pedibus proculcare ac evertere? Unde evenire quoque solet, ut per omnes propemodum Episcoporum ditiones subditi magis ac magis in hæreses abripiuntur, totque animarum myriades in perpetuam conjiciuntur damnationem. Adducat sic, quæso, Sanctitas Vestra amplius in mentem, alteque discutiat, si causæ et occasiones, ob quas Illustres Imperii Ecclesiæ Romanam Sedem et Ecclesiam sic subinde deserunt, non fuerint aliquando sublatæ, an possibile quoque sit futurum sæcularibus Catholicis Principibus, qui numero etiam, ut superius est intellectum, paucissimi sunt, ut puram salvificamque religionem in terris suis sartam tectam custodiant, tueanturque. Atque hic non videtur sufficere, si dicatur, minus ob id periculi esse Coloniæ, quod intrusus ille Truchsessius Catholicam amplectatur religionem, ejusque fidei professionem fecerit; nam in exemplum, et quæ exinde subsequi possunt, oculis animisque advertendum est. Etenim si hoc modo illis successerit, ut per dolum atque fraudem evectum obtineant, quis prohibebit illos deinceps, ne aliquando talem sibi constituant pastorem, qui illorum impietati manifeste accedat, et patrocinetur, præsertim cum palam sit, quod vires subinde addant isti, et numero quoque in Ecclesia superent catholicos? Quod si illi jam triumphabunt in Truchsessio, tantumque iis tribuetur, ut in Episcoporum electionibus, votis, sententiisque suis æque valeant atque Catholici, nemo dubitare poterit, quin temporis progressu sibi etiam sint sumpturi, ut suæ sectæ hominem præficiant. Id quod ab recentibus exemplis Ecclesiarum insignium Magdeburgensis, Bremensis, Halbestatensis, Verdensis, Ornabrugensis, Mindensis, Paderbornensis, et aliarum, de quibus, ob brevitatem, aliasque justas causas hic taceo, satis patet. Quæ quidem Cathedræ, ita ab omni Sanctæ Sedis obedientia recesserunt, ut ipsarum Pastores nullam prorsus curent Confirmationem, imo, quod plus est, quidem duas tresve illarum occupent, absque confirmatione omni, modo illis Cæsareo quodam indulto, circa Regalium usurpationem cautum sit, quod ab ipso etiam intruso Coloniensi nuper est impetratum, atque ea omnia non aliunde proveniunt, quam ex nimia illa conniventia et indulgentia, quæ tamen mala, cum sint ei, quæ est per Imperium, Religionis pacificationi contraria, cohiberi potuissent, si cum authoritate fuisset contradictum, atque in posterum etiam possent caveri; nec enim clam est, plurimos exstare hinc inde istarum Ecclesiarum Canonicos, viros bonos ac graves, qui eam religionis desolationem moleste ferunt, nec tamen prohibere possunt, quod legitimus Magistratus officio suo hic non fungitur, hæresibusque, ut sic irrepant, locum tacite concedit. Et hæc est, Beatissime Pater, præcipua causa, ac veluti caput ipsum, meo judicio, unde plus omnino periculi, plus ad publicæ pacis conturbationem, ipsamque Ecclesiarum eversionem metui debet, quam si regia et ordinaria via incederetur, cujus jacturæ multa per hanc tempestatem exempla data sunt: sed res ipsa, omnium oculis exposita, hoc loquitur, sic, ut si justum non adhibeatur remedium, nihil restet aliud, quam ut similiter pereant Episcopatus, et Ecclesiæ omnes. Unde quidem, si Catholici Principes hæreticorum et sectariorum Episcoporum votis atque sententiis in conventibus Imperii tandem superentur hac ratione, qui fructus sequuturi sint, quæve utilitas, bono prudentique cuivis discutiendum relinquo; atque id in primis num eventurum postea non sit, ut hæretici ex hac occasione, tanquam effracta quadam opportuna janua, pro ista sua, cui toties insudarunt, credendi libertate, fortius elaborarent. Et quis tandem extrema hæc omnia impedire queat, si concedatur indulgeaturque, ut tales homines omnes paulatim Ecclesias occupent et invadant? Atque de hac omnium religionum perniciosa libertate fama fert, Truchsessium iis, per quos evectus est, fidem dedisse, ubi de ea iterum fuerit in publicis Imperii conventibus propositum, se minime impediturum pro sua parte; idque vel ex eo magis fit probabile, quod Canonici sectarii plurima valent apud ipsum authoritate, omniaque propemodum ibi ex illorum arbitrio gubernantur. Fructus præterea egregiæ istius electionis vel ex eo elucent non mediocriter, quod fertur, Calvinianas conciones aliquot jam fuisse publice Coloniæ habitas, librosque ibidem hæreticos imprimi, quod ante hæc tempora, et ne sub eo quidem Archiepiscopo, qui novis in religione opinionibus sese addixerat, tentare quisquam fuit ausus. Quare non est, ut Truchsessius hic audiatur, si tanti scandali semina impeditæ confirmationi suæ libenter adscriberet, non fuit iis locus ibi sub Archiepiscopo propter hæ-

resim amoto: et Salentinus antequam confirmaretur etiam ne irreperent cohibere facile potuit. Postremo reverenter admodum a Sanctitate Vestra oro atque contendo, ut apud animum suum serio perpendat, in quem tandem usum asserventur tot sacrorum Conciliorum et Canonum constitutiones atque leges laudatissimæ ac saluberrimæ, quibus hæretici excommunicatique omnes ab ejuscemodi Electionibus arcentur et excluduntur, siquidem nullam habere debeant authoritatem, sive exequutionem; immo si tales incidant defectus, data opera ii dissimulentur, investigandorumque illorum media nec usurpentur, neque concedantur etiam. Ecquid hoc esset aliud, quam justitiam scienter ac violenter reprimere? Quæ tamen omnia, Pater Sanctissime, non adfero hic eo animo, quasi dubium mihi sit de optima S. V. voluntate, animove recti justique amantissimo, sed quod non ignorem, studio esse aliquibus (qui meliora quidem mihi deberent) sana ejusmodi consilia apud Sanctitatem Vestram sub splendido procurati publici boni prætextu impediendi: deinde ut hoc etiam modo conscientiæ consulam. Et si enim multis ac ipsi forsan Sanctitati Vestræ suspicio concepta est, hanc Truchsessii intrusionem privati solummodo emolumenti gratia, atque filium meum eveham, tantopere abs me oppugnari, testor tamen hic, vereque affirmo, non eam ob rationem illud per me institui, sed partim pro asserendo meo, domusque et familiæ antiquissimæ, ex qua Cæsares Regesque majores prodierunt, honore atque dignitate, (quibus certe, utut tandem res cedat, etiam cum corporis, vitæ, eorumque omnium, quæ a supremo numine concessa mihi sunt, discrimine præsens semper adero, illatam contra jus et æquitatem injuriam nullo unquam tempore dissimulaturus) partim etiam ut satisfaciam perpetuæ meæ in Catholicam religionem propensioni ac devotioni. Video enim, manibusque contrecto propemodum, nimiam illam intempestivam esse conniventiam, ubi ea quæ sacra, quæ pietatem religionemque concernunt, humanis tantummodo consiliis subjiciuntur, Deoque præpotenti tam frigide in iis confiditur, nil tandem allaturam aliud, quam excidium catholicæ religionis, simul et Imperii Romani, sic ut ego, liberique mei, et alii per Germaniam Catholici Principes veterem hanc religionem in suis terris, quod Deus propitius avertat, ægre poterunt tueri. Protestor itaque hic solemniter in optima forma coram Patre Cælesti, ac V. S. Dei in terris vices gerente, et coram omni Ecclesia Christiana, hoc, si eveniat, contra voluntatem mentemque meam accidere, ejusque me nullam penitus habere culpam, causamve dedisse ullam, aut postbac etiam daturum. Sanctitatem Vestram iterum appellans humillime ob sanctissima Christi viscera, ut his omnibus pro summa sua sapientia zeloque maximo animum serio adjiciat, ut ea quæ ad augendam gloriam Dei facere videbuntur, omnino adgrediatur et instituat, sique in his commotius forsan abs me perscriptum est, quam decere videatur, ad Sanctitatem Vestram, id justo meo dolori, quem ex hac causa suscepi, feroque etiamnum, benigne adscribat. His Sanctitati Vestræ me, familiam omnem, totumque negotium humiliter reverenterque commendo et offero. Datum in Civitate mea Monachio XXI. die mensis Novembris anno Christi nati MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
ALBERTUS DUX BAVARIÆ ETC.
mpp.

XXVI. — Versutus ille ac dissimulator Truchsessius haud sibi cunctandum censuit, quin ingens rei catholicæ fovendæ tuendæque studium præ se ferens, compositis mira arte ad decipiendum litteris confirmationem a Pontifice postularet; præterea ut sumptus ad Apostolicas litteras expediendas sibi remittere placeret. [*]

[*] Germania Vol. 43 fol. 80.

Beatissimo Patri et Domino Domino Gregorio ejus nomine XIII. Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Dñe Clementissime. Post devota pedum oscula beatorum, Sanctitati Vestræ me meamque diœcesim debita cum obedientia subjicio.

« Cum nuper Salentinus Archiepiscopus Coloniensis Archiepiscopatum illum pure, libere et simpliciter resignasset, Decanus et Capitulum piam necessariamque de Archiepiscopo eligendo cogitationem susceperunt, et ut benignissimus Deus rem tanti momenti in optimam partem dirigeret, et tam nobilis Ecclesiæ talem Principem indulgeret, qui et ipsi gratus existeret, et his periculosissimis temporibus Ecclesiam et Rempublicam cum fructu et gloriæ administrare posset, publicas preces et supplicationes per omnes totius Archiepiscopatus Ecclesias, Monasteria iterum iterumque fieri voluerunt; ac ut universus populus ad devote ardenterque pro eadem gravissima re orandum pro concionibus sacris diligenter admoneretur, publico edicto mandaverunt. Tandemque omnibus legitime vocatis, omnibusque cærimoniis, quæ de jure et consuetudine requirebantur, observatis, quinto die mensis Decembris, in profesto S. Nicolai, decantata prius Missa de Spiritu Sancto, ut rursus publice imploratu divino numine, ad electionem in Dei nomine progrediendum esse duxerunt, cumque formam de omnium consensu, nemine plane reclamante, in toto electionis negocio adhibuerunt, quam et juri scripto et statutis juratis ac legitime appro-

batis consentaneam esse existimarunt. Peracto autem opere, collectis singulorum suffragiis, aperto scrutinio, atque collatione suffragiorum facta, repertum fuit, majorem et saniorem Capituli partem in me (tale quiddam vix cogitantem) suffragia sua direxisse. Ad quam eorum electionem reliqui fere sponte libenterque accessionem fecerunt. Ego vero etsi rem tam arduam difficilemque nunquam ambieram, et ab isto gravissimo onere subeundo, præter alia multa, miserandus præsens Archiepiscopatus status, viciniores turbæ et bellorum tumultus, et maximum æs alienum, quo eam Ecclesiam oppressam esse intelligebam, merito deterrebant, tamen sacratissimæ religionis et publicæ salutis amore, Capituli voluntate et subditorum expectatione victus, ne Spiritui Sancto, qui eam electionem peculiariter direxisse videbatur, resistere dicerer, eidem consensi, Decanusque et Capitulum hujusmodi electionem toti Clero et Urbi Agrippinæ cæterisque Ordinibus, qui tunc Coloniæ præsentes erant publicarunt, Domino Deo pro tam concordi electione gratias egerunt, et pro veteri more antiquissimaque hujus Archiepiscopatus consuetudine in urbes, arces, oppida, pagos introduxerunt, vasallique et subditi fidelitatis juramento, præsentibus totius Capituli deputatis, sese mihi libenter obstrinxerunt, atque vicini Principes læti et amici animi signa per insignes gratulationes declaraverunt. Itaque ut ad hanc electionis perfectionem nihil nisi Sanctitatis Vestræ auctoritas atque confirmatio requiri videatur, pro qua equidem obtinenda, præstandoque officio et debito obsequio, cum ipse hisce iniquissimis temporibus, Ecclesia nimirum, ut dixi, obærata, istuc venire impediar, doctissimum fidelem mihi dilectum Johannem Dullardum Juris utriusque Licentiatum, Consiliarium meum, cum munimentis et necessaria instructione istuc ablegavi, Sanctitatem Vestram humillime supplico, ut electionem hanc gratam et ratam habere, auctoritate Apostolica confirmare, et sumptuum alioquin necessariorum remissionem facere dignetur; quod tanto libentius Sanctitatem Vestram facturam confido, quanto optimæ memoriæ Cardinalis Augustanus Otto Truchsius, charissimus patruus meus, ob singularem erga religionem Catholicam et Ecclesiam Dei, bonarumque artium studia zelum gratior fuit. Et ego vicissim, quicquid ad conservandam verum Catholicam religionem, Ecclesiæque Dei instaurationem pertinebit, fideliter quantum fieri poterit, curabo, daboque operam, ut Sanctitas V. nihil eorum, quæ verum Archiepiscopum dignitatisque Sanctæ Sedis Apostolicæ studiosissimum decent, in me sit desideratura. Novit Deus, qui Sanctitatem V. Ecclesiæ Romanæ et Catholicæ vigilantissimum et optimum Pastorem diu superstitem et incolumem custodiat et conservet. Datum in Arce mea Brula vicesima mensis Decembris, anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus filius
Gebhardus Electus Ecclesiæ
Coloniensis.
Gebhardus mppria.

Canonici proin Colonienses adeo sibi de optima electione sunt gavisi, ut cum litteris amplissimum electi Pastoris elogium continentibus Procuratores ad ejusdem causam apud Pontificem agendam Romam miserint. [*] [*] Colonia Vol. I. f. 15.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino Nostro, Domino Gregorio Divina providentia ejus nominis Papæ XIII. SS. Rom. et Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Nostro Clementissimo.

« Beatissime Pater, Sanctissime Dñe. Post devota pedum beatorum oscula humilemque nostri recomendationem. Vacante per liberam renunciationem Domini Salentini Electi et confirmati Archiepiscopi nostri Ecclesia nostra Coloniensi, die ad electionem novi Archipræsulis constituta, Reverendum et Illustrem Dñum Gebhardum Sacri Romani Imperii Dapiferum, Liberum Baronem a Waldburgh, Collegam et Canonicum nostrum Capitularem in Archiepiscopum et pastorem Ecclesiæ nostræ juxta Decretum seu documentum electionis nostræ sigillatum et a Nobis ac Notariis publicis subscriptum, ac cum humilitate debita Vestræ Sanctitati transmissum elegimus, virum sane non solum ex nobili prosapia natum, et in legitima ætate ac sacris ordinibus constitutum; verum etiam scientia insignem, moribus gravem, et vitæ integritate conspicuum, qui ex Catholicis Parentibus ortus, et a Reverendissimo Domino Ottone Truchsio Cardinale et Episcopo Augustano catholice educatus, magnum semper Catholicis de se spem præbuit, ac deinde in diversis Ecclesiis et Prælaturis, ad quas evectus est sui zeli erga Catholicam Ecclesiam suæque prudentiæ ac virtutum magnum specimen edidit; quem pro singulari suo Catholicæ religionis studio et amore suaque prudentia speramus non solum Ecclesiæ Catholicæ et Orthodoxæ multum profuturum, verum etiam Ecclesiam nostram Coloniensem magno ære alieno gravatam et aliis modis afflictam, pristino nitori restituturum esse. Ne itaque hisce turbulentissimis temporibus et inferioris Germaniæ dissidiis in dies magis magisque quasi novis flammis effervescentibus, quibus ab Ecclesia nostra abesse non possumus, in ulla mora essemus, Venerabiles viros, Joannem Dullardum, Andream Riparolum, Paulum Costilonium, Franciscum Stravium utriusque Juris Doctores et Gerhardum Vossium Theolo-

gum et quemlibet eorum nostros Procuratores, negociorumque gestores ac Oratores constituimus et deputavimus, iisdemque commisimus, ut Sanctitati Vestræ prædictum nostræ electionis decretum humiliter offerent, deque electione facta informarent, ac confirmationem Domini nostri Electi humiliter peterent. Quapropter Sanctissime Domine, devotissime rogamus, ut Sanctitas Vestra prædictos Procuratores et Oratores nostros benigne audire iisque fidem adhibere, nec non præfatum Dominum Gebhardum Electum in spiritualibus et temporalibus idoneum, in nostræ Ecclesiæ Archiepiscopum et Pastorem confirmare, eique munus consecrationis et Archiepiscopale pallium Apostolica auctoritate concedere dignetur. Quod ut ad Ecclesiæ nostræ pacem et salutem maxime pertinet, ita Omnipotens Deus affertim remunerabit, qui Sanctitatem Vestram universali Christianæ Ecclesiæ nobisque diu incolumem conservet. Datum Coloniæ sub nostro sigillo 27. Decembris anno a Nativitate Domini 1578.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimi filii
Decanus et Capitulum Ecclesiæ
Coloniensis.

Lemgovius.

XXVII. — Ferdinandus Archidux Austriæ in eam maxime incumbebat curam, ut in sua provincia Tyrolensi collapsa claustralium disciplina instauraretur. Quod in primis aggressus est facere in Oenipontano S. Crucis cœnobio a suis majoribus magnis sumptibus exstructo, quod Patres S. Francisci Assisiensis obtinebant. Propterea a Pontifice petiit, rogavitque etiam atque etiam, ut hanc reformationis provinciam Joanni Naso ejus inclyti Ordinis alumno, docto in primis et gnaro viro, sibique valde probato et concionatori suo aulico, committeret, amoveretque Michaelem Alvaresium Provincialem Ministrum, cui Minister Generalis antea eam curam permiserat, quique homo hispanus et idiomatis morumque Germanorum ignarus plura Patribus illis observanda præscripserat, quæ a moribus consuetudinibusque harum regionum valde abhorrerent. [*]

[*] Germania Vol. 28. fol. 101.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, et pedum oscula beatorum. Vestræ Sanctitati jam antea constare satis arbitror, quo pietatis fervore ac singulari devotione monasterium Sanctæ Crucis Oenipontanum meum, a Divo Maximiliano primo, Domino proavo meo fundatum, exinde per Divum quondam Imperatorem Ferdinandum etc. Dominum et parentem meum colendissimum, Augustæ utriusque memoriæ, sit erectum sumptibus certe maximis; denique quo pacto in hoc monasterium religiosi Beati Francisci Ordinis Minorum regularis observantiæ, introducti fuerint. Hi sane fratres ab initio statim, et ipso tempore sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini novissimi sub felici auspicio Reverendi Patris Francisci Samoræ, tunc temporis totius Ordinis Minorum Ministri Generalis Italici fuerunt, viri profecto non ætate modo, sed pietate atque doctrina graves, qui divinum hujus cœnobii cultum summa cum laude semper celebrarunt. At illi patres, vel cœli nostri temperiem minus commodam sentientes, vel linguam ignotam abhorrentes, præterquam quod itineris longinquitatem et mutationes frequentiores nimis molestas accusabant, sensim in Italiam sese retraxerunt, aliosque fratres, juvenes tamen omnes in capita substituerunt, qui succedentibus paulatim annis abusus invexerunt certe non leves aut modicos, quos dum affectu meliore cupio emendari potissimum, quo indigenæ pios Religiosorum fructus etiam pro concionibus, confessionibus et administratione Sacramentorum magis uberes in posterum perciperent, Reverendum ejusdem Ordinis Seraphici pro tempore Ministrum Generalem Patrem Christophorum de Capite Fontium meis salutavi literis et rogavi, ut negotium hoc reformationis, cuidam Germano hujus instituti Patri committere vellet, eique Reverendum patrem, fratrem Joannem Nasum, Sanctissimæ Sedis Vestræ et mihi Aulicum concionatorem nominavi. Certe res successit non adeo infeliciter: etenim ipse Nasus, ubi plenum a patre Generale Christophoro mandatum accepit, ita suas magno animo partes egit, ut monasterium hoc meum Sanctæ Crucis, variis mendis illico purgaret, et ipsum cœnobium ex provincia Sancti Antonii Argentinensi Franciscanorum provinciæ incorporavit, ex qua protinus fratres Germanicos hujus ordinis plures huc transtulit: Italos autem fratres tunc præsentes, qui consistere diutius hinc cupiebant, lubens servare, abire vero gestientes minime retinere voluit. Itaque cum ex omnibus Italicis religiosis, qui tum aderant, nullus hic plane remaneret, solis Germanis fratribus monasterium cessit, quod sane saluberrimis ipsius Nasi legibus et consiliis firmatum, admodum tranquillum et tamdiu mansit, quoad ipsius mandatum expiaret. Vix tandem Nasus ab hoc negocio liber ad ocyum redit, et scribendi munus adversum hæreticos, in quo multum certe profecit, hucusque repetit, cum illico provinciale Capitulum Franciscanorum hic Oeniponti cogit quidam Religiosus Franciscanus natione Hispanus Michael Alvarez, Augustæ Imperatrici a confessionibus, cum mandato generali, sed hic profecto ignarus, quid hæc nostra regio, mores aut homines ferant commode vel minus, absente me et inscio plane, præscriptum Nasi meo monasterio ordinem, quem

ut maxime utilem jam prius comprobavi, adeo pervertit, ut majore plene vitio, ac alias unquam modo laboret. Quia vero novis emergentibus malis nova semper sunt querenda remedia, nihilque prius ego habeo, quam ut hoc meum monasterium probatissimorum patrum instituti Divi Francisci Germanorum frequentia justoque numero expleatur; ut abusus, qui irrepserunt, matura emendatione tollantur; utque purgatum omni parte cœnobium sanis præceptis atque legibus muniatur, et confirmatum diutissime conservetur.

« Vestram Sanctitatem filiali plane affectione humillime rogo, uti Sanctitatis Vestræ et meo concionatori Aulico Reverendo fratri Joanni Naso suprannminato mandare clementer, ac absolute velit, quo Reformationis negocium hujus monasterii mei Sanctæ Crucis Oenipontani iterum, ocyus ac serio suscipiat, ut errores vel abusus, qui post novissimam correctionem hic fortassis emerserint, et illi vel jam vel in posterum apparebunt, per ipsum Nasum mandatarium prudenti atque necessaria censura undique tollantur.

« Insuper ut ipsi Naso fas sit, ac integrum ex omnibus tam Argentiniensis provinciæ monasteriis, quam custodiæ Comitatus Tyrolensis Divo Francisco consecratis, patres evocare vigore obedientiæ sub pœnis Ecclesiasticis, et illos huic meo cœnobio S. Crucis Oenipontano addicere, quo cultus Deo debitis ac solemnibus cæremoniis atque devotione persolvatur, et indigenis verbum Dei lingua vernacula proponatur, simulque Sacramenta Ecclesiæ fructuose omnibus ministrentur. Quas præterea observationes Beati Francisci Regulæ non repugnantes, verum consonas, et præsenti loco fundationique accommodatas maxime Nasus ipsis sic authoritate Apostolica præscripserit, correxerit, vel justa causa motus emendaverit, uti illas hic summa religione semper incorruptas servent.

« Et dum hæc a Vestra Sanctitate spero magis fructuose me impetrare et consequi posse, Nasum meum, qui hæc omnia diligenter conficiet, Vestræ Sanctitati dimisissime commendo: etenim ipsius mores hucusque mihi satis probati sunt, singularis etiam doctrina, experientia, et tam in concionando quam agendo dexteritas, quæ ita perspecta mihi est, ut et gratam illam habeam, et Vestræ Sanctitati illam notam esse velim merito. Faciet Vestra Sanctitas in eo rem eum multis modis utilem ac salutarem, ordini isti decoram, tum mihi longe gratissimam, de Vestra Sanctitate omni filiali observantia semper humillime promerendam. Quam quidem Sanctitatem Vestram Deus Optimus Maximus Reipublicæ Christianæ diu salvam ac incolumem servet. Datæ Oeniponte die vigesima sexta mensis Januarii, anno etc. millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ

Ferdinandus.

Gregorius ægre tulit id petiisse a se Principem religiosissimum, cujus causa omnia quidem voluisset. Ut aliquid igitur ei gratificaretur, facultatem fecit, Nasum aliquandiu in eo monasterio retinendi: magnopere præterea res Ecclesiæ Tridentinæ commendavit. De Episcopo vero, Cardinali nempe Madrutio, cui cum Ferdinando aliqua adhuc controversia intercedebat, fidem facit illum nulla in re ejus jura violaturum. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 151. f. 130.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Ex literis Nobilitatis Tuæ datis XXVI. Januarii cognovimus ea, quæ scribis et postulas de Naso religioso Ordinis Franciscani. Sic crede, nequaquam consuevisse Nos ea attingere, quæ ad religiosos fratres pertinent, semper autem optimum judicasse, ea ipsorum Præfectis relinquere. Sed quia cupimus Nobilitati Tuæ, quantum possumus, gratificari, mandabimus, ut Nasus aliquandiu istic relinquatur, ut scilicet possint decerni et componi ea, quæ ad Monasterium Sanctæ Crucis pertinent. De negotio Ecclesiæ Tridentinæ gratissima Nobis fuerunt ea, quæ ex tuis literis, atque ex sermone Venerabilis fratris Episcopi Sebastensis accepimus, decrevisse nostra causa facere Nobilitatem Tuam. Sed dicuntur etiam restare nonnulla; rogamus, ut in his eadem humanitate et pietate, qua hactenus negotium ipsum amplexus es, Ecclesiam ipsam, et Dilectum filium nostrum Cardinalem Madrucium consolari velis; præsertim cum ea, quæ postulantur, justa atque honesta sint. Omnia planius cognoscet Nobilitas Tua ex ipsius Cardinalis scripto his literis incluso. Illud persuasum habe, Cardinalem tantum offerre, quantum potest, amplius vero nec posse, nec debere, ipsumque optima et syncerissima voluntate esse, neque cogitare, ulla in re jus tuum aut minuere aut lædere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Martii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXVIII. — Illud sane dolendum, quod eam ob causam magnæ inter Nasum et Alvaresium animi offensiones orientur, quod quidem in viris religiosis grave est, gravissimum vero cum eæ aluntur libellis in vulgus editis. Quas ad apertas simultates resecandas Ferdinandus preces Pontifici studio renovat adeo vehementiori, ut totum negotium perlustrandi cœnobia Franciscani Ordinis in Alsatiæ et Tyrolis provinciis uni Naso, Alvaresio plane remoto, demandandum

statuat, eumque omnibus facultatibus, quæ ad illud rite ac ex jure obeundum requirentur, ornet. [*]

[*] Germania Vol 28. fol. 103.

Beatissimo in Christo Patri et Domino Dño Gregorio XIII. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino meo Clemnetissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine Domine Clementissime.

« Humillimam mei commendationem, et pedum oscula beatorum. Ad litteras meas, quæ filiali admodum reverentia Vestram Sanctitatem novissime rogarunt, quo emergentibus novis malis atque erroribus apud meum Sanctæ Crucis Oenipontanum cœnobium Franciscanorum paterna sua maturaque ope succurrere, meoque concionatori Aulico, Reverendo Patri Joanni Naso Theologo, negotium hoc visitationis atque reformationis clementer committere vellet, accepi responsum Sanctitatis Vestræ Apostolicum Breve, diebus præteritis, non modo reverenter, sed gaudio plenus illud sum exosculatus animo certe gratissimo: etenim Vestra Sanctitas si pluribus aliis, hoc etiam argumento plane manifesto paternum erga me et constantem affectum declarat, dum votis meis adeo clementer annuit.

« Quod vero Sanctitas Vestra benigne admodum refert, se Reverendo totius Ordinis Seraphici Ministro Generali mandare velle, quo ipse, veluti caput instituti Divi Francisci, suam protinus deleget Joanni Naso expetitam hac in parte potestatem, sane non nisi certissimum ego illinc sperare vellem fructum, si moram ferre posset hæc reformatio nostra longiorem. Qui namque, sicuti intellexi, a Vestra Sanctitate locis modo abest valde remotis Generalis Minister, non nisi tarde mandatum hoc transmittere poterit: quæ prolatio, quam sit futura meo cœnobio non damnosa modo, verum etiam exitiosa, pluribus, quod omnino possem apud Vestram Sanctitatem, hic non explico. Alterum est, quod licet præfatus Nasus, accepta tandem potestate, sua industria atque diligentia errores correxerit, inque meliorem statum reduxerit, hæc ipsa reformatio constans aut perpetua fuerit nunquam, ubi per successorem quemcunque proximum Commissarium illa nova sanctio et dispositio mutari, aut etiam tolli queat illico. Hoc vero ne fiat aut succedat, Vestra Sanctitas, utpote supremum Christianæ religionis caput, sola cavere atque efficere potest.

« Ne itaque reformationis petitæ negotium procrastinatione suspensum majora meo cœnobio advehat incommoda, quibus alias plus satis et nimis profecto jam laborat, iterum ad Vestræ Sanctitatis pedes humili maxime nec non filiali observantia supplex accedo, ut hunc paternæ pietatis, atque benignitatis fructum clementer mihi depromat, et quæ paucis articulis Vestræ Sanctitati hic offero, sua auctoritate summa, tum quoque celeritate valde commoda, quam desidero expectoque avide, optima sinceritate concedantur, suoque robore constanti firmissimo solidentur, videlicet:

« Primo, ut Vra. Sanctitas absente procul jam Ministro Generali Franciscanorum, negotium hoc visitationis ac reformationis mei cœnobii Oenipontani suprema sua auctoritate Reverendo Patri Naso clementer committat.

« Secundo, ut ipsi Naso fas sit, accepto mandato, a Vestra Sanctitate suum offitium sive munus, (quod equidem ad commodum hujus mei cœnobii, et totius non modo provintiæ Argentinensis, verum etiam custodiæ Tyrolensis, omniumque horum locorum rerum, sexusque utriusque personarum hujus Ordinis Divi Francisci, quæ illi Sanctitatis Vestræ mandato expressim erunt inserenda, ex æquo dextre impendere debet) libere ac nemine penitus reluctante, sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ exercere.

« Tertio, ut ipse Nasus tum spiritualia quam temporalia horum monasteriorum omnium prædictorum, quoniam majore parte reformata eleemosinis non vivunt, disponere possit arbitrio suo.

« Quarto, ne res Ecclesiasticas quam temporales probe hic dispositas, successor Commissarius Generalis, sive Provintialis quicunque statim audeat temere immutare aut tollere, quod ignarus loci atque morum hujus meæ Provintiæ novissimus Pater Hispanus Michael Alvarez valde perperam fecit. Vanus enim hujus saluberrimæ reformationis foret omnis hic conatus, laborque inanis, si quod sancte semel hic per Nasum constitueretur, mox inverteret successor alius. Sane nisi Vestræ Sanctitatis Sedisque Apostolicæ jussu vel approbatione hoc fieret expressa, ego profecto præsentem calamitatem modo intuens, ægre ferre possem perturbationem subsequentem similem, quia certa hæc mei cœnobii ruina foret, quod tamen magis et perpetuo exoptarim salvum esse atque integrum.

« Quanto vero tempore hanc in Nasum collatam potestatem Vestra Sanctitas perdurare velit, Vestræ Sanctitati neque modum, neque tempus ullum præfinio, quin Vestra Sanctitas ipsamet clementer ponderabit, quid potissimum huic sancto proposito conveniat, et sit in primis utile.

« Et hæc omnia ego a Vra. Sanctitate magis ardenter præpropereque rogo, quod ipsum Patrem Nasum hujus reformationis instrumentum habeo exoptatissimum, quem ego hujus reformationis spe jampridem fovi, ac pene invitum detineo. Quia igitur apud Sanctitatem Vestram nihil aliud ampliusve quæro, ipsumque hoc animi mei desiderium supremum est, ut illa sem-

per fructuose obtineam, quæ ad certissimum veteris Ortodoxæ Catholicæque Ecclesiæ, et imprimis hujus instituti Beati Francisci incrementum et amplificationem maxime faciunt, spes me plane firma alit, fore, ut Vestra Sanctitas hanc meam filialem et obsequentem petitionem paterna omnino clementia ita admittat, quo me hujus mei voti compotem certo reddat. Itaque Vestræ Sanctitati hoc negotium, uti festinatione commoda, forma atque ratione optima conficiatur, Nasum meum, denique me ipsum filiali plane humilique affectione diligenter perpetuoque commendo.

« Ad alterum Brevis Apostolici Sanctitatis Vtræ. membrum quod attinet, ego equidem supremam Cardinalis Ludovici Madruzii in Tridentina controversia mentem ad me transmissam intellexi, sed quid ego ad hæc facere possim aut debeam amplius, paucis admodum verbis mei animi conceptum, et illum quidem novissimum fibo meo charissimo Cardinali ab Austria modo reddidi, Vestram Sanctitatem obnixe rogans, dignetur per occasionem meliorem ipsum Cardinalem filium meum ad se evocare, et hujus controversiæ nomine scriptam illam meam voluotatem, quæ satis brevis est, prælectam clementer audire, exinde Cardinalem Madruzium, ipsumque Capitulum Tridentinum clementi paternoque affectu monere ac inducere, quo ad hanc meam declaratioоem novissimam progressionem tandem faciant ad præsentis controversiæ finem, utque ad locum quietis, tranquillitatisque plenissimum, absque prolatione fructu optimo una simul feliciter descendamus. Vtræ. Sanctitati vicissim promitto firmiter, tanquam Catholicus et obsequentissimus Sacrosanctæ Christianæ Ecclesiæ Princeps et filius, omnem animi mei gratitudinem, studium obsequiumque promptum perpetuum. Datæ Oeniponti decima sexta die Martii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Vestræ Sanctitatis

Obediens filius Archidux Austriæ

FERDINANDUS.

Gregorius commodissimam esse ratus, si provincia Tyrolensi ab Argentinensi sejuncta, illam Naso, hanc vero Alvaresio committeret, Ferdinando scribit, se in hoc ei satisfecisse existimare; petit deinde lenissimis verbis, ut Nasum in concordiam cum Alvaresio reducendum curet. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 67. f. 31.

Dilecto Filio Nobili Viro Ferdinando Archiduci Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Superioribus diebus adducti tuis postulationibus, et bona spe atque opinione, quam habemus de dilecto filio Joanne Naso, commisimus ei curam et gubernationem Monasteriorum Ordinis Franciscani, quæ tuis in locis sunt, eaque a Provincia Argentina sejunximus, idque convenire multis de causis judicavimus, existimavimusque Nos hoc pacto Tuæ Nobilitati satisfecisse et Nasum ipsum hoc judicio et honore a Nobis contentum esse debere. Postea vero foerunt Nobis redditæ tuæ litteræ: erant cum illis etiam Nasi. Legimus præterea eas, quas ille ad Ordinis procuratorem dederat: perspeximus magnam in illis acerbitatem, pessimaque inter ipsum et Michaelem Alvarum in Germania Provincialem cooceptarum discordiarum semina. Cupimus primum, ut Nobilitas Tua nostris decretis acquiescat, omniaque, ut convenit, in optimam partem accipiat; tum ut Nasus præterita omnia perpetua oblivione obruat, omnesque cum Alvaro discordiarum occasiones amputet; maledictis oomino abstineat, cogitet, quanta Monachum tum in loquendo, tum in scribendo modestia uti oportebat; consideret, quam alienum a sua persona, et professione sit, odia atque inimicitias non solum palam exercere, sed in animo etiam inclusas habere; videat, quantum inde ad communes hostes hæreticos gaudii sit perventurum, quos animos sumptori sint; quam magna consequi sit necesse suæ ipsius existimationis, et, quod gravissimum est, meritorum jacturam. Quod enim ad Nos attinet, vere affirmamus, ipsum his monitis audiendis in optima semper apud Nos opinione atque existimatione futurum, hicque una ratione ipsum malevolorum accusationibus et calumniis vindicatum iri. Gratissimum igitur Nobis facies, si hæc omnia ipsi Naso proposueris, eumque hortatus fueris nostris verbis, ut in eam curam Ecclesiasticæque disciplinæ restitutionem, quam ei commisimus, alacriter incumbat, neque se ollis adversariorum vocibus aut insidiis movere sinat; aderit enim suis laboribus idem Deus, a quo tam præclaram voluntatem adeptus est. Curabimus etiam Alvarum quam diligentissime moneri, ut erga Nasum is sit, qui esse maxime debet, omnesque offensiones superioris temporis deponat; neque se improborum consiliis et calumniis auferre sinat. Certum habemus, illum facile obtemperaturum. Datum Romæ apud Sanctum Patrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXIX. — Cum res Abbatis Fuldensis toties in Imperii comitiis ac secretiori Cæsaris consilio tractata, novis in dies difficultatibus implicaretur, afflictissimus ille vir ad Pontificem iterum iterumque supplex confugit, precaturque, ut Herbipolensem Episcopum inducat ac impellat ad ditionem sibi restituendam. (*)

(*) Germania Vol. 35. fol 29.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Papæ XIII. Domino meo Clementissimo.

Post sacrorum pedum oscula et humillimam obsequiorum oblationem.

« Beatissime Pater, eum anno superiori adhuc Viennæ agerem, ternas literas circa finem mensis Octobris et initium datas ad Sanctitatem Vestram ea, qua decebat, humilitate scripsi, quarum quidem illis, quid in causa inter Herbipolensem Episcopum et me controversa actum esset, significaram, his vero me cujusdam editi libelli, ob quem apud Sanctitatem Vestram accusabar, purgaveram, ac libellum inspiciendum simul miseram. Ad quas hactenus tanto cupidius a Sanctitate Vestra benignum expecto responsum, quanto videam eos, qui me ex ditione mea ejecerunt, laborare vehementius, ut non solum plerosque a justitia in diversas partes trahant, verum etiam Sanctam Romanam Sedem, omnium fidelium pastorum præsidium a me (quod tamen nunquam futurum spero) alienent. Et quia jam a tribus mensibus nihil ad me allatum est, suspicari cœpi, literas illas meas forte, interceptas, nec Sanctitati Vestræ oblatas esse: itaque non abs re me facturum existimavi, si earundem copias hisce adjungerem, ac pro clementi et paterna Sanctitatis Vestræ resolutione, nec non consilio et auxilio denuo ac demisse instarem, et quidem eo magis, quo minus apud Sacram Cæsaream Majestatem tot meis supplicationibus vel decretum juris processum deprecari, vel restitutionem, quam sibi in principio, medio et fine litis reservasse dicebatur, obtinere potui. Licet enim Sua Majestas rem æquam me petere sæpius coram fateretur, attamen ab eo, quod semel decretum fuerat, sibi recedendum esse neutiquam censuit, hoc solummodo agens, ut mihi sustentationem annuam ultro assignaret, et tandem etiam residentiam in arce quadam ditionis meæ, quam Novam Villam appellant, ad multas meas preces concederet.

« Vienna igitur mense Decembri discedens, recta ad Dominum et amicum meum Teutonici Ordinis Magistrum, tanquam Cæsareæ Majestatis Commissarium, ut in mea arce a Cæsare mihi designata reciperer, certa spe profectus sum, sed ille non satis clare Cæsareæ Majestatis mentem ex eo scripto, quod attuleram, se cognoscere posse, et ideo recusata residentia ad Suam Majestatem se pro apertiori mandato rescripturum dixit. Quamvis igitur nondum sciam, quid interim a Cæsare rescriptum sit, satis tamen metuo, ne et hic residentiæ locus ob quorundam malevolentiam mihi denegetur, aut potius semel concessus rursus auferatur. Ut enim rumore ad me perlatum est, dicuntur Capitulares et nobiles mei de residentia clam certiores redditi et moniti, ut apud Cæsaream Majestatem supplici libello sese huic decreto opponant. Quorum rebellium improbis precibus si Cæsarea Majestas moveatur, nunquam mihi spes residentiæ vel restitutionis reliqua videbitur. Quod vero ad sustentationem decretam attinet, negat idem Dominus Commissarius pecunias, quibus mihi subveniri possit, ullas suppetere, et Abbatiæ meæ redditus ad alendam familiam et reliqua ferenda onera vix sufficere: id quod pariter Cæsareæ Majestati significandum duxit.

« Itaque spe mea rursum lapsus, præter omnem culpam exul et ab omnibus pene derelictus, nec non rerum penuria pressus, cum familia mea in oppidulo quodam Moguntinæ Diœcesis ad Mœnum Seligstadium vocato, non sine animi mœrore consedi, et in privatis ædibus commorans, ulteriorem Cæsaris resolutionem cognr volens nolens expectare. Præscriptum interim a Cæsarea Majestate processum nondum institui, non modo propter Cancellarii mei optimi et maxime pii viri obitum, èt propter expectationem literarum Sanctitatis Vestræ, si forte Cæsaris animus iis flectatur, et aliorum qui adversæ parti favent, judiciis neglectis restitutionem decernat: sed etiam quod dubitarem, num mihi sine consilio et consensu Sanctitatis Vestræ, ad quam spiritualia Abbatiæ meæ jura immediate pertineant, lis, quæ quodammodo immortalis futura et multis annis vix terminanda crederetur, ingredienda foret, præsertim cum adversarii etiamnum glorientur, eo se rem perduxisse, ut perpetuo jure contendens, nunquam ditionem meam sim recuperaturus.

« Quin et Reverendissimus Archiepiscopus Moguntinus, apud quem hoc in itinere diverti, et humanissime exceptus per aliquot dies permansi, moras restitutionis indignissime ferens, similiter suspicabatur, ne per juris processum in majores et longiores inciderem difficultates, idque non sine utriusque Ecclesiæ et Herbipolensis et Fuldensis gravi incommodo et pernicioso in Rempublicam Christianam exemplo. Itaque singulari sua pietate, qua erga utrumque nostrum afficitur, et sua sponte motus, nititur modo negotium inter nos (salvo tamen Sanctitatis Vestræ et Cæsareæ Majestatis jure) componere, quod jam pridem fecisset libentissime, si vel a Sanctitate Vestra vel Cæsarea Majestate Dominationi suæ aliquid demandatum fuisset. Ego lubens consensi, dummodo mea ditio mihi restituatur: consensit quidem et Herbipolensis, ut ineatur concordia; metuo tamen, ne his decretis Cæsaris confisus, iniquum sit postulaturus, quo minus invicem conveniamus, nisi forsan Sanctitatis Vestræ hortatu motus faciliorem se ad eam rem præbeat.

« Ex his jam omnibus Sanctitas Vestra, quid mecum agatur, et quibus in difficultatibus adhuc causa mea versetur, pro sua summa prudentia facile perspicit. Quæ si alii immerito ac-

ciderent, parumque auxilii in Catholicorum partibus videret, justo dolore se existimaret commoveri, si alia consilia caperet, a me autem procul abfuit hactenus et abierit in posterum talis cogitatio, divina adjuvante gratia. Id solummodo me in hujusmodi adversitatibus, præter bonam quam habeo conscientiam, consolatur, quod sperem et confidam, imo certissime sciam, apud Apostolicam Sedem et Sanctitatem Vestram vigere justitiam et æquitatem, et causæ meæ innocentiam perspectiorem et notiorem esse, quam ut vel disceptatione, vel juris cognitione egeat.

« Proinde ad Sanctitatem Vestram, Beatissime Pater, rursus supplex accedo, qua possum humilitate obsecrans, ut me causamque meam, qua mecum alii omnes Ecclesiastici et Catholica religio periclitantur, non solum commendatam habere, sed eandem etiam Cæsareæ Majestati commendare, et suspenso juris processu restitutionem urgere dignetur. Ad quam rem si Suam Majestatem ulla alia causa, nec religionis, quæ ob dissolutam et turpissimam monachorum et sacerdotum vitam et alia, ad quæ connivetur, collabascit, nec Reipublicæ, cui grave fit propter rebellium subditorum impunitam licentiam, præjudicium moveat, movere certe debet, quod necesse sit totam ditionem Fuldensem, quæ tot Pontificum et Cæsarum gaudet indultis et privilegiis, ipsorum etiam Commissariorum testimonio deperditam iri. Quomodo enim illa jamdum exhausta et enervata sumptus, qui tam Fuldæ hactenus citra modum facti sunt, et quotidie adhuc fiunt, quam qui in me exulem conferri necessario debent, diutius sine summa nec unquam recuperanda pernitie (quæ tamen solius restitutionis remedio facile evitaretur) sustinere queat? Et utcunque protrahatur restitutio, adversariique omnibus, quibus possint modis eidem sese apponant, impediantur, tandem tamen aliquando, si ulla est in Imperio æquitas, eadem fieri debet, sed cur nunc non potius ad parcendas expensas, quam olim omnibus absumptis fiat, equidem non video. Inanis enim est novæ seditionis, quæ semper prætenditur, metus, quasi tres monachi muliebribus amplexibus irretiti et nobilium aliquot coriphæi, Cæsaris imperio coherceri nequeant: ut non tam subditorum rebellioni, in qua propter impunitionem facile perseverant, quam patrocinio eorum, qui eos in malitia quodammodo confirmant, et quotidie magis atque magis instigant, adscribendam hanc moram censeam. Quæ si Cæsareæ Majestati suggerantur Sanctitatis Vestræ intercessione, futurum spero, ut sententiam mutet.

« Si vero Cæsarea Majestas in præscripto juris processu persistat, nec aliter restitutionem nisi per juris cognitionem mihi decernendam judicet, (id quod mihi erit gravissimum) a Sanctitate Vestra etiam atque etiam peto, ut suas etiam partes pro jure suo interponat, meque consilio paterno adjuvet, nec non apud Cæsaream Majestatem pro me intercedat, ut quando ita Suæ Majestati placeat, interim mihi ditio mea Fuldensis sine cujuspiam contradictione libere pateat, et ad minus Arx Novæ Villæ inhabitanda, una cum sufficienti sustentatione, concedatur, ubi ad exitum litis (a qua tamen in causa tam liquida abhorreo) tuto mihi commorari, nec hinc inde divagari liceat. Sanctitas Vestra hoc beneficii genus superioribus suis in me collatis non gravatim addat, ac mercedem a Deo accipiat. Deus Optimus Maximus, quem pro incolumitate Sanctitatis Vestræ devotis precibus defatigo, eandem Ecclesiæ suæ diutissime salvam conservet, cui me causamque meam humiliter commendo, et benignum paternumque responsum quam primum expecto. Datæ Seligstadii 16. Februarii anno 1578.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimus filius
BALTHASAR ABBAS FULDENSIS.

Aliquot post menses nuntiat, videri rem ad concordiam per Moguntinum spectare, qui pacis conditiones utrique proposuerit. Utcumque res se habitura sit, illud a Pontifice fieri se exoptare, ut moneat Moguntinum et alios Principes, velint interim apud Cæsarem instare pro victu sibi præbendo certaque sede decernenda, quod ex Cæsaris decreto jam factum oportuisset. [*] ([*] Germania Vol. 23 fol. 31.)

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Domino Gregorio Papæ XIII. Domino suo Clementissimo.

Post Sanctorum pedum oscula, humilimamque mei meorumque obsequiorum commendationem.

« Beatissime Pater. Cum videam post Deum nulli hominum magis cordi esse causam meam, quam Sanctitati Tuæ, æquum est, ut omnia, quæ in ea accidunt, eidem nota faciam.

« A Cæsare hactenus neque residentia certa, neque sustentatio impetrata, multo minus restitutio. Cujus rei causam periti nonnulli duplicem apud Suæ Majestatis consiliarios esse putant, vel quod ii aliis occupati de hisce cogitare non potuerint, vel quod hac ratione me omni difficultate pressum, facilius ad aliquam Episcopo utilem, mihi inutilem compositionem compellant.

« Interim Serenissima Imperatrix ad filium literas intercessorias dedit, quibus petit, ut Sua Majestas restitutionem decernat, aut ut minimum residentiam et competentiam certam. Verum sicut a procuratore meo intelligo, eæ sicut etiam meæ de eadem re die decimo mensis Aprilis nondum traditæ fuerant.

« Ego ab utroque Bavariæ Duce, patre et filio, in primis vero Treverensi et Coloniensi Electore ad eundem finem ad Cæsarem literas petii, de quorundam voluntate mihi constat, de aliis spero bene.

« Moguntinus, quia pacificatoris munus ultro suscepit, ad similia non rogatus.

« Pacificatio eo statu est, ut eam Episcopus desiderare videatur, quod spero Sanctitatis Tuæ literis et monitionibus quam maxime effectum; quamvis non desint, qui putent, non ex animo Herbipolensem pacem desiderare, sed simulare, ut interim Electorum conventus Vormatiæ institutus, a quorum suffragiis sibi non immerito timet, dissolvatur.

« Misit ante biduum Moguntinus quasdam pacis conditiones per suum consiliarium ad me, ut de iis intra mensis spatium sententiam meam significem. Earum summa est, ut adhuc cedam Herbipolensi, recepta ab eo certa habitatione et sustentatione; sic tamen, ut id fiat cum consensu Sanctitatis Tuæ et Cæsaris.

« Per Legatum tamen significavit, nequaquam esse mentem suam, quod hæc ita fieri debeant, atque adeo multo alias conditiones Herbipolensi misisse, sed voluisse se utrique parti proponere extrema, ut eo facilius ad media eos permoveat.

« In primis Sanctitatem Tuam rogo, ut ad Moguntinum literas det, atque in eo studium pacis commendet, tum moneat, eam sic curet, ne quid in Religionis et Apostolicæ Sedis præjudicium concedatur.

« Et quia res eum in locum jam adducta, ut pax speranda sit, videtur nihil ad causam opportunius hoc tempore posse fieri, quam si Sanctitas Tua ad Cæsarem, Treverensem et Coloniensem Electores, item Bavariæ Ducem, Ferdinandum quoque et Carolum Austriæ Archiduces literas daret, quibus ab illis paterne Sanctitas Tua requirat, ut et Moguntinum hortentur in causa sedulo progredi, et Herbipolensem moneant, facilem se præbere, quo vel sic aliquo modo et ipse publica ignominia et Germania gravi scandalo liberetur, atque exemplum perniciosum si non tollatur, saltem supprimatur.

« Si autem pertinacia quadam adversæ partis omnino ditionem meam vi captam retinere volentis pacis media dissolvantur, tum ut Moguntinus, simulque cum eo alii Principes, maxime jam nominati, iisdem Sanctitatis Tuæ literis moneantur apud Cæsarem pro restitutione, aut si ne id quidem fieri possit, pro sustentatione et residentia instare.

« Quod cum faciet Sanctitas Tua, prætterquam quod rem non parvam efficiet, tum etiam Deus ipse abunde hic et in futuro sæculo retribuet, quem rogo, ut Sanctitatem Tuam quam diutissime ad universalis Ecclesiæ utilitatem incolumem servet. Datum Seligenstadii 4. Maji anno 1578.

Sanctitatis Vestræ

Humilimus et obedientiss. filius,
BALTHASAR ABBAS FULD. mp.

Quarto ab his datis litteris die Pontifici se plurimum pro curis in sua re susceptis debere profitetur: conditiones quas Moguntinus obtulerat, quod vel sibi dedecori essent, vel etiam simoniam saperent, ab se admitti non posse; se tamen sperare, Cæsare annuente et hortante nec non Imperii Electoribus faventibus, rem tandem transigi posse. (*)

(*) Germania Vol. 23. fol. 38.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino Dño Gregorio Papæ XIII. Domino suo Clementissimo.

Post Sanctorum pedum oscula, humilimamque mei meorumque obsequiorum commendationem.

« Beatissime Pater. Efficaces vereque paternas Sanctitatis Vestræ literas 5. Aprilis datas, cum hodierna die ea, qua decet, reverentia accepissem, tantum animo commotus sum ad lætitiam, quantum non possunt me omnes adversarii contristare. Qua de causa, quamvis ante paucos dies de statu causæ meæ scripsissem, nec fere quid novi accidisset, ab hac tamen humilima gratiarum actione nec debui nec potui abstinere. Dominus Jesus omnium bonorum retributor hunc S. V. laborem sanctissimum non relinquet irremuneratum. Scripsi postremis literis ad Sanctitatem Vestram, Archiepiscopum Moguntinum quasdam conditiones pacis ad me misisse, quarum summa, ut adhuc cedam voluntarie Herbipolensi, eique injurias et sumptus omnes remittam, contra is mihi certam pecuniæ summam numeret quotannis, post mortem autem ejus ditio mihi mea tradatur. Sic tamen Archipræsul hæc proposuit, si Sanctitati Vestræ et Cæsareæ Majestati placeant. Mihi privatim significavit, proponere se quidem mihi hæc, sed multo alia et pro mea justa causa æquiora proposuisse Herbipolensi: expetere, ut uterque ab altero extremo nonnihil discedamus, quo facilius ad media perveniatur, et ut intra mensis spatium responderemus. Quia vero ego præsentem Electorum conventum Wormatiæ institutum nollem elabi, ut si forte concordia non succedat, apud eos qui unanimiter meam causam justissimam judicarunt, apud eos pro intercessione agere possim, hodie, die scilicet octava post acceptas conditiones, Moguntino respondi, responsi summa est: ditionem meam me Herbipolensi tradere non posse, etsi is plura millia numerare vellet, quam ditionis census ferrent; esse enim id pessimi exempli, non posse excusari a Symonia, præbere eam speciem ac injustissimam vim adversariorum ipse probarem, fatearque jure me ab ipsis ejectum. Ut autem

eam conditionem admittam de expectanda morte Herbipolensis, id in jure odiosum, naturæ adversum in Ecclesiasticis quam maxime improbandum esse. Neque posse me ad illam resignationem per hoc compelli, quod fortassis Herbipolensis sibi persuadeat, longa lite posse me circumduci, sperare me bene de Cæsaris pietate, esse præterea meam innocentiam modo multis notam et in dies fieri notiorem, et, si vel maxime in lite immoriendum, allaturum me tamen securam ad Deum conscientiam. Si autem Dominus Elector Moguntinus æstimare possit, iniquam esse causam meam, paratum tum me ei morigerum præbere. Quod ad alterum, ut sumptus et injurias Herbipolensi remittam, quamvis graves sint et propemodum irreparabiles, nequaquam me tamen iis ita exacerbatum, ut non libenter ignoscam. Contra quamvis Herbipolensis nusquam non queratur, se a me læsum, me pace cum ipso constituta et restitutione facta paratum nihilominus coram Sanctitate Vestra aut Cæsarea Majestate, vel si magis placet, coram tribus Electoribus Ecclesiasticis, vel etiam solo Moguntino de iis me purgare et judicio stare. Quid nunc deinceps futurum adhuc scire non possum, ubi intellexero, humillime ad Sanctitatem Vestram et Sedem Apostolicam perscribam; neque enim ullum mihi tam tutum, quam ad Sanctitatem Vestram et Apostolicam Sedem refugium.

« Cæsar compositionem libenter videtur visurus, atque ultro hortari Dominum Moguntinum; utile autem quam maxime si idem facerent Trevirensis et Coloniensis Electores, item Bavarus, pater et filius, duo item Archiduces Ferdinandus et Carolus, ad quod humillime rogo, ut Sanctitas Vestra eos hortari dignetur, sed non tamquam per me instigata. Moguntinus non dubito, quin pro sua insigni pietate multum Sanctitatis Vestræ literis moveatur, is cunctabundus alioquin hortatu Sanctitatis Vestræ celerius progredietur. Dominus Jesus Sanctitatem Vestram ad universalis Ecclesiæ utilitatem, ac etiam liceat humillime sic loqui, meam consolationem, quam diutissime incolumem conservet, cui me et causam meam humillime commendo. Datæ Seligstadii 8. Maji anno 1578.

Humillimus et obedientiss. filius
Balthasar Dei et Apostolicæ Sedis gratia
Abbas Ecclesiæ Fuldensis, Divæ Augustæ Archicancellarius, Primas etc.
Balthasar Abbas Fuldensis mp.

XXX. — Gregorius, qui Catholicorum virorum, præsertim graves perferentium injurias, strenuum se defensorem semper præstiterit, Abbatem Fuldensem majorem in modum Cæsari commendavit. Legas Pontificis litteras, gravitate sane, humanitate et apostolica animi magnitudine plenas. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 201 f. 436.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Sæpius commendavimus Majestati Tuæ dilectum filium Balthassarem Abbatem Fuldensem, et ejus causam: nihil enim dignius judicamus aut causa ipsa aut homine, in quo tuendo versetur utriusque nostrum studium atque opera. Est enim Abbas, ut scis, vir fidei et pietatis plenus, Catholicæque Religionis observantissimus, hancque ipsam ob causam a suis indignissime ejectus: tales enim homines oportet esse quam commendatissimos bonis omnibus, qui eos aut injuria prohibere, aut oppressos recreare et restaurare possunt. Etenim si verissime Augustinus ait, Principes servire ipsos iis, quibus imperant, hoc certe meditari atque agere maxime convenit M. Tuam et propter excelsum istum locum, in quo constitutus es a Deo ad servos suos tuendos, et propter summam bonorum omnium spem de tua pietate conceptam; cujus quidem spei habent causas gravissimas, sanctam primum educationem, tum naturæ bonitatem, tum perpetuum tuum recti æquique studium. Quæ causæ Nos dubitare non sinunt, Abbatem quamprimum tuo jussu restitutum iri; hoc enim jus maxime postulat. Satis jam superque factum est adversariorum calumniis: vis manifestissima est. Spoliatum vero diutius jactari, ejectumque in summa rerum omnium difficultate atque egestate versari, neque jus, neque humanitas patitur, neque id (ut libere loquamur cum filio nostro charissimo) sine maxima existimationis tuæ jactura, et Catholicæ Religionis detrimento accidere potest, si tanta seditiosorum hominum perfidia atque audacia toleratur, ut Catholicos pastores impune ejiciant, iisque etiam insultent et judicii specie ludant. Rogamus igitur per Dei gloriam, cui Imperium et vitam ipsam debes, ne patiaris, restitutionem diutius differri, summamque facultatem tibi a Divina bonitate oblatam pietatis declarandæ, Catholicæ Religionis dignitati providendi, amplissimam a Deo mercedem promerendi toto pectore amplectaris, Nosque et Catholicos omnes hoc facto consoleris. Interim vero causa nulla est, cur non servetur decretum Majestatis Tuæ de tribuenda Abbati sustentatione atque habitatione in Arce Villæ Novæ Fuldensis ditionis: durissimum enim est, dum restitutio differtur, ipsum iis rebus carere, quæ sunt ad vitam ducendam maxime necessariæ. Hoc quoque ut omnino fieri cures, etiam atque etiam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Cum tamen duobus post mensibus nondum

quidquam in causa Abbatis profectum esset, instantibus litteris Gregorios Trevirensem et Moguntinum Præsules, Duces Austriæ et Bavariæ rogat, ut ad optatum finem haud intermisse contendant. En litteræ ad Trevirensem, quocum de Herbipolensi Episcopo vehementius expostulans, in medium S. Augustini locum profert, verba scilicet præsenti ævo infixa memoriæ tenenda: « Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra. » [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 11. f. 23.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Treverensi Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quam afflictæ sint res Abbatis Foldensis, et scire te et dolere non dubitamus: nec minus miramur tantam nonnullorum patientiam et tarditatem in eo restituendo, quam perfidorum iniquitatem atque audaciam in ejiciendo et spoliando. Nihil enim est, quod tam diligenter, tamque multis decretis providerint Sancti Patres, quam ut ii, qui essent a suis sedibus pulsi et spoliati, non ante cogerentur judicium suscipere, quam perfecte essent restituti, idque etiam quam primum fieri voluerunt. Scripsimus sæpius hac de re ad Charissimum nostrum Rodulphum Romanorum Imperatorem Electum, sed nihil hactenus profectum est. Magnam spem habemus in T. Fraternitate: itaque postulamus, ut omnem curam atque auctoritatem tuam ad hanc causam conferas, nec nisi perfecta re quiescendum putes: in primis vero Episcopum Herbipolensem moneas, ne diutius reluctetur, neve cunctetur hominum sermones de se non bonos restinguere, suæque existimationi consulere, seseque gravissima suspitione liberare, qui, etiamsi nihil eum accusaret conscientia, tamen deberet beatissimo Augustino obtemperare, sic monenti: Non sunt audiendi viri sancti, sive fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit, ut in malam veniant suspitionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non impudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes, cum occidant animas aliorum, sive blasphemantium viam, quibus secundum suam suspitionem, quasi turpis quæ casta est, displicet vita sanctorum; sive etiam cum excusatione imitantium non quod videot, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit, quisquis etiam famam, is præterea in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. Eo autem magis debet Episcopus hoic sanctissimo præcepto obtemperare, quo facilius potest, desistat a litigando, antiquum et legitimum Pastorem loco movere ne contendat; præclare secum agi putet, si in suo Episcopatu Deo inservire, suoque muneri satisfacere, Dei judicium, periculumque id, in quo Episcopi omnes constituti sunt, horreat. Dum autem litigare non desistit, quid aliud quam suam existimationem minuit, Catholicæque Ecclesiæ scandalum parat? Age igitur cum Episcopo quantum potes, ut contendere desinat, patiaturque Abbatem restitui. Age etiam cum venerabili fratre Archiepiscopo Moguntino, ut de pacificatione, quam suscepit, nitatur omni studio; speramus illum in hoc negotio summæ nostræ expectationi, et spei, quam in ejus singulari prudentia et pietate repositam habemus, præclare responsurum. Hæc autem ita a Tua Fraternitate postulamus, ut majori studio contendere non possimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Junii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXXI. — Solertissimus Archiepiscopus Moguntinus Gregorium iterum supplex per litteras adit, ut concessionem coenobii patrum Franciscanorum patribus Ignatianis factam ratam habere velit. [*]

[*] Germania Vol. 13. fol. 1.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio ejus nomine XIII. Sanctæ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, post debitam obedientiam et sanctorum pedum oscula.

« Cum anno proxime elapso Sanctitas Vestra, ad Ecclesiæ meæ Moguntinæ utilitatem, translationem quorundam Monasteriorum in civitate mea Moguntina sitorum facere desideranti, paterna sollicitudine mihi commiserit, atque mandare dignata fuerit, ut auctoritate sua primum quidem statum, formam, et essentiam regularem ipsorum Monasteriorum Minorum, videlicet Divi Francisci et Divæ Mariæ Carmelitarum, perpetuo supprimerem et extinguerem, non obstantibus contrariis quibuscumque, deinde ipsis Fratribus Carmelitis domum S. Francisci compermutandam traderem et assignarem, et postquam in eam ipsos transtulissem, domum D. Mariæ Carmelitarum nostro Collegio Societatis Jesu auctoritate sua Apostolica perpetuo unirem, incorporarem, aliaque omnia et singula facerem et exequerer, quæ circa hæc necessaria et opportuna viderentur, non obstantibus quibuscumque; et quoniam Sanctitas Vestra paterna sua benignitate concessit potestatem hanc agendi et exercendi illa, quæ quomodolibet necessaria et opportuna videbantur in hoc negocio, et secundum mentem Sanctitatis Vestræ judicarem suavi potius modo, quam auctoritate cum Fratribus Carmelitanis agendum, es-

sentque non tam ipsæ quam aliæ graves causæ, quæ hoc tempore permutationem ejusmodi dissuadebant, univi et incorporavi, mihi ab ordine jam pridem relictum, et auctoritate Apostolica extinctum, et jam suppressum Monasterium D. Francisci Societatis Jesu Collegio, relictis in domo sua Carmelitanis. Et quamvis in hunc finem, ut templum proprium et domum ampliorem haberent operarii Societatis Jesu, suam mihi commiserit Sanctitas Vestra auctoritatem, et sufficienter provisum arbitrer; ne qua tamen ulla relinquatur futuris temporibus calumniandi occasio, hanc unionem sic per me factam supplico denuo Sanctitati Vestræ, quatenus jam factam per me incorporationem confirmare dignetur, et Societati Jesu de novo, si opus fuerit, hoc derelictum et suppressum Monasterium una cum omnibus ad illud quomodolibet spectantibus, Ecclesia, horto, libris, ornamentis unire et incorporare auctoritate Apostolica dignetur, nomen Monasterii et Ordinem Minorum D. Francisci, illiusque dependentias et regularia instituta et observantiam sua auctoritate Apostolica supprimat et extinguat, ac illius loco Patrum Societatis Jesu domicilium ad divina ministeria secundum Societatis ejusdem regularia instituta ibidem perpetuo peragenda erigat, atque de novo quantum opus est instituat, suppressumque locum Societatis Jesu Generali applicet et assignet derogando Ordinis privilegiis, mandando etiam sub gravibus censuris quibuscunque aliis, ne in corporali, reali et actuali possessione jam suppressi per me Monasterii Patres Societatis Jesu quomodolibet ullo unquam tempore molestent, mandando mihi, meisque successoribus hujus supplicationis manutentionem et defensionem, supplendo omnes juris et facti defectus, si qui forte intervenissent, aliasque clausulas efficaces apponendo, quibus perpetuari hoc Collegium Societatis Jesu, per me primum in hac Diœcesi ad utilitatem Reipublicæ et augmentum fidei institutum, valeat, facietque hac confirmatione, applicatione, derogatione et Ecclesiæ meæ atque Religioni Catholicæ rem utilem, et me posthac longe Sanctitati Suæ devinctiorem, quam Deus ad fidei conservationem atque propagationem, morumque Christiani orbis reformationem quam diutissime incolumem conservet, precari non cessabimus. Datum ex Oppido et Aula nostra Aschaffenburgensi XXVII. Januarii anno Red. MDLXXVIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

· Humilimus

DANIEL ARCHIEPISCOPUS MOGUNTINUS.

XXXII. — Cives Bisuntini, quod Gregorius suum Præsulem Claudium a Bauma in sacrum purpuratorum Patrum senatum cooptaverit, lætitia gestientes de tanto in illum collato honore gratias agunt, seque posthac alacriores in tuendis Ecclesiæ juribus spondent præstituros. (*)

Sanctissimo Domino D. Nostro Papæ Gregorio XIII. Pont. Max.

« Si qua sit Civitas aut Respublica, (Beatissime Pater) quæ merito in Domino gloriari et gaudere debeat, id certe hodie huic Civitati licet, cui nova stella novumque sidus repente adfulsit. Existimamus siquidem boni omnino omnium esse, nostræque Reipublicæ profuturum admodum, quod Archiepiscopus noster dignissimus Claudius a Bauma, qui et civis (hinc enim oriundus est) providentia quadam divina et favore Beatitudinis Vestræ singulari in numerum et cathalogum amplissimorum virorum conspiciatur, interque purpuratos sancto ac venerando cœtui apostolico nunc annumeretur, tantumque honorem adeptus sit. Sciebamus quidem eum generosum, nobilem, morum gravitate præditum, pium, devotum, modestum et bonum esse: verum hac vestra voluntate, piaque et sancta electione et delectu confirmatum est in nobis quicquid de eo conceptum habebamus. Unde et Nuncium a Vestra Sanctitate destinatum et missum, qui eum jussu Sanctitatis Vestræ et mandato stola hac insignivit, et purpura induit, si non debebamus, attamen ut potuimus et quantum in nobis fuit, læti cum omnium civium nostrorum applausu excepimus. Enimvero si quam concepimus voluptatem, si animi nostri interiora expressius exprimere licuisset, intellexisset profecto, quam jucundus et gratus advenisset Nuncius. Verum pro sua singulari humanitate hanc nostram voluntatem, adeoque propensum in se animum æqui bonique consulet. Longum esset, (Summe Pontifex) tum haud dubie tædiosum nimis virorum hilaritatem et animi hic verbis apud Sanctitatem Vestram prosequi atque hac in charta comprehendere. Hoc unum tantum omnium nomine testatum volumus, nos nostrosque cives, Deo Opt. Max. hoc tribuente, in unitate Sanctæ catholicæ et Romanæ Ecclesiæ permansuros perpetuo, ac avitam Religionem, in qua Dei beneficio retinemur, deserturos nunquam, sanctissimo vestro imperio libenter et volentes obtemperaturos. De quibus et aliis pluribus sibi concreditis rebus, statuque hujusce Reipublicæ, ac de ablata nobis jurisdictione ecclesiastica, deque regressu, quem moliuntur hæretici a nobis expulsi, in hanc Civitatem, vir hic sagax et fidelis, singularis et rarus alioquin Nuncius apud S. Vestram sacrumque Apostolicum Collegium fidem facere poterit, cui credi pro ea qua maxime pollet integritate optamus. Faxit interim Deus, ut Ecclesiam hanc, quam tuendam conservandamque Sanctitas Vestra accepit, pro sua summa sapientia ad tranquillitatem pacisque portum perducat, istamque Civitatem sua benevolentia et amplexu dignam

(*) Gallia Vol. 13. fol. 138.

existimet. Ex Civitate Imperiali Bisuntina die x. Aprilis MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Deditissimi et obedientiss. clientes et filii

CIVITATIS BISUNTINÆ GUBERNATORES.

Galiot.

XXXIII. — Eidem Cardinali a Bauma Gregorius suggerit et suadet, ut sedulam det operam Comiti Monteliarii, optimæ spei ac præstantis ingenii juveni, nihilque admodum a Catholica doctrina abhorrenti, in Ecclesiæ sinum reducendo. Legas litteras apostolici muneris et charitatis formam mirum in modum exhibentes. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 46. f. 23.

Dilecto Filio Nostro Claudio Cardinali Baumæ Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil nos tantopere curare atque agere oportere, quam ut omnibus in rebus honoretur Deus per Jesum Christum, utinam ut intelligimus, sic in eo parem nostro muneri ac desiderio operam præstare possimus tanto cum fructu, quantum rei ipsius dignitas ac necessitas exposcit. Eadem voluntate et animo esse te non dubitamus: id enim et locus iste amplissimus, quem in Ecclesia Dei obtines, vehementer postulat, et pietas tua pollicetur. Scis autem hanc ipsam, quam diximus, Dei gloriam, et fructum maxime contineri animarum salute; ejus vero fundamentum esse fidem, neque eam extra Ecclesiam Catholicam usquam esse; neque enim Ecclesia plus una esse potest, neque alia esse præter eam, quam describit beatus Augustinus. In Catholica, inquit, Ecclesia tenet me consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum, tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Istæ vero sive Calvini, sive Lutheri, sive cujusvis alterius portenti Ecclesiæ quam pridem ortæ sunt? quibus auctoribus, qua gravitate, qua vitæ innocentia et sanctitate præditis constitutæ? quibus miraculis illustratæ? qua Episcoporum successione stabilitæ? Præclare vero cum Christianis actum est, si his paucis annis istis magistris illuxit fides, totoque ævo superiore inane fuit Evangelium, stulti martyres, cæci Doctores, vani Antistites. Quo igitur magis ad Dei gloriam, atque ad animarum salutem necessaria est fides Catholica, eo acrius niti debemus, ut eam humanis mentibus inseramus, nec quidquam est, quod Deo acceptius, nostroque muneri convenientius facere possimus. Hujus rei summa nunc tibi facultas datur in Comite Membeliarii, juvene excellenti, ut scis, nobilitate, ingenio, spe prædito, neque a rectis consiliis, neque a Catholicæ doctrinæ sermonibus abhorrente. Extant in ejus locis gravissima veteris ac novæ Augustanæ confessionis dissidia, et summa utrinque partium studia; inque ea contentione restituendæ Catholicæ Religionis mentio facta est, ipso etiam Comite approbante. Vides quanta, quamque multorum salutis spes ostendatur. Urge per eundem ipsum Christum, cujus causa agitur, cuique jampridem te consecrasti, tam præclaram opportunitatem, cumque Comite ipso sive coram, sive per alios, ut melius convenire intelliges, age, ut benignitatem lumen præferentis Dei, atque hunc ipsum Catholicæ Religionis reducendæ sermonem iojicientis agnoscat, seque ei totum tradat, sentiet, quantum intersit inter lucem et tenebras, quamque suavis sit Dominus, cum in ejus dulcissimis amplexibus et sinu requiescat. Hoc igitur cura et contende, quantum potes. Aderit Jesus tuis conatibus, nostrasque, ut speramus, preces audiet, quas pro ipsius gloria et Catholicæ Ecclesiæ amplitudine fundare non cessamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Junii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXXIV. — Cum Gregorius accepisset, regius Consiliarios Dolæ et Comitatus Burgundiæ Administros multa contra jurisdictionem ecclesiasticam perpetrasse, cum Rege Catholico conqueritur, quin ei quidquam succenseat; ea enim ipso improbante facta esse sibi persuasum habebat. Gratificaturus igitur Philippo, optionem facit, cuinam potissimum e Cardinalibus Romæ degentibus eam causam cognoscendam velit committere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 91. fol. 38.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Neque possumus, neque debemus nostro muneri deesse in tuenda et conservanda ubique jurisdictione Ecclesiastica, quam etiam certo scimus, maxime velle Majestatem Tuam inviolatam esse. Eam autem dicuntur conscindere Consiliarii Dolani, Burgundiæque Comitatus Ministri; sic enim ad Nos scribitur, ipsos cognoscere de causis beneficiorum, decimarum, matrimoniorum, cæterarumque rerum jurisdictionis Ecclesiasticæ propriarum, usurpare etiam sibi executionem obligationum sub sigillo Bisuntino, id vero semper ad jurisdictionem Archiepiscopalem pertinuisse; ipsos etiam Consiliarios intrusis fovendis, ac lite protrahenda, de beneficiis, deque eorum fructi-

bus suo arbitratu statuere, beneficia vero ipsa ab hominibus minus idoneis longeque ab Ecclesiastica vita et professione alienis occupari, omnem denique his factis Ecclesiasticam jurisdictionem et disciplinam everti. Hæc Nobis gravissima acciderunt; eademque Tuæ Majestati vehementer displicere non dubitamus. Scimus enim, velle te jurisdictionem Ecclesiasticam augeri, idque dilecto filio nostro Cardinali Baumæ, cum de his rebus tecum ageret, professum fuisse; tantum abest, ut possis istam perversitatem pati. Decrevimos igitur harum rerum cognitionem et judicationem committere alicui ex iis Cardinalibus, qui apud Nos sunt, sed ei, quem maxime probabit Majestas Tua: volumus enim, a te ipso deligi eum, cui committamus. Expectabimus igitur literas Majestatis Tuæ, in quibus nomines unum aut duos, quibus committi velis; sic et tuæ optimæ voluntati et nostro muneri, et causæ ipsius gravitati inserviemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Augusti MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Quamobrem Gregorius Regem Hispaniarum fusioribus litteris alloquitur, in quibus illud sibi molestissimum accidisse dolet, ut contendenti Archiepiscopo sibi formam datam esse a Concilio Trideotino, quam sequi oporteret in auctoritate Ecclesiastica exercenda, illi respondissent, nullo modo se passuros, ut laici excommunicarentur; ex quo quidem omnis divina Ecclesiastici regiminis ratio et forma everteretur, quasi precario suam Ecclesia jurisdictionem a Principe non a Christo haberet. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 110. f. 90.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Neque possumus, neque debemus nostro muneri deesse in tuenda et conservanda ubique jurisdictione Ecclesiastica, quam etiam certo scimus maxime velle Majestatem Tuam inviolatam esse. Eam autem dicuntur conscindere Consiliarii Dolani, Burgundiæque Comitatus Ministri: sic enim scribitur, ipsos cognoscere de causis beneficiorum, decimarum, matrimoniorum, cæterarumque rerum jurisdictionis Ecclesiasticæ propriarum. Impedire etiam atque usurpare sibi executionem obligationum sub sigillo curiæ Archiepiscopalis Bisuntinæ. Quin etiam prohibuisse edicto, (quod quidem Majestatis Tuæ nomine abhinc quinquennium Dolæ, atque in toto Comitatu Burgundiæ promulgatum est) ne quis in posterum quenquam quacunque ex causa sive civili, sive criminali censuris Ecclesiasticis constringat. Cum autem super hoc edicto sæpe jussu Majestatis Tuæ inter Archiepiscopum et Consiliarios Dolanos communicatum fuisset: contendente Archiepiscopo, sibi formam datam esse a Concilio Tridentino, quam tenere oporteret, illos sic respondisse, se nullo modo passuros posthac, ut laici excommunicarentur; quasi vero precario jurisdictionem suam haberet Ecclesia a Principe, non a Christo. Hoc autem edicto et responso non solum Archiepiscopali curiæ propriam, perpetuoque retentam jurisdictionem penitus ademerunt; sed (quod intolerabile Principi Catholico esse debet) sic Ecclesiæ Christi authoritatem in illis partibus comminuerunt, ac potius extinxerunt, ut vulgo jam dicatur, nullam esse omnino Antistitis excommunicationem. Hæc Nobis gravissima acciderunt, eaque Tuæ Majestati vehementer displicere non dubitamus. Scimus enim, velle te jurisdictionem Ecclesiasticam augeri, idque dilecto filio nostro Cardinali Baumæ, cum de his rebus tecum ageret, professum fuisse, tantum abesse, ut possis istam injuriam Ecclesiæ illatam pati. Hortamur igitur Majestatem Tuam, ut pro tua pietate malum hoc statim, ne amplius serpat, auferas, et edictum illud, quod multis schismaticum et contra formam sacri Concilii Tridentini esse videtur, rescindi, aut certe suspendi jubeas, nec permittas, sacri Concilii decreta ex arbitrio sæcularium Judicum pendere, neque illos in interpretandis Concilii decretis Apostolicam sibi jurisdictionem usurpare. Quod si etiam maluerit Majestas Tua de re ipsa cognosci, committemus cognitionem et judicationem alicui ex venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus, qui apud Nos sunt. Deliges igitur, quem malueris; nos eidem ipsi committemus. Expectamus literas Majestatis Tuæ, quibus Nos hac cura liberes; sic enim et tuæ optimæ voluntati, et nostro muneri, et causæ ipsius gravitati inserviemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXXV. — Gregorius, suadentibus præ primis Feliciano Ninguarda Episcopo Scalensi et Carolo Borromæo, de Nuntio Apostolico ad Helvetios mittendo jamdudum cogitabat, quo in consilio cum ipse Orator Helveticus, qui anno superiori Romam venerat, confirmasse videtur. Mireris sane, Helvetios, cum saluberrimum sane Pontificis consilium comperissent, quodammodo commotos fuisse: namque asserebant, legationem istam utpote novam et in Helvetia nunquam usitatam, non solum Protestantes suos cives, sed cæteros etiam Principes cum Helvetia fœderatos, qui majori ex parte vel Lutheri vel Calvini dogmata sequerentur, ad summam indignationem fore concitaturam. Quod si Orator, quem Romam misissent, tale consilium dedisset, id, se insciis, factum esse: melius itaque fore, si legatio intermitteretur; sibi autem sufficere ad negotia Romæ curanda Præfectum custo-

diæ Helveticæ, virum præstantissimum. En quæ hac de re perscribunt. (*)

Sanctissimo Divina Ordinatione Summo Pontifici Romano Gregorio XIII. omnibus modis Nobis summa obedientia Venerandissimo et Colendissimo.

« Beatissime Pater. Post sanctissimorum oscula pedum officia nostra offerimus quæque promptissima, filialemque obedientiam debita cum devotione ac humilitate, ad Sanctitatis Vestræ pedes prostrati, exhibemus, Summe omnium Princeps, Clementissime Pater. Postquam Nobilis ac strenuus, specialis ac dilectus noster amicus Judocus Segisserus, Eques Auratus, Consiliarius Lucernensis, nec non Sanctitatis Vestræ Helveticæ Custodiæ Præses, prout Sanctitas Vestra clementer ei concesserat, hic in patria sua aliquid temporis nobiscum commoratus est, nunc vero cum videbamus illum ad Urbem versus redeundi, et ibidem, prout fidelem servitorem decet, apud Sanctitatem Vestram sese exhibendi gratia itineri accinctum, intermittere non potuimus, imo æquum atque condignum nobis visum est tum motu proprio, tum etiam propter ipsius merita Sanctitati Vestræ illum stricte commendare, et cum hac oblata opportunitate ejus ad Sanctitatem Vestram accessionis eandem certiorem reddere, sicut et facimus. Sciat igitur Sanctitas Vestra ipsum Judocum eo temporis spacio, quo nobiscum degebat, sese semper honestissime et præclare gessisse, omniaque et singula Sanctitatis Vestræ commissa apud nos singulari studio, fidelitate ac diligentia absolvisse. Similique modo ac diligentia omnia et singula illa negotia qualiacunque sive secretiora sive communia, de quibus a nobis illi apud Sanctitatem Vestram vel Reverendissimos ac Illustrissimos Dominos Cardinales erat agendi commissio, pro optima nostra satisfactione illum expedivisse et vidimus et experti sumus. Sic ut speramus S. V. ab hoc æqualem cum nobis satisfactionem accepturam, eamque humiliter rogamus, (nisi minus gratum illi foret) ut ipsi Judoco, quamprimum possibile esset, ad nos revertendi copiam facere, atque singulari illa sua paterna clementia erga illum talem sese exhibere, ut suorum servitiorum erga Sanctitatem Vestram ejusque Prædecessores ac nos quovis tempore vel Romæ, vel hisce aut aliis in partibus tam fideliter præstitorum fructuosam recompensationem percipere experiatur, illique res et negotia sua non minus quam antea apud nos peragendas committere dignetur; nam vix gratiorem sive acceptiorem eo Sanctitas Vestra ad nos mittere posset. Sed quia eundem Judocum Sanctitati Vestræ atque simul universo Reverendissimorum ac Illustrissimorum Dominorum Cardinalium Collegio jam diu satis cognitum esse pro certo sciamus, superfluum nobis videtur de ejus qualitate et persona Sanctitatis Vestræ aures diutius obtundere. Noverit interim Sanctitas Vestra rumorem ad nos devenisse, Balthasarum Luchsinger conductum atque juratum nostrum Scrybam Plebis Locarnensis subditorum nostrorum, dum novissime apud S. V. Romæ versatus est, pro se vel quibusdam ex suis gratiæ cujusdam ab ea impetrandi causa aliorum quorundam negotiorum, quæ commissionis suæ non erant, apud Sanctitatem Vestram sollicitatorem sese præbuisse, specialiter autem, ut in hasce patrias nostras Nuntius a Sanctitate Vestra mitteretur, petiisse, quod si factum est citra voluntatem atque rescitum nostrum, factum esse affirmamus, quia sufficiebat et adhuc sufficit nobis ipsum Judocum in similibus et quæ ad nos spectant negotiis sollicitatorem habere. Nam quoque apud nos perpensum est, propter varios rumores ac suspitiones diversas tum penes Principes ac Confœderatos nostros Helvetios, qui in fidei confessione nobiscum non sentiunt, tum etiam Christianos Reges et Principes Catholicos orituras, non admodum conducere, si hisce temporibus a Vestra Sanctitate Nuntius huc mitteretur, quæ omnia Sanctitatis V. solita sapientia melius quam nos considerabit, eoque quo decet animo suscipiet. Simili modo intelligimus, eundem Scrybam eodem tempore pro parte Reverendissimi Domini Episcopi Sedunensis quædam et fortassis talia, quæ scriptis ad Sanctitatem Vestram abhinc antea datis contrariabantur, apud eandem Sanctitatem Vestram recitasse, quæ omnia apud nos multum admirationis genuerunt. Siquidem ipse Scryba a nobis nihil aliud in commissis vel concessum habebat, nisi quantum nomine nostro ibidem de aliquot Patribus Jhesuitis in oppidum Locarni nostræ ditionis introducendis agere, postea quoque privati sui commodi causa consensum apud nos vel Oratores nostros potius obtinuit apud Sanctitatem Vestram pro salium vectura atque mercatura impetranda fortunam tentandi, in quo nos tanquam superiores illius fortunæ minime invidentes, illi tanquam famulo et jurato nostro propter ipsius merita et servitia, alias legaliter et honeste præstita, in tam serio ipsius rogatu deesse noluimus. Quanquam non desint etiam alii, prout elapsis temporibus experientia deprehendimus, quosdam harum patriarum homines privatos aliquando sub titulo Legationis ad Sanctitatem Vestram aliosque Principes pergere, negotiaque ibidem, quæ in commissis non habebant, proponere sibi præsumpsisse, (et hoc forsitam sola spe, ut muneribus, catenis aureis vel similibus honorarentur) quod de præsenti nobis ansam præbet Sanctitatem Vestram obnixe rogandi, quatenus in futurum tales apud illam non majorem fidem ac authoritatem, quam merentur, habeant, quin potius præfato Judoco nostro, cui nos omne illud,

(*) Helvetia Vol. I. fol. 74.

quicquid est etiam maximi momenti, negotium apud Sanctitatem Vestram tractandum præ aliis plene confidere audemus, vel aliis spectabilibus viris ex nostris legitima authoritate et ordine ad hæc deputatis, (si quandoque tales mittere contingat) quemadmodum et nos, plenariam et indubitatam fidem exhibere dignetur. Quæ omnia et singula Sanctitati Vestræ humillime referre libuit, quo dextrius vel cautius utrinque res agi possint, eandem instanter rogantes, quatenus ipsi Judoco nostro super hisce, quæ illi nomine nostro Sanctitati Vestræ particulariter explicanda injunximus, plenariam et non minorem quam nobis ipsis fidem facere velit, simulque ipsum jam sæpedictum Judocum una cum fratre ac tota societate, haud minus quam nos, nostraque negotia, uti hactenus, solita sua ac paterna elementia commendatos habeat. Hæc enim et similia quam plura hactenus in nos nostrosque collata beneficia, quibus Sanctitas Vestra sibi nos devinctissimos atque obligatissimos reddidit, humilibus ac devotis animis, uti obedientes filios decet, recompensare studebimus, Deum Opt. Maxim. interim pro Sanctitatis Vestræ longæva valetudine diligenter orantes. Datæ nostroque omnium nomine sub amantissimorum Confœderatorum nostrorum Lucernensium sigillo secreto communitæ XXIIII. die mensis Februarii anno MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi ac devotissimi filii
Sculteti, Ammani et Senatus Septem Canthonum Helvetiorum Catholicorum Luceriæ, Uraniæ, Svitiæ, Subsylvaniæ, Tugii, Fatrugi et Salodori.

Gregorius Oratorem illum humanissime exceperat, Helvetiosque satis magnis beneficiis cumulaverat, quod simul ac cognoverunt ex animo ingentes ipsi gratias rependunt, et inprimis quod Lucarnensi Societatis Jesu Collegio DC aureorum annui redditus assignaverit, certumque juvenum Helvetiorum numerum in Collegio Germanico Romæ alendum proposuerit; petunt insuper, ut isti juvenes, quo impensæ pro tam longinquo itinere faciendæ parceretur, in Seminario Mediolanensi non ita pridem a Præsule illius urbis condito alerentur. [*]

[*] Helvetia Vol. 1. fol. 77.

« Beatissime Pater. Post sanctorum oscula pedum, obsequia nostra quæque promptissima filialemque obedientiam debita cum humilitate ac observantia ad S. V. pedes provoluti offerimus, Summe omnium Princeps, Clementissime Pater. Postquam dilectus et fidelis noster secretarius atque centurio Locarnensis Balthasar Luchsinger Svitensis, quem nuper ad Sanctitatem Vestram Oratorem constitueramus atque ablegaveramus, ad nos rediit, multis modis et summa laude nobis retulit, quam paterne et clementer nec non speciali honore et beneficentia Sanctitas Vestra ipsum exceperit, illique super iis, quæ nomine suo et nostro petiit, benignas præbuerit aures, petitaque concesserit. Et quia id nobis quam gratissimum accidit, dignum esse duximus Sanctitati Vestræ gratias quas possumus maximas agere, sicut et agimus humillima cum devotione. Sed quantum ad salium concessam et pactatam conductionem, quam idem noster Orator communium omnium Cantonum Helvetiorum consensu, nostra autem promptoriali intercessione a Sanctitate Vestra adeptus est, prout ex ejusdem instrumento per Cameram Apostolicam XXII. die Novembris proxime effluxi confecta, illique tradita didicimus, ad ipsius instantiam Sanctitatem Vestram humillime rogamus, ut ipsius jussu aliquot etiam similes in eodem instrumento ae, uti in Gandulphi et Galetti pactionibus factum est, reservationes, quæ ibi desiderantur, utpote quod ille vel consortes tempore pestis et belli ad præfatam conductam non teneri, aut jacturam temporis annorum concessorum tanto intervallo pati debeant, inserantur, et talis defectus suppletur, ipsique consortes (quum salium solutio antequam avehantur semper fiet et fieri debeat) ad ulteriorem cautionem vel sponsionem non teneantur. Quod autem Sanctitas Vestra tam gratiose ac liberaliter humillime nobis supplicantibus, pro sustentatione Jhesuitarum Collegii in oppido Locarnensi nostræ ditionis erigendi, 600. aureorum annui redditus illinc paternitatis suæ munificentia quotannis solvendorum, similique modo duos ex singulorum Cantonum nostrorum civium numero, studiis aptorum, in Collegio Germanico Romæ Apostolicis expensis alendorum erga ipsum Oratorem nostrum sese obtulit, nostrum erit illud non nisi summæ gratiæ loco, promptissimisque obsequiis et filiali obedientia promerendum semper præ oculis habere. Rogamus autem Sanctitatem Vestram, ut, quo loco talis redditus semper pro tempore accipiendus sit, nobis designare, illudque collegium quam primum instituendum jubeat, atque circa præfatam Scholarum deputatorum sustentationem, illud negotium cum Illustrissimo et Reverendissimo Dño Domino nostro Cardinali Borrhomæo Archiepiscopo Mediolanensi, ut iidem in suæ Celsitudinis Seminario in dicta urbe Mediolanensi, novissime erecto, recipiantur, ne tam gravibus sumptibus et defatigationibus propter longinquam loci distantiam et itineris incommoditatem adeo graventur, accommodare, vel permutationem hujusmodi gratiæ facere dignetur, quo facilius Sanctitatis Vestræ hoccine singulari paternitatis emolumento ac fructu frui possint. Erit hoc summopere nobis gratum, perpetuaque gratitudine atque devotione erga Sanctitatem Vestram, Sedemque Apostolicam recognoscendum et recompensandum. D. O. M. interim pro ipsius lon-

gæva valetudine ad Ecclesiæ suæ emolumentum et decorem cum felici gubernamine assidue orantes. Datæ nostroque omnium nomine sub amantissimorum Confœderatorum nostrorum Lucernensium Civitatis sigillo secreto communitæ, die XXVI. mensis Aprilis anno MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimi et devotissimi filii
SCULTETI, AMMANI ET SENATUS OCTO CANTONUM HELVETIORUM CATHOLICORUM LUCERIÆ, URANIÆ, SVITIÆ, SUBSYLVANIÆ, TUGII, CLARONÆ, FRYBURGI ET SALODORI.

Providus Pontifex Helvetiorum timoribus de Nuntio Apostolico ad ipsos mittendo minime motus, Joannem Franciscum Episcopum Vercellensem in Vallem Tellinam, veluti Visitatorem Apostolicum ad collapsam Cleri disciplinam instaurandam, misit; quumque Grisones id ægre ferrent, Præsides Pagorum Catholicorum hortatur, ut eos ab impediendo Vercellensi Episcopo Visitatoris munus obeunte abducant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII, An. VII. ep. 150. f. 95.

Dilectis Filiis septem Pagis Helvetiorum Catholicorum Ecclesiasticæ Libertatis Defensoribus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Misimus superioribus diebus venerabilem fratrem Episcopum Ecclesiæ Vercellensis ad visitandam Diœcesim Novocomensem; pervenit ille ad Vallem Tellinam, quæ in eadem Diœcesi est, ibique pro suo munere egit nonnulla; id vero Grisones, qui eo in loco sæcularem jurisdictionem obtinent, adeo graviter tulerunt, ut minati sint, se animadversuros in eos, qui Episcopum admiserunt eumque ut Visitatorem Apostolicum agnoverunt. Visum est hoc Nobis iniquissimum, eos, qui erga Episcopum bonorum virorum ac Deo fidelium officio functi sunt, pietatis pœnas dare. Quia vero certo scimus, vos apud illos auctoritate et gratia plurimum posse, eosque multis de causis vobis libentissime gratificari, rogamus vos, quantum possumus, quantumque causa ipsa, atque innocentium hominum fides, nostraque et vestra erga omnes bonos charitas postulat, ut hominum illorum animos placare velitis, ac providere, ne quid fratribus nihil tale meritis damni aut injuriæ inferatur. Erit hoc dignissimum vestra pietate, Deo acceptissimum, Nobis ultra quam dici possit gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

XXXVI. — Basileensem denique Præsulem hortatur, ut muneris sui partes pro Dei gloria subditorumque suorum salute gerat. Id quod potissimum faciet, si clericorum Seminario quam primum instituendo sibi bene moratorum sacerdotum copiam paret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI. ep. 188. f. 445.

Venerabili Fratri Episcopo Ecclesiæ Basileensis.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil est, quod tam conveniat nostro, Episcoporumque omnium officio et muneri quam meditari, quanam potissimum ratione possimus Catholicæ Ecclesiæ consulere, animarum saluti providere, Christi gloriæ omnibus in rebus servire. Debemus autem in hanc curam atque operam toto pectore incumbere, nihil Nos quidem nostræ prudentiæ et viribus tribuentes, sed divinam semper opem implorantes, spemque omnem in Dei misericordia collocantes, nostram autem operam conferentes: ut enim nihil possumus nostris viribus recte cogitare, nedum agere, sic non debemus omnia divinæ providentiæ relinquere, sed, ut bonos et fideles servos decet, ad omnia vigilare, Christique gregem ab ejus benignitate Nobis commissum omni studio et cura tueri. In quo ut Nos nostrum munus erga universam Ecclesiam agnoscimus, sic Fraternitatem Tuam in ista Ecclesia tuæ fidei et diligentiæ commissa agnoscere non dubitamus, quo etiam certius habemus, hanc Episcopalis officii commemorationem fore Tuæ Fraternitati jucundissimam. Tria autem hoc tempore occurrunt, quæ ad eam, quam diximus, Christi gloriam atque animarum salutem magnopere pertinere judicamus, si Ecclesiis probi et pii sacerdotes præficiantur, si ecclesiastica disciplina iis in locis, in quibus depravata est, restituatur, quod quidem sine frequenti visitatione fieri non potest, si quod in Concilio Tridentino sanctissime decretum est, Seminaria instituantur, ad eos pie educandos, qui in ecclesiastico ordine futuri sunt. Dici enim vix potest, quantam afferat Ecclesiæ Dei perniciem Clericorum vita dissoluta; imperita enim multitudo aut nullum, aut certe levissimum crimen existimat esse id, in quo videt Clericos versari, sicque exemplo ipso perditur, cum contra oporteat, eos, qui divina præcepta non verbis tantum profitenda, sed rebus ipsis exequenda proponunt, eadem ipsa, quæ alios docent et monent, inviolate sancteque servare. Hæc igitur tria ut cures, rogamus Fraternitatem Tuam per eundem ipsum Christum, pro cujus grege (nisi mercenarii esse volumus) vitam ipsam profundere debemus. Longiores in cohortando non sumus, quia hæc maxime sentire et velle te persuasum habemus; hactenus autem tardatum esse aut temporum iniquitate, aut magno aliquo impedimento. Expectamus summo cum desiderio literas tuas, ex quibus intelligamus, hæc, quæ Dei gloriæ Catholicæque Ecclesiæ dignitatis causa incredibiliter cupimus, tua opera et diligentia perfecta fuisse. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Pi-

scatoris die XXII. Martii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXVII. — Gregorius Legatum a Patribus Synodi provincialis Petricoviensis Romam missum humanissime excepit: Synodi decreta, nonnullis factis emendationibus, confirmavit: resque Cleri et Ecclesiæ Stephano Poloniæ Regi hisce litteris commendavit. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 231 f. 161.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Satisfecimus postulationibus Cleri, quantum potuimus, quantumque perturbatæ istic status Ecclesiastici rationes patiebantur. Hoc Tuæ Majestati tantum significare volumus: fusius autem cognosces omnia ex dilecto filio Jacobo Breczniсio, quem Clerus ad Nos miserat. Quod te hortemur, ut vetus studium tuum Catholicæ Religioni inserviendi retineas, nihil est: quod enim in proxima Synodo fecisti summa cum laude, id te perpetuo facturum speramus, ut nullam occasionem omittas summam sempiternam hoc facto apud Deum mercedem promerendi. Restat, ut rogemus ejus bonitatem, ut omnibus consiliis et factis tuis perpetuo adsit sua gratia; quod quidem facere non desistimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXVIII. — Eidem Regi significat, se Episcopo Montis Regalis Nuntio suo successorem dedisse, qui apud eum idem munus agat. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 233. f. 176.

Charissimo in Christo Filio Nostro Stephano Poloniæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Mittimus successorem venerabili fratri Vincentio Episcopo Montis Regalis, quo hactenus Nuncio apud Majestatem Tuam usi sumus, dilectum filium Joannem Andream Caligarium, utriusque nostræ Signaturæ Referendarium, virum prudentem et multis gravibusque in rebus, in quibus ipsius opera usi sumus, integritate et fide spectatissimum. Habebit Majestas Tua eum ad recta atque honesta omnia, quæ tibi summopere cordi esse scimus, paratissimum. Gratissimum Nobis facies, si hunc ea, qua soles, nostros atque Apostolicæ Sedis Nuncios humanitate amplecteris, omnibusque in rebus, de quibus tum in adventu ipso, tum in posterum tecum aget nostro nomine, non minorem ipsius verbis, quam nostris fidem tribueris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXIX. — Præfectos inclyti Ordinis Cisterciensis per eumdem Nuntium J. And. Caligarium monitos voluit de regulari suorum instauranda disciplina. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 234. f. 188.

Dilectis Filiis Abbatibus Ordinis Cisterciensis in Regno Poloniæ Existentibus.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Quod vos pro vestro officio, proque ea cura et diligentia, qua debet unusquisque versari in munere sibi a Domino Jesu Christo commisso, conari atque efficere debetis, ut Ecclesiastica et regularis disciplina iis in locis, in quibus incorrupta est, retineatur, ubi vero depravata aut collapsa, restituatur: hoc Nobis quidem ut faciatis, Nobis quidem monere, vobis vero omni studio curare atque agere est pernecessarium. Nostis enim, quantopere hoc studium pertineat ad Dei gloriam atque animarum salutem, hoc est ad eum finem, quem unum oportet esse omnibus Catholicis Pastoribus propositum. Hortamur igitur, ut in hanc curam toto pectore incumbatis. Qua etiam de re vobiscum aget nostris verbis dilectus filius Joannes Andreas Caligarius, utriusque nostræ Signaturæ Referendarius, vir in multis gravissimisque negotiis, prudentia, integritate, pietate spectatissima, quem fecimus in isto Regno nostrum et Apostolicæ Sedis Nuntium ordinarium: ei omnibus in rebus fidem tribuetis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXX. — Stephanus Rex ad negotia regni expedienda Varsoviæ comitia Februario mense habuit, in quibus deliberandum erat et de bello contra Magnum Ducem Moscoviæ ineundo, et de una judiciorum forma, unoque tribunali inter omnes Ordines constituendo. Hoc alterum deliberationis caput primum tractandum susceperunt. Tribunal istud, cujus erat res mere civiles una eademque legum norma dijudicare, quadraginta judicibus constabat: hi ex singulis regni Palatinatibus et districtibus, quorum numerus in eundem quadrat, seligebantur. Majoris Poloniæ causæ Petricoviæ, et quæ Minorem Poloniam attinebant, Lublini ab istis viris dijudicandæ erant. Qua de occasione celebre illud et ardentissimum certamen inter Nobilitatem et Ordinem Ecclesiasticum originem sumpsit, sicque parum abfuit, quin res publicas conflato bello civili in extremum discrimen vocaverit, nisi Regis opera tempestive sopitum et quodammodo extinctum fuerit. Nobiles, qui ut omnibus notum, plerique hæresi addicti erant, difficultatem afferebant de decimis Ecclesiasticis persolvendis. Plurimi ex Catholicis Nobilibus, ab hæreticis præ primis magna cum malitia et summa improbitate excitati, eousque processerunt, ut decimas solvendas negarent; totamque hanc rem ad novum hoc tribunal dijudicandam deferri contenderent. Qui ita conclamarunt, in rem suam adduxerunt, quod æque bona quæcumque sive Regis sive Reipublicæ jam per longam annorum

seriem ab omni decimarum onere libera existerent. Cum maxima horum bonorum pars a Nobilibus jure quodam beneficiario per clementiam Regis possiderentur, hac de re ajebant isti, nihil æquius esse, quam ut etiam reliqua bona, ipsorum propria, eodem privilegio fruerentur atque immunia forent a quovis decimarum onere. Quis non videt, quod si hocce postulatum sane intollerabile et vere improbum effectum suum sortitum esset, gravissimum exinde detrimentum Clerus et Ecclesia pati debuisset. Catholici in Varsoviensi conventu, qui intelligebant hæreticos adlaborare, ut judicia ecclesiastica everterent, et Ecclesiam bonis omnibus privarent, vehementer contenderunt non posse controversias decimarum ad novum illud tribunal laicorum et hæreticorum contra canones deferri. Urgebant hæretici, qui et occasionem sumebant, ut odium contra Catholicos magis concitarent, ac si per ipsos deliberationes de regni negotiis impedirentur. Tum Catholici, ipso Episcopo Vladislaviensi assentiente, ne hæreticorum perfidia graviora auderet contra Ecclesiam, in eo perturbatissimo rerum statu annuerunt ita rem componi, ut pro controversiis decimarum dirimendis sex ex ordine Nobilium, et totidem ex ordine Ecclesiastico judices deligerentur, et in suffragiorum paritate negotium ad regium tribunal remitteretur. De hoc rerum exitu Rex valde lætatus declaravit, sibi nihil magis curæ fore, quam Ecclesiæ res omni ope juvare. Argumentum autem hujus voluntatis præbuit, cum, suadente in primis Nicolao Cassobucio Nuntio Plocensi, viro Ecclesiæ addictissimo, statuit, ut ex bonis omnibus, quotquot ipsius aut Reipublicæ propria essent, decimæ persolverentur; quo factum est, ut Nobiles sese coactos viderent decimas persolvere non solum de bonis jure beneficiario a Rege concessis, sed etiam de iis, quæ ipsorum essent. Totam hanc comitiorum rationem Episcopus Vladilaviensis referendam censuit Pontifici: quem exoravit, ut Nicolaum Cassobucium ex provinciæ Plocensis Nuntiis, qui pene solus in his comitiis hæreticis jura Catholicorum impugnantibus restitit, Regi in Senatum adlegendum singulari cum commendatione proponeret. [*]

[*] Polonia Vol. 15. fol. 96.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ.

« Etsi mihi dubium non sit, quin de rebus omnibus, quæ in hisce Comitiis actæ sunt, Sanctitas Vestra multorum literis edocta sit; dandam tamen operam existimavi, ne meum officium in hac potissimum parte a Sanctitate V. requiratur, ut quam summum et unum Ecclesiæ Dei præsidem agnosco, palamque profiteor, eandem de statu ecclesiastico, deque nostro cum hæreticis certamine faciam certiorem. Neque enim Sectariorum hominum studia in hisce Comitiis alio tendebant, quam ut veram Christi religionem, avitumque divini numinis cultum ex hoc Regno ejicerent. Cum enim in ipso Comitiorum exordio duo deliberandi capita omnibus ordinibus proposita essent, alterum de bello contra Moschum suscipiendo, alterum de una judiciorum forma unoque tribunali inter omnes ordines constituendo, postremum hoc, veluti studiis suis magis accommodatum, summa contentione tractandum susceperunt. Quæ quidem judicii forma cum ab illis ita conscripta et constituta esset, ut complures de bonis ecclesiasticis controversias sæcularium atque adeo hæreticorum hominum judicio subjacere oportuisset, noluimus tanto scelere nos obligare, ut acerrimis Ecclesiæ Christi hostibus causas ecclesiasticas judicare permitteremus; facile enim perspeximus, quantum ea res ordini nostro contemptum, quantum libertatibus fortunisque nostris periculum esset allatura. Quamobrem summis illorum conatibus, ut potuimus, vehementer obstitimus. Cæterum, ne quid illi intentatum relinquerent, quo nos ejusmodi judiciis, nostris juribus adversis, involverent, rationes ineundæ nobiscum de decimis concordiæ quærendas stabiliendasque censuerunt; nec ad primam de bello consultationem transeundum putaverunt, priusquam tota de tribunali deliberatio concluderetur. Quæsiti itaque sunt concordiæ modi. Non gravatim proposita a nobis decimarum solutionis moderatio, sed illi adeo nobis erant iniqui, ut nihil de suo nos omnibus propemodum fortunis spoliandi studio remittere voluerint, unde certe inferioris ordinis Sacerdotes, quorum ut plurimum, reditus ex decimis constant, majori decimarum parte spoliati Ecclesias deserere cogerentur: id quod jam in multis hujus Regni partibus ab aliis factum esse non sine magno nostro dolore intuemur. Neque vero existimet Sanctitas Vestra, illos alio animo hanc de compositione disceptationem suscepisse, quam ut universum Equestrem ordinem in nos concitarent, quasi per nos universa de Republica consilia retardarentur. Quoniam vero non dubiis auctoribus huc quotidie afferebatur, maximum hostium exercitum in ipsis jam Regni finibus consistere, ibique ferro et igne omnia vastare, patriæ periculo consulentes, compositionem hactenus frustra tentatam in proxima Comitia rejecimus, unumque tribunal, et unam judiciorum formam (cum aliter nostris rebus in tanta Regni perturbatione prospicere non potuimus) ita comprobavimus, ut quædam causarum genera, quæ ad judicium sæculare pertinebant, sex nostri ac totidem illorum ordinis homines judicarent; in paritate autem sententiarum totum, quo de agitur, negotium ad Regium tribunal remitterent. De cujus æquitate ut nobis

optima quæque polliceamur, haud dubiis hoc argumentis proxime demonstravit. Nam cum hæreticorum omnium, compluriumque Catholicorum una eademque esset sententia, ut decimæ omnes, quæ tam ex illorum, quam ex Regiis bonis provenirent, non modo contra æquitatem retinerentur, verum etiam illas in judicium deducendi cuivis potestas erigeretur, donec inter nos de illarum ratione conveniret: factum est, ut Nicolaus Cossobocius, vir et generis nobilitate et doctrinæ laude conspicuus, assentientibus sibi Provinciæ Plocensis Nunciis, inter quos ipse principem obtinebat locum, eo Regem adduceret, ut quod antea facturum se receperat, decimas omnes ex Regalibus saltem bonis persolvi mandarit: jus de illis reddendi, simulque de vadimoniis desertis cognoscendi sibi reservarit. Quare meliori omnino spe sumus, illum non modo istas controversias ex sententia nostra judicaturum, sed etiam hisce fundamentis jactis libertates Ecclesiæ suscitaturum. Cuperem autem quam maxime, ut ejusmodi viros in Senatum assumeret, qui suæ pietati, suis studiis sese conformarent: brevi enim fieret, ut incredibilis hæreticorum favor et audacia sic unito consilio et auctoritate vinceretur. Unde silentio prætcrire non possum singularem ejus, quem dixi, Cossobucii pietatem, Illustrissimis quoque dominis Hosio et Comendono Cardinalibus, ipsique Reverendissimo Domino S. Vestræ Nuncio non ignotam: qui cum multis jam annis pro nostris ornamentis cum hæreticis decertavit, tum in hisce Comitiis ita iisdem vicissimque Catholicis jura nostra impugnantibus pene solus restitit, ut dignum illum existimem, quem Sanctitas Vestra in Senatum assumendum, et præmiis afficiendum Regi per literas commendaret; seu id oneris Reverendissimo Domino Sanctitatis Vestræ Nuncio imponeret. Unde non modo ille alacrior in defensione fidei redderetur, verum etiam cæteri quoque ejusdem ordinis viri ad idem studium excitarentur. Quod superest, Beatissime Pater, cupio Sanctitatem Vestram diu feliciter incolumem Ecclesiam Dei administrare. Datum Varsoviæ v. Idus Martii anno Christi MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Sacellanus
STANISLAUS CARNCOVIUS
EPISCOPUS WLADISLAVIENSIS.

XXXXI. — Cracoviensis quoque Præsul Pontifici scripsit, ab plurimis in Polonia hæreticorum sectis, eorumque potentia atque in Catholicos odio valde timendum esse, ac proin se ipsius ope egere. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 8. fol. 166.

Sanctissimo et Beatissimo Patri et Domino Domino Gregorio XIII. Sacræ Romanæ et Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino Suo Clementissimo.

Sanctissime et Beatissime Pater et Domine Domine Clementissime.

« Binas hoc tempore Sanctitatis Vestræ accepi litteras, quarum alteras Reverendus vir Dominus Joannes Andreas Caligarius, ejusdem Sanctitatis Vestræ in hoc Regno Nuncius, alteras Jacobus Breznicius, qui proxime apud Sanctitatem Vestram Cleri Polonici Nuncium egit, mihi reddidit, utrasque singularis illius in me clementiæ plenas. Prior ille ad ea, quæ in Ecclesia Dei et curanda et tuenda partium mearum sunt, verbis Sanctitatis Vestræ adhortatus est, in quibus amorem in me et pietatem vere paternam ac Summo Pontifice et Pastore dignam agnosco, eoque nomine immortales ei gratias ago. Equidem pro virili mea do operam, ut ne debito officio meo desim, sed tantus est in hoc Regno hæreticorum furor, ut nisi Dei ac Sanctitatis Vestræ singulari ope et auxilio adjuvemur, vix ulla spes esse possit, ut ei obsistere queamus. Nam ex quo tempore originem sumpsit Christiana Religio, vix unquam in toto Christiano orbe tot fuerunt, quot in hoc Regno nunc sunt hæreticorum sectæ, et eæ quidem non magis numero, quam potentia horrendæ, quæ cum eo licentiæ et audaciæ progressæ jam sint, nihil ut sibi licere non existiment, nullamque prorsus non solum Ecclesiasticorum, verum etiam sæcularium Magistratuum rationem ducant, in hoc tam perturbato et misero rerum statu, quæ spes nobis sit reliqua, facile pro sua prudentia Sanctitas Vestra intelligere potest. Tamen quod ad me attinet, sicut hactenus nihil eorum, quæ hac in re mei muneris erant, prætermittendum curavi, ita deinceps, quantum omni industria, studio et opera eniti potero, curabo, ut nullum officium quod Sacræ Catholicæ Ecclesiæ debeo, jure quisquam in me desiderare queat. Breznicius multa mihi de Sanctitatis Vestræ summo erga hujus Provinciæ Ecclesias studio et præclara voluntate retulit, quæ mihi magnæ voluptati fuerunt. Itaque et gratias Sanctitati Vestræ ago, et ei supplico, ut istam suam paternam et benignam in nos voluntatem perpetuam nobis esse velit. Reliqua ex Reverendissimo Domino Montis Regalis Episcopo, qui hic legatione sua cum Sanctitatis Vestræ ac Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitate, magnaque sua laude perfunctus istuc revertitur, Sanctitas Vestra cognoscet. Cujus clementiæ me et Ecclesiam meam supplex commendo, ac ut eam Ecclesiæ suæ Catholicæ diutissime servet incolumen Deum Optimum Maximum rogo. Datæ e rure meo Chrobro XXVIII. Julii anno Domini MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Humilis Creatura
PETRUS EPISCOPUS CRACOVIENSIS.

XXXXII. — Dissidentes et qui ex Catholicis Nobilibus iis favebant, quis dixerit, quot clamores

et querimonias contra hæc decreta ediderunt? Unum enim studebant, unum moliebantur, ut omni jurisdictione Clerus exueretur, eaque potestati laicorum addiceretur. Ad hoc assequendum, ac pravorum suorum consiliorum patronos defensoresque quam plurimos sibi comparandos in multis regni provinciis conventicula habuerunt. Quare et Rex discriminis hujus inter Clerum et Nobilitatem componendi percupidus operam dedit, ut Episcopi regni Calendis Octobr. Petrocoviam convenirent, ut decreta in Synodo provinciali Petrocoviensi anno superiore condita, et auctoritate Pontificis sancita promulgarentur et executioni mandarentur; quod unanimi omnium consensu factum est. Deliberandum erat etiam de subsidio ecclesiastico persolvendo, quod Patres Petrocovienses Regi ad bellum contra Moscum et Tartaros concesserunt. Seligendi etiam erant viri, tum ex Ordine Nobilium, tum ex Ecclesiasticis, probitate et doctrina præstantes, qui controversias inter Clerum et Nobilitatem in decimis persolvendis versantes, secundum legem in ultimis Varsoviensibus comitiis latam dirimerent et dijudicarent. Breczni-cius Legatus, qui in tempore non ita pridem cum decretis Synodi Petricoviensis Roma redierat, huic conventui interfuit, atque consilia a Pontifice sibi de Ecclesiæ Polonicæ rebus communicata Patribus proposuit explicavitque.

Rex Legatum Petrocoviam miserat, qui Episcopis sua vota ac postulata edissereret, suam etiam in omnibus rebus iis gratificandi voluntatem offerret. [*]

[*] Polonia Vol. 13. fol. 306.

Instructio Sacræ Regiæ Majestatis ad Synodum Petricoviensem ad primum diem Octobris indictam Venerabili Joanni Grassinski Cantori Cracoviensi, Sacræ Regiæ Majestatis Secretario et Nuntio, data Sambory XXII. Septem. MDLXXVIII.

« Nuntius noster dabit opera, ut ad diem Synodo dictam tempestive adesse possit.

« Postquam autem eo, ubi illa celebrabitur, pervenerit, et in consessum Sacri Ordinis venerit, in primis nomine nostro eos salutabit, gratiamque nostram et benevolentiam illis exponet, ac consiliis et studiis eorum benedictionem divinam conprecabitur.

« Tandem vero literis fidei exhibitis, in hane fere sententiam verba faciet.

« Cum intellexisset Sacra Regia Majestas, Dominationes Vestras hunc in locum Synodi aut Conventus cujusdam celebrandi causa ad primum diem Octobris coituras esse, faciendum sibi putavit, ut me Nuntium suum ad hunc ipsum Conventum allegaret; ac quæ hoc tempore ejus Majestas ex usu rei Ecclesiasticæ sibi facienda putaret, Dominationibus Vestris per me explicaret.

« Atque in primis meminit Sacra illius Majestas, quam gravibus de causis sacra Synodus illa anno superiore Petricoviam indicta et celebrata fuerit, meminit et ea omnia, quæ postea ex illa ipsa Synodo, missis ad ejus Majestatem Nuntiis suis, Clerus universus ejus Majestati exposuit. In quibus primum et præcipuum illud fuisse recordatur ejus Majestas, omnia consilia illius Synodi eo directa fuisse, quo et collapsa morum et disciplinæ Ecclesiasticæ ratio restitueretur, et saluti publicæ rebusque communibus consuleretur. Quod studium Dominationum Vestrarum, ut Majestati illius pergratum acciderat, ita et tunc temporis ea fuit opinione, et nunc non aliam de Dominationibus Vestris retinet, quam quod ejusmodi consilia ineant, quæ ad communia pacis et tranquillitatis publicæ commoda pertinere videantur.

« Et constitutiones quidem ipsas Synodi ipsius, quas Majestas illius vidit, et ad Sanctam Sedem Apostolicam fuisse missas, ab Ordine Vestro, et ab ipsa Sancta Sede jam approbatas esse, non solum ex rumore quopiam, sed etiam ex literis Roma ad ejus Majestatem datis, Sua Majestas intellexit, libenterque intellexit propter hanc temporum, in qua versamur omnes, iniquitatem necessitatibus quibusdam Ordinis Vestri, quas Sanctæ Sedi per Nuntium suum Dominationes Vestræ exposuerant, non illibenter subventum esse. Quæ omnia ut in optimam partem ab ejus Majestate accipiuntur, ita cum ad notitiam ejus Majestatis suo tempore res hæ fuerint adductæ, quacumque in parte authoritas Sacræ illius Majestatis requiretur, nihil in se desiderari patietur eorum, quæ in hoc genere ab optimo et Christianissimo Principe expectari debent.

« Cum autem eo res tandem in præteritis Comitiis Warsoviensibus devenit, non mediocri Sacræ Regiæ Majestatis cura, ut aliqua judicia et forum Ordini Vestro Ecclesiastico ad decidendas Ordinis Vestri cum Sæcularibus controversias designata sint; existimat illius Majestas, ubi ab utraque parte Judices pares legum prudentia ac æquitatis potius, quam altercationis studiosi delecti et dati fuerint, nihil plane ad consequendam justitiam cuiquam defuturum, præsertim cum sit in rebus dubiis ad Regiam Majestatem servata appellatio.

« Cæterum quam molesta accidant ejus Majestati ejusmodi conventicula, quæ apud partem adversam inolescunt, tam libenter Majestas ejus de eo, quod Petricoviæ non ita pridem habitum est, prohibendo consilium aliquod iniisset, si tempestive id ante compertum illius Majestati fuisset. Etsi autem res hujusmodi non suo tempore cœptæ, et veluti quodam silentio antea fuerint permissæ, tamen dare vult operam pro sua virili Majestas illius, ut periculis, quæ inde in Rempublicam redundare possent, obviam iri posset. Quod Majestatis illius studium et Dominationum Vestrarum piis apud Deum precibus

ac supplicationibus et cæteris pietatis ac sanctimoniæ exercitiis consilioque adjuvari par est.

« Quod attinet illam Dominationum Vestrarum ex Synodo præterita contributionem et honorarium Sacræ Regiæ Majestati decretum et collatum, agnoscet in eo ejus Majestas summum studium Dominationum Vestrarum erga Rempublicam, agnoscit observantiam singularem erga Majestatem Suam, gratiasque agit, et hortatur, ut siquidem adhuc aliquid de ea contributione restet, illud sine mora conferatur.

« Quod superest, Majestas illius suam gratiam et patrocinium ad res Ecclesiæ Sanctæ et Religionis Catholicæ sublevandas Dominationibus Vestris offert, et non in hoc tantum solo, quod Capitaneis suis omnibus passim demandat, ut decimæ ex bonis mensæ illius Majestatis absque omni difficultate pendantur, sed etiam in omni negotio rebus Ecclesiæ laborantibus suam opem pollicetur. Pro se etiam, et consiliis et conatibus suis, præsertim his tam difficilibus temporibus, versante nunc ejus Majestate tam pacis undique procurandæ, quam belli magni et periculosi rationes, ut Deum assidue precentur, illius Majestas hortatur.

« In hac fere sententiam cum Nuntius noster publica verba fecerit, privatim Reverendis Dominis Episcopis ea referet, quæ ex ore nostro penitus accepit, ac quicquid responsi tulerit, id ad nos quamprimum referet. Cætera industriæ illius committuntur. Datum Sambory die XXII. mensis Septembris anno Domini MDLXXVIII.

XXXXIII. — Patres illi Regis votis libentissimo animo se obsecundaturos fore recipiebant. Cæterum de rei catholicæ tuendæ studio gratulati, etiam atque etiam eum rogant, ut intolerandam hæreticorum licentiam clam cogendi conventicula in Ecclesiæ Catholicæ detrimentum cohibere atque comprimere velit. (*)

(*) Polonia Vol. 15. fol. 301.

Sacra Regia Majestas,

Domine Noster Clementissime.

« Quod per suum Nuncium Sacra Majestas Vestra congregationem hanc nostram condecorare dignata sit, quodque juvandæ Ecclesiæ Dei promptissimam suam voluntatem nobis non ignotam per eundem obtulerit, magnas utroque nomine Sacræ Majestati Vestræ gratias agimus. Facileque intelligimus, et quam recte de Synodis congregationibusque nostris Sacra Majestas Vestra sentiat, et quam econtra ab hæreticorum conventiculis abhorreat, illaque detestetur. Neque dubitamus, quin Majestas V. eandem erga Ecclesiam Dei Ordinemque nostrum voluntatem et perpetuo sit conservatura, et in posterum diligentissime curatura, ne nova illicitos conventus cogendi licentia diuturniori usu et impunitate in Regno Sacræ Majestatis Vestræ confirmetur. Nihil nos quidem in Synodis congregationibusque nostris aliud per Dei gratiam omni tempore spectasse egisseque compertum est, quam ut Ecclesiæ Dei malis Reique publicæ saluti et tranquillitati consuleremus. Quod et in hac congregatione sane spectavimus, eoque omnia consilia nostra actionesque direximus, ut præclarum Ecclesiæ Dei et Reipublicæ ornandæ studium par semper nobis esse omnibus testaremur. Quamobrem Deum ipsi precati, supplicationes per totum Sacræ M. Vestræ Regnum fiendas summa alacritate indiximus, ut Deus Optimus Maximus Sacram Majestatem V. diu sanam et incolumem servare, factaque omnia et consilia ejus secundare velit ad laudem et gloriam nominis sui, Ecclesiæ Dei Reique publicæ tranquillitatem, et Sacræ Majestatis Vestræ laudem memoriamque sempiternam. Cæterum, quod in honorario Sacræ Majestatis Vestræ decreto Sacra Majestas Vestra studium observantiamque nostram erga se agnoscit, idque sibi gratum esse ostendit: libentissime quidem hoc et in præterita Synodo fecimus, et ut, quod adhuc de illa contributione restaret, sine more conferatur. Hac quoque congregatione vias rationesque ejusmodi inivimus, ut qui in unius mensis spacio conferre negligerent, dupli pœna punirentur, quemadmodum fusius Sacræ Majestatis Vestræ Nuncius, nonnullaque alia exponet. Quod superest, commendamus nos obsequiaque nostra S. Majestati Vestræ. Datum in congregatione nostra Petricoviensi die 3. Octobris 1578.

XXXXIV. — Ut ad comitia Varsoviensia redeamus, haud est silentio prætereundum, quod in iisdem Dux Prussiæ, quippe qui in fide esset Regis Poloniæ, (quem Vassallum medii ævi homines dicebant) per procuratorem subjectionis et fidelitatis juramentum, homagium vocant, Regi præstiterit.

Nuntius Apostolicus, qui ex statutis regni comitiis interesse solebat, ab hoc more discessit, eoque die quo Prussiæ Ducis procurator ejus nomine homagium fecit, adesse noluit, ne se præsente quid detrimenti Ecclesiæ jura acceptura essent. Qua de re hanc Regi, regnique Ordinibus intercessionem per notarium apostolicum exhibuit, qua caveretur juribus, quibus vel a remotissimis temporibus Ecclesia potiebatur in eo Prussiæ Ducalis tractu, qui ad sacram militiam Cruciferorum B. Mariæ hospitalis Hierosolymitani pertineret. (*)

(*) Polonia Vol. 15. fol. 60.

« In nomine Domini amen. Noverint universi et singuli præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Indictione sexta, die vero Jovis decima septima mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno sexto, Reverendissimus in Christo pater et Dominus D. Vincentius Lau-

reus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Montisregalis, ad Serenissimum Principem Stephanum Poloniæ Regem, omninque Dominia ipsi Regi quomodolibet subjecta cum potestate Legati a latere Nuncius, in mea Notarii publici testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum et rogatorum præsentia personaliter in Comitiis generalibus, quæ nunc Varschoviæ in Diœcesi Posnaniensi celebrantur, constitutus asseruit, se per Magnificos DD. Andream Opalinski Poloniæ Regni et Andream Zborowski Curiæ Maresciallos, nomine ejusdem Serenissimi Regis et inclyti Senatus, heri esse invitatum, ut, pro more et consuetudine Regni, præsens adesset jurijurando sive homagio hodierna die Regiæ Majestati dando ab Illĩo Dño Duce ab Hanspach, Marchione Brandeburgensi, tanquam Curatore et futuro Vassallo in eo Prussiæ tractu, qui Ducatus nomine vulgo nuncupatur: qui quidem Reverendissimus D. Nuncius Apostolicus ita asserendo exposuit, sibi hujusmodi præstandi homagii actui adesse minime licere aut integrum esse, ne sua præsentia antiquissimis et vetustissimis juribus, quæ Sancta Apostolica Sedes et Ecclesia Catholica habuit et etiamnum habet in eo Prussiæ Ducalis tractu, aliquid derogatum aut detractum iri, aut ipsa jura quoquomodo imminuere vel infirmiora reddere videatur. Proinde dictus Reverendissimus D. Episcopus Montisregalis, Nuncius Apostolicus, ad ipsius Sanctæ Sedis jura magis ac magis elucidanda mihi Notario infrascripto tradidit certas duas schedas, quarum quidem una suam Protestationem complectebatur, altera vero continebat Protestationem in Comitiis Lublinensibus, anno 1569. celebratis, in hujusmodi tunc præstiti homagii actu coram Serenissimo Rege Sigismundo Augusto factam a Reverendissimo Domino Vincentio Portico, tunc etiam Apostolico Nuncio, requirens et postulans a me Notario infrascripto, ut eas duas schedas manu sua subscriptas Rñis DD. Episcopis in generali Conventu præsentibus, ac item per eosdem Rños Dominos Episcopos nomine Suæ Rñæ Paternitatis Serño Regi Stephano præfato deferrem, præsentarem et publicarem, protestans solemniter, et Serñum Regem requirens, ne ad homagium præfatum prius accedat, illudque exequatur, quam fuerit in omnibus et per omnia tam in parte quam in toto prospectum Pontificiis juribus et libertatibus Ecclesiasticis in eo Prussiæ Ducatu, alias secundum pacta inter Serñum olim Sigismundum Primum Regem Poloniæ et Illustrem olim Albertum Docem Seniorem moderni Ducis valetudinarii iterum inita et facta. Quas ego Notarius publicus infrascriptus, tanquam filius obedientiæ, attendens requisitionem hujusmodi fore justam et rationi consentaneam, volensque mandatis Apostolicis obedire, ut tenor, literas Protestationum prædictas ea, qua decuit, reverentia accepi, et in Senatum attuli, et eas Reverendissimis DD. Episcopis Cracoviensi, Plocensi, Premisliensi et Mednicensi, qui Senatui intererant, obtuli, petens ab eis nomine ipsius Reverendissimi Dumini Nuncii Apostolici, ut inhærendo Protestationi per Revĩum Dominum Vincentium Porticum, ut superius dictum est, olim factæ, et eam in omnibus ejus punctis et articulis comprobando et innovando, easdem schedas in præsentia mea Serenissimo Regi offerent, traderent et præsentarent. Cum autem Reverendissimus D. Episcopus Cracovensis una cum Reverendissimis Dominis Episcopis Collegis suis præsentibus easdem literas Protestationum accepisset, ac legisset omnia in eis contenta, illas subito una cum prænominatis Episcopis Serenissimo Regi, me præsente et ibidem adstante, obtulit, præsentavit, declaravit et inhærendo dictis Protestationibus infrascriptis protestatus est. Quas etiam ipse Serenissimus Rex per expressa verba a Sua Regia Majestate diserte tunc prolata in eum qui sequitur modum: Hæc Protestatio nos non offendit; nam juribus et libertatibus Pontificiis et Ecclesiasticis quicquam derogare unquam nolumus; immo vero easdem libertates et jura Pontificia et Ecclesiastica in omnibus et per omnia salva, illæsa, sarta tectaque integre in eo Ducali Prussiæ tractu atque in universo Regno nostro semper conservare, tueri et defendere tanquam filius obsequentissimus Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ, volumus; cum ea qua decet reverentia accepit, admisit et demum Magnifico Domino Joanni Zamoiski Regni Vicecancellario legendas tradidit, præsentibus testibus infrascriptis. Quarum quidem Protestationis literarum tenores de verbo ad verbum sequuntur et sunt tales. Tenor Protestationis ejusdem Reverendissimi Domini Vincentii Laurei Episcopi Montisregalis, Nuncii Apostulici. Sacra Regia Majestas. Cum heri nomine Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ et hujus inclyti Senatus, per Magnificos DD. Regni et Curiæ Maresciallos, Vincentius Laureus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Montisregalis et Nuncius Apostolicus esset invitatus, ut interesset jurijurando sive Homagio, quod Majestati Vestræ hodierna die daturus est Illustrissimus D. Dux ab Hanspach, tanquam curator et futurus Vassallus in eo Prussiæ tractu, qui Ducatus nomine nuncupatur, vehementer optaret, quemadmodum cæteris in rebus, ita in hac quoque Regiæ M. V. suum Legati Apostolici officium nunc tribuere; sed quoniam hujusmodi actio ea est, quæ in Sanctæ Sedis Apostolicæ dignitatem et jurisdictionem grave fieri præjudicium potest, idem Apostolicus Nuncius M. V. orat atque obsecrat, ne Majestas V. moleste ferat, quod ipse isti actioni præsens

adesse nequit; quin hoc scripto, qua debet observantia Majestatem V. hortatur ac monet, ut Majestas Vestra cunctis, quæ tantæ rei conveniunt, sapienter (ut solet) consideratis ac perpensis non modo caveat, ne in illo ipso Prussiæ tractu jura Pontificia et Ecclesiastica lædantur, Episcopatus et Ecclesiæ indigne tractentur, eisque ullum damnum inferatur; verumtamen curet, quo præfatus Illmus Dux ab Hanspach ea, quæ juri consentanea ac Serenissimo Regi Sigismundo Primo (cujus memoria sit in benedictione) promissa et jurata sunt, sancte præstare et observare velit. De quibus omnibus ad jurium Sanctæ Sedis et Catholicæ Ecclesiæ conservationem idem Nuncius Apostolicus, Protestationi Reverendissimi Domini Nuncii, decessoris sui, Domini Vincentii Portici inhærendo, protestatur omni meliori modo, atque universa, quæ eadem Protestatione huic scripto adjuncta continentur, in notitiam Majestatis Vestræ deducit. Qua in re non dubitat, Majestatem Vestram, prout et Catholicæ religionis et æquitatis observantissima est, munere suo Regio esse regie perfuncturam. Vincentius Laureus Episcopus Montisregalis Nuncius Apostolicus manu sua. Tenor vero Protestationis Rmi Domini Vincentii Portici Nuncii Apostolici sequitur. Sacra Regia Majestas, Domine Clementissime. Cum in prima Concordia inter Fratrem Conradum de Jugingem, Magistrum Generalem Ordinis Beatæ Mariæ Hospitalis Hierosolymitani, et Serenissimum Wladislaum Regem Poloniæ de anno 1404. inita, et rursus de anno 1436. inter Paulum de Rusdorf Magistrum Prussiæ et Serenissimum Wladislaum Jagelonis præsupponatur immediata recognitio Summi Pontificis; et ulterius cum solemni juramento de dicto anno 1436. in secundo pacis perpetuæ Capitulo fuerit declaratum et firmatum, quod omnia bona Ecclesiarum, Prælatorum, Abbatum, Monasteriorum, Conventuum et aliarum quarumcumque personarum sæcularium, religiosarum, quæ sunt in terris Ordinis prædicti situata circa eorum jura omnia debeant conservari et non alienari, nec novis consuetudinibus aggravari, et latissime facta jurata promissio de omnibus supradictis, et de Apostatis a Regno expellendis, ne diutius in Prussia in suis peccatis tollerentur; cumque novissime de anno 1466. sub Pontifice Paulo Secundo, anno ejus tertio, Frater Ludovicus de Serlicausen Magister Hospitalis præfati et Serenissimus Rex Casimirus cum interventu Rudolphi Episcopi Laventini, Sedis Apostolicæ Legati, inierint aliam concordiam et pacem perpetuam juratam, in qua inter alia fit recognitio præfato Regi post Summum Pontificem, et restitutio omnium Ecclesiarum Pontifici et Prælatis cum amplissima promissione de defendendis bonis Episcoporum et Ecclesiarum, et de non permittendo aliquas occupationes illarum sub quocumque colore, sitque amplissime in confesso dictum Ordinem immediate Sedi Apostolicæ subesse et Summum Pontificem Dominum eorum appellari, et per intermedias personas Oratorum Regiæ Majestatis dictus Magister et Ordo se submittant fidei et obedientiæ Pontificiæ in oratione coram Paulo II. Romæ habita, prout latius in statutis et bullis transcriptis in statutis Polonicis continetur, et clarissime deprehenditur per impressiones illarum factas vigesima septima Januarii anno 1506; cumque Serenissimus Sigismundus Primus de anno 1525. die octava Aprilis Cracoviæ aliam pacem perpetuam inierit, in qua expresse cavetur de defensione Ordinis Ecclesiastici et ulterius, quod omnes in terris commorantes asserti Ducis Prussiæ secus quam Christiani contra ordinationem et constitutionem Universalis Sanctæ Ecclesiæ Christianæ se gererent, quod teneatur Episcopos juvare et tales debita castigatione emendare, prout continetur in registrata pace in statutis Poloniæ folio 765 Jacobi Przilusii; cumque nullus alius consensus Sanctissimorum DD. Pontificum intervenerit, remaneantque Sedi Apostolicæ jura et illæsa intacta contra præfatos Cruciferos et bona, et nihilominus ad aures Sanctissimi Domini Nostri devenerit, quod non solum bona Ecclesiarum et Episcopatuum non proteguntur et defenduntur, verum occupantur et in sæculares usus convertuntur; et, quod pejus est, Episcopatus Sambiensis et Pomesianensis in totum demolitus et usurpatus Laycis assignatus fuit et quidem Hæreticis, qui jugum Pontificum excusserunt, ut usurpationes celarent et a pœna incursa se redimerent, et ad eorum libitum viverent contra omnia mundi juramenta præstita, et stipulationes et obligationes in præfatis bullis, pace et concordia contentas: quod ne in futurum sequatur, et de prædictis habeatur notitia et scientia a præsenti asserto investiendo, et ne prudentissimus hic juvenis a tutoribus deceptus et circumventus eorum novam legem profiteatur et ingratitudine utatur tam contra Patrem Pontificem et Universal. Ecclesiam matrem, a quibus bona Ecclesiastica illa relicta debet recognoscere, unde contra Ecclesiam et juramenta veniendo redditur omnino incapax et inhabilis ad omnes dignitates, et ad omnem bonum finem et effectum Vincentius Porticus Nuntius Apostolicus cum omni reverentia et debito humanitatis obsequio rogat Majestatem Vestram, quatenus velit omnia considerare, quæ conveniant, ne in dictis terris jura Pontificia et Ecclesiæ lædantur, et Episcopatus et Ecclesiæ ita indigne tractentur, et ne ei fiat præjudicium aliquod, et præfactus iste assertus Dux in reprobum sensum conducatur a Consiliariis et tutoribus suis; sed velit ea servare,

quæ justa et honesta sunt, et Pontificem Patrem et Ecclesiam matrem non ita notorie spoliare et contemnere; sed quæ Regiæ Majestati Serenissimi patris tui sunt promissa et jurata, observare, ne divino judicio subjectus sibi ipsi præparet iram in die iræ, et impellat et stimulos addat, ut omnibus remediis juris moneatur et reprimatur. De quibus omnibus pro conservatione etiam jurium Summi Pontificis et Universalis Ecclesiæ dictus Nuncius protestatur omni meliore modo, deducendo ad notitiam Regiæ Majestatis, ad quam etiam ex forma obligationis suæ juratæ recurrendum est juxta obligationes cum ejus parente initas, ut etiam ipsa paterno affectu possit hunc juvenem cum omni charitate admonere de omnibus suprascriptis eo urbaniore modo, quo Majestati Vestræ visum fuerit, cum notificationibus et protestationibus supradictis. Concordat cum architypo. Vincentius Laureus Episcopus Montisregalis, Nuntius Apostolicus, manu sua. Super quibus omnibus et singulis præmissis præfatus Reverendissimus Dominus Episcopus Montisregalis, Nuntius Apostolicus, petiit sibi a me Notario publico infrascripto hoc præsens publicum schedarum sive literarum Protestationum preinsertarum instrumentum, ac tot quot essent necessaria publica instrumenta confici et tradi. Acta sunt hæc Varschoviæ in Conventu generali totius Regni anno, Indictione, Pontificatu, die, mense quibus supra, hora vero nona medii horologii sive tertiarum in castro et in atrio Sacræ Regiæ Majestatis. Præsentibus Reverendissimis, Illustribus, Magnificis et Reverendis Dominis Petro Myszkowski Cracoviensi, Petro Dunin Volski Plocensi, Alberto Sobieiuski de Starozrzeby Præmisliensi, Melchiore Duce Giedruicensi Mednicensi Episcopis; Petro Zborowski de Zborow Cracoviensi, Stanislao Comite a Gorka Posnaniensi, Nicolao Radzivil Vilnensi et Magni Docatus Lithuaniæ Cancellario, Hieronymo Sieniawski Russiæ, Andrea Comite a Tenczin Belzensi Ducatuum Zatoriensis, Oswiecimensis Capitaneo, Joanne Mieleczki de Mielecz Podoliensi, Anzelmo Gostomski Ravensi Palatinis; Nicolao Firlei Biecensi Capitaneo Casimiriensi, Joanne Hlebowicz Minscensi et Petro Kloczewski Zavichostensi Castellanis; Andrea Opalinski Regni Polniæ et Andrea Zborowski Curiæ Majestatis Regiæ Marescallis, Joanne Zamoiski Regni Vicecancellario, Stanislao Ossowski Cantore Gnesnensi et Curiæ Referendario, Erasmo Dembinski Decano Cracoviensi, Joanne Borukowski Decano Varschoviensi et Præposito Lancitiensi et Adamo Sandivogio a Czarnkow Commendatore Posnaniensi, testibus ibidem pro tunc existentibus.

« Et quia ego Albertus Staniewski, olim Joannis legitimus filius, Clericus Diœcesis Posnaniensia, sacra auctoritate Apostolica publicus Notarius, prædictarum requisitioni, postulationi, Protestationum et schedarum traditioni, porrectioni, intimationi, adhibitioni, admonitioni, et a Sacra Reg. Majestate earundem Protestationum receptioni, admissioni et approbationi per verba superius expressa, aliisque omnibus et singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi et præmissa egi; ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu mea propria scripsi, confeci et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, quibus in talibus instrumentis conficiendis utor, sigilloque dicti Rmi Domini Nuncii Apostolici communivi et designavi in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum vocatus, rogatus et requisitus.

« Et ego Simon Lubovius clericus Posnanensis diœcesis, sacra etiam auctoritate Apostolica publicus et Rmi in Christo patris Dni Dni Vincentii Laurei, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Montisregalis, Nuntii Apostolici supramemorati Curiæ Actorum Notarius, quia præmissis omnibus et singulis una cum præfato Venerabili Alberto Staniewski, clerico Posnaniensis diœcesis, publico Notario præsens interfui, æque omnia et singula sic fieri vidi et audivi; ideo me huic Instrumento publico per dictum Albertum Notarium publicum conscripto, manu mea propria me subscripsi, et signo meo solito, quo in talibus utor, obsignavi in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum vocatus, rogatus et requisitus.

(L. S.)

XXXXV. — Neque vero prætereundi silentio sunt Professores inclytæ Cracoviensis Universitatis, ex quibus plurimi, præsertim qui ordini Theologorum erant adscripti, in iis comitiis magna animi vi et constantia Ecclesiæ jura libertatemque contra Dissidentium molimina propugnaverunt, quorum in laudem hæc Pontifex ad eos scripsit. [1]

Dilectis Filiis Universitati Cracoviensi.

[1] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 236. f. 460.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem etc. Incredibiliter lætati sumus vestra laude in Catholica Religione tuenda, hæreticorum conatibus refutandis, hujus Apostolicæ Sedis auctoritate colenda, quibus nominibus vobis gratulamur per has literas, quas dedimus dilecto filio Jacobo Breeznicio, quem Clerus eum postulatis ad Nos miserat, et merito gratulamur: sunt enim hæc vere bona, et Christianorum gaudio digna. Deus benedictus, auctor omnis rectæ voluntatis atque actionis, perpetuo vos tueatur, cumuletque sua gratia. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo

Piscatoris die VII. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Spectatissimi hi viri exemplum sane præclarum amoris et observantiæ erga Catholicam Ecclesiam ediderunt: ubi namque Nuntius Apostolicus suam iis voluntatem significavit, cuncti nulla interposita dubitatione coram eo secundum Decretum Tridentinum solemnem fidei professionem præstiterunt. (*)

(*) Polonia Vol. 18 fol. 381.

« In Dei Nomine Amen. Tenore hujus publici Instrumenti cunctis pateat evidenter, et sit notum, quod anno a nativitate Dñi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Gregorii divina providentia Papæ XIII. anno septimo, die vero Veneris decimanona mensis Decembris, Cracoviæ in majori stuba Communitatis dicta Almæ Universitatis Cracoviensis, in mea Notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia, collegialiter congregati et personaliter constituti Reverendi et Excellentes Viri Domini Rector et Doctores, atque alii Lectores ac graduati Almæ Cracoviensis Universitatis, in supradicto loco coram Reverendissimo Dño Joanne Andrea Caligario, Referendario et cum potestate Legati de latere in universo Poloniæ Regno Nuntio Apostolico, pro honore prædictæ Universitatis, et pro sua perpetua erga Sanctam Sedem Apostolicam pietate atque observantia, et nostræ Sanctæ fidei Catholicæ defensione, tum etiam ut prædicto Reverendissimo Dño Nuntio morem gererent, qui de ipsis id enixe petebat, summa uniuscujusque voluntate, et nullo penitus contradicente professionem fidei Catholicæ juxta articulos, jam pridem a Sancta Sede Apostolica propositos, in manibus ejusdem Reverendissimi Dñi Nuntii Apostolici emiserunt de verbo ad verbum, prout in dictis articulis continetur, videlicet: Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, videlicet, Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem etc. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, aliasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quæ de peccato Originali, et de Justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propiciatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impetrandam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque Hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc vero Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. Nomina autem et cognomina eorum, qui ejusmodi Catholicæ fidei professionem, ut præfertur, emiserunt, sunt infrascripta. In primis 1. Magnificus et Reverendus Dominus Jacobus Gorski, Juris utriusque

Doctor ac Juris Canonici professor, Metropolitanæ Gnesnensis Ecclesiæ Archidiaconus et Cathedralis Plocensis Canonicus, Almæque Universitatis Cracoviensis Rector.

2. Stanislaus Pinczovius Doctor Theologus et ejusdem Facultatis Decanus.

3. Martinus Pilsnensis Doctor Theologus, Cracoviensis et Vratislaviensis Cathedralium Ecclesiarum Canonicus.

4. Jacobus Cromfelcius Doctor Jurisprudentiæ.

5. Jacobus Molitor Doctor Jurisprudentiæ.

6. Martinus Radomskie Doctor Jurisprudentiæ, et Decanus ejusdem Facultatis.

7. Martinus Foxius Doctor Medicinæ.

8. Magister Petrus Slovacius Decanus Facultatis Philosophiæ.

9. Mag. Joannes Vielicius Sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus.

10. Mag. Andreas Tropperus Sacræ Theologiæ Baccalaureus.

11. Mag. Joannes Curzelovius Sacræ Theologiæ Baccalaureus, Collegiatæ Ecclesiæ Curzeloviensis Archidiaconus.

12. Mag. Martinus Clodaviensis Sacræ Theologiæ Baccalaureus.

13. Mag. Josephus Tomas Urzedoviensis Philosophiæ Professor.

14. Mag. Stanislaus Marennius Sacræ Theologiæ Baccalaureus.

15. Mag. Valentinus Widavius Sacræ Theologiæ Baccalaureus.

16. Mag. Stanislaus Radosicius Jurisprudentiæ Licentiatus.

17. Mag. Albertus Bussowski Ilkuszensis Plebanus.

18. Mag. Joannes Latoszius.

19. Mag. Martinus Biecius Jurisprudentiæ Baccalaureus.

20. Mag. Andreas Zielenski.

21. Mag. Paulus Lodzia.

22. Mag. Joannes Sremensis.

23. Mag. Andreas Vresnensis.

24. Mag. Clemens Wielicius.

25. Mag. Joannes Nowacius.

26. Mag. Valentinus Fontanus.

27. Mag. Blasius Golinensis.

28. Mag. Albertus Sieprcius.

29. Mag. Martinus Slachczinski.

30. Mag. Sebastianus Sylvius.

31. Mag. Petrus Lodzia.

32. Mag. Erasmus Marczinowski.

33. Mag. Stanislaus Meszkowski.

34. Gasparus Tilindrinus Magister.

35. Mag. Venceslaus Basimius.

36. Mag. Bazimius Venceslaus.

37. Mag. Corovius Nicolaus.

38. Mag. Rochus Posnaniensis.

39. Mag. Martinus Pilsnensis.

40. Mag. Mathias Zamowski.

41. Mag. Albertus Tauski.

« Super quibus omnibus et singulis prædictus Reverendissimus Dñus Nuntius sibi a me Notario publico infrascripto unum vel plura, publicum seu publica fieri petiit, atque confici instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, Indictione, Pontificatu, die, mense, loco, quibus supra. Præsentibus ibidem Reverendis Dominis Tarquinio Peculo Clerico Interanensi, Juris utriusque Doctore, prædicti Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici Auditore, Antonio Martinello et Spino Bizarro Clericis Placentinæ et Asculanæ respective Civitatis vel Diœcesis, ejusdem Reverendissimi Domini Nuntii familiaribus, testibus ad id specialiter vocatis, rogatis atque requisitis.

« Et ego Simon Lubovius, Clericus Posnaniensis diœcesis, sacra auctoritate Apostolica publicus, ac coram prædicto Rm̃o Domino Nuntio Apostolico Actorum Curiæ autenticus Notarius, quia hujusmodi Catholicæ fidei professionis emissioni, Juramenti delationi, aliisque omnibus et singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent et agerentur, una cum prædictis testibus præsens interfui, eaque omnia sic fieri vidi et audivi ac in notam sumpsi; ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu mea fideliter scriptum exinde confeci, scripsi et publicavi, ac in hanc publicam formam redegi, in evidentiusque testimonium signo, nomine ac cognomine, quo in similibus utor, communivi ad hoc specialiter vocatus, rogatus et requisitus.

« Lucas Podoski Præpositus Gnesnensis, et in spiritualibus Vicarius ac Officialis Generalis Cracoviensis, universis et singulis harum notitiam habituris significamus, quia nos certe compertum habemus ex testimonio juratorum et fide dignorum Testium per nos examinatorum, certoque edocti sumus, supradictum Simonem Lubovium Publicum Apostolica auctoritate et Legalem fuisse et esse Notarium, ejusque publicis Scripturis seu Instrumentis plenam in judicio et extra fidem adhiberi; quare omnibus et singulis in universum, quorum interfuerit, intimamus, insinuamus, ac ad notitiam perfectam et indubitatam deducimus per præsentes. In cujus rei fidem Sigillum nostrum præsentibus est subappressum. Datum Cracoviæ die vigesima prima mensis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

(L. S.)

Gaspar Jaczkowski
Publicus et Consistorius Cracoviensis.

XXXXVI. — Electus Episcopus Chelmensis Cardinali Commendono per litteras grates pro eo agit, quod ipsi de beneficiis et pensione reservatis a Summo Pontifice impetraverit: tum etiam

fusiori calamo de tristissimo suæ diœcesis statu eum edocet. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 28. fol. 109.

Illustrissime ac Reverendissime in Christo Pater, Domine Domine Colendissime.

Obsequiorum meorum in gratiam Illustrissimæ Reverendissimæ Dominationis Vestræ submissa humillimaque commendatione præmissa.

« Pro tanta gratia, quam in eo negotio occasione hujusmodi Episcopatus Chelmensis, et reservatione beneficiorum ac pensionis coram Sanctissimo Domino Nostro Illustrissima ac Reverendissima Dominatio Vestra pro me benigne egit, maximas habeo gratiarum actiones. Et quia antecessores mei Episcopi Chelmenses beneficia quamplurima, etiam curata cum eodem Episcopatu temporibus illis felicissimis, quibus in Regno nondum hæreses grassabantur, proventusque Episcopatus et Ecclesiarum omnium pro illo tempore ex integro percipiebantur, reservata semper habuerunt; his autem iniquis temporibus, pravitateque hæretica infectis convenit plurimum, præsertim etiam cum Provinciæ Podolia, Russia et Volhynia per Tartaros igne et gladio nunc sunt vastatæ, proventus quoque ipsius Ecclesiæ Episcopatus exigui, et plurimum diminuti ac occupati, partim per milites stipendiarios tempore Interregni, nunc etiam ob negligentiam antecessoris, partim per Nobiles hæreticos bonis ipsius Episcopatus contiguitatem habentes, ut beneficia (quorum etiam sunt exigui proventus) mihi cum eodem Episcopatu miserrimo reservarentur. Non minus etiam, quia Ecclesia Cathedralis in Crasnystam, ac tandem non pridem Kalendis mensis Junii anno præsenti, jam post nominationem ad Episcopatum Civitas Chelmensis, ubi sedes hujus Episcopatus erat, omnes Ecclesiæ cum domibus Sacerdotum, ornamentisque Ecclesiasticis ad cultum divinum pertinentibus ab igne funditus absumptæ; præterea ob negligentiam, ut perfertur, Antecessorum a Nobilibus hæreticis Schismaticisque in jure terrestri perlucra ad duodecim millia Ducatorum citra vel ultra obtenta, occasione quorum perlucrorum, nisi huic malo per me subsidium daretur, Capitulum illud Chelmense cum Episcopo fuissent de Regno proscripti, et secundum jura Regni banniti, bonaque Ecclesiæ per Capitaneos per exequutionem et brachium Regale in eisdem perlucris fuissent occupata, a quibus perlucris non alio modo Episcopus bonaque Ecclesiæ liber fieri poterit, nisi per transactionem et satisfactionem, quia ferme omnes in eo Episcopatu proceres Nobiles pravitate hæretica, et schismatica sunt infecti, et exinde ad bonorum Ecclesiæ occupationem et direptionem sunt cupidi; et propterea expeditio ex curia Romana propter defensam est cito necessaria. Proinde hunc Episcopatum accipere non potui propter varia ejus incommoda, quæ non sunt totaliter descripta, sine reservatione beneficiorum, quæ nunc obtineo, et sine reservatione villarum et prædiollo novo per me noviter extructo, loco pensionis a Præpositura, quam cum Custodia Varsaviensi permutandam duco, quarum villarum proventus non solum quartam partem Præposituræ, sed et quintam certo non excedunt. Et hoc, in quantum permutatio Custodiæ pro Præpositura juxta mandatum meum per me ad permutandum datum subsequuta fuerit, suscipere ullo modo possum, quia in beneficiis et bonis villisque loco pensionis reservatis victum in casibus infortuitis habere, et ex proventibus Episcopatus, si qui erunt, etiam tempore pacis, Ecclesiis cultuique Divino prospicere, et combustas ædificare, et pro perlucris satisfacere operæ pretium est. Beneficia vero, quæ obtineo, non sunt curata, neque residentiam personalem requirunt, sed sunt simplicia, et unum beneficium ab altero duorum et ab Episcopatu trium distant dietarum. Eodem modo et Parochialis in Zembroro per Commendarium et Vicarios cura et administratio spiritualium ejusdem disponitur. Quæ Parochialis etiam trium dierum itineris ab Episcopatu distat. Quod si Summus Pontifex supplicationi meæ acquiescere, et huic Episcopatui ex sua speciali clementia providere recusare sine mora dignabitur, consultius mihi est in hac mea provecta ætate in conditione prima, idest in Præpositura Varsoviensi, quæ huic Episcopatui merito præfertur, cum est pacificum beneficium, et in proventibus suis securum imminentibus stantibusque hujusmodi incommodis in Provinciis Russiæ ab incursione Tartarorum et aliorum Paganorum, in aliisque securis beneficiis meis ad vitam quiete persistere, quam dignitate Episcopali suscepta ob supra expressa incommoda vocationi suæ Episcopali, et cultui divino ita neglecto, tandem sine conscientia satisfacere minime posse. Quod ego summæ prudentiæ Illustrissimæ Dominationis Vestræ committo, cui me, meaque humillima obsequia in gratiam submisse commendo. Datum Varsaviæ die quinta Julii anno Domini 1578.

Illmæ ac Rmæ Dominationis Vestræ

Obsequentissimus Servitor

ADAM PILCHOWSKY ELECTUS CHELMENSIS,

PRÆPOSITUS VARSAVIENSIS.

XXXXVII. Pius ille Nicolaus Princeps Radzivilius, Olicæ Dux, a Pontifice impetrare contendit, ut sibi liceat parentis sui in hæresi demortui ossa in templum catholicum, quod exstruere parabat, transferre. [*]

[*] Polonia Vol. 15. fol. 58.

Beatissime Pater et Dñe Dñe Clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, et humillimam obsequiorum meorum in gratiam Sanctitatis Vestræ commendationem.

« Pietas debita parentibus, freta Sanctitatis Vestræ potestate, et quam duobus fratribus meis præsentibus in Urbe, ac mihi absenti, licet im-

merito, multis argumentis declaravit, singularis clementia, me conquiescere non patiuntur, quin a Sanctitata Vestra id petam, quod et a me necessitudo postulat, et S. Vestræ liberalissima voluntas mihi pollicentur. Id autem ejusmodi est: Defunctorum parentum meorum, per quos in hanc lucem editus sum, corpora sepulta sunt in synagoga illa, ex qua ante biennium hæreticorum Ministri sunt a me exacti, intra muros domus nostræ hæreditariæ, quæ mihi jam in divisione cessit, extincta, eam ego usque ad fundamenta demoliri statui, ut nullum illius nec vestigium, nec memoria relinquatur. Nec ego contentus, vellem templum aliquod parvum vel sacellum paulo amplius alio in loco extruere ad Dei gloriam versus eam partem civitatis, in qua non sunt templa Catholicorum, sed Schismaticorum, ut etiam in eo loco Deo Omnipotenti more ac instituto Ecclesiæ Catholicæ sacrosanctum officium offeratur. Quoniam vero corpora parentum meorum ex eo loco, ubi fuit synagoga hæreticorum transferri oportet, peto quantum possum maximo studio et humillimis precibus a S.V., ut illius dispensatione ad eum locum, in quo erit sacellum, transferri et sub terra in testudine collocari possint. A me autem curabitur, ut sine ullis cæremoniis, secreto, ne ea res cuiquam sit offendiculo, transferantur et deponantur. Postea vero vellem et ipse eodem in loco deinceps mihi curare sepulturam. Non dubito, quin id a Sanctitate V. sim impetraturus, cum etiam templa prophanata non effossis corporibus, quemadmodum in his regionibus aliquibus in locis contigit, reconciliari possint, et hoc sacellum non sit parochiale. Ego vero me ipsum et omnia mea ad Sanctitatis Vestræ pedes provolvo, Deum deprecaturus, ut Sanctitatem Vestram diu Ecclesiæ suæ Catholicæ servet incolumem et florentem. Vilnæ Idibus Februarii anno MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus Servus

NICOLAUS CHRISTOPHORUS RADZIVIL IN OLICA ET NIESVISCH DUX, MARSALCUS CURIÆ MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ.

Alteris litteris Gregorium exorat, ut fratrem suum minorem natu, Coadjutorem Vilnensem, retrahat ab eo, quod animo agitabat, consilio, dignitatem nimirum Episcopalem deponendi, nomenque Societati Jesu dandi; idque arguit tum ex Ecclesiæ utilitate, tum e rei familiaris ratione. [*]

[*] Polonia Vol. 15, f. 78.

XXXVIII.—Pontifex Radzivilio morem gerere, quantum per se fas esset, non dubitavit; fratremque ejus monuit, ne in tam necessario illius Ecclesiæ tempore Episcopale munus deponat, multis firmisque argumentis demonstrans, Episcopalem statum longe melioris conditionis esse, adeoque institutis vitæ regularis esse anteponendum. De patris vero ossibus transferendis petit ab eodem, ut fratrem ab ea mente abducat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 387, f. 470.

Dilecto Filio Georgio Radivilio Episcopi Vilnensis Coadjutori.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem etc. Quo magis cupimus omnibus in rebus tibi, fratrique tuo Duci gratificari, eo magis dolemus, ubi quid accidit, in quo id facere prohibeamur: hoc autem, de quo ad Nos scripsisti, de paternis ossibus in sacrum templum transferendis, tale est, ut salva nostra conscientia et Sanctorum Patrum decretis facere nequeamus; scis enim, qui potissimum Ecclesiastica sepultura prohibeantur; nec ulla ratio est, eorum cadavera in sacra templa inferri, quorum inde oporteret amoveri. Ut igitur ipse fratri obsecutus es in postulando, sic æquo animo ferre debes, Nos in negando Ecclesiasticis legibus inservire. Sed est quiddam gravius locoque isti et muneri, cui a Deo atque a Sede Apostolica præpositus es, plane contrarium. Sic enim accepimus, cogitare te Coadjutoriam istam et Pastoralis muneris administrationem deserere, teque ad Religiosorum vitam conferre. Videndum tibi magnopere est, quid agas; hoc enim hactenus certum est, obedientiæ vinculo obstrictum esse te: certus item hujus obedientiæ est fructus non ad tuum modo præmium, sed ad Christi quoque gregis in ista Ecclesia tuæ fidei commissa bonum atque incolumitatem: istius autem novi consilii quam causam aut fructum afferes? Nam si dicas, duci te studio melioris vitæ, nulla ratio est, curam atque administrationem Episcopalem, vocationemque ad statum longe religiosorum statu perfectiorem istam ob causam deserere. Quod si humilitatem tibi placere dicas, primum sine obedientia humilitas nulla est, deinde humilitatis virtus a nullo quamvis excelso et sublimi statu refugit; hominum culpa est eam non admittentium. Poteris igitur tum in statu isto, in quo nunc es, tum in perfectiore illo, quem tibi Apostolica Sedes proposuit, hanc præstantissimam virtutem mente atque animo amplecti, inque ipso honoris gradu, neque te timide geres propter demissionem, neque propter dignitatem superbe, quin etiam majorem humilitatis fructum capies in dignitate: neque enim magnum est, humilem esse humili in statu; in honore autem et potestate, plane magnum est. Dicis forte, agi te spiritu Dei. Qui scis, an voluntas ista sit a Deo? non omni spiritui est credendum; sæpe enim princeps tenebrarum transfigurat sese in Angelum lucis: neque docet spiritus Dei quidquam contrarium obedientiæ, charitati, studio salutis, atque amplitudinis Ecclesiarum, neque suadet, ut quis privatum suum bonum anteponat bono multitudinis suæ fidei et diligentiæ commissæ. Vides enim, quo in statu Catholicæ istic Reli-

gionis res sint, quantum periculum immineat ab hæreticis, quam capitalibus, quam intestinis hostibus, et cogitas iu tanta præsertim hominum, quibus gubernatio ista committi possit, paucitate tam gravem, tam fructuosam, tam Deo acceptam curationem deserere, susceptamque administrationem una cum Episcopatu ipso abjicere? Noo si ipse dees tuo muneri, debemus Nos nostro deesse. Ut enim Episcopatus appetenti denegandus est, sic est recusanti deferendus et tribuendus; oblatus vero obstinate recusandus non est: appetere enim est temeritatis, pertinaciter recusare, contumaciæ; utrumque ineptiæ: obedientem autem adjuvat Deus. Restat, ut dicas, moveri te studio et dulcedine vitæ contemplativæ. At ista præsidendi Ecclesiæ, ejusque utilitati inserviendi, cura est multo fructuosior, neque est a contemplationis suavitate destituta. Satis jam tibi persuasum esse potest. Quod si adhuc io ista seotentia permanebis, cave quidquam facias sine nostra concessione; neque enim potes, neque debes aliter facere. Datum Romæ apud S. Petrum sub Aonulo Piscatoris die ultima Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

Eidem alteris litteris mandat, ut eam cogitationem ad Jesuitarum Ordinem se conferendi omnino abjiciat. Quod ut faciat alacrius, in medium adducit, quæ Clemens scripta reliquit sibi Episcopatum recusanti a Petro dicta. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VII ep. 31. fol. 19.

Dilecto Filio Georgio Radivilio Episcopi Vilnensis Coadjutori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Aliis quoque literis ad te datis ultima Aprilis significavimus, nullo modo Nobis probari consilium tuum deponendi Coadjutoriam, teque ad Jesuitarum Ordinem conferendi, multas tum causas attulimus, easque gravissimas, quas hoc tempore non necesse est iterare: spectabant autem omnes ad istius Ecclesiæ commune bonum, quod quidem privatis rationibus anteponendum esse sapientes omnes judicaverunt: eadem nuoc voluntate sumus. Itaque hortamur atque etiam mandamus, ut istam cogitationem omnino abjicias, inque tua vocatione et muoere Apostolica auctoritate tibi imposito atque a te suscepto permanendum statuas, neque tibi illud deserere ullo modo licere existimes: nec quidquam gravius habeas nostra atque hujus Apostolicæ Sedis auctoritate et Petri Apostoli sententia in Clementis consilio improbando. Cum enim Clemens delatum sibi a Petro Pontificatum recusaret, quantum posset, his verbis se ab eo commonitum scribit. At ille, inquit, respondens, pro hoc me ne rogaveris; hoc enim fieri statutum est mihi, et eo magis, quo excusas: quia hæc cathedra eum, qui cupit eam et audacter expetit, non requirit, sed ornatum moribus et verbis eruditum; quod si esset alius melior, non te cogerem opus bonum suscipere nolentem, sed et illud intuere, quia si periculum peccati timens, suscipere refugis Ecclesiæ gubernacula, certus esto, quia amplius peccas, qui populum Dei veluti in fluctibus positum et periclitantem, cum juvare possis, subterfugis, tui tantummodo habens considerationem, et non quod in commune omnibus expedit, providens. Hæc igitur tibi dicta esse existima; mirifice enim in te quadrant. Non necesse habemus plura perscribere: cætera enim coram audies, si quidem quod pollicitus es, quodque ut facias, vehementer cupimus, maturaveris ad Nos venire. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoria die XXIII. Junii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Iisdem de rebus ipsius fratrem Nicolaum alloquitur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann VI. ep. 228. f. 172.

Dilecto Filio Nobili Viro Nicolao Christophoro Radivilio Duci Olicæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Cognovimus ex literis Nobilitatis Tuæ fratris consilium in Ecclesiæ sibi commissæ cura et Episcopatus successione deserenda, et religiosorum vita suscipienda. Quod quidem consilium Nobis non probatur, scribimusque ad eum, ut illud deponat, cogitetque, quanto majore cum merito et fructo versetur in curatione sibi a Deo atque a Sede Apostolica commissa, quamque nulla ratio sit, tam gravem, tam fructuosam, tamque Deo acceptam curationem abjicere. Mandavimus denique, ut si iis rationibus, quas Nos quidem multas proposuimus, minime sibi persuasum esse arbitrabitur, nihil agat sine nostra concessione; neque enim eum aliter agere aut debere aut posse judicamus. Omnia fusius cognosces ex iis literis, quas ad ipsum scripsimus. In quo ut Tuæ Nobilitati libenter satisfecimus, sic etiam faceremus in eo quod postulas, de paternis ossibus in sacrum templum transferendis, si quidem possemus salva conscientia; sed nihil posset fieri magis contrarium sanctis decretis, quodque ab omnibus Catholicis majore cum scandalo acciperetur, ab hæreticis cum ludibrio rideretur. Patere igitur æquo animo, Nos sacrorum Canonum decretis, nostræque conscientiæ inservire, nostrumque tibi gratificandi studium ex aliis rebus metire; neque enim illud Tuæ Nobilitati obscurum esse arbitramur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anoo sexto.

XXXXIX. — Illuxit tandem exoptatissimus ille dies, quo Joannes III. Svecorum Rex cœlestis gratiæ lumine illustratus, ejurata hæresi, se in Ecclesiæ Catholicæ sinum recepit. Egimus fusius in altero nostro opere [*] de lætissimo hoc

[*] Schweden etc. T. I. p. 448-491.

eventu. Heic vero ut brevitati studeamus, lubet in medium proferre, quæ Sacchinus, Annalium Societatis Jesu scriptor, de rebus a Possevino cum Joanne III. gestis in compendium collecta narrat. Possevinus, ut est a nobis narratum, vertente mense Septembri anni superioris una cum Guillelmo Goodio Hiberno, et Joanne Fornerio Gallo, Societatis Jesu sodalibus, in Sveciam a Pontifice missus, Holmiam decima nona die Decembris ejusdem anni advenerant. « Antonius Possevinus, narrat Sacchinus [*], ejus princeps expeditionis superiore autumno Roma profectus, magnis in itinere perfunctus laboribus et periculis, Stokolmiam tandem cum sociis ineunte huc anno sospes pervenit. Acceperat ab Imperatrice Maria literas, quibus ad Regem Svecum nomine ejus Legatus accedens, ac super Maximiliani Cæsaris obitu solemne officium solvens, id nomen religionis tractationi prætexeret. Grata fuit ea species Regi gaudenti suos respectus ac metus invenire fidem: cujus item voluntate religioso tantisper vestitu posito, honestorum sæcularium habitu Legatus incessit. Causam religionis jam Norvegus in eum locum adduxerat, ut facile redditurus se Ecclesiæ videretur Rex, quædam initio permitteret, ad fallendum dolo bono populum, uti loquebatur, necessaria. Ea erant præcipua, ut sacerdotibus matrimonia, usum sacri calicis populo, Missam vulgari lingua indulgeret. Possevinus tamen omni de his postolatis prætermissa disputatione, in suis cum Rege colloquiis in id unum intendebat, ut Rex hæresibus rejectis, veritate ac necessitate hierarchiæ ostensa, edita rite professione fidei, peccata sacramentali confessione ritu Catholico expiaret: sperans ipsa Sanctorum communione, usque sacramentorum lumen divinitus ac robur affutorum cordi purgato, ad Catholicam fidem fortiter et integre profitendam. Ergo spatio ad se præparandum sumpto, rursus post biduum advocato Possevino, Rex capita fidei ex Pii Quarti formula profitetur, hæreses execratur, confessionem generalem instituit. Qua absoluta, iterum interrogatus, num cunctis in rebus, ac nominatim in sumenda Eucharistia sub una specie staturus esset Apostolicæ Sedis judicio; cum staturum promisisset, eum Possevinus absolvit: ac statim exsurgens, prosiliensque ad medium conclave humi prostratus, et grates Numini agens precatur Dominum Jesum, in cujus manu sunt corda regum, ut perficeret ipse, quod cœperat: et Spiritum suum Regi ad ipsum reverso copiose infunderet, ejusque animam benedictionibus suis impleret. Quæ cum Rex videret, audiretque, commotus ad patrem accurrit, amiceque complectens: Et ego te amplector, inquit, et Ecclesiam Catholicam Romanam in æternum. Postridie in regio cubiculo adornato altare sacrosanctum Possevinus sacrificium peregit, cui cum Nicolao Brasko et Joanne regiis secretariis, bonisque Catholicis, Rex provolutus in genua religiose interfuit. Tum vero confirmandæ Regis constantiæ et spargendæ per populum pietatis attente Possevinus animo vias versans, redeundum sibi ad Pontificem duxit, ut Catholicorum Principum, ac præcipue Summi Antistitis Rex confirmaretur literis; tum curaret aliquot Svecorum adolescentum ad propagandos legitimos sacerdotes conturbenia institui, et nonnullos secum Romam adduceret. Ad hæc, quæ dispensari Rex petebat, tractaret, quo via saltem mollissime negandi inveniretur, interimque dies ipsa et alia adjumenta exitum rebus commodum expedirent. Hoc consilio acceptis a Rege ipso, Regina et Sigismundo Principe, qui omnium primas fertur scripsisse, literis, in Italiam rediit. In ea navi, qua Gedanum appulerat, trajecere in Sveciam e Polonia socii quatuor, pater Stanislaus Varsevitius et Simon Visocius apud Regiam futuri (uti supra retuli Reginam postulasse), Laurentius Ridziski et Valentinus Luski adjuturi Norvegum: is enim jam collegium ordinaverat, multosque collegerat adolescentes satis bonæ indolis, quos distributos in classes variis præceptoribus e Belgio advocatis erudiebat: publice quidem ac palam a rebus fidei, quas hæretici pervertunt, tractandis Regis jussu abstinens; sensim tamen catholicam pietatem eorum animis instillans non levi cum lucro, multis, qui deinde egregii extitere operarii, conversis. Excepit læto animo redeuntem Possevinum Gregorius Pontifex, et certorum hominum ex præcipuis Cardinalibus ac Theologis conventum jussit institui super Sveci Regis postulatis.

L. — Quam grata Possevini legatio Svecorum Regi fuerit, ejus ad Pontificem litteræ plane testantur, quibus eidem refert, se Possevinum ad curanda maximi momenti negotia ad Principes Catholicos misisse, hac tamen conditione, ut in Sveciam quamprimum ad incepta perficienda esset rediturus. [*]

Beatissimo in Christo Patri Gregorio XIII. Summo Pontifici.

Beatissime Pater.

« Post fidelem et diligentem paratissimorum obsequiorum ac studiorum nostrorum commendationem, Sanctitati Vestræ omnia prosperrima et felicissima ad Omnipotentis Dei gloriam, Sanctæque Sedis Apostolicæ salutem ex animo precamur. Litteras Beatitudinis Vestræ reddidit nobis nobilis et generosus D. Pontus de la Gardie, Orator noster, ex quibus paternum erga nos Beatitudinis Vestræ animum et pietatem plane cognovimus. Quanquam enim ex prioribus litteris, quas D. Antonius Possevinus attulit, et ex ipso D. Antonio Possevino satis intelleximus coram et sollicitudinem Beatitudinis Vestræ erga has regiones, regna nostra, tamen

[*] Hist. Soc. Jesu T. IV. pag. 181.

[*] Lit. Principum Vol. 28. fol. 67.

opinionem nostram vehementius auxerunt proximæ litteræ, tanta paterni amoris demonstratione ad nos perscriptæ. Est igitur, quod Beatitudini Vestræ gratias agamus, quemadmodum agimus; et ita de nobis merenti Beatitudini Vestræ addictissimi et obsequentissimi filii obsequia deferamus et deferimus. Cæterum quæ ad negotiorum nostrorum rationem pertinent, Antonius Possevinus copiose ad Beatitudinem Vestram est scripturus, et coram, ut speramus, brevi Sanctitati Vestræ expositurus. Nunc, cum neminem haberemus, cujus fidei aut vellemus, aut auderemus summam rerum concredere, petivimus ab eodem summopere, et impetravimus, ut vellet in Poloniam, Germaniam et Italiam proficisci, nostro nomine oretenus ea, quæ nostra plurimum intersunt, exponere; ea tamen lege alio ablegamus, ut rebus confectis ad nos quamprimum revertatur, et ea tandem absolvat, quæ feliciter cœpta ad optatum exitum ejus consilio et opera perduci posse et cupimus et speramus. Atque hisce Beatitudini Vestræ omnia fausta et felicia ad Omnipotentis Dei gloriam, et Sanctæ Sedis Apostolicæ salutem a Deo Opt. Max. precamur, nobis a V. Sanctitate suam sanctam benedictionem. E Regia nostra Stockholmia die XXV. mensis Aprilis anno MDLXXVIII. Regni Nostri decimo.

In Christo Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus

JOHANNES R. S.

LI. — Joannes Rex gravissime ferens, quæ fidei Catholicæ hostes in suam contumeliam dictitarent atque in vulgus spargerent, se nempe simulatæ religionis specie ad Ecclesiam Catholicam rediisse, quo facilius Reginæ uxoris suæ bona in regno Neapolitano sita adipisci posset, Pontifici his litteris se ex animi conscientia Catholicam religionem colere profitetur. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 38. fol. 48.

Beatissimo in Christo Patri D. Gregorio Papæ XIII. Summo Pontifici.

Beatissime Pater.

« Post fidelem et diligentem studiorum atque obsequiorum nostrorum commendationem, Sanctitati Vestræ ad Omnipotentis Dei gloriam et Sanctæ Sedis Apostolicæ salutem omnia prosperrima et felicissima ex animo semper precamur. Relatum nobis est, nonnullos istic esse, qui nos pecuniam et bona Neapolitana sub honesto religionis prætextu petere, nec de religione aut salute tot populorum, qui nobis divina providentia concrediti sunt, sollicitos esse, falso criminantur. Tulimus id, ut debemus graviter: nam sine illa pecunia, sine illis bonis regna nostra adversus barbaros, et finitimos potentissimos hostes, nullis externis Principum viribus aut opibus adjuti, fortiter ac feliciter defendimus hactenus, et Deo propitio in posterum etiam defendemus. Nec est necesse eam pecuniam, ea bona, quæ omni jure humano et divino ad nos, Serenissimamque Reginam Conjugem nostram carissimam pertinent, simulato religionis nomine postulare; nec nos mundanum istud et nummarium negotium cum cœlesti et divino cultu conjungimus, sed pure ac vere de religione Christiana sentimus. Quamobrem Sanctitatem Vestram etiam atque etiam rogamus, ut istos malevolorum rumores piis Principum consiliis noxios et perniciosos, pro sua singulari prudentia et pietate cohibeat ac refrenet: quodque antea coercuerit ac cohibuerit, Sanctitati Vestræ, quas possumus, gratias agimus. Nam si illis maluisset adhibere fidem, quam nobili et generoso D. Ponto de la Gardie Equiti aurato et Baroni in Eckholm, Oratori nostro, interruptum esset nostrum restituendæ religionis studium et conatus. Sed rejectis malevolorum convitiis, visum est Sanctitati Vestræ mittere huc ad causam religionis cognoscendam et adjuvandam D. Ant. Possevinum, virum singulari eruditione atque admirabili pietate præditum; qui cum nobiscum egerit de religione sæpius, et de iis, quæ ad religionem pertinent, agat subinde; ex eo malumus Sanctitatem Vestram quam ex litteris nostris intelligere, quid religionis causa fecerimus, et quantum Deo adjutore profecerimus. Atque hisce Sanctitati Vestræ a Christo Deo omnia ad divinam gloriam, et Sanctæ Apostolicæ Sedis salutem prosperrima et felicissima ex animo semper precamur, nobis a Sanctitate Vestra sanctam benedictionem. E Regia nostra Stockholmia die III. Maji anno Christi MDLXXVIII. Regni Nostri X.

In Christo Sanctitatis Vestræ

Filius obsequentissimus

JOHANNES R. S.

Pontus quoque a Gardia Possevinum a Rege Romam missum Gregorio nunciat; confiditque eum nullam habiturum fidem iis, quæ ab obtrectatoribus de Rege ac de se effutiebantur. (*)

(*) Germania Vol. 56. fol. 273.

Beatissimo in Christo Patri Domino Domino Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater.

« Post humillima pedum sacrorum oscula, Sanctitati Vestræ omnia prosperrima et felicissima, ad præpotentis Dei gloriam et Sanctæ Sedis Apostolicæ salutem, ex animo precor et opto. Mittitur a Majestate Sua ad Beatitudinem Vestram Dominus Antonius Possevinus, cui propter singularem prudentiam et virtutem, rerum omnium tam temporalium, quam spiritualium curam, me auctore, Serenissimus Rex Dominus meus clementissimus mandavit. Quanquam igitur Sanctitas Vestra ex literis Suæ Majestatis et meis intelligere potuerit, quam vana et inania sint, quæ a malevolis istic de Majestate Sua et me spargebantur, fusius tamen cum alia multa,

tum illud ipsum ex Ant. Possevino intelliget. Cui vero quid præstiterim non scribam: quis enim vel Sanctitatis Vestræ infinitis meritis, vel Domini Antonii Possevini dignitati se satisfecisse jactare auderet? Sed ipse erit testis mihi eorum, quæ religionis causa et conatus sim facere, et quæ feci. Quos hic relinquit, quosque huc Sanctitas Vestra mittet, eos ego in fidem utque tutelam meam suscipiam, et ostendam Sanctitati Vestræ neminem hic esse, qui me studio pietatis vincat aut excedat. Atque hisce cum humillimis pedum sacrorum osculis, Sanctitati Vestræ omnia a Deo Optimo Maximo opto prosperrima et felicissima. Stockolmiæ xv. Maji anno Christi MDLXXVIII.

Sanctitatis Vestræ

Humillimus ac quamdiu vixero obedientissimus filius
PONTHUS DE LA GARDYE.

LII. — Rex ipse Gregorio et Possevinum, et quæ ei apud ipsum et reliquos Catholicos Principes tractanda permiserat, valde commendat. [*]

[*] Litt. Principum Vol. 35 fol 69.

Beatissimo in Christo Patri, Domino Gregorio XIII. Summo Pontifici.

Beatissime Pater.

« Quanquam nobis a Beatitudine Vestra omnia prospera et felicia precari possimus, optare tamen Beatitudini Vestræ omnia, ad Majestatis divinæ gloriam, Sanctæque Sedis Apostolicæ salutem, felicissima et prosperrima ex animo debemus. Multa extant, eaque præclara Sanctitatis Vestræ erga nos, Serenissimamque Reginam conjugem nostram carissimam merita, diversa pietatis paternæ argumenta, sed nullum majus, aut efficacius Legatione Domini Antonii Possevini. Cæteri umbram quandam Sanctitatis Vestræ in has regiones, regna nostra intulerunt, sed D. Antonius Possevinus veræ fidei et Religionis Christianæ lucem importavit. Gratias igitur, cum aliorum Beatitudinis Vestræ erga nos meritorum, tum hujus Legationis nomine, quas possumus, agimus maximas. Factum autem est pietate Beatitudinis Vestræ nobis perspecta, et cognita humanitate atque prudentia Dñi Ant. Possevini, ut eundem D. Antonium Possevinum ad Beatitudinem Vestram aliosque Principes ablegaremus, cujus Dominationi in iis, quæ nostro acturus est nomine, a Sanctitate Vestra plenam haberi et indubitatam fidem, summopere cupimus; tametsi non dubitamus, absque nostra commendatione Sanctitati Vestræ ejus viri prudentiam et integritatem satis esse cognitam et probatam. Atque hisce Beatitudini Vestræ omnia ad florentem et tranquillum Sanctæ Ecclesiæ statum a Deo Opt. Max. ex animo precamur. E Regia nostra Stockholmia die xv. Maji anno Christi MDLXXVIII. Regni Nostri x.

In Christo Sanctitatis Vestræ

Obsequentissimus filius
JOHANNES R. S.

LIII. — Sigismundus etiam Princeps, unicus Regis filius, regnique hæres, observantiam suam in Apostolicam Sedem profitetur: se in avita fide educatum, perseverare perpetuo in ea velle ait; quod ut assequatur, Pontificis et Ecclesiæ Catholicæ ad Deum precibus se commendat. [*]

[*] Germaniæ Vol. 36. fol. 371

Sanctissimo Domino et Patri Nostro Gregorio XIII. Pontifici Maximo.

Beatissime Pater.

« Quæ de singulari Beatitudinis Vestræ erga Regias parentum meorum Majestates benevolentia sæpe audivi tum a D. Antonio Possevino, tum ab aliis, qui ad hæc regna isthinc appulerunt, ea mihi, licet puero, ita hæserunt cordi, ut eidem D. Antonio isthuc redeonti hasce ad Sanctitatem Vestram litteras dare decreverim: sperans paternæ ac benignissimæ pietati Beatitudinis Vestræ eas fore pergratas. Nam cum animi erga Vestram Sanctitatem, Sanctamque istam Sedem Apostolicam mei studium testatum esse Vestræ Beatitudini percupiam, tum obnixe ab illa reverenter peto, meam ut hanc juventutem suis primum, deinde Catholicæ Ecclesiæ orationibus et sanctis sacrificiis identidem Deo commendet. Confido enim Sanctitatis Vestræ (cui divinitus cura pascendi oves Dominicas demandata est) preces exauditum iri a Domino, scioque nihil me posse optare, quod aut vitæ meæ conducibilius, aut his regnis utilios queat accidere, quam si divina gratia hanc meam aetatem, studia et actiones omnes dignetur comitari. Ego vero cum hactenus, quæ Divinæ bonitati sit laus, in antiquissima catholica Sanctæ Romanæ Ecclesiæ religione sim educatus, eamque, Deo aspirante, ad mortem usque sim conservaturus, me talem semper præstabo, ut Sanctitas Vestra et filium, et ad obsequia Sanctæ istius Apostolicæ Sedis paratum agnoscat. Quod cum fusius a D. Antonio cognoscere poterit, longiore epistola non utar, precatus ex animo Beatitudini Vestræ diuturnitatem felicissimæ vitæ, sanctamque a Sanctitate Vestra mihi, atque his regnis benedictionem. Stockholmiæ die xxx. Aprilis MDLXXVIII.

In Christo S. V. obediens filius

Sigismundus Dei gratia Regnorum Sveciæ, Gothorum, Wandalorumque, Princeps hæreditarius et Dux Finlandiæ

SIGISMUNDUS.

LIV. — Quæ denique Rex Possevino cum Principibus Catholicis tractanda demandaverat, ea Typotius, quo is a secretis utebatur, exponit litteris ad Joannem a Borgia Regis Hispaniarum apud Cæsarem Legatum. Inter cætera illud

in primis Joannes III. post victoriam VIII. Kal. Novembris ab Magno Moscorum Duce relatam cupiebat, cum eodem pacem vel inducias inire, ut sibi a bellis externis vacare liceret; idque ut e sua dignitate fiat, in Cæsare positum esse affirmat, cujus cum Mosco amicitia omnibus esset cognita. [*]

[*] Germania Vol. 46. fol 9.

Illustrissime et Excellentissime Domine.

« Decrevit in rem Majestatis Svetiæ Imperator, quæ Illustritas Vestra videt hisce literis inclusa. At quia Vestra Illustritas suæ Majestati omnia detulit, et suo Regisque sui nomine pollicetur, mandavit mihi sua Majestas, ut quæ istic curari cupit, ad Illustritatem Vestram perscriberem. In primis gratum est suæ Majestati, probari Imperatoriæ Majestati voluntatem suam, gratiasque maximas agit, quod petitionis suæ rationem habuerit, et mutuam illam conjunctionem ab Imperatoria Majestate acceptam, suæque Majestati delatam Majestas sua cupide amplectitur.

« Quod pro nobili et generoso Dño Edzardo, Comite Frisiæ, omnia fecit et tentavit ad controversiam, quæ est inter dictum comitem Edzardum et ejus fratrem, sopiendam, id sua Majestas beneficii loco accipit, et tamquam in se collatum esset sua Majestas interpretatur. A Statibus autem Frisiæ nihil actum esse, ex Illñæ Comitissæ sororis suæ carissimæ literis sua Majestas ante paucos dies intellexit. Ut igitur executioni mandetur, quod Imperatoria Majestas jussit, et Status rem definiant, memores Maximi Regis filiæ et sororis, sua Majestas amanter petit, cum Statuum Frisiæ maxime intersit, integrum manere dicto nobili et generoso D. Edzardo Comitatum; proniores tamen in gratiam fratris, qui Calvinismum defendit, et propterea serio admonendos a Sua Imperatoria Majestate, ut si morem gerere S. Imperatoriæ Majestati velint, juri et indemnitati dicti Comitis Domini Edzardi consulant.

« Illñæ Dominæ Ceciliæ Marchionis Badensis et sororis suæ carissimæ sua Majestas curam habet, ejusque Illustritatis negocium Imperatoriæ Majestati curæ fuisse gaudet, non secus ac si suæ Majestatis res agatur, ac ut Vestra Illustritas intelligat quoque, quid hac in re sua Majestas factum velit, petiit dicta D. Marchio, ut causæ suæ commissarii declarentur Archiepiscopus Trevirensis et D. Ericus Dux Brunsvicensis, idque in gratiam sororis suæ carissimæ S. R. Majestas petit ab Imperatoria Majestate, quibus si videbitur Illustritati Vestræ, Coloniensis Antistes annumerabitur.

« In causa Brunsvicensi, quæ jus Serenissimæ Catharinæ Svecorum, Gothorum, Wandalorumque etc. Reginæ, natæque Poloniæ Principis concernit, sua Majestas carissimæ conjugis et liberorum gratia cuperet, eam primo quoque tempore definiri; sed propter amicitiam, quæ est inter suam Majestatem et Serenissimum ac Potentissimum Hispaniarum Regem, quia cognoscit infensos esse suæ Majestati plerosque Germaniæ Principes, qui declarati sunt, vel declarari possunt commissarii, propterea cupit declarari causæ commissarios Illustres Dominos Ducem Bavariæ, Episcopum Salisburgensem, et Coloniensem, vel in ejus locum Dominum Ericum Ducem Brunsvicensem.

« Quod ad filios Comitis Frisiæ attinet, sua Majestas ad generositatem suam perscribet, ut aliquem ex iis ad Imperatoriam Majestatem mittat.

« De Domino Julio valde sollicita est sua Majestas, ut pro dignitate Regiæ stirpis in aulam Majestatis Imperatoriæ mittatur.

« Quod Imperatoria Majestas tribuit Reverendo D. Possevino, quod in gratiam suæ Majestatis tributum est, tamquam sibi tributum sua Majestas agnoscit.

« Responsum est hactenus ad Imperatoriæ Majestatis decreta cum debita gratiarum actione; quod superest, sua Majestas victoria, quam contra Magnum Moscorum Ducem obtinuit XXI. Octobris, ut ex rerum gestarum narratione hisce adjuncta Vestra Illustritas intelliget, contenta; cupit vel pacem inire cum dicto Magno Duce Moscorum, vel inducias, ut Serenissimo ac Potentissimo Hispaniæ Regi fratri et amico suo carissimo commodius gratificari possit; sed id ut fiat incolumi dignitate suæ Majestatis et æquis conditionibus, propterea desiderat Vestram Illustritatem interponere apud Cæsaream Majestatem auctoritatem Domini Regis sui et suam. Cum enim non obscura sit inter Imperatoriam Majestatem et Magnum Moscorum Ducem amicitia, non dubitamus, quin dictus Magnus Moscorum Dux multum, ut debet, sit Imperatoriæ Majestati concessurus. Nihil autem est, quod non speremus Imperatoriam Majestatem facturam in gratiam Regis Catholici et Illustritatis Vestræ. Legi igitur possent arbitri belli terminandi, qui æqui et honesti curam habent, inter quos Illustritatem Vestram legi summopere vellemus, nec onus detrectare Illustritas Vestra debet, quod Serenissimi et Potentissimi Hispaniarum Regis maxime intersit, serenissimum ac potentissimum Svecorum, Gothorum, Wandalorumque etc. Regem a bellis externis et civilibus esse liberum. Conditiones pacis vel induciarum hæ esse deberent præcipuæ, ut uterque contentus Imperii finibus arma deponat.

« Ut ad sociandos animos et permutationem mercium facilem, emporium sit omnium rerum, quæ in Moschoviam importantur, Rivalia vel Viburgum. Ut Rivalensibus territorium suum et agri restituantur. Hæ conditiones si impetrarentur, reliqua de quibus est dissensio, facile sopiretur, quæ omnia tum fusius perscribentur ad

Illustritatem Vestram, quando intelligemus Imperatoriam Majestatem interponere auctoritatem suam decrevisse.

Stockholmiæ 30. Novembr. 1578.

Jac. Typotius Secretarius Ser. Regis Sveciæ.

His litteris Typotius has adjunxerat, quibus eidem Legato præclaram eam victoriam, quam Sveci ab Moscis retulerant, nuntiavit ac fere descripsit. (*)

(*) Germania Vol. 16. fol.12.

Illme et Excellme Domine.

« Quo tempore Christianam pietatem Romano et vero ritu Germania coluit, non contenta iis finibus, quibus a natura circumscribitur, Imperii sui limites longe lateque promovit, a qua tempestate religionis purum fontem lacunis hæreticorum polluit, gloriam et promovendæ pietatis studium cum Imperii dignitate, cujus umbram tantum extincta luce retinuit, totam pene amisit. Nam ut ea omittam, quæ et nostra et majorum nostrorum vidit ætas, hæc ipsa Germania, domi secura, per Teutonicos ordinis S. Mariæ milites, quantas res suscepit, gessit, confecit? Livoniam maximis Regnis ubertate soli et rerum omnium copia atque abundantia comparandam, imperio suo, quod ibi Vistula fluvio terminatur, adjecit, pietatemque ad barbaros et linguam intulit. Verum mutata religione maximo nationum ac gentium omnium incommodo et disrupta animorum concordia quæ nullo firmiori vinculo, quam una eademque religione vincitur, Moschus, qui non tam suis viribus nunc, quam Germanorum crevit discordia, contemptus antea hostis, Livoniam tanta Germanorum laude partam, Germanis majori gentis dedecore maxima ex parte ademit, ipsam imperii sedem Germaniam invasurus, nisi serenissimus ac potentissimus Princeps D. Joannes III. Dei gratia Svecorum, Gothorum, Wandalorumque etc. Rex, erecto Rivaliæ in marittima urbe propugnaculo, sæpius nequicquam ab hostibus tentato, impetum Barbarorum repressisset. Nec contentus servata Germania et represso Moscho, in aciem quoque egressus, quoties egressus vicit, quamquam a Germanis et vicinis Principibus, quorum maxime interest hostem vinci, semper sit desertus. Ac ut proximorum annorum res gestas, quarum rerum famam fama in Italiam pertulit, silentio prætermittam, non prætermittam tamen eas, quæ xxi. Octobris hoc anno gestæ sunt, ut habeant ingeniosi homines, quo diaria sua locupletare possint. Agebatur inter Majestatem Sveciæ et Majestatem Poloniæ de fœdere ineundo, et bello adversus Moschum suscipiendo, sed sine illo fœdere et vix ulla spe fœderis Majestas Sveciæ cum intelligeret legatum Moschi Vilnæ esse apud Majestatem Poloniæ, mandavit Præfecto militum, quos alit in Livonia, ut Rivalia egressi, Moschorum regionem popularentur, Polonisque et Lithuanis, si se loco moverent, adversus communem hostem auxilio essent. Properant interea arcta obsidione Wandaliam Moschi cum exercitu, tormentis muralibus, et omni bellico apparato instructo, Polonorum urbem, Magistri ordinis Teutonici Sanctæ Mariæ quondam sedem. Lithuanorum vero equitatos, assompto peditato, ex munitioribus locis erumpens, Svecos ad belli societatem invitarat: Sveci vel odio Moschorum vel amicitia Polonorum socia arma cum Lithuanis conjungere assensu militari decreverant, nisi Lithuani militiæ incommoda pertæsi, et hostium rabiem ac multitudinem extimescentes retro signa vertissent. Quam infidelem societatem cum Sveci animadverterent, et ipsi se in tutiora recipere statuerunt, cum Lithuani rebus desperatis et mœnibus Wandaliæ prostratis, integræque cohorti patefactis, supplices Svecorum opem et operam implorarunt. Sveci igitur belli gerendi occasionem nacti, sublatis signis in hostem contenderunt, et trajecto flumine, quo ab hostibus et Wandalia socia urbe dirimebantur, hostem profligarunt, urbem liberarunt. Primum enim ab urbe semicapta hostem adversum in collem proximum ut se reciperet, compulerunt; Deinde colle deturbatum, eodemque die binis castris exutum trucidarunt, nocte proxima, qui superenant cladi, fuga salutem quæsiverunt. Capti sunt ducenti, inter quos notæ famæ duo duces, cæsi 7800, abacta ingens præda, incensus a nostris displosis bombardis pulvis tormentarius, (pulveris tormentarii medimni erant) capta tormenta muralia 24. Res, ut narravi, gesta est, quæ licet per se maxima est: ostensum enim est, Moschum posse vinci, sed belli eventu longe major; nam Wandalia expugnata, circum castella laturi erant bellum barbari, magno sociorum incommodo, majori spe hostium; servata vero Wandalia, profligato copiosissimo exercitu, interfecto supremo Caucellario Moschi, quem paucis ante diebus in castra venisse accepimus, ut spe et metu hostem excitaret, vix dubitamus, quin post felicissima principia feliciorem etiam simus exitum belli hoc anno habituri.

LV. — Qua crudelitate, qua perfidia, quo nisu Moscus in hoc bello versaretur, quam iniqua contra Poloniam consilia volutaret animo, quamque id temporis sibi a Stephani regis virtute reique militaris scientia timendum esse cognosceret, ut sibi cum altero Alexandro Macedono rem esse duceret, hæc aliaque Palatinus Smolenscensis Joanni Zamoiskio Magno Poloniæ Cancellario nunciat. (*)

(*) Polonia Vol 15. fol. 363.

Magnifico Dño Cancellario Regni Poloniæ.

Illustris et Magnifice Domine Cancellarie, Domine Obserme.

« Certiorem facio Magnificam Dominationem Vestram. His temporibus habui penes me in Orsa unum exploratorem ex Smolensk, nomine

Mutficjam Cedilowa, filium Bojarorum: is mihi omnia exposuit, quod Magnus Dux omnibus modis de iis rebus cogitat, quo pacto Sacram Regiam Majestatem Dñum nostrum posset lenire, ot amplius hoc bellum Sacra Regia Majestas contra ipsum non extenderet; propterea vero, quod penuria in militibus ipsius facta est, et ex iis, qui pauci sunt reliqui tam ex militibus, quam ex alio genere hostium, veretur sibi inferre periculom. Cum et filii ipsius legitimi ratione tyrannidis adversus eum suot, neque potest fieri, ut ab ea sese avelleret, et nunc si noo publice, tamen occulte gentem suam perdit; ita ut ex minima causa vitam illorum amittit. Sic vero dicit hoc bellum cœpisse a Stefano Rege vestro ex captione Arcium tam Livoniensium, Kiess, Kierzepieczia, cæterarumque Arcium, tam captione Poloczk, Sokola ac aliarum ad Poloczk pertinentium: sic etiam apud Smulensko ac in terra Sievieriensi hoc dicit: et cum omnia in summam collegerunt, atque ad illum detulerunt, omnium hominum tum privatorum quam præcipuorum numerum centum millia repererunt ac dinumeraverunt, exceptis pueris ac uxoribus, qui miseri perierunt; cæteri quoque præ fame perierunt. Quod attinet ad turmenta bellica, thesaorum, victum, id narrat, cum eorum omnium recordetur, præsertim damnorum, contumeliæ sine intermissione lamentatur, et cum ad notitiam ejus pervenerat, conflagratum esse Smolensk oppidum, et postmodum certiorem eum fecerunt de captione Polocensi, Sokol, ibidem ad eum quædam scripta attulerunt, quæ illi refferebant per ipsius subditos nulla ratione Regiam Majestatem potuisse capere Arcem Polocensem. Convocatis igitur aulicis præcipuis et nobilibus, sic affatus est illos: Vos, mala generatio, dicebatis Poloczkam et Sokolum inexpugnabiles esse, et Regem Poloniæ Arces istas capere non posse, ecce Poloczk et Sokol amissæ, milites et omnes reliqui homines prostrati et in alienam potestatem redacti; adsunt litteræ Philonis vobis scriptæ, ut Regi Stefano sese dedere, et a servitiis esse quamprimum curetis, me vero et liberorum meorum dolo fraudeque circumveniatis, adest et sigillum Philonis, patent jam mihi et fere in confesso suot vestræ insidiæ; quomodo enim Philon litteras in hæc verba ad vos scriberet, si mentem vestram pessime erga me affectam bene cognitam non haberet? Vos estis, qui insidias mihi struitis, vestra opera factum est, quod provinciæ meæ ejusmodi damnis et infortuniis obnoxiæ factæ sunt; certus enim sum illius vos per conspirationem cum Lithuanis conscios esse. Evocato itaque uno ex medio Senatorum dicto Mszicklawczki, inquit, tu, veterane canis, redundas adhuc spiritu Lithuanico, tu mihi dixisti, ut te cum filiis meis ad Polockum ad resistendum Regi Poloniæ mitterem? apparet fraus tua, volebas me et fidem tuam frangere, et filios meos in periculum extremum conjicere. Accepto itaque baculo mirabiliter contudit illum, ita ut facies et manus sanguine difluerent, dorsum etiam intumesceret, nec cessavit, dunec baculum illum vapulando commimueret. Filium prædicti Senatoris vix semivivum loco dimoverunt cum lachrimis, quod videntes reliqui subditi, facinus tam atrox detestati sunt, et omnem animum erga Magnom Ducem abjecerunt, et pro certo affirmavit, non dubites consternatum prorsus esse animo, nec ullam spem præter Tartaros illi superesse. Istorum opera et ad debellandos hostes, et suorum subditorum reprimendam vim uti constituit, præcipuam aotem spem ponit in Czaru Prækopiensi. Cum dixi illi: Czar Præcopiensis servitia Serenissimi Regis nostri obire fideliter pollicitus est, et Internuntios misit ad Regiam Majestatem, ut provideat et sibi ipsi et exercitui suo: ad hæc respondit, dubiam esse fidem Czari Præcopiensis, quam Serenissimo Regi se dedisse ostendit, cum ille pro majori parte majora sequatur munera, quibus Magnus Dux prævalet Regem vestrum; si Rex vester mittit 200. aut 300. taleros, mittit ille 700. 800. et 1000; jam quoqoe quamprimum relegat ad illum suos Interountios cum muneribus non contemnendis. Advenerunt quoque de terra Najasiensi Internuntii requirentes ab illo munera, quæ illis extradita non erant, postulantes quoque, ut milites Nattasienses, quos apud se detinuerat, (quorum erant aliquot mille) ex Moscovia ad Najai remittat. Magnus Dux vero eos Internuntios solemniter tractat, et muneribus multis ornat, et Tartaros qui illi militant multis muneribus remuneratus est: causa est, ne a latere suu discedant. Insuper rogavit prædictos Internuotios, multa dona promittens, ut milites quamplurimos in terram Moscoviticam pro servitiis suis adducant, quod Ioternuntii præstare promiserunt, et credit se habiturum Tartaros Najaisienses 60. millia. Tartari qui a servitiis illius erant noo discesserunt; imo libertate donati in terra Moscovitica ne uuum quidem dimittere volebat. Affirmabat qooque prædictus explorator, missurum præsidia ad Smolensk Magnum Ducem eaque magna et ingentia. Præcepisse quoque ait Ducem subditis nimirum Moscis, ot cedant ex arcibus, quas traditorus est Tartaris in potestatem: eos ipsos habebit fidelissimos custodes suæ salutis, et cum exercitu Tortarico ad Wielkie et in Tonopiecz ponet castra, ut possit inde Smolenscum et Pleskovia intueri. Dixit se etiam intellexisse, Magnum Ducem Mikitam generom suum exercitui, quem ad Smolenscum mittet, præfecturum. Scias, Philoo, de omnibus istis, et perscribe Regi tuo, Magnum Ducem fortissima præsidia arci Smolenscensi parare, præsertim vallis eandem circumdare, et intus bombardas seu tormenta

collocare, et circa portam maximam munitionem facere. Vallis ista, in qua bombardæ sunt, erit adjumento Regi vestro; est enim ad ipsum parietem Arcis facta, et ita aditum ad parietem faciliorem præbebit. Tu ipse, Philoo, si ibi adfueris, me verum dixisse fatebere. Parietes putridos ejiciunt et novos imponunt: tormenta et bombardas plures mittet. Intellexit etiam a Vladiska Smolenscensi et Palatino Internuntium Regis Poloniæ non dimissurum, quoad Internuntius ad Senatores Regni missus reversus fuerit. Si bellum non fuerit pacatum, et hyems intensa erit, colliget numerosum exercitum, et adducet milites etiam ex remotis partibus: inquit enim etiam, si thesaurus sub cute mea reconditus esset, extrahendus est, et Regi Poloniæ resistendum. Maximo terrori illi est Rex vester; spargitur enim et per totam Moscoviam vagatur fama, Regem vestrum prudentissime Regnum hoc gubernare, et in exercitu maxima vigilantia et militari disciplina regimineque sua propria persona plurimum excellere; imaginatur Magnus Dux cum altero Alexandro Rege Macedonorum negotium instare. Rogo Dominationem Vestram Magnificam, ut hæc suprascripta Serenissimo Regi Domino meo clementissimo referat, simulque petat, ut necessitates meas urgentes clementer relevare dignetur. His me commendo Magnificæ Dominationi Vestræ. Datum in Orsa Mensis Decembris n. anno 1578.

Magnificæ Dominationis Vestræ

Addictissimus Servus

PHILON KMITHA CZARNOBIELCZKI PALATINUS SMOLENSCENSIS, CAPITANEUS ORSANENSIS.

LVI. — Gregorius, qui summam, ut decuit, ex prospero in Svecia successu voluptatem cepit, Regi ex animo ejus ad Ecclesiam Catholicam reditum gratulatus est; eique animum addit, ut eadem alacritate reliqua perficeret, suaque regna cum Ecclesia Romana conjungeret. Quod vero ad Imperii negotia attineret, id apud Cæsarem, reliquosque Catholicos Principes tum per Possevinum, tum per Nuntios Apostolicos se curaturum promittit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 166. f. 111.

Charissimo in Christo Filio Nostro Joanni Sveciæ Regi Illustri.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Rediit ad Nos cum literis et mandatis Majestatis Tuæ dilectus filius Antonius Possevinus: erant autem literæ plenæ pietatis et studii Dei gloriæ, ut par erat expectari a Rege optimo et Divinorum beneficiorum memore: ex ipsius autem Possevini sermone ea cognovimus, quæ votis omnibus a Deo expetiveramus. Sic enim confirmamus, esse isti tuæ præstantissimæ voluntati, quam Sacramento pœnitentiæ suscipiendo perpetuaque cum Catholica Ecclesia conjunctione pollicenda testatus es, reposita a Deo præmia amplissima ac sempiterna. Convenit autem tuo singulari ejusdem ipsius Dei gloriæ, charissimique filii tui salutis studio curare atque agere, ut is in Catholicæ religionis cultu talis ab omnibus extrinsecus conspiciatur, qualem esse utrique maxime cupimus, neque interiore tantum contentum esse. Illud etiam, ne quisquam in tuis regnis prohibeatur impediaturve, quominus Catholicam religionem libere amplectatur; gratior enim atque optatior Deo est unius animæ salus, quam universi orbis possessio. Neque vero ignoramus, quæ sit istorum regnorum conditio et status, quamque multa possit Majestati Tuæ suggerere humana prudentia, quæ sæpe inimica est Deo; sed omnis spes in eodem ipso Deo collocanda est, cujus dextera invicta nunquam deserit eos, qui se ei committunt. Hinc etiam amplissimus fructus redundabit ad Majestatem Tuam: felices enim, inquit Augustinus, Principes esse dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum ejus Majestati famulam faciunt. Incredibile etiam gaudium ad cæteros Catholicos Principes perveniet, dum videbunt, aperte agi, nec quidquam Dei gloriæ anteponi; unde etiam matrimonii negocium explicatius reddetur. Abjiciendæ igitur sunt humanæ rationes et cogitationes omnes, quæ possunt tuum laudatissimum Deoque acceptissimum studium retardare, neque existimare debes, te in Dei causa humanis auxiliis destitutum iri. Nos certe nulla in re deerimus Majestati Tuæ, quod etiam potes de cæterorum Catholicorum Principum voluntate atque opera tibi facile polliceri. De negotio Neapolitano curavimus omnia quam diligentissime, jamque et profectus est Possevinus cum nostris literis, neque quiescemus, quoad illud confectum esse videamus. Quod vero malevolorum sermonibus movearis, nihil est: neque enim obscurum est, quantopere Catholicæ religionis res tibi cordi sint, quantaque cum sinceritate in illis verseris, idque etiam omnes, qui hic sunt, vident. Magno igitur animo progredere, atque ad istas tuas tres coronas hanc etiam quartam ex regnorum istorum ad Deum vocatione adjunge; quæ tanto erit cæteris coronis insignior, quanto humanis præstant divina. Possevinum a te diligi, eumque a tua præstanti humanitate magnis beneficiis affectum fuisse, tibique ejus prudentiam, doctrinam et Dei gloriæ zelum vehementer probari, gratissimum nobis est; Nos enim his ipsis de causis semper eum plurimi fecimus; itaque nihil opus esse arbitramur, eum Tuæ Majestati commendare; commendamus tamen, quantum possumus, tum ipsum, tum suos omnes, eos etiam, quos hinc secum adducet. Ipsius igitur, ubi istic erit, verbis, dum vero aberit, literis omnem fidem tribues. Deus benedictus te tuosque omnes cu-

mulet semper sua gratia atque omni gaudio et felicitate. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Nov. MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Eadem gratulantis animi sensa significat et Reginæ et Sigismundo Svecorum Principi ac reliquis, qui in fide catholica promovenda Regi suasores et adjutores se præstiterant, eosque peculiaribus salutat litteris, hortaturque, ut in tam salutari et auspicatissimo opere perficiendo persistant. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 164-177 et ap. A Theiner Schweden etc. T. III Doc. N. 39-61. pag. 44-35.

LVII. — Res Galliæ hoc anno pacatæ admodum se habuere. Gregorius tandem Regis voluntati morem gerens, Ecclesiam Gallicanam tribus purpuratis Patribus IX. Kal. Mart. auxit honestavitque, Ludovico, inquam, a Guisia, designato Rhemensi Archiepiscopo, et Carolo a Lotharingia, Aloysiæ Gallorum Reginæ fratre, et Renato Birago Mediolanensi, regni Galliarum Cancellario. Rex [*] et recens in sacrum Senatum cooptati toti sunt in effusis Pontifici gratiis agendis. Atque hæc Ludovicus Guisius. [*]

[*] Mantissa document. N. 107.

[*] Gallia Vol. 13. fol. 113

Beatissime Pater.

Post humillima sanctorum pedum oscula.

« Galerum rubeum ad me a Sanctitate Vestra missum tanta animi lætitia et alacritate suscepi, Pater Beatissime, quantam verbis exprimere longe difficillimum arbitror. Delatus etenim honos tum demum nos magis solet afficere, si eum præter expectationem et opinionem nostram simus consecuti. Quæ vero mea est ætas, aut quæ mea in Vestram Sanctitatem et omnium Cardinalium sacrum ordinem extitere officia, ut Cardinalatus præter meritum ambirem vel sperarem insignia? Viri ætate graves, longo rerum usu exercitati, illos sublimes honorum gradus, tanquam laborum superiorum justa quædam præmia sibi debent promittere. Ego harum nihil in me agnoscens, tantum honoris fastigium nec jure expectare debui. Idcirco conjectura quadam facile auguror, Vestram Sanctitatem tantum honorem meæ ætati detulisse, ut eo devinctus et provocatus beneficio Vestram Beatitudinem, nec non Cardinalium sacrosanctum Senatum benevolentia colam sempiterna, et quasi admoto quodam calcare egregia plane facinora supra ætatem spirem et suscipiam, et res senili prudentia dignas aggrediar. Equidem Vestræ Sanctitatis opinionem divino fretus auxilio minime fallam, sed dabo operam, ut apud hominem ignavum, aut in veram religionem male affectum et animatum, et in Apostolicam Sedem ingratum non esse collocatum beneficium omnes intelligant. Efficiam etenim, ut nemo, quemadmodum suum discipulum monet divus Paulus, meam adolescentiam, quam tanto collocato beneficio senili prudentiæ parem declaravit Vestra Sanctitas, possit contemnere. Denique tantum studium catholicæ religioni et Romanæ me promitto navaturum, ut nullus tam impudens obtrectator sit futurus, qui me a meis majoribus animos degeneres gerere mihi objicere audeat. Omnes mei superiores, ne uno quidem excepto, in religionis et reipublicæ patrocinio sunt immortui: aliud fati genus a divina providentia mihi dari minime desidero. Atque ne ex annalibus majorum meorum memoriam longe repetere videar, dicam Patrem nostris temporibus pro aris et focis, pro Sedis Romanæ securitate et gloria vitam profudisse, Patruos vero omnes in idem periculum atque vitæ discrimen sese conjecisse, sed alios in ipso Martio furore et ardore bellico occubuisse, alios paulo post ex diuturno bello et lassitudine contracto morbo occubuisse et tranquilliorem vitæ periodum habuisse, reliquos etiam, qui pium et religiosum vitæ genus et ingressi et secuti fuerant, diem extremum in religionis et reipublicæ tuitione et defensione terminasse. Atque ex tanto patruorum numero unus Cardinalis a Guisia adhuc supererat, qui pridie Paschæ debilitatus curis atque fractus sollicitudinibus, pro causa religionis et statu Regni susceptis, e vivis excedens, ad superos Pascha cum cœlestibus turmis celebraturus convolavit, et vitam hanc caducam et miseram eum immortali et beata diuturno cruciatus morbo commutavit. Cujus morbi longitudinem dum mecum tacitus considero, eum ex hac vitæ statione prius noluisse discedere intelligo, quam me, nepotem suum, in sanctum Cardinalium collegium cooptatum cerneret, ne si ante hunc felicem nuntium fato concederet, Cardinalatus dignitate privatam et orbatam nostram familiam relinqueret. Simul atque etenim me a V. Sanctitate et nominatum et creatum Cardinalem audivit, paucis diebus interpositis, quos in novi honoris gratulatione consumpsit, ad cœlestem illam Hierusalem lubentissime præparavit. Divino igitur quodam consilio factum est, ut me Vestra Sanctitas atque sacratissimum Cardinalium Collegium in suam familiam proximis elapsis jejuniis sacris cooptaverit, ne vel ille diuturnioris morbi cruciatus tolleraret, vel hanc vitam ægre, nullum suæ dignitatis et nominis hæredem relinquens, desereret. Quamobrem Vestra Sanctitas, Pater Beatissime, non immerito commercium atque consuetudinem cum Deo habere creditur, qui morbum patrui felici nuncio sublevaris: languentem miseratus fueris, et nostræ familiæ honori pariter consulueris. Ego quidem gratiam referre non possum, habeo tamen tantam, quantam maximam animus capere potest meus, atque eam Sanctitati Vestræ perpetuo obedientiam polliceor, quam bene natus et egregie institutus filius tenetur Patri præstare, neque unquam religionis promovendæ, reipublicæ juvandæ, Sedis Apostolicæ et Romanæ defendendæ occasionem prætermittam, ut majorum meorum sequendo vestigia Vestræ sanctæ voluntati re-

apondeam, atque totius Ecclesiæ honori et utilitati publicæ consulam. Deus Optimus Max. Beatitudinem V. nobis et Ecclesiæ suæ sanctæ ad multos annos servet incolumen. Lutetiæ Parisiorum die octava mensis Aprilis MDLXXVIII.

Ejusdem Sanctitatis Vestræ

Humillimus et addictissimus Servitor
et Creatura
Ludovicus Cardinalis a Guisia.

En litteras Caroli Vodemontani item a Guisin. [*]

[*] Gallia Vol. 13. fol. 199.

Sanctissime mi Pater.

Post beatorum pedum oscula humillima.

« Quod superioribus paschalibus pridie ejus dici dominicæ, in qua candidati christianæ religionis sacro fonte abluti, vestem candidam olim deponere solebant, fuerat inchoatum de mea in sacrum purpuratorum patrum collegium institutione ad bireti susceptionem: id hodierno die, quo galero Cardinalitio donatus sum Nancii, præsente Principe meo, magnoque nobilium concursu et Ecclesiæ frequentia, feliciter esse perfectum beneficio divino singularique vestro, et vehementer gaudeo et gratias, quantas maximas animus capere potest, et ago et habeo Sanctitati Vestræ. Tanta enim est hac in re Sanctæ Sedis Apostolicæ in me declarata voluntas, ut nisi celeriter re de me perfecta non conquieverit, additis supra consuetudinem singularis gratiæ tam multis argumentis et inditiis, ut, si sigillatim ea coner verbis enumerando recensere, amens sim: qui ne ea quidem animo complecti queam. Unus igitur ego ex omnibus sacri Collegii devinctissimus Neophytus dabo operam, quantam maximam potero, ut quod coram Deo, Angelis ejus et Apostolicæ Sedis hoc in negotio Legatis sancte promisi, hoc opere implere ut possim, et ei expectationi, quam de me concepisti, respondere præstante Domino, quem omnibus votis obsecro, ut Sanctitatem Vestram quam beatissimam quam diutissime salvam et integram conservet.

Datum Nancii in Lotharingia 19. Junii 1578.

Humillimus Sanctitatis Vestræ servus
Carolus Cardinalis Vodemontanus.

LVIII. Gregorius Antonio Mariæ Salviato in Apostolici Nuntii munere Anselmum Dandinum successorem dedit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 180. f. 419.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Fecimus nostrum et Sedis Apostolicæ Nuncium ordinarium apud Majestatem Tuam dilectum filium Anselmum Dandinum, Prothonotarium Apostolicum et utriusque nostræ Signaturæ Referendarium, virum prudentia et fide spectatissima, mittimusque eum successorem venerabili fratri Antonio Mariæ Episcopo sancti Papuli, cujus in eodem munere diuturna fidelissimaque opera usi sumus. Gratissimum Nobis faciet Majestas Tua, si hunc ea, qua semper Nuncios nostros consuevit, humanitate amplectetur, omnibusque in rebus, de quibus tum hoc tempore, tum in posterum tecum aget nostro nomine, eum libenter audieris, non minoremque ipsius verbis, quam nostris fidem tribueris. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Martii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LIX. — Rex tanto viro se privari gravate tulit; eumque in Urbem redeuntem Pontifici enixe commendavit [*]: lubenti tamen animo excepit Dandinum et Biragum in regno Galliarum Cancellarii nepotem. Hunc Gregorius non ita pridem ad Regem miserat, ut cum eo de amicitia et fœdere inter ipsum et Regem Catholicum servando ageret; eumque præterea cohortatur, ut a pravo seditiosos Belgas juvandi consilio fratrem suum avocaret [*]. Catharina etiam Medicea nomine filii regis Episcopum designatum Vaurensem, Magnum Priorem Alverniæ, et Paulum Fuxium Pontifici denuo commendavit. [*]

[*] Monumenta document. N. 108.

[*] Ibidem N. 103.

[*] Ibidem N. 110.

LX. — Rex, ut arctius præstantissimos quosque viros sibi devinciret, novum equestrem ordinem instituit, cui gravibus editis legibus assignatisque redditibus ac pensionibus, nomen Spiritus Sancti dedit; primaque anni die ejusdem institutionem solemnibus cæremoniis celebravit. Verum cum ab initio ex opulentioribus cœnobiis, vectigalibus demptis, commendas totidem ereare instituisset, hi novi Equites Commendatorum nomine ornari placuit. Quod Henricus nullo fortasse negotio ab Pontifice impetrari posse sibi persuadebat, ob eam causam, quod hic ordo non ad clandestinas solum adversus regiam domum ac Rempublicam coitiones et conjurationes comprimendas, sed etiam ad religionis Catholicæ causam contra vim defendendam institutus fuisset: in quæ omnia ipsi Equites sacramentum dicere deberent. Quamobrem rex Gregorium XIV. Kal. Novembres, iterum XII. Kal. Decembres orabat [*], ut novum ordinem auctoritate Apostolica confirmaret, erectionemque Commendarum approbaret. Gregorius facilis de novo ordine auctoritate sua firmando assensus Regi est: verumtamen erectionem Commendarum ex Ecclesiæ redditibus omnino rejecit. Quare hæc Regi scripsit. [*]

[*] Ibidem N. 111.

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 180. f. 127.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex venerabili fratre Episcopo Genevensi, viro præstanti pietate, doctrina, fide prædito, quem ad Majestatem tuam mittimus, fusius cognosces, quæ causæ, quamque graves efficiant, ut non possimus satisfacere Majestati tuæ omnibus in rebus, quas

postulabas per eas literas, quas attulit dilectus filius Comes Lancosme, super novo ordine Sancti Spiritus constituendo. Sic autem erede, nihil Nobis molestius aecidere, quam cum Tuæ Majestati omni ex parte gratificari non possumus. Quia vero nostram perpetuam et paternam erga te voluntatem tibi perspectam esse non dubitamus, narrabitque omnia singillatim Episcopus, longiores non sumus. Cupimus, ut eandem ipsius Episcopi verbis fidem tribuas, quam nostris tribueres. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Decembris, millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno Septimo.

Rex nihilominus Ordinem quam maxima pompa in primis Vesperis pridie Kal. Januarii inauguravit. Dandinus autem Nuntius Apostolicus, quamvis a Rege sæpius accersitus, iis cæremoniis interesse noluit, causatus, ut ipse narrat [*], quod cum pontificium diploma de ejus Ordinis confirmatione nondum accepisset, ignoraret, utrum Pontifex eum approbaverit.

[*] Mantissa document. N. 112.

LXI. — Celebratissimam Bibliothecam Patrum, quæ a Margarino Binio Doctore Sorbonæ anno MDLXXV. inchoata, octo voluminibus absoluta hoc anno prodiit, nonnulli obtrectatores et sacrarum litterarum imperiti apud Pontificem criminabantur, ut opus intempestivum, atque adeo non parum Ecclesiæ nociturum. Quapropter doctissimus hic vir, qui omnium primus viam hanc arduam straverat, eo consilio, ut editis in lucem geminis scriptorum Ecclesiasticorum, qui primis sæculis floruerunt, operibus vesana hæreticorum dogmata, qui præfraete admodum eorum opera mutilare et corrumpere solerent, refelleret, apud Pontificem suam causam egisse per has litteras Datario significat. [*]

[*] Litt. ad Nuntios Vol. 22 fol 61.

Reverendissime Domine.

« Quoniam a me certior fieri voluisti de sententia quarundam literarum, quas D. Capellus oravit te, ut offerres Sanctitati Domini Nostri Papæ, ut cognovi ex primo articulo literarum tuarum datarum XXIII. Februarii, quas mecum communicavit, cogitavi ad te mittere exemplum dictarum literarum ad Sanctissimum Dominum datarum: quas si legere dignaberis, spero tibi satisfactum iri. Nihil enim mihi videor prætermisisse eorum, quæ dicerem, si ad pedes essem Sanctitatis ejus ad justificandum opus meum: cujus protectionem oro te suppliciter, ut suscipias in favorem bonarum literarum et artium, et credas, quod nec D. Sonnius, qui dictum librum magno sumptu imprimi fecit, et cum exigua spe, nec ego quicquam in eo scriptum vellemus, quod ullum scandalum Ecclesiæ Dei afferret, cujus præ cæteris rebus omnibus ædificationem et incrementum desidero. Deus te conservet incolumem. Lutetiæ Parisiorum in Collegio Sorbonæ XX. Martii MDLXXVIII.

Humillimus et obedientissimus servus tuus

M. DE LA BIGNA.

LXII. — Dum Gallia pace fruitur, res Avenionenses ob diuturnas Hugonottorum Delphinatus et Occitaniæ molitiones perturbatissimo in statu erant. Pontifex recuperationem Castri Minervæ, ab Hugonottis vi et fraude erepti, per Priorem Galliæ urgebat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI ep. 163. f. 137.

Dilecto Filio Nobili Viro Priori Galliæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem etc. Omnia Nobis pollicetur insignis pietas tua, inque nostris atque hujus sanctæ Sedis rebus studium spectatissimum; certumque habemus, quidquid moræ, quidquid difficultatis affertur in Minerva recuperanda, quidquid opis hostibus tribuitur, id totum non modo insciente te fieri, sed etiam improbante. Satis igitur erit rem Tuæ Nobilitati indicare. Accepimus Costenses et Loroacinenses commeatum Minervam inferre, sicque obsessos juvare; putes id pro imperio prohibere: qua de re nostri cum Tua Nobilitate egerunt; si jam providisti, quod quidem speramus, gratias agimus; si quid obstitit, hoc tantum te scire volumus, tam hoc Nobis cordi esse, ut nihil magis esse possit, quo etiam gratior erit Nobis tua in hac re cura et diligentia. Rogamus igitur, ut eam quam commendatissimam habeas, neque patiaris, nostros Catholicæque Ecclesiæ hostes ab iis, quibus imperas, juvari. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Febr. MDLXXVIII. Pont. Nostri anno sexto.

LXIII. — Ad irritum omnino cecidere omnes conatus Cardinalis Arminiaci et ipsius Grimaldi, qui Venusinorum terram regebat, ut Hugonottos ad saniorem mentem revocarent. Illi enim sub fine Januarii mensis Nionam Deputatos suos miserant, qui cum his de restitutione Minervæ agerent: [*] sed nihil impetratum est. Belleguarda autem Galliæ Marescallus et Occitaniæ Præfectus incredibilem hac in re Hugonottis perfidiam qua verbis, qua acribus ad Ladisgerium eorum caput litteris missis exprobrabat; eosque ad concordiam et ad oppida, quæ violata publica fide in sua potestate retinebant, restituenda cohortabatur. [*] Idem etiam faciebat ipse Rex Navarræ, ut Cardinalis Arminiacus nunciat [*] et ipsius litteræ ad Galliarum Regem et Deputatos Avenionenses datæ testantur. [*]

[*] Mantissa document. N. 113.
[*] Ibidem N. 114.
[*] Ibidem N. 115.
[*] Ibidem N. 116.

LXIV. — Avenionenses itaque et Venusini, afflictis suis rebus, ad Gregorium confugerunt; eique per legatos, quæ agenda sibi videantur, ut firma ac perduratura pax reflorescere possit, exponunt. [*] Sufficiat Venusinorum litteras proferre. [*]

[*] Ibidem N. 117.
[*] Avignone Vol. 7. fol. 186.

Sanctissimo Domino Nostro Domino Gregorio Papæ XIII.

Beatissime Pater, post devota beatissimorum pedum oscula.

« Mittitur nunc ad Sanctitatem Vestram hic noster, publico a nobis habito conventu, destinatus ex Illustri illa Sadoletorum familia nuntius, (una cum Capitaneo Petro Ravanello cive et Consule Insulensi) Sanctitatis Vestræ vassallus, qui ea, qua præditi sunt, fide et integritate, Beatitudini Vestræ, tanquam communi totius Christianæ Ecclesiæ Parenti, Supremoque nostro ac Clementissimo Principi, hujusce suæ tantopere a multis annis afflictæ et exagitatæ, penitusque exhaustæ provinciæ miserrimum statum exponant; quique gravissimam ejus paupertatem, ingentes calamitates, deplorandamque quasi rerum omnium penuriam, ac summas extremasque, quibus nunc premitur, et fere jam opprimitur, angustias referant et repræsentent, quo tandem Sanctitas Vestra his acerbissimis et tam diuturnis malis solita illa sua sublimi providentia occurrat, suoque illo paterno, quem erga nos fidelissimos suos subditos semper gerere solita est, affectu prospiciat, suaque benignitate et clementia, quæ Beatitudini Vestræ videbuntur, necessaria et opportuna remedia adhibeat. Qua in re, quamvis multoties jam experti sumus, quanta nos charitate Beatitudo Vestra semper prosecuta sit, quanto et quam impenso animi studio Sancta hæc Sedes Apostolica inter acerbissima hæc civilium controversiarum et hæresis, quæ per universam Galliam (cujus visceribus includimur) a tot annis grassantur, incendia non tantum amplexa, sed etiam optime et accuratissime tutata sit, non est quod Sanctitas Vestra existimet, nos levitate aliqua, aut aliquo parum grati parumque memoris animi affectu ad hanc legationem Beatitudini Vestræ destinandam ductos fuisse. Præsertim cum non ignoremus, quam magnos quamque graves ac vix ferendos sumptus nostri causa hæc Sanctissima Sedes a pluribus annis fecerit et sustinuerit, et cum negare non possimus, tum de fide erga Deum deque debito Principi, tam bene de nobis merito, obsequio, ac de omnium nostrum salute et fortunis agatur, nostro præcipue incumbere offitio, non modo facultates omnes nostras hac de causa exponere, sed etiam quodvis vitæ periculum lubentissime adire. Etenim nisi Beatitudini Vestræ cognitum et satis compertum esse sciremus, fortunas omnes nostras tam sæpe naufragium passas, et continuis his belli calamitatibus ita consumptas, nosque et liberos nostros, qui ex tanto incendio superstites remansimus, in summum vitæ discrimen tam sæpe jam adductos fuisse, ut mirum cuique esse debeat, quonam pacto in tantis his angustiis et ærumnis, ac in tantis perturbationum fluctibus, in quibus jamdiu versamur, non modo vitam vivere, sed nec respirare possimus, ad Beatitudinem Vestram hanc legationem instituere nunquam ausi fuissemus, neque ullatenus illi molesti esse. Si quidem Beatitudinem Vestram minime latere scimus, moris et consuetudinis nostræ esse ad hanc Sanctissimam Sedem non prius recurrere, nec ab ea necessaria subsidia postulare, nisi cum exhaustas nostras facultates, vires omnes fere consumptas, nosque penitus exangues sentimus et agnoscimus. Supplices igitur nunc summa penuria pressi, et extrema adacti necessitate, ad Beatitudinis Vestræ pedes prostrati venire cogimur, ab ea impetraturi, ut æqui bonique omnia, quæ ab his nostris nuntiis, viris sane nobilibus et integerrimis, Beatitudini Vestræ exponentur, consulat. Et postquam hujus suæ fidelissimæ ac devotissimæ provinciæ statum ab eis bene perspectum et cognitum, viriumque nostrarum summam imbecillitatem vere probatam et exploratam habuerit, quid deinde nobis faciendum, quid denique prestandum sit, quo nos in Sacrosanctæ Ecclesiæ gremio retinere, et in hujusce Sanctissimæ Sedis Apostolicæ et Beatitudinis Vestræ fide et cultu perpetuo (ut nobis plane statutum est) conservare possimus, mandet et jubet. Quandoquidem cuivis a Beatitudine Vestra imposito oneri potius succumbere, ac quodvis vitæ et rerum omnium, quæ supersunt, discrimen subire parati sumus, quam dicto Sanctitatis Vestræ (ut par est) non audientes esse, vel ad quævis ejus jussa et mandata minime promptos nos et paratos præstare. Conservet Beatitudinem Vestram Summus rerum omnium opifex diu multumque nobis ac Christiano orbi felicem et prosperam. Carpentorati sexta Aprilis MDLXXVIII.

Fidelissimi et devotissimi Sanctitatis Vestræ
Subditi et Servi
CONSULES ET ELECTI PATRIÆ VESTRÆ
COMITATUS VENAISSINI.

LXV. — Gregorius legatos liberalissimis prosequutus verbis nova subsidia ad obsidendam Minervam misit, et Avenionenses a nonnullis publicis oneribus solvit, ut eo alacrius rem sibi demandatam aggrederentur. Belleguardæ autem Marescalli optimam in res Avenionenses voluntatem amplis fert laudibus. [*] [*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 30. f. 18.

Dilecto Filio Nobili Viro Marescallo Belleguardiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Multum Nos Tuæ Nobilitati debere profitemur, sed quidquid possimus, nihil plane est præ iis præmiis, quæ sunt tuæ pietati a Deo reposita. Sic enim ex nostris Avenionensium rerum Ministris cognovimus, summa voluntate obtulisse te nostris subsidio venire, militum etiam auxilia adducere pollicitum esse, siquidem hostes, quod facere minati sunt, conabuntur Minervæ recuperationem impedire.

Est sane hæc voluntas digna tua præstanti et perpetua pietate et laude in Sedis Apostolicæ rebus atque amplitudine tuenda, quam quidem pietatem hoc ipso die, quo Petri et Pauli martyrium celebramus, eisdem Sanctissimis Apostolis commendamus, oramusque eos, ut eam offerant Domino Deo Nostro Jesu Christo, proque ea impetreut ab ejus benignitate Nobilitati Tuæ omnem tum in hac, tum in futura vita felicitatem. Acquiescimus in hac tua optima voluntate et promisso, nec dubitamus, quin uti a nostris rogatus fueris, præsto futurus sis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Junii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXVI. — Tandem factum est, ut pacis negotium, in qua etiam Minervæ restitutio continebatur, absolveretur, instante in primis per Legatum ad Minervenses Navarræ Rege. [*] Qua in re etiam Henricus Galliarum Rex Cardinali Arminiaco, nihil se ad sedulitatem reliquum facturum, qood votis Pontificis satisfieret, profitebatur. [*] Minervenses igitur ad pacis conditiones, quæ Deputati Avenionensium et Hugonottorum inter se stipulati sunt, animos inclinaverunt; Minervamque IV. Idus Decembres Pontifici restituerunt. Cardinalis Arminiacus, Episcopi Carpentoractensis, Cabillonensis et Vasionensis, cumque his Pertius Avenionensium Nemausii Deputatus Pontificem de tam felici eventu certiorem fecerunt. [*]

[*] Mantissa document. N. 118.

[*] Ibidem N. 119.

[*] Ibidem N. 120.

LXVII. — Illud enimvero percommodum accidit, ut cum illi Episcopi Avenione mense Julio cum Cardinali Arminiaco de rebus publicis deliberarent, quod e religionis usu esset, inter se colloquerentur. Ut igitur sacrarum litterarum inscitiæ et corruptis moribus Clericorum prospiceretur, omnibus idem visum: exorandum esse Pontificem, ut Avenione commune Seminarium erigeretur, quo juvenes ex quatuor illis diœcesibus, in quas Provincia Avenionensis dividitur, sacris ordinibus in spem sacerdotii initiandi humanis divinisque litteris sub patrum Soc. Jesu disciplina imbuerentur, atque ad bonos mores informarentur. Ad quod celerius efficiendum Gregorio supplicant, ut eis liceat quædam beneficia ecclesiastica illarum diœcesium Seminario condendo juvenibusque alendis addicere. [*]

[*] Ibidem N. 121.

LXVIII. — Vicina Arausicana diœcesis continuis plurimisque molestiis opprimebatur. Commiserandæ plane sunt, cientque lacrymas Arausionensis Episcopi litteræ ad Pontificem datæ. [*]

[*] Avignone Vol. 7. fol. 98.

Beatissime Pater.

« Scripseram jam diu ad Vestram Sanctitatem literas, quibus obnixe deprecabar, ut labanti et ruenti Civitati Auraicensi præcipuæ cum aliis multis Diœcesis mihi commissæ succurreret. Et plane eam expertus fui in Ecclesiam pietatem, et in me mansuetudinem, ut majorem desiderare non potuissem; accepi enim inter alia benignitatis Vestræ monumenta rescriptum ad magistrum equitum Dampvillianum, quo ille sui officii pie admonebatur: jam gratias Deo Optimo Maximo agebam maximas, quasi divinum officium illis urbibus restitutum fuisset; sperabam enim eum non alio futurum animo, quam ut Vestræ Sanctitati obsequeretur: spem auxit reverentia, qua ille usus est in acceptione Vestrarum literarum, auxit et alacritas animi, quam in ipsius vultu legebam, auxit pollicitatio, quam statim emisit, se nimirum omnes animi vires impensurum, ut Sanctitati Vestræ obtemperaret. Sed quid actum postea? me in dies spe vana lactat, modo unum, modo aliud comminiscens impedimentum, differt quantum potest, annus elabitur integer, cum nullam amplius obstaculi potest prætexere causam, se nullam ea de re a Principe habere facultatem, eam unam exceptam fuisse in libera sua administratione profitetur. Quod cum intellexi, tanto fui affectus mœrore, ut nec quid dicerem, nec quid agerem scirem, qui eo gravior erat, quo certo sciebam inter alia, quæ a Principe mandata acceperat, istud potissimum fuisse, ut Ecclesiasticos restitueret. Sed quid egissem ea in re? desperabam fere, nec ullum fore tantis malis remedium arbitrabar. Languebam igitur, ac contristabar maxime, cum his natalitiis festis, dum Caderossiæ essem, (in quam me contuleram, ut cum propinquior esset Auraicæ, gregi consulerem a V. Sanctitate mihi commisso, etsi maximo cum vitæ discrimine ob itinerum difficultatem) longe majorem nactus fui mœrendi causam; ecce miserandam civium Auraicensium multitudinem, conqueruntur suas vires, deplorant infelicitatem, lugent miserias, quibus quotidie opprimuntur, ac tanto cum impetu dolorem exprimunt, ut nec ipse continere potuerim, quin cum ipsis lachrymas effunderem plurimas, mutuo luctu, mutuisque lacrymis nos consolantes. Quid enim aliud potueram facere? Videbam hæreticorum pestem adeo sævire per totum Principatum, ut quantumvis multi essent Catholici, tamen ni Deus eorum misereretur, brevi ejus veneno ob Ecclesiasticorum absentiam infectos fore verendum esset. Videbam multos in supremo mortis articulo nulla confessione facta ad inferos, o miseriam! demergi. Videbam infantes, dum alio ut baptizentur transportantur, in ipso medio itinere, dum aut frigore aut calore premuntur, misere, o tempora calamitatum! mori. Videbam omnes Catholicos velut servos captivosque miserande a belluis illis ferocissimis opprimi. Sed languentem ac dimissum animum erexit, dum vestram infinitam mansuetudinem mente subii. Eos igitur consolatus fui ac pollicitus, me omnes ingenii nervos intenturum, ut a tanta calamitate eripe-

rentur, eorum oculis Vestram benignitatem subjeci, eam nihil prætermissurum quod profuturum animarum saluti sit, repromisi. Quapropter V. Sanctitatem deprecor, ut miserandi illius gregis misereatur, ut in se hoc totum onus, quando mea infirmitas aliud præstare non potest, suscipiat, ut literas dignetur dare ad Regem Francorum, qui cum Principe Auraicensi de Ecclesiasticorum restitutione acturus sit, ad Vestrum etiam Nuntium in Francia degentem, ut Regem solicite admoneat; nec enim solum civitati Auraiacensi consuletur, sed etiam toti Comitatui: cum enim Principatus in medio sit Comitatus, maxime timendum est, ne illum suo veneno inficiat. Doleo equidem, me his literis V. Sanctitatem vexare: sed ea est rei necessitas, ut cogar eam ab aliis gravissimis negotiis his impolitis literis interpellare: ea est præterea Vestra humanitas, ut omnia boni consultura sit. Quam ut saluti tot animarum consulat, rursus obnixe V. Sanctitatis pedes humiliter deosculando obsecro: tanti tamque immortalis beneficii causa Deum assiduis precibus pro vestra salute exorabimus, qui te Christiano urbi diuturnum sanumque conservet. Datum Avinioni die 23. Januarii 1578.

Tuus humilis orator ad omnia
obsequentissimus
JOANNES DE TULLIA EPISC. AURAICENSIS.

LXIX. — Cataloniæ in Hispania Præfectus, suam provinciam incolentium nomine gratias agit Pontifici quam maximas ob constitutionem ab eo latam, qua reprobatæ fuerant leges et consuetudines, quibus in ea provincia licebat incolis, et nobilibus præsertim inter se dimicare, et simultates exercere. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 33. fol. 122.

Beatissime Pater.

« Publicata fuit in hoc Principatu Cathaloniæ Constitutio per Sanctitatem Vestram edita, qua explosæ et abrogatæ fuerunt leges omnes et consuetudines, quibus in hac provincia licebat incolis et nobilibus impune bella inter se gerere, simultates atque odia immortalia exercere, profiteri et renovare, quarum permissu infinita propemodum hominum corpora et animæ (nisi exuberans divina gratia eas prævenit) in ipsis conflictibus, qua tempore magis iracundia ebulliebant, corde vindictam et sanguinem sitiebant, in ipsis denique peccatis perierunt. Felicissimus sane ac fortunatissimus dies Cathalanis omnibus illuxit, quo tanto ac tam insperato bono a Deo Optimo Maximo revelato, Sanctitatis V. prædicto divino remedio donati et beati fuerunt. Licet autem malignus humani generis hostis, animos prædictorum incolarum et nobilium falsis suggestionibus sub vano quodam prætextu tuendi honoris, et sumendæ vindictæ assuetudine quadam peccandi efferasset; in præsentiarum vero, apertis per Sanctitatem Vestram fallacis et callidi dæmonis insidiis ac diabolicæ legis laqueis contritis, aperti sunt etiam oculi, et tamquam a profundo peccatorum somno excitati, apertissime pluribus sæculis divina gratia nudatos se et destitutos fuisse contemplantur, et non sine lachrimis tot annorum centuriis sub ducatu Sathanæ, illiusque detestandis legibus pugnasse vere pœnitent, dolent, et ingemiscunt. Quamobrem merito ingrati nota inurendus essem, nisi pro tot beneficiis omnibus Cathalanis illatis (quorum gubernandarum provincia, absente Locumtenente Generali, ab Invictissimo Philippo Hispaniarum Rege mihi delegata est) omnium nomine quales possem gratias agerem. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Sanctitas V. per plures et longævos annos Principatum Cathaloniæ, beneficio et providentia Sanctitatis Vestræ, pacatum et quietum et pacificum sentiat, et in æterna requie tam sanctæ et christianæ legis retributionem et fructum centuplum consequatur. Cæterum ut nihil aliud desiderari possit, hoc unum superest, ut Sanctitatem V. certiorem faciam post pervulgatam prædictam salutiferam Sanctitatis V. Constitutionem, incolas hujus Principatus longe animosiores redditos esse adversus latrones et perditos homines, quorum aliqui tamquam reliquiæ ac semina factionum et bandositatum antiquarum adhuc supersunt, et catervatim per præsentem Principatum Cathaloniæ vagantur, homicidia, latrocinia et alia scelera perpetrando. Quorum plures cohortes post publicationem Constitutionis Sanctitatis V. ab agricolis et aliquot nobilibus præsentis Principatus invasæ, dimicando profligatæ, ac tandem expugnatæ, dignas suorum scelerum pœnas persolverunt. Quibus cum sine internicione resisti non possit, sæpissime contingit aliquos ex iis, qui regiis Officialibus assistunt, dum præfatos latrones et grassatores insequuntur, ictibus sclopорum in ipsa pugna confossos occumbere, quos dolendum est subitanea morte pro Rege, pro Patria et bono publico pugnantes interire. Quapropter Sanctitatem Vestram humillime et ex intimis visceribus deprecor ac supplico, ut animarum eorum, qui spe consequendæ pacis prædictos grassatores, Majestatis Philippi Hispaniarum Regis inimicos, a Sanctitate Vestra maledictos et anathematis mucrone percussos, aggrediuntur, fugant et persequuntur, misereseat, eisque casu, quo in ipso conflictu interimantur, facta per eos aliqua præparatione, prout Sanctitas Vestra præscribendum duxerit, peccatorum suorum veniam et remissionem concedere dignetur. Quod si Sanctitati Vestræ obsistente aliqua causa (quæ prorsus me latet) aliter visum fuerit, condonabit mihi Sanctitas Vestra hunc licentiorem zelum, quo et interitum dictorum grassatorum exopto, et salutem animarum eos

persequentium lucrifacere satago. Barcinonæ die 14. mensis Maji 1578.

Sanctitatis Vestræ

Devotus Orator, qui pedes Sanctitatis V. humiliter osculatur,

Don Petrus A Cardova

Gubernator Cathaloniæ.

LXX. — Episcopo Pacensi, quem Rex Catholicus propter ejus in rebus agendis dexteritatem summamque prudentiam in secretius suum consilium adlegerat, regnique administrationi præfecerat, Gregorius gratulatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 66. f. 11.

Venerabili Fratri Joanni Episcopo Pacensi, Præsidi.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis Fraternitatis Tuæ cognovimus de consilio Charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Catholici in te præficiendo suis Regnis, idque vehementer laudamus, munusque istud gravissimum et honorificentissimum tuæ integritati, prudentiæ, doctrinæ merito ab ejus Majestate delatum judicavimus. Deumque oramus, ut Tuæ Fraternitati in omnibus consiliis, atque actionibus adsit sua gratia, eaque omnia dirigat ad sui nominis gloriam, ad Regnorum istorum tranquillitatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXI. — Idem hortatur Catholicos Principes, ac in primis Italos, ut Sebastiano Lusitaniæ Regi, juvenili ardore bellum contra Saracenos Afros aggresso, consilio atque opibus præsto esse velint. En litteræ ad Januenses. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. Anno VI. ep. 133. f. 419.

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci et Gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii Nobiles viri salutem etc. Charissimus filius noster Sebastianus Portugalliæ Rex necesse habet eas, quas comparavit, Italorum ac Germanorum copias in Africam traducere, rogamus Nobilitates Vestras, quantum possumus, ut velint iis per vestros fines transitum dare, honestoque pretio exercitum ipsum commeatu, cæterisque rebus necessariis juvare. Erit hoc tum Regi, tum Nobis gratissimum, vestraque pietate dignissimum: omnis enim hic Regis conatus, et labor suscipitur Dei ipsius gloriæ, et Catholicæ Religionis dignitatis atque amplitudinis causa, quam quidem vobis summopere cordi esse certissimum habemus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ultima Januarii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXII. — Joannes Brugantiæ Dux, qui huic bello non parum contulit, misso Joanne Tovario, viro tum nobilitate tum pietate spectabili, ad eos Principes officio prosequendos, quibus esset cum Maria Principe Parmensi demortua aliqua affinitatis necessitudo, supplex ipse Pontificem adiit, quasdam spirituales gratias ad suam suorumque pietatem excitandam obsecraturus. (*)

(*) Lit. Principum Vol. 34. fol. 202.

Beatissimo Patri ac Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifici Optimo Maximo.

Beatissime Pater.

« D. Joannes Dux Brigantiæ et Barcellorum, Marquio Villæ Vicosæ, Comes Ourensis oppidi atque Arraiolorum, Dominus Montis Fortis et Montis Alaeris, notum facio Sanctitati tuæ, ut filius, qui sum et tibi et Sedi Apostolicæ obedientissimus, Joannem Tovarium, claris majorum suorum stemmatibus, et virtute propria virum ex meis nobilissimum, a me isthuc missum eorum Principum visendorum gratia, quotquot Dñæ Mariæ Principis Parmæ obitu erant nobis tali officio prosequendi. Cui, ut ipse primum omnium sacros pedes Beatitudinis tuæ deoscularetur, mandavimus, ac pariter referret mirificum meum in te amorem et studium, quo flagramus, usque inserviendi Sanctitati tuæ. Quod quo facilius perfici possit, et ego pariter intelligam nostri hujus Legati interventu, quas res potissimum præstare debeam, ut omni officio ac pietate erga te meis votis, ac debitæ obligationi quoquo modo satisfaciam, a te peto et quæso deosculando primum pedes sacros tuæ Sanctitatis, quanta maxima animi submissione possum, ut eum benigne audire, eique in omnibus, quæcumque tibi retulerit, integram fidem habere velis: tum præterea eas gratias ac beneficia mihi digneris concedere, quæ ille idem ex me in mandatis habet, ut petat a Sanctitate tua. Nec est sane minima spes mea, fore, ut fiam voti compos tum singulari virtute et liberalitate tua, (quam egomet mihi jam toties sum expertus) tum pia hac affectione animi mei, atque eo fine, quem mihi propono in expetendo tantopere, quæ abs te petimus: scilicet hæc nostra mens est, hic scopus, ut pientissime colatur Deus Opt. Max., atque ut in sacello nostro divina officia celebrentur tanta ac tali veneratione, quanta et qualis decet augustissimum Numen. Porro quanquam eorum omnium, quæ Joannes Tovarius a Sanctitate tua ex me petiturus est, illud sit vel maximum et quam maxime in hoc genere commune, ut mihi atque item ex æquo omnibus, qui Domina Maria Parmensi Principe vel jure affinitatis, vel ratione sanguinis habemus commune genus, quanquam, inquam, hoc sit maxime præcipuum in his litteris et supplicatione nostra, ut det tua Sanctitas nobis omnibus illud beneficii ac muneris, ad se uti recipiat ejus liberos: tamen cum hæc mihi obligatio quasi sit propria causa nostri generis, quoad eam nemo me uno propius accedebat, visum est mihi non prætermitten-

dum, ejus ipsius hoc loco privatim meminisse. Proinde quæcunque in Principem hanc nostram jam fato functam beneficia contuleris, Beatissime Pater, eorum omnium vel maximam partem nobis, et nostræ huic domui contulisse te, tecum cogites te oro. Adeo enim mihi animum addit tua bona voluntas atque animus, quem semper erga me ad res meas omni favore prosequendas ostendisti, ut certo credam, cum non fuerit id ignotum tibi, persuasum iri te, ut D. Mariæ defunctæ plurimum faveas, desque magis digna te, quam nostris meritis beneficia. Quare Deum Opt. Max. cuncti precabimur (id quod in nostra capella perpetuum est, sacro privato) conservet ac tueatur pro sua clementia vitam Beatitudinis tuæ diu incolumem et salvam prosperet, ac sarta tecta felicitate beet, et gaudiis cumulet tot ac tantis, quot et quanta solus ille dare potest, præterea nemo. Bene valeat Beatitudo tua in multa sæcula quam felicissime. Ex Villa Vicosa tertio idus Januarias anno 1578.

Osculor pedes Sanctitatis Tuæ

Ho Duque.

Quæ petiit, Gregorius ei elargitus est, ob ejus quidem pietatem, quam laudibus prosequitur, ac curam mittendi ad bellum Africanum filium natu majorem, adhuc tamen adolescentem, ut Regi opem ferat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 97. f. 63.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Duci Brigantiæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Joannes Tovarius, quem Parmam miseras, venit ad Nos cum literis et mandatis Nobilitatis Tuæ; vidimus, audivimusque eum libentissime, fuitque hoc testimonium tuæ perpetuæ erga Nos, Sanctamque hanc Sedem observantiæ et devotionis Nobis gratissimum. Dedimus igitur ei has literas, eamque, quam ascribimus, salutem et benedictionem Nobilitati Tuæ, tuisque omnibus a Domino precamur. De liberis Mariæ Parmæ Principis sic pollicemur, fore eos semper Nobis commendatissimos. Quæ per Joannem postulasti, nihil negavimus, quoad Nos facere posse intelligeremus; sic enim postulat virtus tua, nosterque paternus in te amor, profectus ab ea pietate, quæ semper in te singularis fuit erga Christianam Rempublicam, quæ etiam in præsenti bello Africano sese facile ostendit, cui quoniam ipse non poteras interesse, eamque, quam semper Regi et Deo præstitisti, operam navare, misisti eo filium majorem illum quidem natu, sed adhuc adolescentem firma militum manu, cæterisque rebus ad pugnam necessariis instruendum. Hæc enim omnia magna cum voluptate cognovimus. Oramus Divinam bonitatem, ut hanc tuam pietatem remuneretur omni felicitate, teque, tuosque omnes amplectatur foveatque semper. Cætera ex Joanne ipso cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Augusti MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXIII.—Nunquam vero satis deplorandum incommodum, quod ex eo bello tum christiana respublica accepit. Sebastianus namque præstantissimus et pietate et militari virtute Rex, florenti ætate juvenis, (nondum vigesimum quartum exegerat annum) matrimonio expers apud Alcacer Quibir oppidum inter primos strenue cum hoste confligens, vulneribus confossus cecidit: ex quo totus fere exercitus deletus est. Quo in atrocissimo bello filio Ducis Brigantiæ captivo facto, pater illacrymans Pontificem de luctuoso hoc casu certiorem reddit. [*]

[*] Lit. Principum Vol. 31. fol 261.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. Pontifice Maximo.

Beatissime Pater.

« Joannes Dux Brigantiæ et Barcellorum, Villæ Vicosæ Marchio, Ourensis et Arraiolorum Comes, Montis Fortis et Montis Alacris Dominus, humiliter Beatitudinis tuæ sacros pedes exosculatur. Noverit Sanctitas Tua celebre hoc Lusitaniæ regnum, peccatis nostris fortasse ita exigentibus, Regis sui Sebastiani interitu, quem immatura mors vigesimo quarto ætatis suæ anno tanto cum omnium suorum dolore et regni totius jactura rapuit, misere afflictum fuisse. Nam cum comparato licet raptim exercitu in Africam trajecisset, ut Moluchum eam tyrannice occupantem et Turcas in sua regna, quo nostris esset infestior, vocantem regali solio deturbaret, apud Alcacer Quibir oppidum cum hoste collatis signis confligens, vulneribus inter primos confossus interiit, totusque pene exercitus ita deletus est, ut pauci fuerint, qui ad nostros redire potuerint, ut rem gestam renunciarent. Ex nobilibus desiderati complures, reliqui capti apud religionis hostes hac victoria elatos, et opulenta præda ex nostris manubiis ditatos detinentur. Inter quos Dux Barcellensis primo genitus meus, B^nis Tuæ humilis servus, ætatis suæ undecimum ingressus annum, non sine magno meo dolore eandem subiit captivitatem. Eum enim, dum adversa oppressus valetudine Regem et Dominum meum comitari nequeo, cum nobilibus meis et reliquis domesticis vicarias pro me operas præstiturum, Rege ipso ita jubente, ad prima belli rudimenta miseram. Ego vero non prius firma sum usus valitudine, quam funestæ cladis nuntium innotesceret, cum jam pene itineri accinctus essem. In tanta igitur regni calamitate facile poterit Beatitudo tua conjicere, quæ sit hujus miseri et infelicis regni conditio, cum nemo sit, qui præter incommoda publica, de privata infelicitate non intime doleat: alii namque patres, alii liberos, viros et consagui-

neus lamentantur: in omnibus denique illius exitiosissimæ cædis effigies cernitur. Quapropter tot tantisque malis circumventi, Beatitudinem tuam, quem pastorem ac patrem plebs christiana veneratur, suppliciter oramus, ut a Deo Opt. Max., cujus te vices in terris gerere credimus, petere velit, ut deposito furore, quem peccatis nostris irritavimus, tuis et Ecclesiæ suæ precibus placatus miseratione sua nobis paterno et pio favore consulere dignetur, et Regi Dño meo Henrico, qui ejus indulgentia regni hujus gubernacula suscepit, vitam donare dignetur, ut eo favente Regnum hoc in summa tranquillitate gubernet, et iterum in pristinam felicitatem reducere valeat. Quod sic fore facile credimus, cum pro sua bonitate et prudentia felicissimam regni conditionem nostram fore posse confidamus. Bñem Tuam Deus Opt. Max. diu servet incolumem, ut quem Ecclesiæ suæ præesse voluit, eundem sua clementia in christianæ plebis augmentum, quod maxime expetimus, tueatur. Olyssipone tertio nonas Septembris anno salut. millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

Osculor pedes Sanctitatis Tuæ

Ho Duque.

LXXIV. — Sebastiano in regnum successit ipsius patruus, Henricus, inquam, Cardinalis Infans Lusitaniæ, quem Gregorius de obitu Regis solatur, eique pro susceptis imperii habenis fausta omnia adprecatur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 151 f. 102.

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Nihil potuit Nobis acerbius accidere interitu Charissimi filii Sebastiani Regis; magna enim in ejus virtute spes Nobis, Catholicæque Ecclesiæ reposita erat: nunc autem ereptus subito est alienissimo Christianæ Reipublicæ tempore, in ipso ætatis flore, in bello justissimo, et pro Christi gloria suscepto. Hic, inquam, exitus Nobis quidem bonisque omnibus acerbissimus accidit: ipsi autem Sebastiano felicissimus. Vocavit enim eum Deus, dum ipsius nomini inserviret, proque eo dimicaret, donavitque illum corona multo ampliori atque illustriori, quam vivens atque incolumis ex hostium victoria reportare potuisset, vita nimirum et beatitudine sempiterna. Illius igitur causa nihil est, quod doleamus, nostra permultum. Sed non debemus nostras res atque actiones Divinæ voluntati, ipsiusque Sebastiani bono anteferre, qua etiam cogitatione Majestatem Tuam sese consolari arbitramur. Illud etiam Nobis ad consolationem maximum accidit, ista nimirum tua in Regno successio; summa enim omnia expectare debemus, cujus virtutes semper fuerunt Regio, et amplissimo quoque gradu dignissimæ. Oramus Dei immensam bonitatem, cujus consiliorum abyssus te ad istum gradum amplissimum vocavit, ut Majestatem Tuam perpetuo tueatur, foveatque sua gratia ad sui nominis gloriam, Catholicæque Ecclesiæ suæ amplitudinem. Cætera ex dilecto filio Antonio Saulio, viro præstati fide et prudentia prædito, ac utriusque nostræ Signaturæ Referendario, quem ad Majestatem Tuam mittimus, cognosces. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die duodecima Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Cum Joanne Bragantiæ Duce, dum Regis obitum dolet, de filio licet captivo, superstite tamen ex ingenti illa clade, gratulatur, atque spe ejus redimendi jubet se consolari. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 155, f. 103.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Duci Bragantiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Incredibile est, quantopere doluerimus interitu Charissimi filii Sebastiani Regis; magnam enim in eo jacturam fecisse Christianam Rempublicam intelligebamus: sed debemus nostras spes ac rationes omnes ad Dei voluntatem accommodare, doloremque lenire sempiternæ beatitudinis cogitatione, ad quam ille ex brevissimo vitæ cursu, atque ex ipsa pro Christi gloria dimicatione suscepta vocatus est, inque omnibus rebus summæ Dei benignitati gratias agere, abditissimaque ejus consilia admirari, nihil ab eo nisi optimum erga suos proficisci existimare, tametsi ipsi singularum rerum causas et rationes minus intelligere possumus. Dolemus etiam filii tui nostrique in Christo dilectissimi captivitatem; sed agimus gratias Deo, quod illum Nobis incolumem conservavit: quod item facere Nobilitatem Tuam, easque, quas diximus, rationes atque alias, quas tibi singularis tua prudentia suggerit, ad consolationem adhibere non dubitamus. Cætera ex dilecto filio Antonio Saulio, viro præstanti prudentia et fide prædito, et utriusque nostræ Signaturæ Referendario, quem mittimus, cognoscet Nobilitas Tua, eique fidem tribuet. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXV. — Res Belgii sub initium hujus anni admodum ex sententia Regis Catholici procedere videbantur, relata a Joanne ab Austria pridie Kal. Februar. ad Gemblacum insigni ex seditiosis hominibus victoria. Ex qua Geusii in summam rabiem acti Amstelodamum, longe potentissimam Bataviæ urbem, quæ hactenus in fide Regis perstiterat, composita ad fallendum arte, confictis speciosæ pacis conditionibus in potestatem suam abstraxerunt: qui urbem vix ingressi, Catholicos ex improviso adorti, eorum optimates cum magistratibus turpiter in

naves conjectos procul abjecerunt: sacerdotes omnes ac monachos orbe expulerunt: tum effuso furore in reliqua monasteria, templa, loca omnia sacra cum impetu irruentes, altaria exciderunt, sacras imagines dejecerunt, fregerunt, excusserunt; sacram supellectilem diripuerunt, sacramenta divina polluerunt: denique omnem cultum religionis Catholicæ extinxerunt, in Deum impii, in homines scelerati, in proprium juramentum et conscientiam perjuri, pro usu videlicet et placitis suæ detestabilis reformationis. Cujus vi ex multis aliis urbibus Catholici eliminati sunt, ac præcipue, qui Austriacum hostem jurare nollent; propterea speciatim Jesuitæ et Franciscani Antverpia exacti.

LXXVI. — Nemo ex Belgii Episcopis tanto odio Geusis erat, quanto cordatissimus vir, ac vigilantissimus Ruræmundensis Episcopus Guillelmus Damasi Lindanus. Hic enim adeo illi Gandavensi pace non fidebat, ut eam palam improbaverit. Ad hoc, male etiam cives de eo sentiebant, quod Joanni Austriaco et Regi Catholico studiosum cognoverant. In eum igitur intendebantur iræ furoresque innovatorum: quare ut vitæ prospiceret suæ, sede relicta, Lovanium se contulit; ubi cum maneret, audivit, obtrectatorum criminationibus Pontificem erga se male animatum, gravissime sibi succensere de prodito Episcopali munere. Qua de re Lindanus sui purgandi causa hæc Pontifici edisserenda censuit. [*]

[*] Flandria Vol. 2. fol. 287.

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII.

Sanctissime in Christo Pater.

« Post tristes illos Dominicæ Passionis dies nuper cum Domino nostro Christo Jesu transactos equidem sperabam, me læto S. Paschalis Resurrectionis festo abundantioribus, quam hactenus, gaudiis perfruiturum: verum longe aliter, atque mea ferebat opinio, accidit. Nam tempus, quod pro hujus ætatis suum ad sepulchrum properantis incremento debebat, quidem sese suaviori de appropinquante hujus mortalis corporis in suam illam cum Christo immortalitatem liberatione, gaudio delibutum et perfusum, versum mihi fuit cum Propheta in luctum et cordis gemitum acerbissimum. Magno enim animi mœrore a fide dignis cognovi, Sanctam Vestram Paternitatem quorundam suggestione nobis graviter offensam, acerbasque suæ indignationis testes literas nobis destinasse objurgatorias, simul et censurarum gravissimarum comminatorias de ufficio pastorali non præstito: qua ex re solita hujus animi mei tranquillitas ex recti conscientia inter assiduas mearum undique, Christo meo gloria immortalis! inflictarum calamitatum procellas orta, graviter admodum fuit disturbata. Erat sane unde animo meo, si hæc temporalia commoda quærerem, aut mundi lucra sectarer, aut denique ignava ocia cum delitiis captarem, gravis oriatur dolor, quod omnibus Ecclesiasticis proventibus ac possessione Præposituræ Merssen autumno superiore (ut anno 72. omni suppellectili ac Bibliotheca ut rarissima, ita copiosissima) spoliatus, justo Dei judicio, et rerum domesticarum, ut et ministrorum cæsorum atque captivorum usu destitutus, ago Christi caussa misero in exilio menses jam solidos novem; sed hactenus me solabatur innocentiæ conscientia, quod virtutis nomine hæc patior, Christo meo gratia et gloria! quasi patriæ hostis Dño Regi meo Catholico et Gubernatori Belgico Illmo Dño Johanni Austriaco me adversus Status Belgicos adjunxerim socium. Cum enim nota mihi esset harum Provinciarum omni ex parte, potissimum maritimarum, sua cum magna Babylonia illa Andtwerpia, omnium hæreticorum per annos XXV. fœdissima sentina, facies, et perspicue animadverterem, quorsum inconsulta spectarent Statuum studia, non potui illam Gandensem pacem nostri fundi calamitatem, ac veram Religionis Catholicæ labefactationem approbare. Multa in ea videbam suspecta, plura ambigua et insidiosa, fideique Christianæ perniciosa, sicuti nunc liquet, cum passim boni omnes, qui non aufugerunt, in vincula abripiuntur, et tribunalia, submotis piis, implentur aut suspectis aut hæreticis Magistratibus. Unde sicuti nec super ea unquam fui rogatus sententiam, ita nec verbo, nec manu eam comprobavi. Hac de caussa ubi me Status Belgarum sibi refragari sentirent, quidam ipsorum non postremi loci, potissimum duo Abbates Villariensis et Sanctæ Gertrudis Lovaniensis, hujus exitialis tragediæ choragi infelices, odio me gratis habuere, ac hostilia meditari, adeoque in me extrema quæque moliri aggrediebantur; quod odium repente in flammam acerbissimam erupit, ubi allata eis fuit prima lædendi occasio, sicuti ex testimonio Rmi Dñi Electi Middelburgensis his addito perspicuum erit videre.

« Ex eodem liquet quidnam in mea Diœcesi præstiterim, quamdiu quidem mihi meis licuit adesse ovicolis in Christo Jesu charissimis; a quarum pastura certo periculo fui coactus Coloniam perfugere, sperans me reddita tranquillitate quam primum ad meos posse ex vicinia recurrere. Porro Colonia Illmum D. Austriacum accedendi alia non fuit caussa, quam præsens egestas et impendens rerum necessariarum penuria, quam suo munere nisi refocillasset, (cum hyemis elapsæ asperitas, quod profugo superfuit, devorasset) non fuerat, unde vitæ alendæ foret satis; adeo ut mihi Lovanium cum castris Regiis venienti non tot fuissent aurei, quod digiti.

« Unde et una veste contentus hic dego; alie-

na mensa pastus; uno aut altero servulo scriptore usus. Tam sum ego ditatus et post lucrosissima annorum xx. Regis Philippi per Frisiam Hollandiam et Geldriam ministeria opulentus, ut com Divo Nazianzeno et Lactantio hae in palæstra egestatis queam citra invidiam contendere. Unde quid in Christi Ecclesia, consumpto studiis S. Theologiæ Lovanii et Parisiis patrimonio, quæsierim, æquis liqueat arbitris, debetur autem annorum fere quatuor pensionis Hispanicæ solutio; cujus tamen spe non datur vivere. Hæc equidem spero Sñæ V. P. sufficere pro excusatione anni superioris, cujus pleniorem mittemus apologiam, ubi testimonia Illustris et Catholicissimi D. Baronis Polzhyleri, qui domi meæ Ruræmundæ menses non paucos egit, de concionibus illic habitis, et quotidiano sacrificio, de schola Dominicali puerorum, et Catechismo plebis, aliisque licebit conquirere; sicuti et aliorum aliquot probatissimorum virorum, omni exceptione majorum, ex quibus quidnam Coloniæ Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Comes a Portia, Sanctitatis Vestræ Nuncius Apostolicus, audierit, poterit contestari; sicuti et Reverendissimus Dominus Segha, Sanctitatis Vestræ Nuncius Apostolicus ad Regem ex Belgio destinatus, cujus salutandi occasione cum binis essem literis evocatus, in hanc incidi ærumnam, nunc hostis Patriæ judicatus et omnibus exclusus, incorporatione Merssen Præpositura per Senatum Brabantiæ abolita xix. Januarii anni 78. Cæterum quod ad annos superiores duos vel tres attinet, nos, Sanctissime Pater, plus satis apud æquos et bonos Judices horum perturbatissimorum temporum excusarit malignitas, quæ tanta fuit, ut coram Judice Christo Jesu S. V. affirmem, mihi toto hoc quadriennio per vias latronibus et grassatoribus ex Bomelia et rapacissima Goëssarum vicinia excurrentibus infestas non licuisse, meos Pastores ne ad Synodum quidem Diœcesanam convocare, (quam tamen singularis residentiæ meæ annis superioribus semper celebraveram) ut eis Concilium nostrum Provinciale Lovaniense anni 74 publicarem. Unde liquet, quam legitima ex caussa nos a visitationibus fuerimus impediti, et apud Deum Clementissimum, uti equidem confido, nedum apud homines excusati; quod veriti æmuli mei illas Sanctitatis Vestræ literas ad nos objurgatorias tradere mihi non audent; metuentes ne iterum suis ipsorum et verbis et literis ego ipsos jugulem, memores illius plagæ, quam tempore D. Ducis Albani, quocum hac de injuria eorum tunc expostulavi, acceperunt. Jam ad annos, quibus Illustrissimus D. Dux Albanus his præfuit Provinciis, si animum convertat, Sanctitas Vestra agnoscet, quam non defuerim officio, quod simili stropha et tunc accusatus, et a Serenissimo D. Pio V. acerrime, sed immerito verbis objurgatus, ex ipsis literis tam Catholici Regis, quam dicti D. Albani, ut officium more solito præstare pergeremus, exhortantium ita purgarim, ut ejus Sanctitatem mihi ex missis illarum copiis, et recensito tot a me inflictarum ob non residentiam Pastoribus meis ad decem vel duodecim privationum pro Concilio Tridentino exequendo, et concubinariorum plurimorum inobedientium punitionum, uti et nobilium aliquot eadem de caussa (ut de duobus hispanis taceam) excommunicationum catalogo cognoverim placatam. Quod ipsum et nunc a Sanctitate Vestra mihi equidem polliceri non dubitem, (nam quid cæteri merentur, literis non est credendum) ac pro objurgatoriis consolatorias cum Reverendissimo Collega Domino Namurcensi recepturum, si coram me expurgandi daretur facultas; quod non evocatus equidem facerem isthuc excurrens, nisi mea obstaret nunc penuria, et tantillum deesset exuli misero viaticum, quod ne ex mutuo quidem hic corradere valeo. Quod si Sanctitas Vestra suppeditare non gravabitur, ego me sub autumnum Sanctitati Vestræ sistere non dubitavero; nec impensarum Sanctitatem Vestram pœnitebit, scio, ubi ex vero statum Religionis Catholicæ aut disciplinæ Ecclesiasticæ, simul et exitiales horum malorum nostrorum internecinorum fontes a nobis cognoscere, ac dubiis animi, et Ecclesiæ nostræ difficultatibus, de incorporationibus, Jurisdictione ac libertate consulere dignabitur. In quod tempus, obsecro, Sanctissime Pater, me excusatum, aut saltem non gravissimæ culpæ reum, antequam audiar, habere dignetur Sanctitas Vestra: etsi gratus meus erit adventus, uno verbo significare, aut his saltem respondere, quæso, ne gravetur. Lovanii viii. Aprilis Anno mdlxxviii. ubi exulamus, quod domum redire per infesta undique itinera nondum licet. Unde et Officialem cum ministris forensibus, præfecto Vicario dimisimus: sicuti et Coloniæ Sacellanum nostrum Dominum D. Johannem Gibbonum Anglum, Sanctitatis Vestræ alumnum, qui Bonnæ agit suo vivens beneficio. Nam tota oppidi Ruræmundensis vicinia Statibus cum tota mea Diœcesi adhærens, jamdudum nostris parere mandatis recusat. Valeat diu incolumis in Christo Jesu Sanctissima Vestra Paternitas, quam singulari affectu Deo commendare quotidiano sacrificio (quod tetrici nostri exilii unicæ sunt deliciæ ac suavissimum solatium) non desinimus ob singulare Sanctitatis Vestræ in Germaniam restituendam studium, sicuti Dedicatoria Operis de Virginitate contra Martinum Chemnitium (quod Illustris. Dñus Comes Portianus Coloniæ affirmavit se istuc transmisisse,) exponit fusius. Precor igitur, ut Sanctitas Vestra pristinum erga me Christi exulem recipiat affectum vere paternum, cum Sanctitati Vestræ totus sim ex animo dedi-

tissimus, et ad omnia in Christo Jesu obsequia peculiariter devotissimus.

WILHELM. DAMASI LINDANUS
INDIGNUS ECCLESIÆ RURÆMUNDANÆ EPISCOPUS
ET CHRISTI EXUL.

Clarus quoque ille Middelburgensis electus Episcopus, idemque propter fidem exul, sociusque itineris atque ærumnarum Lindano, fidem facturus Pontifici de iis, quæ Lindanus ipse perscripserat, miserabiles refert utriusque casus et discrimina. [*]

[*] Flandria Vol. 2. fol. 383.

« Ego infrascriptus obnixe ad dicendum veritati testimonium requisitus affirmo, me, dum sequor serenissimum Principem Johannem Austriacum, invenisse Namorci Kal. Augusti anno 1577. Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum Wilhelmum Damasi Lindanum Episcopum Ruræmundensem: quem cum per amicitiæ inter nos a puero in scholis arctissime conciliatæ fiduciam interrogarem, quæ ipsius essent in aulam prædicti Principis adventus causæ? respondit duas esse: alteram, quod binis literis avocatus esset a Revmo D. Nuntio Apostolico, qui sub id tempus, quo Lovanium Reverendissimus Episcopus Ruræmundensis venerat, subito in Hispanias profectus fuerat; alteram, quod de quibusdam Ecclesiæ suæ negotiis, et de impetrando solutionem pensionis, quæ in Hispania sibi debet, cum prædicto Austriaco agere cuperet. Quibus rebus conficiendis eum dies paucos absumpsisset, et responsum ab Austriaco accepisset, orat ut una cum eo ad sedem suam Episcopalem proficiscerer: quod libenter annui, ratus esse exuli convenientius apud Episcopum, quam in aula agere; quum nec Ecclesiæ meæ, nec Regi officium impendere possem. Itaque una cum præfato Reverendissimo Episcopo Ruræmundensi Ruræmundam versus 7. Augusti profectus sum, et venimus ad vesperam ejus diei Leodium, inde postridie navigavimus Trajectum Mosæ, ubi impedimenta et sarcinæ tum illius tum meæ ad horas aliquot detentæ sunt, quod Reverendissimus prædictus diceretur causam Illustrissimi Johannis Austriaci fovere, et in arca habere stipendium pro milite Ruræmundensi. Qua difficultate superata, venimus in Merssen, cujus loci Præpositura Episcopatui suo incorporata est. Quo postquam ventum est, paulatim increvit rumor Status Belgii Ruræmundam obsessuros, et inde Regis militem vel pecunia corruptum, quod in aliquot Brabantiæ oppidis feliciter Statibus acciderat, vel vi et armis expulsuros. Itaque Reverentia sua decreverat, aliquot diebus in Præposituræ loco subsistere, et inde excurrere in proximas ditionis Falkenburgensis parochiales Ecclesias, facturus earundem diligentem visitationem; quod et ab illo factum est, me præsente: initio sumpto ab Ecclesia pagi de Itteren ad flumen Mosam siti, ubi die sancti et inclyti martyris Laurentii publicam Ecclesiæ missam celebravit, et inter Missæ solemnia concionem ad plebem habuit, et dissidia tum quæ occasione decimarum Pastoralium, tum ob alias rationes mota inter subditos erant, composuit. Quibus illic feliciter peractis, quidam, qui mihi fide digni videbantur, Reverendissimum Dominum monuerunt, ut sibi diligenter a quorundam insidiis caveret, nunciantes aliquot nobiles et milites Trajecti et vicinis locis agentes haud obscure significare, sibi datum a Statibus negotium apprehendendi prædictum Reverendissimum Dominum, et una etiam me, quod Namurco reversos crederent nos Austriaci partes sequi. Quod cum Reverendissimus D. Lindanus prædictus verum esse ex aliis quoque, et præcipue ex nunciis N. et N. ad ipsum magno cum sudore missis intellexisset, semipransi de mensa surgentes reversi sumus eodem die in Merssen, et inde statim absque aliqua mora versus vicinum oppidulum ditionis Leodiensis Stockheym, quo sub horam decimam vespertinam demum pervenimus: et altera die versus Mæseyck ejusdem ditionis Leodiensis, ubi aliquot septimanas hærere fuimus coacti, tum quod rumor prædictæ obsidionis jam publice firmaretur, fugiente civium maxima multitudine metu obsidionis, tum quod nimia pestilentiæ sævitia, quæ Ruræmundæ (quo me secum hybernatum Reverendissimus D. Lindanus abducebat) grassabatur, ipsius quoque Reverendissimi Domini Lindani ædes invaserat, nosque Ruræmundam descendere minime patiebatur, cum Œconomus Reverendissimi D. præfati esset peste mortuus in ejusdem ædibus.

« Porro in oppido Mæseyck agens alia parte suam excolere Spartam aggressus, oves suas trans Mosam in Ecclesia sua vicina Roesteren visitare cœpit, ubi festo Divi Bartholomæi summum Sacrum celebravit, et sub Divinis concione habita, me præsente, populum ad vitæ suæ negligentioris emendationem et impendentium Dei juste nobis iratissimi flagellorum deprecationem exhortatus est; et de ea re se postridie, quæ dies Dominica erat, plenius verba facturum promisit. Orta igitur die Dominica iterum Mosam cum illo trajeci, atque Reverendissimo usque ad Cœmeterium dictæ Ecclesiæ Roesterensis officii præstandi causa progresso, occurrunt pii aliquot, suggerentes rem periculo non carere, si officium in Ecclesia perageret. Vidisse namque heri et hodie se aliquot equites et pedites ajebant, quos contra serenissimum Principem Austriacum cum Statibus conjurare metuebatur; qui non longe ab Ecclesia putabantur abesse. Itaque se Reverendissimum rogare, ne periculis sese et pagum temere exponat apprehensionis et incendii. Hoc cum viri aliquot nobiles dehortarentur, ac vitam suam pro Reverendissimo exposituros esse dicerent, suas

domus in ipsius præsidium offerentes; videbatur consultissimum certa prævenire pericula. Itaque in oppidum Mæseyck u vestigio reversus post duodecimam horam Sacrificium Deo Opt. Eucharisticum simul et propitiatorium offerre voluit, ne omni ex parte suo deesset officio.

« Cum autem tertia Septembris Reverendissimus Dominus Lindanus mandato duorum Abbatum Villariensis et Sanctæ Gertrudis Lovaniensis esset sua Præpositura Merssen spoliatus, colonis ipsius verberatis, vulneratis, adeoque exturbatis, et invasoris fratris Nicolai Monasterii Rhemensis minis, quod intra triduum alia Reverendissimus Dominus Lindanus a se experiretur: excitatis deinde clamoribus ac seditiosis quorundam vocibus, quod oppidum prodendi causa ibidem hæreremus, mihi ad Mosæ ripam ambulanti occlamantibus; et Domino officiali Reverendissimi D. Lindani publicu in foro, nisi illinc discederemus, graviter minantibus, ut ex narratione ejusdem audivi, hinc exterritus, nostræque saluti consulens una mecum migravit Coloniam, quo solum nobis tunc temporis tutus patebat accessus. Ubi in Monasterio Carmelitarum simul viximus usque ad XVIII. Januarii anni MDLXXVIII., quo die Reverendissimus Dominus Lindanus Coloniam iterum relinquens, Luxemburgum ad Aulam Illustrissimi Johannis Austriaci profectus est, quo cum pervenerat, una cum Johanne Austriaco de ejusdem mandato ex Marssen una cum tota Illustrissimi D. Austriaci aula Namurcum descendit, ac deinde post miraculosam illam victoriam Lovanium, ut mihi suis literis et Namurco et Lovanio datis Reverendissimus Dominus Lindanus significavit. Ubi expectans in dies tempora pacatiora, ut ipsi ad suam Ecclesiam Ruræmundensem redire liceret, hæret; sed nondum patiuntur certissima itinerum pericula eum Ruræmundam redire; quæ non solum quotidianis itinerantium, et a Mosa huc venientium probari queant, sed meo quoque ipsius periculo (quod divinitus bis evasi) demonstrari, quando sub finem Februarii Colonia per viciniam Ruræmundensem Lovanium petebam.

« Hæc omnia et singula supradicta sese ita habere attestor, et in veritatis testimonium hasce signeti nostri subimpressione, manusque nostræ propriæ ac nominis subscriptione in dictorum fidem voluimus communire. Datum et actum Lovanii die octava Aprilis, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo.

JOANNES A STRYEN
ELECTUS MIDDELBURGENSIS.

LXXVII. — Lindanus dum Lovanii commoraretur, cum Joanne Austriaco, cujus magna necessitudine utebatur, crebros habebat sermones de rebus Belgicis componendis, deque Ecclesia Catholica iis in regionibus instauranda, atque ei quid ea de re sentiret, hoc, quod subjicimus, scripto exposuit. Ipse postea, æstate hujus anni, cum Romam se contulisset, Summo Pontifici totam consilii sui rationem item scripto explicatam exhibuit. Præstat profecto eam legere, si quis rerum Belgicarum eo tempore statum velit penitus cognoscere, et simul quæ ab eodem remedia proponantur, ut Religioni simul et Reipublicæ consulatur. Ibi enim plura summopere commendanda reperiuntur, licet nonnulla quæ ad Ecclesiam pertinent, plus æquo favere videantur regiæ auctoritati, et simul adversari juri vel inducto, vel confirmato per sacri Concilii Tridentini canones. [*]

« Ratio, qua initio queat apud populum Belgicum Catholica instaurari atque conservari Religiu et Regis obedientia ex maodato Illustrissimi D. Joannis Austriaci concepta anno 78. mense Majo Lovanii per Wilhelmum Damasi Lindanum, Episcopum Ruræmundensem.

« Quia Divina pietas tandem Belgium benignis suæ paternæ clementiæ oculis auspicere dignata est, et Illmæ Vestræ Celsitudini victoriam gloriosissimam exursus est donare, non modu incruentam, sed etiam inexpectatam, et quæ omnem excedit spem dudum conceptam, (unde ipsi laus et gloria immortalis!) æquum est, ut hac victoria utatur Illma Vestra Celsitudo ad Dei gloriam eximie illustrandam, et Catholicam Religionem non modo nunc conservandam, sed firmiter in perpetuum etiam stabiliendam. Qua constabilita et justitia instaurata, consequetur et firma erga Catholicam Majestatem obedientia æterna, et iu successores immortalis. Ad quod efficiendum feliciter, videbatur piis quibusdam viris harum rerum perstudiosis ut Illmæ V. C. amantissimis, simul et ex animu deditissimis, profutora, quæ hoc scripto comprehensa rogant, ut in bonam partem Illustrissima Vestra Celsitudu accipiat, tanquam ex zelo in Deum et Regem suum Catholicum profecta.

« Indubitatissimum est, has regiones hac potissimum ratione a Catholica Dei religione plerisque locis declinasse, atque a Regis sui obedientia defecisse, quod Magistratus civilis suo defuit officiu: qui cum passim esset aut justitiæ negligens, et avaritiæ deditus, aut novæ Religioni faveris, aut denique divini cultus incurius, et clanculario, imo alicubi manifesto Catholicæ fidei odio et hæresis studio excæcatus, similes gaudebat sibi pro suorum privilegiorum more allegere collegas Reipublicæ gubernatores, sive Ministros Pensionarios, aliosque assumere. A seria ergo Magistratus instauratione tota pendet Belgicarum Provinciarum salus, et nunc ipsis restituenda, et in posterum firmiter stabilienda; quod nisi melius ac diligentius modu curetur, quam post datas divinitus superiorum annorum

[*] Germania Vol. 15. fol. 88.

victorias, res longe pejori ac deploratiori erit tandem loco, quam fuit unquam.

« Profuerit igitur pro jaciendo veræ instaurationis fundamento firmo ac solido, viros aliquot graves spectatæ fidei ac probatæ virtutis, et longa experientia, certisque sui capitis periculis doctos, qui Dei ac Regis sui Catholici causa omnia deseruerunt, (qui passim exulantes, licet egentes, in aulam non veniunt, ne Illmam V. C. graveut impensis) assumere, atque unum ex illorum præcipuis et virtute ac zelo illustrioribus veluti Collegium creare uno sub præfecto, quod de omnibus Provinciarum instaurandarum negotiis cognoscat, et ad Illmæ Vestræ Celsitudinis consilium referat. Deinde ex illorum suggestione in omnibus civitatibus (ubi ad obedientiam fuerint divino favente auxilio redactæ) aliquem Commissarium cum duobus aut quatuor Assessoribus, ex dictis piis exulibus eligendis, præficere, qui suspenso, sive amoto veteri Magistratu omnia illius oppidi negotia gerat, et ad tempus biennii, aut triennii de Pastoribus, Prætoribus, Ludimagistris, Aedilibus atque obstetricibus ac juventute potissimum catholice instituenda disponat, donec Respublica fuerit suæ restituta erga Deum et Regem Catholicum obedientiæ ac tranquillitati. Qui his officiis præficientur, idoneis ornandi erunt stipendiis ex Provinciarum ærario publico petendis, ut honestati et oneribus sufficiant, ac solemniter jurent in fidei formulam a Sacrosancto Concilio Tridentino conceptam: et quod omnia sua negotia ita disponent, ut ejusdem Concilii, et Regiis ordinationibus non adversentur. Deinde viros assument sibi Assessores spectatæ fidei Catholicæ ac probatæ virtutis, qui munera nec ament, nec accipiant, at qui sui capitis periculo caveant, ne quid in leges publicas vel edicta Regia impune peccetur a subditis. Isti enim honores Reipublicæ et officia non amplius pecuniæ precium, aut favoris Aulici emolumentum, sed virtutis premium ac probitatis debent esse piis testimonium: sicuti ore Davidis Deus virum justum describens docet: Timentes Deum glorificat. Sic enim fiet, ut Respublica juxta Solonis sapientissimi legem, non solum malorum pœnis, sed potissimum bonorum ac fidelium præmiis conservetur, atque incolumis floreat. Hæc ut felicius agantur et melius gerantur, profuerit singulis trienniis Commissarios mittere, qui de istorum Commissariorum et judicum diligentia et fide atque legitima gubernatione inquirant.

« Epitome saluberrimorum remediorum potissimum Ecclesiasticorum.

« Sicuti arboris putredo non nisi a radice viciata oritur; ita hæc luctuosissimæ Reipublicæ Belgicæ ruina in fide, vitaque Christiana non nisi a suo capite, quod Clerus est, dormitante ac vitioso orta esse prudentibus videtur. Unde qui Rempublicam pristinæ suæ cupit restitutam incolumitati, recte a deplorato Ecclesiasticorum ordine sanandi et instaurandi duxerit exordium. Quod ut magis liqueat, et certiora morbis populi Belgici remedia tandem salutariter adhibeantur, paucis Cleri Belgici cum morbos, tum remedia commemorabimus, ut salvo meliori prudentiorum, et pio Christi zelo inflammatiorum judicio, res ad Dei gloriam et plebis Christianæ salutem quam utilissime ac felicissime conficiatur.

« Primum igitur de Episcopis et Canonicis, deinde de Abbatibus et Monachis, postremo de Pastoribus et Academiis, horum omnium, immo totius Ecclesiæ Christi ac Reipublicæ seminario veniet dicendum.

I. — Episcopi.

« Quod ad Episcopos attinet, notum est, quosdam novis Belgii Ecclesiis præfectos, qui ut vita impuri, ita moribus indigni Cathedras ascenderunt: quibus autem viis in eas invaserint, testantur in hunc usque diem dona, quæ cognatis quorundam suorum commendatorum dicuntur collata, ut quod N. et N. acceperint beneficium Ecclesiasticum N. et N. Huic malo facile occurratur, si S. Majestas Catholica tres ordinet viros Ecclesiasticos, qui seriam atque Canonicam in singulorum posthac eligendorum Episcoporum fidem, vitam et mores inquisitionem instituant; et auditis sub juramento singulis, apud quos antea vixerunt, Canonicis et viris piis, bona fide acta conscribant, eademque suo cum judicio S. Majestati transmittant. Deinde Canonicum examen secundum D. Pauli formulam fiat, an idonei sint, non solum secundum civiles leges bona Ecclesiæ defendere; sed hæreticis etiam resistere, ac errantes Christi oviculas per SS. Scripturam et veterum Patrum testimonia in viam veritatis reducere. Alioqui hic nunquam bene erit Christiano gregi, quod ambitione, gratia et favore quorundam semper Romano Pontifici, ut nunc gemit Ecclesia, imponetur; ut de quibusdam est plus quam notorium.

« Cæterum quonam modo, et quibus beneficia suarum quisque Ecclesiarum contulerit, longum foret in specie recensere.

« Quod ad officium attinet visitationis, aut Concilii Tridentini executionis, res ipsa loquitur, plerisque locis nihil præter nomen Synodi esse salvum: non esse coactos Pastores ad residentiam, non Præpositos, non Archidiaconos, non Decanos, non Canonicos Cathedrales; sed quidam avaritia et plurimorum beneficiorum pleonexia excæcati, suis faventes vitiis, in alios nolunt exequi, quod suo exemplo primi deberent aliis faciendum demonstrare.

Remedium.

« Huic malo recte occurratur, si tranquillitate Belgio, aut potissimis saltem Provinciis reddita,

authoritate Rm̄i Domini Archiepiscopi Mechliniensis, qui est totius Belgii Primas, Synodus indicatur omnium per Belgium Episcoporum et Abbatum, ut quisque seriam non voce, sed reipsa Concilii Tridentini executionem aggrediatur; et potissimum omnes ad residentiam personalem cogantur, qui secundum ejus Decreta obligantur; et canonice puniantur sive deponantur, qui Symoniaci aut gravioris criminis aut læsæ Majestatis Divinæ, aut humanæ deprehenduntur rei. Ut Canonici illi Cathedrales, qui Oudtrajecti ad Rhenum arma contra Regem sumpserunt, Principem Aurangiæ in oppidum introduxerunt; oblatis donis aureis ornarunt; denique suas sacrilegas manus evertendæ arci Regiæ primi injecerunt.

II. — Canonici.

« Canonicorum vitam impuram et horarum Canonicarum incuriam, quas nec legere dignantur, et animum habitumque militarem passim quis Jeremias satis deploret? qui ita suis sunt immersi vitiis, ut una non contenti concubina, plures, ne dicam tres aut quatuor, alere soleant. Honestiores nunc suas sues tanquam uxores mensis assidere jubent: nec ad convivia secedere dignantur, nisi et illæ tanquam Domicellæ advocentur, ut primos quasi recubitus in mensis occupent. Taceo non defuisse, qui lenocinium facere vulgo ferebantur: sicuti ille, qui Principissam domi suæ alebat. Anno 76 superiore, quando Trajectum ad Mosam fuit ab Hispanis spoliatum, boni cives conquerebantur, quid mirum est, inquientes, nos ista passos, cum ex una platea domibus Clericorum octo sunt egressæ concubinæ gravidæ alibi parituræ, præter illas, quæ domi ipsorum remanserunt?

« Simonia passim grassatur et collationes suorum turnorum diu antea certo vendunt precio, quam vacent: immo accepta ad computum pecunia 300 aut 600 florenos (nam certum est singulorum Capitulorum Ecclesiæ N. precium) suam illi addicunt collationem Præbendæ suo turno vacaturæ: ita ut noti sint, qui plurima millia hoc sacrilegio ferantur corrasisse. Tam est Simonia hæc publice notoria, ut quidam Canonici Cathedrales moniti de legendis horis Canonicis, respondere audeant, legant horas Canonicas, qui meum habent patrimonium, quod pro Præbenda, nimirum consequenda, impenderunt. Porro tam impudenter nunc suas Cathedrales vendunt Præbendas 1800, 1400 florenos, ut publice in diversorio plus offerenti suam N. vendiderit: quod pii illinc venientes nobis sunt conquesti. Sunt et non pauci hæreseos notati, aut suspecti, et plurimi qui annis plurimis non communicarunt, sicuti et læsæ Majestatis Regiæ.

Remedium.

« His remedium adhibebitur, si secundum Canones et antiquam suæ Ecclesiæ institutionem, abolitis novis et iis plerisque impiis statutis, vivere cogantur sua quisque in Ecclesia, uno contentus majore beneficio, maxime Cathedrali, et si universi ad omnes cogantur horas convenire, officium Divinum secundum decreta Concilii Tridentini cantaturi et præstaturi. Invigilent ergo Archiepiscopi et iis Primas Belgarum Mechliniensis, ne quis suo desit officio; nam fuere flagitia tam impunita, ut Canonicus Cathedralis N. suum Collegam tentarit jugulare, ac deliberato animo gulam præcidere; cujus pelliculam gravi vulnere sauciatam nos vidimus; sed omnia impune, licet causa in Concilium Provinciale Archiepiscopi fuerit introducta.

III. — Abbates

« Venio ad Patres Abbates, qui plerique omnes an per ostium, an ambitione, aliaque via, an uno voto, an pluribus, uno atque altero liqueat exemplo.

« Cum fuisset quidam Abbas creatus N. suum Commissarium aulicum ad cœnam invitavit, quocum hilariter in cœnaculo tapetiis et mensa plurimis argenteis vasis ornata recreatus, Domine Commissarie, tibi, inquit, hanc pateram una cum omnibus, quæ hoc in cubiculo et mensa sunt, adbibo.

« Cum Pater Abbas N. cuidam Religioso suo carcerem minaretur, non ausis, inquit, vel digitum in me extendere; ego enim talia tibi objiciam, ut conticuisse gaudeas.

« Memini me ex Reverendo Dño Ruwardo audire, quemdam Commissarium de monachorum suffragiis contrarium retulisse, quam habuit informatio per eumdem collecta: de quo et frustra in Aula conquerebatur. Tam sunt nota hæc vitia electorum Abbatum, ut Comes Egmondanus non dubitavit in quorundam Aulicorum N. et N. suggillationem publico in convivio, ubi aliquot aderant Abbates, interrogare, Pater Reverende, quantum tu illi N. et N. numerasti?

« Audivi et ego quemdam magnatem commemorantem, quod centenarios aliquot florenos pro illo Abbate N. numerasset.

« Nunc si regimen eorum intueri aggrediamur, multis non posset verbis exprimi, nos paucula delibabimus. Mensam et familiam alunt Baccho et mundo magis, quam Christo decora, ad convivia homines magis sæculares, carnales, et suspectæ fidei convocantes, quam pios Christi cultores. Immo quidam soli semper edunt, suos collegas sua non dignantes mensa. Opes immensas suis largiuntur amicis, aut elocandis nepotibus, neptibus et cognatis immodice insumunt, eos aureis cathenis et holosericis vestibus ornantes; immo eleemosynas solitas imminuunt, ut N. qui suum confratrem eleemosynarium carceri inclusit, quod more solito et fundato eas distribuerit. Sunt qui totis mensibus quatuor nec confessi sunt, nec communicarunt, licet do-

mi ægrotarent. Ut luxurientur in vestibus sericis, potissimum interioribus, notum satis est. Anno 66 quidam non solum laicorum vestitu utebantur; sed gladiati incedebant caput pileo bene plumato redimiti.

Remedium.

« Priusquam igitur novi imposterum creentur Abbates, fiat Canonica in eorum vitam atque fidem inquisitio; et idoneum de doctrina instituatur examen; ne iterum indocti aliquot homines et ambitiosi in culmen honoris evehantur: qui curandis altaribus magis quam gubernandis Ecclesiis, et adeo immensis opibus dispensandis sint idonei. His malis remedium certissimum fuerit, si per triennium mutentur Abbates et Præpositi, more Hispanico.

IV. — Monachi.

« Porro vita Monachorum, ut in monasteriis est gulæ ac ventri locis non paucis dedita, ita in Ecclesiis parochialibus agentium est ventri plerumque dedicata; immo toti fiunt ventres et carnales, ita ut annis plurimis 4 aut 5 non communicent, ac quidem suas concubinas nomine cognatarum circumvehunt per provinciam.

Remedium.

« His malis occurratur per Canonicam visitationem, quæ a seriis visitatoribus secundum regulam adhiberi posthac diligentius debet: nam non desunt exempla, ubi magis suo exemplo deformarunt, quam reformarunt vitam Dei cultorum: immo quidam visitatores N. Sanctimoniales N. solent ad convivia sua privata et oscula, et quæ consequuntur invitare, adeo ut non defuerint puerperæ a Reverendo D. Visitatore gravidæ. Idoneos igitur oportet posthac istis curare visitatores, ac imprimis curandum, ne admittantur amplius in Belgarum Monasteria visitatores, sive Sanctimonialium Confessarii, qui extra Regis provincias agunt; quidam enim ut suspectæ sunt fidei, qui ex Germania veniunt, ita vitæ sunt perditissimæ, ac turpissimæ incontinentiæ. In Abbatia S. N. quidam probus quatuor visitans cellas in singulis singulas invenit meretrices. Porro visitatores plerumque plus nocent suis, quam prosunt, malis exemplis, et graviora dissimulando, minora puniendo, commessando et bacchando; ita ut audierim non paucos pios conquerentes, ipsos visitatores plus reformatione opus habere, quam qui visitantur: quod uno facile nunc demonstretur exemplo. Quidam suas Moniales visitans, multa quæ pro ipsarum libertate Romæ fecisset, commemorans in epilogo, Si quæ vestrum est, inquit, quæ me amat, surgat, et osculo amorem probet; quod pii asserunt contigisse N. N.

V. — Pastores.

« Pastores ubi ad residentiam fuerint adacti, secundum Concilii Tridentini et provincialium Synodorum decreta sese gerant, alioqui Canonicas luant pœnas, potissimum qui in concubinatu, et notoria perseverant ebrietate, aut alia vitæ pastoralis inhonestate. Allaborent ut Catechismum populo exponant, et juventutem ad scholas Dominicales convocent auxilio Magistratus, ut in rudimentis fidei Christianæ a teneris recte instituatur, sicuti et omnium scholarum pueros et puellas per Ludirectores deducantur quotidie ad Missam.

VI. — Academiæ.

« Academiis Lovaniensi et Duacensi consultum foret pares esse instituendæ, ac ad honores promovendæ juventutis leges ac mores disciplinæ, honestæque conversationis similes. Profuerit igitur, ut quotquot beneficiati (quorum maxima pars Juri civili dat operam) ad studia veniunt, longa veste et clerico habitu, ac pileo et corona posthac utantur, sub certa pœna Promotori cessura; et juxta Concilii Tridentini Decreta sese pie ac religiose gerant, quater in anno Sacramentis Christi communicent, aliaque observent, quæ ad piam vitam Canonicis et beneficiatis dignam facere videbuntur: de quo sicut de studio suo aut Artium, aut Juris Canonici, aut Sacræ Theologiæ, testimonia nisi legitima transmittant suo Capitulo aut Pastori, sub quo suum habent beneficium, fructibus absentiæ non gaudeant. Professiones aliquot lectionum Cæsariarum et Regiarum erunt diligentius et accuratius præstandæ: quod ut minori cum scandalo corrigatur, consultum videri possit, ut omnes Regii Professores in primis Lovanii in S. Theologia, prætextu studii Lovanii reformandi, suo suspendantur officio; et deinde, qui, facto in singulos examine, deprehendentur scholæ ac moribus hujus temporis utiles, aut continuentur, aut alii sufficiantur. De castigandis abusibus Nominationum, Bursarum, Collegiorum, fundationum, et similium, alio erit tempore disponendum, quando generalis reformatio Academiarum Regiarum erit instituenda, ne amplius juventus in Academiis pietatis incuria, et vitæ licentia perdatur, malisque moribus corrumpatur; quibus nunc non levi ex parte fortassis debemus, quæ passim in Ecclesiis et rebus publicis videmus et patimur incommoda, et Religionis ac publicæ salutis exitia.

Cæterum quia conservandæ Catholicæ Christi Religioni profuerit esse Lovanii Collegium honeste, ac, uti dignum est, alendis doctis aliquot Theologis destinatum, nunc tempus postulare videtur, quod olim S. D. N. Adrianus VI. decreverat prudentissime, ut in opus mittatur; nimirum ut Abbatia S. Gertrudis Lovanii sive

Ulyerbekuensis Ordinis S. Benedicti deformatissmum in Collegium Doctorum S. Theologiæ, instar Sorbonæ Parisiensis, convertatur, ubi xu Doctores Belgæ perpetuo alantur; et ad concordiam Fidei Catholicæ perpetuam inter Belgas et Hispanos conservandam, etiam Hispani sex admittantur, quemadmodum aliquando Catholicum Regem cogitasse audivimus, qui et in Hispania simile Collegium Doctorum S. Theologiæ xu Hispanorum, et sex Belgarum erecturus dicebatur.

« Appendix. De novo Episcopatu Luxemburgensi.

« Ad hæc videtur non parum necessarium novum erigere Episcopatum, qui Luxemburgo et Lymburgo cum vicinis transmosanis Provinciis invigilet: cum ovium Christi salus istud imprimis postulet, potissimum per Lymburgum, ubi populus in Calvinismum non leviter seducitur, et Pastores adeo sunt imperiti, ut ne linguam quidem populi teneant, sed Germanice Gallis adnuncient Festa et Evangelia, aliaque indigna hic non accensenda.

« Si vulneribus Ecclesiæ atque Reipublicæ Belgicæ superioribus remedia aut dicta, aut dictis meliora serio adhibeantur, sperandum est iram Dei justissimam super Belgas effusam cito placatum iri, ac pristinæ illos esse justa gubernatione restituendos tranquillitati, avitæque felicitati ad gloriam Dei, Regisque Catholici felicitatem et animarum salutem: quod Deus Optimus Maximus paterna sua nobis omnibus largiri dignetur clementia. Amen.

LXXVIII. — Quam Belgarum animi ad pacem et concordiam inclinarent, quantopere sedari Belgii motus expeterentur, testantur Venduillii litteræ ad Pontificem, quibus vehementissime orat, ut ad eam optatissimam pacem conficiendam, quæ Religionis Catholicæ maxime interesset, tum Cæsarem tum Regem Catholicum excitet. [*]

[*] Flandria Vol. 2. fol. 378.

Beatissime Pater.

« Postquam abhinc 15 dies scripsi ad Sanctitatem Vestram, certo cognovi, partim ex litteris amicorum scriptis ex Flandria, partim ex sermone eorum, qui interea temporis hic venerunt, indies vehementer illic augeri Religionis Catholicæ periculum, item Catholicissimorum quorumque atque Ecclesiasticorum (præsertim Religiosorum) et Ecclesiarum, esseque summopere metuenda tristissima et extremam desolationem, nisi hoc bellum civile Belgicum brevi componatur bona aliqua pacificatione et concordia cum Regia Majestate. Nam Principem Aurengiæ summo studio agere, ut Belgium impleat externo milite hæretico, qui si semel ingressi fuerint oppida munita, inde expelli non poterunt. Itaque optimos, et Catholicissimos quosque, qui in Belgio sunt, tam Laicos omnis generis, Nobiles, Plebeos, Magistratus et privatos, ardentissime exoptare iniri bonam vel etiam tollerabilem pacem et concordiam cum sua Majestate. Et quia nulla spes est, fore, ut ad pacem et concordiam perveniatur, nisi summi aliqui Principes magnæ authoritatis interveniant, seseque interponant, sic fascinatis et alienatis per Principem Aurengiæ ab Hispanis et Illmo Jo. Austriaco Belgarum animis, et quadantenus etiam a Rege Catholico, itemque per ipsum inducta in eorum animos summa diffidentia observationis eorum, quæ ipsis promitterentur; et quia haud dubie Princeps Aurengiæ aliique hæretici, quantum poterunt, impedient, ne pax componatur: eosdem ardentissime exoptare, ut aliqui summi Principes sese interponant, ut partes ad bonam concordiam adducant, hocque fraternæ charitatis officium præstent. Ex alia parte certo cognovi ex duobus summis viris, qui hoc certe compertum habere possunt, Regiam Majestatem bonam pacem et concordiam vehementer exoptare, esseque paratissimam paterne agere cum suis Belgis, (quamvis ab ipsis haud dubie summopere irritatus fuerit) et quasvis pene conditiones admissuram suam Majestatem, dummodo Religio Catholica conservetur, et in futurum obedientia sibi debita præstetur, ut factum fuit annis superioribus, quod sane cum Religionis Catholicæ conservatione adeo conjunctum est, ut hæc sine illo subsistere non possit. Ad hæc video indignis quibusdam et hæreticis exactionibus Principis Aurengiæ etiam frigidorum et remissiorum Catholicorum animos eo inclinare, ut incipiant pacem valde desiderare.

« Quæ cum ita sint, Beatissime Pater, videtur esse incredibilis operæ pretium, ut S. V. primoque die aliquos dignetur, misso uno aut altero Legato magnæ authoritatis et prudentiæ, enixe operam dare, ut brevi ineatur bona concordia inter Regem Catholicum et Status Belgii, et agere cum Imperatore, ut adjungat etiam unum aut alterum Legatum magnæ authoritatis et prudentiæ, vel ut etiam ut ipse dignetur, in illud insigne charitatis officium per se incumbere, ut scripsi ante 15 dies, et ne quid Imperatorem remoretur, quo minus id facere velit: dignetur S. V. primoque die petere a Rege Catholico, ut patiatur Imperatorem etiam intervenire una cum Legatis S. V. ad conciliandam bonam pacem et concordiam.

« De quo si iterum scriberem ad S. V., putavi me recte facturum esse, tum propter causas tactas sub initium hujus epistolæ, tum quia res tanti momenti et postulet celeritatem. Est enim magnum periculum in mora.

« Conservet Deus Opt. Max. S. V. Ecclesiæ suæ diutissime incolumem, eique semper gratiam suam largiter infundere dignetur ad ea sapienter, providenter ac accurate exequenda, quæ valde

pertinent ad gloriam sui Sancti nominis et salutem animarum.

Parisiis 16. Martii anno Domini 1578.

Sanctitatis Vestræ

Servus in Domino

Joannis Vendvillius juris professor indignus in Universitate Duacensi.

LXXIX. — Joannes etiam ab Austria eorumdem consiliorum Pontifici auctor fuit. Gregorius itaque nihil ad rem opportunius existimavit, quam ut indicto per universam Ecclesiam Jubilæo una cum publicis supplicationibus, tam affectis ac pene profligatis Belgii rebus opem divinam omnes Christifideles implorarent. [*]

[*] Gallia Vol 13 fol. 348.

«Literæ S̃mi Domini Nostri Domini Gregorii Papæ XIII. plenissimæ peccatorum remissionis instar jubilæi et indictionis supplicationum ad implorandum divinum auxilium pro fidei Catholicæ defensione, illiusque propugnatorum prosperitate maxime in Comitatus Flandriæ bello, impiorum atque hæreticorum depressione, Principum Christianorum pace et populorum tranquillitate.

Gregorivs Episcopvs Servvs Servorvm Dei.

« Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Pro pastorali munere nobis divinitus injuncto animo resolventes, quam gravia religioni Christianæ immineant pericula, quantoque in discrimine inter alias Christiani orbis partes Comitatus Flandriæ, aliaque ei regioni adjacentia loca Charissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum Regi Catholico subjecta versentur, ob rebellium hominum et nefariorum hæreticorum impietatem, qui multos ibi annos perniciosum bellum aluerunt, et continenter gerunt, ad placandam Dei iram, quæ in nos nostris peccatis ita exigentibus quotidie magis excitatur, ad eum in primis, qui pater est misericordiarum, totam mentem nostram convertimus, eademque opera fidelem populum cœlestis gratiæ donis invitamus, ut orationibus, jejuniis et eleemosynis una nobiscum incumbentes Deum ipsum nobis propitium reddamus, cujus misericordia instantium malorum pericula a prædictis reipublicæ Christianæ quæ vexantur partibus avertantur. Quare ex parte omnipotentis Dei omnes utriusque sexus Christifideles tam in Alma Urbe nostra, quam in cæteris dicti Christiani orbis partibus qua majore possumus charitatis affectu requirimus, ut in Urbe videlicet prima vel secunda hebdomada post primam Dominicam proximi mensis Augusti, extra Urbem vero ea hebdomada, quæ post præsentium notitiam protinus consequetur, vel altera statim subsequenti, ad Dominum qui cum iratus est misericordiam facit, et in tempore tribulationis peccata dimisit invocantibus eum, humili et contrito corde sese convertant, et utravis prædictarum hebdomadarum confessori idoneo ab ordinario approbato peccata sua confiteantur, ac quarta et sexta feriis, nec non die sabbati jejunent, orationes devote habeant, et eleemosynas, qui illas dare potuerint, Christi pauperibus juxta uniuscujusque devotionem erogent: demum proximo die Dominico vere pœnitentes et confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum omni reverentia suscipiant, precesque pro fidei catholicæ defensione, illiusque propugnatorum in dicto maxime bello prosperitate, impiorum atque hæreticorum depressione, Principum Christianorum pace et populorum tranquillitate fundant. Et ut populi devotio ad hæc pia opera amplius incitetur, in dicta Urbe publicas supplicationes dictis duabus feriis et sabbato, ac modo a Vicario nostro præscribendo, extra Urbem vero duabus itidem feriis et sabbato, modo ab ordinariis locorum statuendo, volumus celebrari, ad quas piis orationibus prosequendas fideles invitentur. Cæterum ut fideles ipsi ad hæc omnia peragenda magis idonei efficiantur, de tradita nobis a Domino potestatis plenitudine ecclesiæ thesauros, quorum divina favente clementia dispensatores effecti sumus, copiose ac benigne aperientes, omnibus Christi fidelibus supradictis, ut hac vice tantum confessores idoneos presbyteros sæculares vel cujusvis ordinis regulares, ut præfertur, approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, eos a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, ac in literis die Cœnæ Domini quotannis legi solitis contentis, in foro conscientiæ duntaxat, ac etiam a sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis per eos quomodolibet incursis, injuncta inde eis pro culpæ modo pœnitentia salutari, absolvere, ac quæcumque per eos emissa vota, præterquam castitatis et religionis, in alia pietatis opera commutare valeant, per præsentes concedimus. Nos enim omnibus qui præmissa devote adimpleverint, de ejusdem omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, plenissimam omnium peccatorum remissionem ac eandem, quæ Christifidelibus anno Jubilæi hujus Almæ Urbis ecclesias et extra eam deputatas statutis diebus devote visitantibus concessa est, misericorditer in Domino elargimur. Eos quoque, qui morbo vel aliquo alio impedimento detenti præmissa adimplere nequiverint, si alia pia opera fecerint, in quæ arbitrio suorum confessorum (quibus super hoc facultatem impertimur) commutata fuerint. Ac etiam illos qui in itinere fuerint, si cum primum iter perfecerint, præmissa exequi studuerint, ipsius indulgentiæ et doni, ac aliorum prædictorum participes fieri volumus. Præcipientes universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Epi-

scopis, et quibusvis aliis ecclesiarum prælatis, et locorum ordinariis, ut statim cum præsentes literas seu eorum transumptum autheuticum etiam impressum ad eos deferri contigerit, solemnes processiones tribus diebus, scilicet quarta et sexta feriis ac sabato prædictis, juxta locorum opportunitatem ad effectum præmissorum indicant et celebrent, ac easdem præsentes seu earum transumptum per suas quisque provincias, civitates at diœceses sine ulla fraude aut lucro publicent, et per ecclesiarum Rectores publicari faciant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Sacra vero docente scriptura admoniti, quantum apud Deum valeat assiduitas orationis, volumus, ut omnibus Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis sæcularibus et regularibus, ac claustralibus ecclesiis, donec aliter per nos fuerit ordinatum, singulis diebus ad altare majus ante vel post missarum solemnia litaniæ cum illis adjunctis seu aliis precibus juxta formam a nobis præscriptam ab earumdem ecclesiarum personis devote decantentur. Diebus vero Dominicis vel aliis de præcepto ecclesiæ feriatis, ultra ipsarum litaniarum decantationem etiam processiones circa easdem ecclesias, vel earum ambitum et claustra fieri omnino debeant, quodque singulæ aliæ personæ ecclesiasticæ tam sæculares quam regulares in suis, si quas habent et in eis resident, ecclesiis, vel in suis domibus ipsas litanias et preces recitent, ut Deus populo suo omni qua fieri potest ratione placatus et propitius reddatur. Quia vero præsentes ad omnia loca, quibus illis opus esset, perferri nequeunt, decernimus, ut illarum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitata ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Tertio Kalen. Augusti, Pontificatus nostri anno septimo.

M. Datarius

Cæ. Glorierius.

A. de Alexiis.

LXXX. — Res Belgicæ in pejus quotidie ruebant: Geusii enim, qui auctoritate Arausiaci Principis freti extulerunt animos, ab Mathia Archiduce, Ordinumque Proceribus xi. Kal. Aug. infaustum illud edictum extorserunt, ex quo asseclis ecclesiæ ita dictæ Reformatæ liberum cultus exercitium per totum Belgium permittebatur. Hinc templa Catholicorum fere ubique tam Calvinianis quam Lutheranis assignari, et qui intercederent, in carcerem trudi, nonnullique etiam corpore affligi: et graviori motu Gandavi conflato, ac subinde aliis Flandriæ oppidis accepto, facileque in alias provincias propagato, nullo non contumeliæ ac truculentiæ genere in sacrum Ordinem ac cæteros Catholicos sæviri, Ecclesiastici ac monachi pelli, et bonis per injuriam spoliari, cœnobia, templa et ædificia publica privataque expilari, denique omnis religionis Catholicæ cultus penitus aboleri.

LXXXI. — His gravior etiam cura Gregorii animum incessit, quum acceperit Alenconium Ducem societatem cum seditiosis Belgis inivisse. Quod cum intelligeret ad seditiones illas alendas valere plurimum, nihil intentatum reliquit, ut ab ea conjunctione illum abstraheret, misitque ad Galliarum Regem Archiepiscopum Nazarenum Legatum, qui suis quidem verbis Alenconium ab tam pravo consilio revocaret. [*]

[*] Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 20. epist. 36

Charissimo in Christo Filio Nostro Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Multis multorum literis diversis ex locis datis, constanti etiam fama et apertis sermonibus confirmatur, Ducem Alansoni fratrem tuum decrevisse in Flandriam ire, secumque eo magna equitum peditumque auxilia afferre. Dolemus, ut par est dolere, eorum malorum eventis, quos ex tantis motibus evenire, latissimeque per universam Christianam Rempublicam diffundi necesse est, tanta cum clade et rerum omnium eversione, quantam cogitare vix possumus. Noluimus autem nostro muneri, nostræque paternæ erga Majestatem Tuam charitati deesse: cupimus enim actiones tuas omnes tales esse, ut maximum tuis meritis, tuæque gloriæ cumulum, bonis omnibus gaudium, Regno tuo tamdiu quassato, tamque graviter afflicto perpetuam stabilitatem ac tranquillitatem afferant. Necessario igitur faciendum existimavimus, ut ad Majestatam Tuam, quanta maxima fieri posset celeritate, præstantem aliquem Antistitem mitteremus, perque eum proponeremus, quæ hac in re summopere Nobis consideranda esse videantur. Elegimus autem venerabilem fratrem Archiepiscopum Nazarenum, hominem, ut nosti, singulari probitate et prudentia, Tuæque Majestatis observantissimum et studiosissimum. Rogamus, ut eum libenter audias, superque iis rebus, de quibus tecum aget nostris verbis, omnem ei fidem tribuas. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die ix. Junii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Ast ille ardens juvenis, rerum inscius, Regis et Pontificis consiliis neglectui habitis, non sine magna sui nominis apud omnes bonos jactura indecoras, quas sibi Status Idibus Augustis conditiones Antverpiæ obtulerant, admittere non dubitavit, [*] adeo ut vel ab ipsis Belgis ludibrio habitus fuerit. Itaque ne mireris illum eo

[*] Ap. Dumont Corps Diplom. T. V. P. I. pag. 320.

amentiæ devenisse, ut suam secessionem a fratre et societatem cum seditiosis Belgis, religionis ac libertatis causam prætendens, Pontifici excusaret, atque Ecclesiæ Catholicæ devotissimum sese filium prædicaret. [*]

[*] Mantissa document. N. 122.

LXXXII. — Cæsar Pontificis cohortationibus obtemperans, Catholico Rege antea consulto, Legatos suos, amplissimos viros ad Belgas misit, qui suo Regisque Catholici nomine res componerent. Gregorius iis quoque Legatis, ut religionis rebus in primis caveretur recteque consuleretur, Nuntium suum, Archiepiscopum Rossanensem, adjunxit, et Cæsarem etiam atque etiam rogavit, ut si Legati de pace nihil conficerent, ipsemet se ad Belgas conferret. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 98. fol. 61.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Ex literis dilecti filii nostri Ludovici Madrucii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis cognovimus, decrevisse Majestatem Tuam eligere viros amplissimos, per quos negocium Flandricæ pacificationis spectatissimæ prudentiæ tuæ a Catholico Rege Philippo permissum conficeretur. Maluissemus, illud alterum remedium multo valentius et præstantius, atque, ut judicamus, unicum adhiberi, de quo cum Tua Majestate per eundem Cardinalem egimus. Sed postquam hoc tempore nihil aliud fieri potest, decrevimus tuis etiam Ministris maxime probantibus Antistitem hinc mittere, qui adsit, nostroque nomine curet agatque omnia, neque ullum officium prætermittat, quod quidem ad susceptum pacificationis negocium pertinebit. Elegimus autem venerabilem fratrem Joannem Baptistam Archiepiscopum Rossanensem, virum prudentia, fide, integritate spectatissima, quem etiam facile potuit Majestas Tua nosse in Hispania, quo in Regno multos annos summa cum laude versatus est, cum esset hujus Sedis Apostolicæ Nuncius. Scribet igitur Majestas Tua ad eos, quibus hoc negotium commisit, ut una cum nostro Archiepiscopo in rem ipsam incumbant, eamque ex sententia conficiant ad Dei gloriam, Provinciæ illius salutem, totius Germaniæ quietem, universæ Christianæ Reipublicæ tranquillitatem, tuamque perpetuam laudem. Sic tamen, ut si res ipsa postulabit, neque eorum, quos destinasti, opera satis profici intelliges, ipse eo contendas, præsensque, ut cum Madrucio locutus es, rem omnem conficias. Hoc Majestatem Tuam rogamus, quantum possumus, quantumque summa rei ipsius necessitas et Christi causa flagitat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX. Augusti MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXIII. — Archiepiscopo Moguntino, inter Legatos, qui Belgii concordiam curarent, a Cæsare adlecto, Gregorius ad egregie navandam operam stimulos addit, eumque hortatur, ut in omni consultatione ac deliberatione rem cum Archiepiscopo Rossanensi Legato suo conferat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 105. fol. 66.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIVS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere Nobis cordi sint res Flandricæ, quantumque spei in tua singulari prudentia et pietate positum habeamus, testes sunt nostræ literæ, quas proxime ad te dedimus. Nihil enim libentius audivimus, quam cum negocium pacificationis Fraternitati Tuæ a Charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Romanorum Imperatore electo commissum fuisse accepimus: speramus enim fore tua opera, ut is exitus consequatur, quem semper optavimus. Itaque hortati sumus, ut omnibus rebus posthabitis, in id negocium incumberet; id autem facere te non dubitamus; nihil enim est, in quo tua opera possit esse Deo acceptior, bonis omnibus gratior, universæ Christianæ Reipublicæ fructuosior, aut in quo possit pietas et zelus tuus sese præclarius ostendere. Quoniam autem res gravissima est, agiturque de Sancta Religione, deque statu multarum Ecclesiarum, totiusque Ordinis Ecclesiastici, non potuimus nostro muneri deesse: itaque decrevimus Antistitem aliquem hinc mittere, qui rebus ipsis interesset nostro nomine, nullumque officium prætermitteret, quod quidem ad optatum exitum pertinere posset. Mittimus autem venerabilem fratrem Joannem Baptistam Archiepiscopum Rossanensem, Nuncium nostrum, virum in multis maximisque hujus Sedis Apostolicæ negotiis prudentia, fide, integritate singulari, de quo etiam ad Rodulphum ipsum scripsimus. Placebit igitur Fraternitati Tuæ ei omnia communicare, ipsumque ad consultationes deliberationesque adhibere; magno enim adjumento et per se ipsum, et nostro nomine atque auctoritate esse poterit. Ei autem super his rebus, de quibus cum Tua Fraternitate, aut coram, aut per literas aget, omnem fidem tribues. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Septembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

In eamdem fere sententiam litteras ad singulos Belgii Antistites, ad Joannem Austriacum, ad Principum Legatos, ad Provinciarum Præfectos et ad Status dedit. [*] Heic proferri placet, quas universo Ordini Ecclesiastico inscripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 166-171.

[*] Ibid. ep. 116. fol. 76.

Dilectis Filiis Ordini Ecclesiastico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Summopere semper doluisse Nos nobilissimæ istius provinciæ malis tam gravibus, tamque diuturnis, testis est Deus et conscientia

nostra, vosque etiam aliqua ex parte id nosse arbitramur; nunquam enim cessavimus monendo, hortando, rogando experiri, si quid proficere possemus; nullumque omisimus unquam officium parentis amantissimi. Nunc eadem cura et charitate adducti mittimus venerabilem fratrem Joannem Baptistam Archiepiscopum Rossanensem, Nuncium nostrum, virum in multis maximisque hujus Apostolicæ Sedis negociis prudentia, fide, integritate singulari, ut cum cæteris, quibus pacificationis negocium commissum est, adsit, nitaturque nostra auctoritate, quantum poterit, ut res eum exitum habeat, quem maxime cupimus; id etiam curare vestra maxime interest, et propter vestram professionem, et quia præsentis belli calamitas in vestrum Ordinem, inque vestras Ecclesias sanctamque Religionem maxime redundabit. Nos vero nunquam vobis deerimus, nihilque omittemus, quod quidem ad vestram tranquillitatem et salutem pertinere intelligemus. Libere igitur cum Nuncio nostro agetis, ejusque sive verbis sive literis super omnibus rebus, de quibus vobiscum aget nostro nomine, eandem fidem habebitis, quam Nobis ipsis, si præsentes essemus, tribueretis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Septembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXIV. — Quæ dum agerentur, Joannes ab Austria, invictissimus Dux et spectatissima pietate vir, trigesimo secundo ætatis anno Kalendis Octobris, quem diem ob Lepantinam et Tunetanam victorias festum agere solebat, Namurci vita defunctus est. Cujus mors cum omnibus illacrymanda fuit, tam nemini acerba magis accidit ac luctuosa, quam magno Alexandro Farnesio [1]; quem ideo Gregorius de tanta jactura solatus est. [2]

[1] Mandissa document. N. 123.
[2] Reg. Gregorii XIII An. VII ep. 260. f. 116.

Dilecto Filio Nobili Viro Alexandro Farnesio Parmæ et Placentiæ Principi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Quod optimi viri et Ducis præstantissimi Joannis Austriæ interitum doleamus, ipsius quidem causa nihil est, nostra autem permultum: sapienter enim judicas magnam in eo jacturam fecisse Nos, Regem Catholicum, te ipsum, universam denique Christianam Rempublicam. Fuit enim ejus vita velocissimus quidam cursus ad gloriam, quam ille semper sitam putavit in omni officio et virtute colenda, inque summis laboribus pro Catholica Religione suscipiendis, periculisque adeundis; unde etiam a summa Dei benignitate ad requiem beatitudinemque sempiternam vocatus fuit: ut si vere existimare velimus, nihil jam sit, cur doleamus; neque enim debemus tam nostri amantes esse, ut non ejus felicitati gratulemur, eamque nostris commodis rationibusque anteponamus. Hac te cogitatione consolari dolorem tuum arbitramur, proque nostra paterna erga te charitate jubemus; in istam vero curam, quam tibi ille reliquit, toto pectore incumbe, spemque omnem in Deo repositam habe, Joannisque ipsius virtotem tibi ad imitandum propone. Nos vero non cessabimus Deum orare, ut te universumque exercitum pro sua gloria dimicantem amplectatur, tueaturque sua ope et gratia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Novembris MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Et alteris paullo post litteris eidem de summa belli a Rege Catholico commissa gratulatur. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 283. f. 129.

Dilecto Filio Nobili Viro Alexandro Farnesio Parmæ Principi.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Recte ac sapienter fecit charissimus in Christo filius noster Catholicus Rex Philippus, cum tibi summam totius belli commisit, teque honorificentissimo titulo et munere ornavit. Gaudemus igitur tum Regis ipsius de te judicio, tum, quod maximum vereque lætandum est, ipsius judicii causa, hoc est præstanti virtute tua. Quod enim aliorum de Nobis optima existimatione lætemur, nihil est, nisi ipsi sima ea existimatione digni. Te autem amplissimo quoque honore et gradu dignum esse omnes judicant; ardere autem desiderio summæ hominum de te expectationi respondendi, ex tuis literis cognovimus. Speramus, Divinam opem et gratiam Tuæ Nobilitati in summis difficultatibus, in quibus versari te intelligimus, affuturam ad Dei ipsius gloriam, Catholicæque Ecclesiæ suæ amplitudinem, idque precari non desistimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die tertia Decembris millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXV. — Geusii, qui ultro in Catholicos atroci ferebantur odio, instigante potissimum Anglorum Regina, adeo in Anglos Catholicos, qui ob fidem patria extorres in Belgium confugerant, exarserunt, ut ipsos inermes juvenes, qui Duaci in collegio non ita pridem a Pontifice condito sacris litteris operam dabant, crudeliter admodum expulsos voluerint. Quare Guilielmus Alanus, qui collegium regebat, una cum alumnis Remos sese transtulerunt. Gregorius juvenum infelicium ac rectoris misertus, eos Ludovico Cardinali a Guisia, Archiepiscopo Remensi, enixe commendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 8. fol. 5.

Dilecto Filio Nostro Ludovico Cardinali Remensi Nuncupato.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi certum habemus, ea quæ pertinent ad Dei gloriam atque ad Catholicæ

Ecclesiæ dignitatem, nihil indigere nostra apud te commendatione, tamen pro nostro summo desiderio facere non possumus, quin hoc, quod ad utramque causam magnopere pertinere intelligimus, commendemus pietati tuæ. Alanus Præfectus ei Collegio, quod Duacii constitueramus, ejectus inde ab improbis atque impiis hominibus, contulit se cum iis, quos secum habebat, in Episcopatum ac Civitatem Tuam: commendamus eum suosque omnes tibi, quantum possumus, nec tantum possumus, quantum Christus ipse flagitat. Quod uni, inqoit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; quam igitur acceptam ei esse oportebit pietatem tuam in tot ejus servis amplectendis, et, quibuscumque in rebus poteris, sublevandis? Non dubitamus te id studiosissime facturum, neque hanc tantam oportunitatem Christo inserviendi, immortaliaque ab eo beneficia promerendi amissurum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVIII. Maji MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Cardinalis quoque Comensis Alano in tam acerba calamitate solatium adhibens, ne cadat animo, hortatur, affirmatque Pontificem nec pecunia nec gratia ei nunquam defuturum; quare collegium Duacenum ita Galliarum Regi commendavisse, ut si quid ab eo Rege patrocinii opus sit, scribat ipse ad Nuntium, qui cum Christianissimo agat. (*)

(*) Brevia Greg. XIII. et Sixti V. Vol. 23. ep. 26.

Gulielmo Alano Rectori Collegii Anglicani.

« Admodum Reverende in Christo. Quæ tuis literis Nonis Aprilis ad me datis, tibi ac reliquis ex Collegio isto Anglicano accidisse significasti, dum miseris atque indignis modis, adversariorum orthodoxæ religionis opera, Duaco expulsi fuistis, eadem paulo antea ex Archidiacono nostro Audoeno cognoveram, et Sanctissimo Domino Nostro exposueram. Qui sane pro eo, ac debuit, vestram vel potius Anglicanæ Ecclesiæ in vobis aliquantulum resurgentis vicem doluit. Sed quoniam ante provisum erat, ex turbationibus Belgii, et dominatu eorum, qui ad clavum positi fuerant, hujusmodi flagitia eruptura; nec Sathanam tali tempore quieturum, quin, quæcumque posset, tam pio et sancto operi impedimenta objiceret; ideo oportet nos hæc ita accipere, ut non modo non concedamus animis, sed majores spiritus sumamus, memores longe potentiorem esse, qui pro nobis est, quam qui contra nos. Sed ad te consolandum, et confirmandum plura non afferam: scio enim tibi nec mea nec cujusquam oratione opus esse, et te in eo, cui militas, Christo confortari. Sanctitas quidem Sua cœptum opus omni auctoritate, opere, auxilioque suo prosequetur, nec tibi tuisque ullo loco deerit. In cujus rei signum Sanctitas ejus, præter assignatum stipendium, quingentos aureos istic curari tibi jussit, pecuniaque hac de causa Audoëno numerata est. Præterea Sanctitas S. Illustrissimo Cardinali Rhemensi et Capitulo ejusdem Ecclesiæ, quemadmodum optasti, de te scripsit, commendans accurate tuam ac totius Collegii salutem et quietem. Quod et idem Nuncio Apostolico injunctum est, ut apud Christianissimam Majestatem faciat. Quare cum eodem Nuncio commercium literarum habebis, et quotiescumque acciderit, ut opera et patrocinio ipsius apud eandem Majestatem egeas, ad illum fidenter scribes. Ad me autem tuum Collegiique statum, cum libuerit, scribere poteris; libentissime enim tuas semper legam literas, nec unquam committam, ut ullum officii et auxilii genus, quod quidem in me sit, desideres. Reliqua ex Audoëno. Deus te gratia et protectione sua custodiat. Romæ die 19. Maji 1578.

PTOLOMÆUS CARDINALIS NOVOCOMENSIS.

LXXXVI. — Tanta semper præstitit Gregorius caritate, in eos maxime, qui ob constantiam in fide Catholica ex Britannia exulabant, ut nullum unquam finem eos commendandi fecerit. Id egit cum alumnis S. Brunonis, Carthusianis vulgo dictis, qui jam a tempore Henrici VIII. Brugis degebant, et ab Geusis, Anglorum Regina instigante, impie ac ferociter ex illo oppido ejecti fuerunt: nec non cum Sanctimonialibus S. Birgittæ Mechliniæ, id temporis ex Anglia exturbatis, commorantibus, quæ summa rerum omnium inopia laborabant. Itaque præ cæteris Joannem Austriacum flagitavit, ut miseros illos quam commendatissimos haberet, atque apud Regem Catholicum et gratia et officio prosequeretur. (*)

(*) Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 80. fol. 36.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni Austriæ.

GREGORIUS PP. XIII.

« Dilecte fili Nobilis vir salutem et Apostolicam benedictionem. Libentissime fungimur hoc officio commendandi Nobilitati Tuæ eos, quos nostra commendatione tuaque ope dignos judicamus. Sic enim et nostro muneri satisfacimus, et quod Tuæ Nobilitati optatissimum esse certo scimus, summam tibi facultatem damus amplissima a Domino Deo nostro præmia promerendi. Neque enim debet quidquam esse utrique nostrum commendatius eorum causa, qui propter Catholicum nomen, syncerumque Sanctæ Religionis cultum in magnas calamitates venerunt. Ex hoc numero hos præcipuos habemus, quos Tuæ Nobilitati hoc tempore commendemus. Riccardus Nortonus Anglus, vir olim domi suæ nobilis et potens, nunc autem nulla alia de causa, nisi propter perpetuam in fide orthodoxa retinenda et tuenda constantiam, summumque ejus in Eboracensi provincia restituendæ conatum, rerum omnium egentissimus, decrepita ætate, suis omnibus orbatus, una tantum filia, matrona, patris exilii, miseriarumque omnium comite, post longam diversarum provinciarum peragrationem proficiscitor

ad Nobilitatem Tnam, ut possit tua ope frui Catholici Regis Philippi benignitate in ea pecunia exigenda, quam ei Rex in singulos menses persolvi imperavit. Rogamus igitur Nobilitatem Tuam, quantum possumus, ut et hominem ipsum, et causam quam commendatissimam habeas, efficiasque, ut pensiooes tum præteritæ, tum quæ in posterum debebuntur, sine mora persolvantur. Monachi etiam Carthusiani, eorum scilicet monachorum reliquiæ, quos Henricus Octavus Catholicæ fidei odio in Anglia crudelissime trucidavit, nuper e Civitate Brugensi, in qua sustentabantur Catholici Regis munificentia, Anglicæ illius furiæ postulatione ejecti miserrime vivunt in Civitate Sancti Quintini, jamque amissis rebus omnibus, sola ipsis spes salva est in tua præstanti humanitate, et Catholici Regis benignitate. Orant igitur, ut eos commendemus Nobilitati Tuæ; id vero facimus toto pectore, rogamusque, ut jubeas locum aliquem ipsis assignari, in quo possint simul vivere, proque ipsius Regis, tuaque salute, totius Regni felicitate, Catholicæque Ecclesiæ amplitudine, ut semper fecerunt, Deum precari. Virgines enim Anglicæ Deo sacratæ in Monasterio Ordinis Sanctæ Brigitæ, quod est Mecliniæ, vivunt in summa egestate et periculo ab hæreticis, carentque jam quadriennium ea pensione, quam Rex Catholicus eis persolvi mandavit. Vides quam multorum res agatur, quanta omnibus spes in tua pietate sita sit, quæ sit oostra expectatio, quid causa ipsa postulet. Nos igitur omnes, et si qui præterea alii sunt ex Anglia Christi causa ejecti, commendamus Nobilitati Tuæ, quantum possumus, quantumque Christus ipse in eis flagitat. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXVII. — Militum S. Joannis Hierosolymitani Melitensium Priorem ex Anglia item exulem, atque in summa egestate versantem, et iter in Lusitaniam per Hispanias facturum, Regi Catholico commendabat, eique insinuabat, hunc virum ipsi magno fortasse usui esse posse ad omnia, quæ de Anglia animo agitabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 325 f. 489.

Charissimo in Christo Filio Nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem etc. Dilectus filius Prior Angliæ, postquam discessit Melita, contulit se Venetias, ibi aliquandiu commoratus Romam venit, hic etiam circiter quadriennium permansit; videbat enim, quam acerbe mulier illa Anglica Catholicos insectaretur. Nunc cogitur in Portugalliam ire exactum Olysippone quandam pecuniæ summam. Cum autem istinc iter facturus esset, atque ad Majestatem Tuam venturus, voluimus ei has literas dare, ut si forte propter eam, quam habet, rerum Anglicarum peritiam judicaveris, posse eum Majestati Tuæ aliqua in re inservire, ejus opera utereris; multis enim in rebus usui esse posset, si forte ad eam Insulam iret: sperat enim, si suos ibi amicos conveniret, posse se ea inde referre, quæ magnopere pertinerent ad ea, quæ Regni illius causa tentanda ac suscipienda essent. Omnia ex ipso planius cognoscet Majestas Tua. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IX. Aprilis MDLXXVIII. Pontif. Nostri anno sexto.

Eundem etiam Lusitaniæ Regi commendabat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. Ann. VI. ep. 395. f. 490

Charissimo in Christo Filio Nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem ete. Prior Angliæ, nobili et Catholica familia, quo etiam apud Majestatem Tuam Oratore usus est Catholicus Rex Philippus, hactenus se sustentavit nomine quodam Affaitato et Bardo; nunc nullum mercatorem invenit, qui velit eo nomine pecuniam solvere: itaque cogitur istuc ire, suæque summæ necessitati providere. Et quamquam optimam spem habemus in fide Jacobi Bardi, cujus ille habet gravissimum apud Nos testimonium Joannis Gomesii Silvæ, tui apud Nos Oratoris, neque arbitramur, quidquam Priori de summa detractum iri, tamen volumus eum commendare Majestati Tuæ, et rogare, ut provideas, ne exactio aut impediatur, aut differatur: erit hoc Nobis gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXVIII. — Elisabetha Anglorum Regina, impotentissima fœmina, haud sibi satis faciens in odio ac furore erga Catholicos regni sui exercendo, res quoque Scotiæ interturbare omnibus artibus conabatur. Hujus regni Ordines effrænatæ licentiæ, qua Mortonius Prorex, vir imprimis turpibus avaritiæ sordibus notatus, utebatur, pertæsi, rerum administrationem ab eo in Regem ipsum, quamvis vix decimum et secundum ætatis annum attigisset, adeoque nondum regendis populis satis idoneum, transtulerunt: cui rei ut consultum esset, adlegebantur duodecim ex regni Proceribus, qui terni in orbem tertio quoque mense Regi adessent consilio, quos inter et ipse Mortonius locum obtinuit. His rebus cognitis, vaferrima illa mulier, novo proposito fœdere, ita Regem obstringere aggressa est, ut eum omnino nutui voluntatique suæ obnoxium, nedum obsequentem faceret, et penes ipsam Scoticarum rerum supremum arbitrium esset. Præcipua autem hujus fœderis capita hæc erant: Rex nullam aliam quam Anglicanam religionem in regno admitteret; quamdiu in minori esset ætate, nullum cum quovis Principe fœdus iniret, neve renovaret; ne ea, Elisabetha

inquam inconsulta, matrimonium vel contraheret, vel e Scotia discederet. Quæ conditiones cum genti Scoticæ dedecori essent, eorum animos valde permoverunt, tamque grave sibi imponi onus jure sunt dedignati. Quamobrem qui supererant in Scotia Catholici viri, clam cum Maria eorum Regina, in Anglia captiva, consilium inierunt, qua ratione fieri posset, ut juvenis Rex ab indecora illius mulieris servitute in libertatem vindicaretur, simulque fidei Catholicæ incolumitati prospiceretur. Quam rem consequi tutius haud posse censuerunt, quam si Rex in Galliam secederet, ibique in aula regia per aliquod tempus in fide Catholica educaretur. Huic consilio illud etiam favere videbatur, quod non defuturi essent ipsi Scoti hæresi addicti, qui eum non adeo multum ab fide Catholica alienatos animos gererent, ægre ferrent tanta vi tantaque injuria Catholicis suis interdici sacris. Maria quoque pro se, quantum poterat, hoc negotium per Archiepiscopum Glasguensem apud Regem Christianissimum, et per Episcopum Rossensem apud Summum Pontificem promovebat; quod plures suæ litteræ ad Glasguensem Præsulem et ad Cardinalem Lotharingum testantur, [*] quas Alexander Princeps Labanoffius, Moscus, ex secretioribus Europæ archiviis et bibliothecis paucis abhinc annis in lucem protulit. De tota hujus negotii ratione cum Pontifice acturus Rossensis Præsul, Romam primo vere contendit. Ille retulit Pontifici non exiguam spem esse, cum Rex nedum ab avita fide haud abalienato animo esset, sed ei plurimum faveret, cumque multi inter Scotos essent, qui Catholicam religionem postliminio restitutam minime gravate ferrent.

[*] Cf. Lettres etc. de Marie Stuard Londres 1848. Tom IV. p. 396 T.V. p. 2. 8. 11. 13. 16. 31.

LXXXIX. — Pontifex qua posset ratione huic tam sancto, tam opportuno consilio juvando non defuit; litterisque amantissimis Regem, regni Ordines et alios viros, ut in fide Catholica perstarent, vel ad eam redirent, hortatus est.

En quas Regi inscripsit. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 80 f. 30.

Charissimo in Christo Filio Nostro Jacobo Scotiæ Regi Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Quod ista ætate, qua Regni curam et gubernaculum suscepisti, optimam spem afferas referendi clarissimorum Regum, ac majorum tuorum laudem virtutis et pietatis in Catholica Religione tuenda et retinenda, iisque in locis, in quibus collapsa est, restituenda, gratulamur Majestati Tuæ et merito. Sunt enim hæc vere bona optimorumque Regum cura et sollicitudine dignissima, neque potest quisquam Rempublicam gubernare et tueri, ut non summam quoque Religionis et pietatis curam sustineat. Ut enim Regibus cæteri serviunt, sic oportet, eos Deo sanctæque ejus fidei inservire: estque hoc ipsum Catholicæ Religionis studium, causa et basis stabilissima Regnorum incolumitatis et diuturnitatis, inque hac eura suspicienda non solum Reges suo ipsorum officio satisfaciunt, Regnique ipsius stabilitati prospiciunt, sed sibi etiam præclare consulunt: licet enim ex Regum historia, quæ sacris libris continetur, intelligi eos, qui pie sancteque vixerunt, quique Dei ipsius gloriam rebus omnibus anteposuerunt, multis maximisque bonis etiam in hac vita ab eodem Deo cumulatos fuisse: qui vero ab eo defecerunt, brevi interiisse. Quid quod nihil potest esse majus atque efficacius ad Catholicorum Regum ac Principum benevolentiam conciliandam, viresque adjungendas hac ipsa fidei et Religionis conjunctione, ejusque tuendæ conatu et studio? His igitur de causis gratulamur Maj. Tuæ, jamque spe atque animo percipimus eam lætitiam, quæ ad Catholicam Ecclesiam perventura est ex tuis virtutibus, atque ex Regni istius felicitate, pro qua Deum orare non desistimus. De Nobis autem sic pollicemur, parata tibi semper fore omnia, quæ poterunt ab hujus Sanctæ Sedis auctoritate et potestate proficisci. Cætera ex venerabili fratre Episcopo Rossensi tui studiosissimo cognosces, eique fidem tribues. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die quinta Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Has vero ad universos Scotos dabat, in quibus nunciat, se Episcopum Rossensem cum suis mandatis ad eos mittere. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 83. f. 32.

Dilectis Filiis Nobilitati et Populo Scotiæ.

GREGORIVS PP. XIII.

« Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Quanta semper fuerit majorum vestrorum constantia et gloria in Catholica Religione pie sancteque colenda et retinenda, præclare scire vos, ad eandemque ipsam gloriam non dubitamus. Est enim beatitudinis amor omnium animis insitus ille quidem a natura, stultum vero plane est, velle ad eam pervenire, et contraria via incedere: perveniendi unam tantum esse viam, Catholicæ nimirum fidei sanctum et syncerum cultum docet Apostolus, his verbis: David, Samuel Prophetæ per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones quas, quæso, repromissiones? certe non hæc terrena et caduca bona. Illi enim, ut ait idem Apostolus, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt; alia igitur habuerunt proposita bona, sempiternam nimirum vitam omni felicitate affluentem. Quod si illi ad summam beatitudinem pervenerunt, qui per fidem operati sunt justitiam, fides autem plus una esse non potest: unus enim Dominus, ait idem Apostolus, una fides, unum baptisma; quis dubitet hanc ipsam fidem eam esse quam usque ab Apostolis perpetua successione retinuit, constantis-

simeque coluit et sanctissimis decretis et sanguine ipso firmavit Catholica Ecclesia? Hæreticorum vero portenta quam pridem exorta sunt? quibus auctoribus, qua gravitate, qua vitæ innocentia et sanctitate præditis constituta? quibus miraculis illustrata? qua Episcoporum successione stabilita. Hanc igitur Catholicam fidem amplecti vos summopere cupimus, idque facere gaudemus; sic enim ad sempiternam beatitudinem pervenietis, deque vestris hostibus triumphabitis, quod antiquis etiam patribus evenisse docet Apostolus, per fidem, inquit, effugaverunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Nos certe, quantum possumus, Apostolica hac, quam a Dei benignitate accepimus, auctoritate et potestate ad hanc ipsam Catholicam Religionem vestro in Regno restituendam vobis pollicemur, mittimusque hac de causa venerabilem fratrem Episcopum Rossensem vestræ salutis et gloriæ stodiosissimum. Ex eo coram, si licebit, sin minus per literas omnia planius cognoscetis, rogamus, ut ejus verbis fidem tribuatis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXX. — Mariæ Scotorum Reginæ Pontifex nunciat, quæ causa sit Episcopi Rossensis mittendi. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VII. ep. 81. f. 51.

Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ Scotiæ Reginæ Illustri.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissima in Christo filia nostra salutem et Apostolicam benedictionem. Nisi persuasum haberemus perspectam esse Majestati Tuæ nostram erga te charitatem, certoque sciremus, te in omni conditione et statu a Divina voluntate pendere velle, omnibusque in rebus sive prosperis sive adversis Dei benignitati gratias agere, longiores essemus in nostra erga te voluntate testificanda, inque hortando, ut faceres id, quod facere non dubitamus. Sed quia certum habemus et illud scire te, et hoc facere, satis erit indicare Majestati Tuæ causam adventus venerabilis fratris Episcopi Rossensis, Tuæ Majestatis studiosissimi. Nulla autem potest esse major, neque optabilior. Sic enim accepimus spem aliquam ostendi Catholicæ Religionis tuo in Regno restituendæ, unde et Dei gloriam et Regni ipsius salutem atque amplitudinem pendere non ignoras. Mittimus igitur Episcopum hac ipsa de causa: non dubitamus, Majestatem Tuam omnem eidem fidem tributuram. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Fidei Catholicæ in Scotia restituendæ negotium, necnon eumdem Rossensem Episcopum Galliarum Regi commendat. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An VII. ep. 75. f. 47

Charissimo in Christo Filio Nostro Henrico Francorum Regi Christianissimo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Accepimus Domini Dei Nostri benignitate spem aliquam ostendi Catholicæ Religionis in Scotia restituendæ; nihil tanta in re cunctandum esse arbitrati sumus; mittimus igitur venerabilem fratrem Episcopum Rossensem. Is Majestati Tuæ exponet ea, quæ ad hanc causam magnopere pertinere videntur. Gratissimum Nobis facies, si ei super hoc negotio fidem tribues, remque ipsam consilio, authoritate atque opera tua amplecteris, quod quidem facturum te pro tua præstanti pietate non dubitamus. Omnia planius ex Episcopo ipso cognosces, quem etiam Tuæ Majestati commendamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

Litteras etiam in camdem sententiam scriptas mittebat ad Cardinales Gallos, ad viros Principes Guisianæ gentis et ad Magnum Galliæ Cancellarium. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII ep. 73.-79.

LXXXXI. — Rossensi Præsuli Maria Scotorum Regina mandatum dederat, ut ex itinere, cum Roma in Scotiam rediturus esset, Catholicos Germaniæ Principes adiret, eosque adprecaretur, ut cœnobia, quæ Scoti vel ab remotissima ætate in nonnullis Germaniæ provinciis obtinuissent, quæque temporum lapsu in Germanorum Monachorum possessionem transiissent, Scotis redderentur. Hujus quoque rei curam Gregorius amplexus, Reginæ vota et Rossensem Episcopum commendat per literas cum Cæsari ac Principibus, tum Germaniæ Ecclesiæ Antistitibus. [*]

[*] Reg. Gregorii XIII. An. VII. ep. 64. f. 48.

Charissimo in Christo Filio Nostro Rodulpho Hungariæ et Bohemiæ Regi Illustri, in Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIVS PP. XIII.

« Charissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Venerabilis frater Episcopus Rossensis non cessat cogitare et laborare de iis rebus, quæ ad Catholicam Religionem in Scotia restituendam maxime pertinent. In his suscepit etiam Reginæ ipsius mandato negocium illius Regni monasteriorum. Commendamus tum hominem ipsum, tum causam Majestati Tuæ, quantum possumus; utrumque enim dignum judicamus, in quo amplectendo et tuendo versetur pietas atque opera tua. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno septimo.

LXXXXII. — Archiepiscopus Glasguensis, qui omnem restituendæ Religionis Catholicæ spem in Rege transvehendo alio positam videret, idque facillime, certantibus præclari hujus facinoris auctorum studiis, vel ipsam vitam profundere non dubitantium, factum iri intelligeret,

verens ne occasio rei bene gerendæ adimeretur mora aliqua interposita, Cardinalem Comensem crebris literis orat obsecratque, ut Pontifex illud negotium suis verbis suaque auctoritate velit juvare. [*]

[*] Gallia Vol. 13. fol. 174.

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Comensi.

« Non sum nescius, Amplissime Cardinalis, quantopere Scotia tota tibi debeat pro singulari studio, quo erga illius afflictas calamitosasque res fuisse te hactenus magna bonorum omnium lætitia et solatio intelleximus. Et quamvis de agendis tibi pro tanta humanitate gratiis cogitandum mihi potius coocivium meorum nomine fuisset, quam vel de re tibi per se carissima commendanda; vel orando te, ut constanter quod Christianæ pietatis studio et innata bonitate tua per te facis, catholicæ in Scotia fidei restitutionem procurare, ac promovere perseveres: præsens tamen rerum status me pæne cogit, ut ad tuam benevolentiam facilitatemque confugiam, et tuum ad illas stabiliendas auxilium efflagitem, neque verear te maximarum rerum cognitione distentum hisce modo literis interpellare: certo mihi persuasus existimare te in ista gravissimorum negotiorum cura, quam sanctissimus et sapientissimus Pontifex in te transtulit, etiam hoc ad aliquam partem tuæ providentiæ pertinere. Ut vero quo pacto se nunc res habeant, intelligas, laborant viri nobilissimi, ut eo summæ spei adolescentem Principem suum e Scotia deducant, ubi ad Sanctissimi Domini Nostri voluntatem atque arbitrium in christianæ religionis moribus, ac præceptis institui imbuique possit, atque in id sic toti incumbunt, ut si subsidium aliquod illis afferatur, spes magna sit, fore brevi, ut res feliciter magno afflictissimi illius regni emolumento, et summa Christianæ totius Reipublicæ gratulatione succedat. Significatum enim mihi nuper est, præclari hujus facinoris auctores tanto rem animo esse aggressos, nullis ut neque corporis neque fortunæ bonis parcere, vitamque ipsam, si res postulet, fortiter constanterque profundere statuerint, si (quod magnopere postulant) alicujus opibus atque auxiliis in re tam ardua, tamque difficili sustentari se juvarique sentiant: quandoquidem suarum virium probe conscii tanto ponderi sustinendo sufficere nulla se ratione posse perspiciunt. Quam ob rem quo major futurus est cœpti hujus consilii fructus, quem sane, si contigerit exitus, quem optare sperareque debemus, futurum esse maximum prævidere licet, quoque paratiora modo sunt, quam fuerunt hactenus fortasse omnia: eo cavendum diligentius ne oportunum rei conficiendæ tempus amittatur; cum præsertim, si data nunc optimatibus illis negotii bene gerendi opportunitas adimatur, aliam ipsi deinceps recuperare se posse desperent, et multos esse non ignorent, qui, si ad eorum aures suspitionis hujus fama pervenerit, quod timendum vehementer est, si mora longior interponatur, non sine magno illorum, qui susceperunt, discrimine, impedire summo conatu nitentur. Quæ causa est, ut iterum atque iterum te vehementer obsecrem, pro tua erga res Christianas caritate, et qua nos hactenus prosecutus es benevolentia, ut hoc tam utile, tam salutare nobis, tam expetendum omnibus negotium Sanctissimo Domino Nostro magis et magis commendare, atque ut in illud pastorali paternoque animo incumbens verbis, auctoritate, re juvet, suadere velis. Nam cum quanti momenti sit, ille per se probe intelligat, et ad ea promovenda, quæ in tantam Dei Optimi Maximi gloriam et honorem, atque in Christi Ecclesiæ, cujus ipse caput est, amplificationem et commodum redundant, promptissimus paratissimusque sit; non dubitamus, si tua etiam, qua plurimum apud illum potes, gratia et auctoritas accesserit, felicissime omnia eventura. Amplectere igitur, Amplissime Cardinalis, pro Christi erga nos benevolentia, vel potius retine, quam amplexus es, non de nobis tantum, sed de tota Christianæ reipublicæ benemerendi occasionem divinitus oblatam. Nam licet neque is tu sis, qui spe ulla mortalis aut præmii aut laudis ad benemerendum exciteris, qui recte factorum fructum a Deo potius quam ab hominum judiciis expectas: neque nos tua beneficentia et liberalitate dignum quidpiam polliceri possimus, quibus omnem vel promerendi beneficii vel referendæ gratiæ occasionem partim tuarum virtutum magnitudo, partim iniquitas temporis eripuit: tamen, si quod in te collocatum esse credimus, consequamur, ut tranquille tandem aliquando in Scotia restituta religione fideque Catholica vivamus. Quantam lætitiæ voluptatem animo percipies, dum te tanti boni auctorem extitisse recordaberis? quibus Christiana respublica universa gaudiis exultabit? quas tibi pro restituto sibi nobilissimo atque antiquissimo regno gratias aget? Scotia certe tota quidquid ex hoc beneficii acceperit, quod non summum esse non potest, id tutum tuis consiliis acceptum referet. Optimus vero Princeps, quem nobis reddere, in tua potestate situm esse arbitramur, te, qui ex inimicorum illum manibus eripueris, parentis amantissimi loco perpetuo colet. Ego denique concivesque mei, qui tandiu jam inquilini atque exules nullis fere locis consistere potuimus, dabimus operam, ne sit obscurum beneficium tuum, memoria certe et voluntate, si reipsa minus poterimus, diligenter ingrati animi culpam devitabimus. Deum interea Optimum Maximum precamur, ut Sanctissimum Dominum Nostrum et te, Cardinalis Amplissime, nobis Ecclesiæque universæ diutissime conservet incolumem. Plura cum voles, de qui-

bus modo scripsi, deque toto Scoticarum rerum statu ex nostrate Roberto Hayo Archidiacono Vasonensi, qui Romæ jam diu versatur, intelliges. Vale. Lutetiæ Idibus Novembris MDLXXVIII.

Illmæ et Rmæ Dominationis Vestræ

Servus obsequentissimus

JACOBUS ARCHIEPISCOPUS GLASGUENSIS.

LXXXXIII. — Adeo Gregorius nihil remittebat animi et contentionis in rebus fidei curandis, ut eadem alacritate et sedulitate latissimarum Orientis regionum Ecclesias complecteretur. Omnium primi se nobis exhibent Maronitæ, quorum Oratores cum Romam venissent, conjunctionem cum Ecclesia Romana petitum ab eo perhonestis et benignis verbis excepti fuere. Gregorio autem ad tantæ rei procurationem nihil præstare magis visum est, quam ut Legatos ad eos mitteret, qui rerum statum explorarent, consuetudinem et mutuam caritatem foverent. Quod munus gravissimum Thomæ Regio et Baptistæ Eliano e Societate Jesu presbyteris, viris spectatissimis, multarum linguarum peritis, atque Orientalem Ecclesiam juvandi in primis cupidis, demandatum fuit. Has autem litteras ad ejus gentis Patriarcham Pontifex testes ingentis lætitiæ suæ dedit. [1]

[1] Reg. Gregorii XIII Ann. VI ep. 162. f. 436.

Venerabili Fratri Petro Maronitarum Patriarchæ Electo.

GREGORIUS PP. XIII.

« Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem. Semper judicavimus illud esse verum gaudium, et Christiana charitate dignissimum, quod propter Dei gloriam perciperetur. Constat autem, hujus ipsius gloriæ in hac vita fundamentum esse pietatem in fide Catholica pure sancteque colenda. Hanc vero fidem Christi primum doctrina et sanguine sancitam, tum ab Apostolis per totum Orbem diffusam, charitate deinde auctam, vetustate firmatam et roboratam ad extremum, Sanctorum Patrum Œcumenicorumque Conciliorum decretis planissime explicatam, usque a Petro Apostolorum Principe continuata per omnes Pontifices successione certum est, semper inviolatam retinuisse Romanam Ecclesiam, neque sese ullius unquam hæresis labe contaminari passam fuisse. Hujus igitur Ecclesiæ, quam beatissimus martyr Cyprianus merito Catholicæ Ecclesiæ radicem et matricem vocat, te tuosque omnes fidem amplecti et profiteri, incredibiliter lætati sumus, et propter eam, quam diximus, Dei gloriam, et propter vestram salutem; neque enim sine fide potest quisquam placere Deo: neque fides plus una esse potest; neque eam alibi, quam in Catholica Ecclesia reperiri. Qua de re fusius scripsimus per venerabilem fratrem Episcopum Georgium, perque dilectum filium Clementem Archipresbyterum, quibus etiam munuscula quædam ex nostro Sacrario, et benedictionem ad Tuam Fraternitatem dedimus. Nunc vero voluimus vos consolari per dilectos filios Thomam Regium et Baptismam Elianum, Sacerdotes Societatis Jesu, quos mittimus, viros optimos, multisque in rebus probatissimos, et Christianæ charitatis plenos, ex quibus certissime cognoscetis omnia, quæ ad fidei Catholicæ synceritatem, divinorumque et Sanctæ Matris Ecclesiæ mandatorum observantiam pertinebunt. Non dubitamus, Fraternitatem Tuam, tuosque omnes ex horum Christi servorum labore, fidelissimaque opera, inque iis, quæ ad Dei laudem animarumque salutem pertinebunt, studio inexhausto maximum fructum percepturos. Rogamus igitur, ut ipsos quam commendatissimos habeatis, eorumque labores vestra quoque humanitate et charitate amplectamini, omnibusque in rebus eandem eis fidem tribuatis, quam Nobis ipsis, si præsentes adessemus, tribueretis. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Februarii MDLXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

LXXXXIV. — « Igitur hi viri, Regius inquam et Elianus, ut narrat Sacchinus, [1] redeuntibus Georgio Clementique comites additi, traditis mandatis, ut Pontificis nomine salutarent Patriacham populumque Maronitarum, et summam in eos Patris Sñi voluntatem testificarentur: tum veræ caritatis officiis eorum sibi conciliatis animis, rerum statum amice scrutarentur: et si quos reperirent errores, non eos tanquam pro potestate, sed velut significando explicandoque, quid Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ mos ac fides haberet, conarentur depellere. Nihil Pontifex Gregorius, nihil Cardinalis Carafa (Maronitarum protector) benignitatis et indulgentiæ prætermisere in Legatos: attributisque tum ipsis, tum ferendis ad Patriarcham muneribus, insuperque literis perhonorificis, per quas audienda libenter, quæ patres narrarent, ad extremum exhortabantur, lætissimos, Romanaque beneficentia et caritate magnum in modum adstrictos dimisere. Terra marique secundissimo cursu progressi primo post Idus Januarias die in Syriam ad urbem Phœniciæ Tripolim appulere. Unde non procul monasterium abest Canubinum, sedes Patriarchæ Maronitarum. Namque is ac cæteri ferme ejus gentis Antistites, ut e Monachis leguntur, ita in monasteriis degunt. Ubi præcognitum in Canubino est, adesse missos a Romano Pontifice Nuncios, egressi obviam Patriarcha cum Clero, perhonorifice eos perque humaniter excepere: eo maxime lætis omnibus, quod hominem nacti essent suæ linguæ peritum, eum quo communicare suas literas, et a quo doceri familiariter, quem probe intelligere, et a quo vicissim intelligi possent. Lingua vulgaris arabica est; chaldaica utuntur in libris. Pater autem Baptista arabice loquebatur, et scribebat opti-

[1] Hist. Soc. Jesu. Par. IV. lib. VI. p. 184

me, et nonnihil norat chaldaice. Qui cum literas Pontificis interpretatus esset, exultans lætitia Patriarcha: Nunc tandem, inquit, ipsum mihi videor alloqui et audire Sanctissimum Papam. Nam quas adhuc accepimus ab Sede Apostolica literas, interpretis inopia nihil nisi quod fuit in nobis, summa veneratione capitibus nostris et oculis imposuimus, et in scrinium reconditas magna cura servamus. Nunc quoniam quid a nobis requiratur, copia facta est intelligendi; docete ac ducite in semitas veritatis. En animos vobis nostros ad omne obsequium paratissimos dedimus. Hæc alacritas vehementer patres, præsertim Elianum exhilaravit et ad omnem laborem, spe levante onus, incendit. Igitur summo studio ad volumina eorum perscrutanda, cæremoniasque ac ritus observandos, interrogandosque peritos convertitur. Ac libros quidem nonnullos maculis Dioscori aspersos reperit. In ritibus autem animadvertit multa præter Catholicos mores per simplicitatem admixta. Infantes ante quadragesimum diem nefas ducebant baptizare, ne domum relati, ubi mater etiamnum degebat, ut rebantur, immunda, immunditie eadem contaminarentur. Protinus autem secundum Baptismum inungebant totos, nullum postea Chrisma adhibentes. In Chrismatis quoque ipsius confectura multa admiscebant præter oleum ex olivo et balsamum. Item baptizatis infantibus ritu Græcorum continuo divinam Eucharistiam impertiebant. Divortia aliter, et alias ob causas quam ab Evangelio permissum sit, increbuerant: nec raræ inde novæ nuptiæ. Hæc atque hujusmodi alia cum discrepare ab Ecclesiæ Sanctæ norma monuisset Baptista; recepit obedienter Patriarcha, cuncta sese paulatim, Deo juvante, et ipsis patribus, correcturum: extemploque manus operi admoveri cœpta. Simul autem perspectæ sunt aliæ gravissimæ inopis populi difficultates. Tanta sacri instrumenti penuria erat, ut sacrorum quosdam calicum ad commovendam misericordiam statuerint patres Romam deferre. Paucissimos libros, nec nisi scriptos manu, eosque nec absolutos, et erroribus multis contaminatos habebant.

Dubito io che a questa s'aggiunga l'altra, che per l'ordinario i scholari non si profundano nelle materie, si che partono più tosto tinti che informati delle cose, nè può essere altrimenti leggendosi con tanto precipitio l'Organo d'Aristo-

tele, la Philosophia naturale, et la Theologia scolastica, et massimamente che quelli li quali sogliono concorrere ordinariamente allo studio di Friburgo, sono per dispositione d'ingegno tardo, et che fa qualche frutto più per sforzo di fatica, che per acotezza d'iogegno. Però chi introducesse la lettione d'Aristotele così dell'Organo, come della naturale philosophia, come s'usa ne' studii d'Italia, et appresso queste la vera Theologia scolastica formale, nelle questioni della quale giudicarono già non gettarsi il tempo tanti divini ingegni, come mostrano di credere i Professori Friburgensi, farebbe un singolarissimo beneficio a quell'Università, che com' è di grande importanza per conservare la religione Catholica in Svevia et Alsatia, così se profundasse più i suoi soggetti (il che non veggo che possi mai essere stando il manchamento antedetto,) sarebbe di gran giovamento a racquistare (quando venghi il tempo di totale dispensatiooe) le regioni prossime.

Ma a questo s'oppongono alcune considerationi, la prima che dicendo dell'Università essere stato stile di tant' anni ciò che osserva, noo può piegare ad innovatione alcuna, et tanto più si mostra dura, quanto giudica noo poter essere astretta d'alcuno a veruna alteratione; la seconda è la quantità dell'entrate si poche, che non può condure nè più Professori, nè con stipendio straordinario, allegando che quando anco si possi fare uno sforzo in uno o due soggetti, non sia ispediente farlo, poichè gl'altri che sin qui si sono contentati di quel poco, che l'Università è solita di prestare, vorranno che s'alteri parimenti lo stipendio loro, massimamente essendone alcuni c' hanno consumato molt' anni in leggere; la terza è, che il concorso è per lo più di persone assai povere, le quali per quel desiderio, ch' è assai naturale agl'huomini, noo veggono l'hora d'apigliarsi a professione, che li somministri il vitto, in modo che pochissimi aspettarebbono quel corso di studii grave et maturo, accompagnato da discussione esatta di tante questioni. Con tutto ciò chi potesse accrescere l'entrate, sarebbono que' rispetti di niuna consideratione in proportione del frutto, che si cavarebbe in pochi, se non in molti: ma quello è incontro molto duro. V'è chi dice doversi fare accrescimento conveniente, se s'applicassero certi monasterii noti d'Alsatia, del numero et rendite de' quali non posso trovare, chi m' informi; altri dicono che tanti mooasterii richissimi potrebbono fare qualche contributione, massimamcute che dall'Università apprendono ciò che sanno, nè manca chi discorre, che le Cathedrali vicine potrebhono assignare i frutti d'una prebenda per ciascuna, come già dicono haver fatto all'Università d'Heidelberga le Chiese di Spira, di Vormacia et Magonza, le quali trahevano da essa molti Sacerdoti ogn' anno, come fanno queste circonvicine dalla Friburgense.

Quando Nostro Signore si risolvi d'ajutarla in qualche modo, si facilitarà molto la prattica, se si ricorrerà al Serenissimo Arciduca Ferdinandu, servando la congiuntura per un simile rispetto. Hà Sua Altezza ne' giorni passati dimandato all'Università informatione di quello che legge et fa ogni Professore, accennando di voler riformare ciò che vedesse haver bisogno di correttione; ha di più ricercati i Dottori a ricordare quello che potesse migliorare lo studio; sopra questo ha ogni Facoltà isteso ciò che costuma, provando insieme, che non si può meglio ordinare gl'instituti loro, nè dopo la presentatione degli scritti è stato risposto, aspettano essi di vedere ciò che vorrà determinare Sua Altezza, la quale se sotto nome suo proponesse ciò che la Beatitudine Sua le facesse ricordare, più facilmente si metterebbe in prattica, che se si volesse ciò eseguire sotto nome di visita odiosa grandemente ad essi, che stimano d'havere notabil merito con la Religione Catholica, noo havendo mai (come dicono) alcuno suo Professore apostatato.

La Facoltà Theologica ha mostrato a Sua Altezza di desiderare due lettioni, una de' casi di conscienza, at l'altra di materie controverse: la prima non sarà se non buona, et più fruttuosa, quando fosse introdotta la Scholastica formale; la seconda a me non piacerebbe in tanta gioventù, et superficialmente instrutta, parendomi cosa di generare in essa più tosto opinioni che scienza.

Un disordine da oou comportare invecchiato in essa è la libertà, che s'ha si può dire ogn' uno presa di tenere libri prohibiti, con tutto che sappino essere stato publicato l'Indice oella sinodo di Costanza da Monsignor Illmo d'Altaemps. La provisione secura sarebbe, ch' el Suffraganeo del Signor Cardinale, uno del Reggimento d'Ensishaim per il Serenissimo Arciduca Ferdinando, et uno per l'Università l'espurgassero, che prohibissero il vendersi in Friburgo libri tali, et assolvessero quelli che fossero scorsi in iscommunica, che saranno quasi tutti. L'abuso è senza dubio pernicioso, meschiandosi spesso il veleno co'l latte delle scienze alla gioventù, per l'età et per la professione più curiosa di quello che conviene.

IL MEDESIMO NUNZIO AL MEDESIMO CARDINALE.

Friburgo 23 Febrajo 1576.

Harrà V. S. Illma nell'allegata ciò che s'à potuto trattare coo Monsignor Vescovo d'Ar- Germania Vol. 39. fol. 323.

gentina, co'l quale ho trovato il Duca Federico di Sassonia, figliuolo del Duca Francesco et d'una sorella dell'Elettore, fratello del nuovo Eletto Arcivescovo Bremense, et Canonico d'Argentina, è giovane di xviii. anni, fa professione di Catholico, et è comparso la mattina alla messa, il che non fa la famiglia sua; veste alla Cavalleresca, come sogliono tutti i Capitolari, che per havere di tutti i mesi le collationi, institoiscono chi li piace, massimamente non ricercando confirmatione se non dal Preposito, che o per convenienza, o per rispetto delle famiglie, dovendo essere tutti o Principi, o Conti, o Baroni, non le contende. Ha il sodetto Monsignor (come ho detto a V. S. Illma nell'altra mia) il Capitolo per meno infetto di quello ch' è la publica voce, nè però nega che non versi in pericolo grande; onde mostra che li piacerebbe il moto, e ho fatto in via di discorso, come da me, d'introdurre la professione della fede nella confirmatione de' Canonici, ma si rende certo che sia impossibile stante la libertà, et l'authorità di tanta Nobiltà, la quale nè si lasciarebbe persuadere, nè comportarebbe d'essere astretta. È di presente Canonico di quella Chiesa il figliuolo del Duca di Cleves, un' altro del Duca di Olsten, oltra il commemorato di Sassonia, il quale ha mosso il Vescovo a persuadermi, che potendosi dare la confirmatione all'Arcivescovo di Brema sarebbe facilmente causa di qualche bene. Ma perchè il Sig. Conte Arnoldo m' ha detto d'havere spiegato, et dover significare al lungo in Corte ciò, che passa, non occorre che sopra ciò m' istendi.

———

Friburgo 23 Febrajo 1576.

Dopo questi discorsi ho tenuto proposito sopra il rimettere la religione nella Città d'Argentina; tanto che almeno s' havesse l'essercitio del culto divino libero, come s'ha in Augusta, non repugnando alla permissione Imperiale l'uso delle due religioni in qual si voglia luoco. Risponde a quest' essere impossibile per poter suo tentare alcuna cosa, poi che tutte le Chiese sono occupate eccettuando due di Monache, che furtivamente fanno tal volta con le porte chiuse celebrare, ma con ordine espresso del Senato rabbioso nel furore heretico, che con la morte di quelle professe, c' hoggi di vivono, debba cessare l' ordine, et supprimersi i Conventi: permette parimenti ma con manifesto ramarico, che pur con porte serrate si dica la messa tal volta in Chiesa d' una Commenda Hierosolimitana, tolera l'istesso nella Carthusia vicina alla Città, ove non vuole c' habitino più che due religiosi con permissione che con voce bassa recitino gli ufficii divini, inhibendo sotto gravissime pene non si ricetino o visitatori, o altri dell' ordine, le quali insolenze sono incorrigibili negl' occhi dell' huomini, poi che gl'Argentinensi sprezzano tutti i mandati dell'Imperatore, et da cert' anni dicono, che la terra loro è Imperiale, ma libera dal dominio dell'Imperio.

———

Friburgo 14 Marzo 1576.

Con questi principali dell'Università, et massimamente de' Professori Theologici hò tenuto spesso proposito sopra il rimettere la scholastica, et dare indrizzo di maggior sodezza a quella Facoltà, che declina in tempo di maggior bisogno, crescendo le schole prossime d'heretici Bernesi, Tigurini, Basileensi, et Argentinensi, et finalmente accorgendosi che la persuasione è fundata, hanno mandato a Lovania per cavare qualche persona di nome; truovano soggetti accomodati al disegno, ma per ciascun' anno dimandano 600 taleri; hanno fatta diligenza altrove, et da tutti comprendono, ch' è necessario uscire dalla forma ordinaria de' stipendii, se vogliono et far fiorire questa, et conservare l'altre Facoltà; onde postisi a discorrere sopra l'accrescere le rendite di essa Università, nè truovando via, si sono risoluti di spiegarmi un pensiero loro, che sarà parimenti con queste, per tentare se potessero ridursi in termine, che bastassero a condurre huomini di profonda dottrina, havendosi che tardando per la qualità de' tempi s'andarà lo studio alla giornata annihilando, et forse verrà a tale che il rimedio sarà di poco, o niuno servitio. Io ho lodato il fine, et commendata la cura, promettendo di non manchare al negotio, che necessariamente deva essere proposto a Sua Beatitudine, dalla cui approbatione et mandato dipenderà il resto.

———

XLV. — 1576. — §. 48.

ALL' ILLMO. ET RMO. SIG. MIO COLMO.
MONSIG. IL CARDINALE DI COMO.

Vienna 21 Marzo 1576.

Illmo et Revmo Sig. mio Colmo.

Per l'allegate scritture V. S. Illma et Rma vederà ciò, che è passato questa settimana fra la Maestà dell'Imperatore et gl'Ambasciatori Poloni, et finalmente come jeri mattina, essendosi concordate tutte le differenze, Sua Maestà nella Chiesa di S. Agostino fece il giuramento, et accettò il Decreto dell'elettione; il che forse l'ha- Germania Vol. 41. fol. 199.

vrà inteso per un' altra mia mandatale questa mattina per un corriero Fiorentino. La cerimonia è passata in questa maniera, che essendo stata cantata la messa dello Spirito Santo dal Vescovo Agriense nella Chiesa predetta, a la quale vi fu presente Sua Maestà con la Serenissima Imperatrice et figli, che mentre si celebrò stettero nel loro gabinetto solito, et in con gli Ambasciatori di Spagna et Venetia a basso nel choro a la mano dritta, et a la sinistra gl' Ambasciatori di Polonia, i quali poco inanzi che finisce la messa andorno a levare l'Imperatore, che in habito Imperiale accompagnato dai Signori, et andandogli inanzi il Conte di Swarzemburg col pomo d'oro, il Sig. Diatistano (1) col scettro, il Vicemaresciallo dell'Imperio col stocco sfodrato, et gl'Araldi nel loro habito, discese nel coro dinanzi all'altare grande, dove era apparecchiata una sedia sotto al baldacchino coperta di broccato et appresso a man manca un altra piccola per il Serm̃o Re de' Romani, et una banca parimenti coperta dell' istesso broccato dietro Sua Maestà per i tre Arciduchi. Giunta Sua Maestà stando impiedi, et con la testa scoperta, fece il giuramento, leggendolo il Referendario, uno degli Ambasciatori, et replicando Sua Maestà di parola in parola. Fatto il giuramento, del quale qui allegata ne sarà copia, il Signor Laski come capo della Legatione cavò il Decreto dell'elettione da una cassetta tutta miniata, et poi coperta di broccato portata da due suoi gentilhuomini, et con alcune parole in Polacco la presentò a Sua Maestà, dalla quale fu accettato, et nella medesima lingua risposto, ringratiandolo etc: et poi fu letto ad alta voce dal Signor Fausser, nè contiene altro che le cause della privatione del Rè Henrico, et dell'elettione di Sua Maestà: finito che fù di leggere, si cantò il Te Deum con molti strepiti di trombe, et di tamburri come si suole in simili allegrezze, et hiersera et hoggi si è fatto allegrezza con gran tiri d'artiglieria. Il che le scrivo, acciochè se le paresse in Roma se ne potesse fare qualche segno, ancora che non sia stato poco il donativo dei 100 mila scudi. Hora ritornando al primo proposito, accompagnassimo poi Sua Maestà a le stanze, dove restorno i sudetti Ambasciatori Polacchi ad un solennissimo banchetto con Sua Maestà et i Serenissimi Principi, che durò più di tre hore. Questa risolutione d'accettare il Regno non si concluse se non mercoldì sera, et sapendo io che nel giuramento fatto dal Rè Henrico si conteneva la libertà della religione in vigore della confederatione di Varsovia, poichè non si poteva impedire, che non si facesse il medemo giuramento, mi sforzai di persuadere il Sig. Laski a voler protestare, come haveva fatto in Parigi, il quale s' escusò dicendo, ch' essendo ciò principalmente in danno dell'ordine Ecclesiastico bisognarebbe, che vi fusse qualche Vescovo capo di questa protesta, come l'altra volta fù quello di Posnania, ch'esso non haveria mancato d'essere in compagnia sua. Ma non v' essendo più alcuno dell'ordine, non sapeva che di fare; et havendogli replicato et mostrato, che ciò non era di minor danno et vergogna a'Catholici secolari che a gl'Ecclesiastici, mi promise di pensarvi sopra, et pure stimolato da me si risolse giovedì di farlo ad ogni modo. Con tutto ciò essendo io andato l'istesso giorno all'audienza di Sua Maestà, dalla quale mi fu confirmato, che il giorno seguente doveva accettare il Regno, dopo essermene rallegrato seco, le aggiunsi ch'io intendevo contenersi nel giuramento alcune parole di gran pregiudicio a la religione Catholica, et però la pregavo ad haverci sopra quella consideratione, che si deve, et non volere alterare i giuramenti fatti da tutti i Rè passati di quel Regno, eccetto da quest'ultimo, il quale però nella sua coronatione non volse pregiudicare all'ordine Ecclesiastico et a' Catholici, dilatandomi assai in questa materia. Al che Sua Maestà rispose, ch'era impossibile poter alterare alcuna cosa nel giuramento, non havendo gl' Ambasciatori autorità di mutare pur una parola; ma che per questo non intendeva fare alcuno pregiudicio a la religione Catholica, et che il Laski poco prima lo haveva mandato a dire, che voleva protestare, et mostrava Sua Maestà che non le dispiacesse. Onde vedendo io, che non si potevan mutare quelle parole del giuramento ch'io volevo, partito da Sua Maestà andai a trovare il Castellano Belzense, nipote dell' Arcivescovo di Gnesna, a cui dopo gran difficoltà persuasi, che volesse esser insieme col Signor Laski a fare questo protesto, che si doveva esseguire publicamente in Chiesa immediante dopo il giuramento di Sua Maestà. Ma in quello che s'haveva da fare, ad istanza d'alcuni de' gl' altri Ambasciatori, dubitando che potesse seguire qualche disordine, l' Imperatore persuase alli suddetti Signori Laski et Castellano a voler differire detta protestatione, finchè fussero ritornati di sopra; et a me ancora Sua Maestà mandò a dire per il Signor Diatistano, che per buon rispetto era venoto a questa risolutione, et sarebbe l'istesso, non importando niente, che sia fatta più in un luogo, che in un altro, et che il Signor Laski se n' era contentato, come da lui ancora mi fù confirmato. Al che sebene io replicai, mostrando non restare punto satisfatto, pure non v'essendo altro rimedio bisognò stringersi nelle spalle, et così nella camera si fece in voce in presentia di molti altri signori. Io mi sono affaticato quanto ho potuto et saputo, perchè si facesse questo protesto nella Chiesa publicamente in scritto; ma in fine da i Principi bisogna pigliare quello che si può, et pure è meglio, che

sia stato fatto a questo modo che si fosse taccinto, restando hora maggiore attacco a li Vescovi et altri Catholici, quando si verrà a la coronatione, d'impedire questa confederatione di Varsovia, come si fece al tempo di Henrico; et se i Prelati faranno il debito loro, et saranno animati et ajutati dai Ministri della Sede Apostolica, come non dubito habbia da essere, si può sperare, che non debba seguire tanto male, quanto alcuni dicono. Hora che s' è accettato il Regno Sua Maestà attende ad espedir i sudetti Ambasciatori, de quali si raggiona, che il Referendario potrebbe restare qui, et gl' altri andarsene quanto prima alla Dieta di Varsovia per impedire, che non segua qualche novità; et si mandaranno ancora Ambasciatori da Sua Maestà, frà i quali è nominato il Vescovo di Vratislavia, che per essere un poco iodisposto fa ogni opera per fuggire questo carico, pure o di lui o d'altri è necessario, che frà due giorni al più si prenda risolutione, et questi Ambasciatori portaranno 100 mila fiorini per far genti et impedire il passo al Battori, continovandosi l'altre provisioni, et stando pronti con l' armi tutti questi popoli vicini, per moversi quando saranno chiamati. Et perchè S. Maestà desidera prima accordare bene le cose sue, ha determinato subito fatta Pasqua andarsene a la Dieta Imperiale in Ratisbona, che si finirà in dui mesi al più, a la quale mi ha detto, che fa ogni opera, perchè vi venghino gl' Elettori, et particolarmente Maguntia, Sassonia et Brandeburg, et spera che debbano satisfarla. Finita la Dieta Sua Maestà tornerà qui, et se in questo mezzo non si saranno accommodate le cose di Polonia in persooa del Serenissimo Principe Ernesto, che è la mira et intentione principale di S. Maestà, si pensarà a l'nodata nel Regno. Hieri meotre Sua Maestà giurava gl' articoli, vennero i due Ambasciatori mandati da Battoriani di Polonia, uno è il Suffraganeo di Cracovia et l' altro il Castellano Malogustense, et sono alloggiati et sposati honorevolissimamente da S. Maestà, e forse dimani haveranno audienza, et iotendo, che hanno havuto due istrutioni, una da valersi quando l'Imperatore havesse ricusato il Regno, come s'era sparso in Polonia, et l'altra in occasione che havesse accettato, et così staremo a vedere quello che diranno.

L'Ambasciatore del Mosco s' aspetta d' hora in hora, nè s'intende ancora, che il Battori sia in viaggio.

Et senz' altro a V. S. Illma bacio le mani.

Di Vienna a li XXIIII. di Marzo MDLXXVI.

Di V. S. Illma et Rma

Humilmo et devotmo servitore
Gio. Vescovo di Torcello.

XLVI. — 1576. — §. 66.

LITURGIA SVECANÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET ORTHODOXÆ CONFORMIS 1576.

Laurentius Divina providentia Archiepiscopus Upsalensis pio lectori in Christo Domino salutem.

Duo sunt omnino, Christiane lector, extrema, in quorum labyrinthos Christianorum Religio per hominum oscitantiam incurrens miserabili modo illaqueata degenerat. Homines enim suis cum indulgeant opinionibus, et varia Scripturæ dicta carnali judicio, ipsamque literam sine spiritu, ut Apostolus loquitur, sequantur, aut superstitione aut prophanitate peccent, necesse est. In qua vero periculosius versentur, haud facile est dictu, cum utraque a recta via longius abductos in perniciem præcipitet, utraque mentibus humanis infixa cum fuerit, adeo pertinax est, ut facilius clavam, ut ajunt, e manu Hectoris extorseris, quam vel superstitionem alte imbutam animo excutias, vel prophanitatis contrarium malum deleas. Superstitio autem, licet opinionem sanctitatis et pietatis in multis præter verbum Dei ejusque verum intellectum introducit, et lucem veritatis multipliciter offuscat, hoc tamen retinet boni, ut a Dei timore homines non abstrahat, sed magis magisque miseris mortalibus tremorem incutiat. Verum prophanitas, quæ sacra ot profana reputat, divina haud magni æstimat, eo nomine nocentior est, quod ab omni timore et obedientia sacris rebus debita homines averteos, in nefandam securitatem conjiciat. Et quia contra utramque tanquam contra sævas bestias Theologis pugnandum est, antecessores nostri, cum Religio Christiana superstitionibus plena esset, bellum illis magno animo indixere. Scilicet vereor, ubi omnes superstitiones reprehenderint, damnaverint, sustulerint, ne etiam cum jactura pietatis id effectum sit, ac sæviori prophanitatis Bestiæ oves commiserint. Quid? idne igitur illis est imputandum, qui, ut ab erroribus populum redimerent, injectos conscientiis laqueos solverunt? humanas traditiones verbo Dei nequaquam æquiparandas amputaruut? Non usque adeo puto: sed vide, obsecro, quid præter bonorum omnium exspectationem evenerit. Dum Constitutiones de Confessione privata, de jejuniis, de observatione dierum festorum, de prohibitione graduum consanguinitatis et affinitatis, similesque traditiones ut liberas nimium taxarunt, mox secuta est tanta licentia, ut quantumvis reclames, nemo noo sibi concessum putet, suis indulgere affectibus plus qoam sanis admonitionibus. Hortaris ad Confessionem, ut de vera conversione, ut cui soli debetur absolotio, certo constet,

D Fr Münter's Magazin für Kirchengeschichte und Kirchenrecht des Nordens. O. B. I St pag 19 ff.

vociferantur, neminem esse cogendum. Commendas jejunia, feruntur in contraria gulæ placita. Vocas statis diebus ad sacra, respondent, liberum esse Christianis quovis die quidvis agere. Dissuades incestum, contendunt, traditionibus homines plus non alligari in novo, quam in veteri Testamento: quid multis? Fertur equis auriga, ut ajunt, nec audit currus habenas. Quare ut antecessoribus nostris contra superstitiones pugnandum fuit, ita nobis cum sæviore prophanitatis Bestia belligerandum est, et quidem magno apparatu et vigilantia, ne tota veræ religionis species aliquando extinguatur, et ne sacrum Ministerium, ut ab Anabaptistis et Sacramenti contemtoribus, ita et ab omnibus tandem contemnatur, dum libere et ut cuivis placuerit, vel sacra tractent et administrent, vel audiant et usurpent. Nec est quod vereamur, si exercitia pietatis, utilesque constitutiones, quibus olim fortassis aliquid superstitiosum adhæserit, in usum reduxerimus, populum ad abolitas reversurum superstitiones; nam et doctrina et vero usu id mali rectissime avertitur. Quæ si cessaverint, in tantum nunc animos occupavit prophanitas, ut non metuas quemquam nimium fore devotum: imo nihil minus vereare, quam pristinos superstitionum errores populus recipiat, rapinis, helluationibus, libidinibus et aliis viciis pluribus assuetus. Hæc siquidem cum illis ex diametro pugnant, et longe difficilius esse deprehendas, carnem a carnalibus operibus arcere, quam spiritum a spiritualibus. Homo enim carnalis est, et caro concupiscit adversus spiritum. Si itaque magis Ecclesiasticæ disciplinæ normis prædecessores nostri pepercissent, et clerum et plebem majori pietati reservassent. Ut enim typus et forma plebis clerus esse debeat, ita et clerum Canones rexerunt, quos cum ab omni superstitione purgassent, pietatis exercitia sacerdotibus decora reliquissent. Constat, Apostolos eorumque discipulos consuetudinem certis diebus jejunandi, certisque horis precandi a majoribus acceptam observasse, quam summe necessariam esse et utilissimam, tum præcepto, tum exemplo Christi, propriaque necessitudinis edocti experientia testati sunt. Qua ergo fronte ejusmodi Christianæ vitæ regulas ab Ecclesia nobis traditas et commendatas repudiavimus? an quia propter falsam operis peracti fiduciam universam pietatis operationem ipsasque regulas delevisse oportuit? At dicat quis, non nisi spontaneam Deus appetit pietatem, respondeo: Exercitia pietatis ideo proponuntur, ut homines ea sponte sequantur, ne spontanea illa pietas aliquando oblivioni tradatur; imo ut ad illam homines pii magis magisque assuefiant. Sed quis est, qui humanum genus sine ulla disciplinæ norma intra metas pietatis diu se retinuisse glorietur? Ipso facto fatentur, qui, cum veteres Canones abjecerint, novas ordinationes instituere coguntur, Cæremoniis et vivendi regulis carere non posse. Homines enim sine præceptionibus admonitiones nudas facillime aures transvolare permittunt, et non castigati fiunt securi et athei, in quibus postea instituendis haud plus efficies, quam surdo narrares fabulam. Quapropter Patres et veteres Ecclesiarum Antistites tam clero quam plebi suas vivendi agendique normas prudenter præscripserunt, ne vera pietate uterque aliquatenus excideret. Quibus neglectis aut abolitis perpauci nunc reperiuntur cum in clero tum in plebe, qui jejuniorum, precum, castimoniæ et similium pietatis operum exercitiis ultro se devovent, sine quibus tamen Christiana admodum friget religio. Imo his piis actionibus omissis, ut aliquid agant, discunt male agere, et contrariis assuefiunt vitiis, nempe helluationibus, maledictis, libidinibus et similibus flagitiorum operibus. Sed hic mihi forte aliquis objiciat dictum Christi: Habent Mosen et Prophetas, audiant illos; respondeo: Lex et Prophetæ, fateor, ad omnem pietatem excitandam atque conservandam omnino sufficerent; sed quoniam ab eorum obedientia se liberatos suapte opinione homines gloriantur, et legem ac Prophetas usque ad Johannem interpretantur, spiritualem libertatem in carnalem commutantes, nova quasi disciplina opus est, qua homines ad veterum præceptorum pietatis observationem redigantur. Non ut peccatorum remissionem et vitam æternam hoc pacto impetrent, quæ credentibus in Christum gratis donantur; sed ut Deo obtemperent, et gratiam per Christum impetratam retineant. Nam si justus teste Petro vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Et divus Paulus inquit: Pietas ad omnia prodest, promissionem habens præsentis et futuræ vitæ. Pietatem vocat, quæ ex corde proficiscitur, et per omnia membra, interiora et exteriora se exercet, ac convenientibus concordantibusque oris, oculorum, manuum, pedumque gestibus declaratur, et in actiones erumpit. Nam cujus hominis externa membra nullam pietatem ostendunt, anne hujus cordi veram inesse pietatem recte dixeris? Ex abundantia cordis profecto os loquitur, oculi torquentur, manus pedesque gestiunt. Magna siquidem pars pietatis in cæremoniis sita est, cum Deo non solum corde, sed et manibus ac pedibus sit serviendum. Unde D. Paulus hortatur, ut orantes puras levent manus. Hos enim pietatis gestus nimium neglectos, et cum illis magnam pietatis portionem collapsam, ut clerus primum in usum revocet, præsertim circa sacratissimæ Cœnæ Domini administrationem, has commonefactiones de orationibus ac piis gestibus Sacerdotibus celebraturis proposuimus, ac devotiorem Liturgiæ formam restituimus, semotis iis, quæ a vero sacratissimæ Cœnæ usu alie-

na videbantur, nil nisi gloriam Dei debitasque Deo gratiarum actiones et laudes quærentes, ut recordationem unici sacrificii a Christo Domino nostro in ara crucis semel, ad perpetuam humani generis redemtionem, peracti (cujus rei gratia sacratissimi Sacramenti hujus actio ab ipso Filio Dei instituta est) sacerdotes populo vehementius imprimant, et ad reverentiam tanto Sacramento dignam clerus, quem plebs ut typum imitabitur, omnes invitet. Cum igitur ad resistendum prophanationi sacratissimæ actionis hujus, quam Sacramentarii (quorum contagio ne inficiamur, et nobis Svecis ac Gothis animadvertendum est) in multis regionibus (proh dolor) spargunt, hæ commonefactiones directæ sint, piis mentibus hoc studium nostrum gratum esse debeat. Et ut hanc nostram operam dextre interpretari velint, ac nullis quorundam cavillationibus, qui suas sequuntur opiniones, suspiciones et scrupulosas contemplationes, fidem adhibeant, sed pietati conservandæ et augendæ nobiscum summa diligentia et alacritate incumbant, omnes sedulo hortamur.

Scimus enim non defuturos, qui hunc nostrum conatum, ut non catholicum, vel etiam haud Apostolicum diffamabunt; nam quis adeo felix extitit unquam, ut omnibus satisfecerit? Multi siquidem eo animo sunt, ut nihil probent aut ferant, nisi quod ipsorum contemplationi et singulari judicio consentaneum fuerit. Cum vero silentium omnibus nemo imponere queat, contenti simus, quod conatus noster a sacra Scriptura et bonis rationibus non dissentiat: quem ideo non fore irritum in Domino recte speramus. Iterim securi, quid quisque loquatur et judicet; parati tamen, ut D. Petrus monet, ad respondendum unicuique rationem poscenti, quod et in hac Præfatione breviter factum esse arbitramur.

Cujus rei gratia etiam scholia copiose et abundanter interjecta sunt, ut lectorem imperitum et ambigentem erudiant, admoneantque, ne in alium sensum verba textus, sive latina sive svetica forte distrahentibus obtemperent et obsequantur. Videat quoque lector, non esse novas constitutiones a Romanis pontificibus solummodo excogitatas, sed sapienti antiquitati et orthodoxæ Ecclesiæ usitatas, quæ non superstitionibus, verum pietati ex animo et gravi judicio inservient, nihil omisit, quod ad reverentiam erga sacrum ministerium pertinere judicabat. Hæc cum ita sint, omnes pios iterum atque iterum moneo, ut his acquiescant, guadeantque, nos Svecos hoc modo veteri orthodoxæ et catholicæ Ecclesiæ Dei, quantum fieri potest, in tanta Christianæ religionis perturbatione nostrique seculi errore conformes statui, ac promotioni pietatis locum dent, eamque suo quisque loco adjuvet et perpetuo conservet. Vale Christiane lector.

COMMONEFACTIONES
DE ORATIONIBUS ANTE INITIUM MISSÆ A SACERDOTE CELEBRATURO DICENDIS.

I.

De præparatione Sacerdotis, pro opportunitate ipsius facienda, antequam altare accedit.

Cum divina et tremenda sint mysteria sacrosanctæ Eucharistiæ, Sacerdos celebraturus aliquantum temporis tribuat piis orationibus, quibus se ad tanti Sacramenti ministrationem peragendam præparabit. Pro opportunitate igitur temporis, vel domi suæ, vel in templo seu loco, ubi celebraturus est, sequentes dicat Psalmos et orationes:

Psalm. 66.

Introibo in domum tuam, Domine, in holocaustis reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi:

Ps. 84. 85. 86. 116. et 130.

Post quemvis Psalmum:

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto: sicut erat in principio et nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

Psalmis lectis repetitur Antiphona:

Ne reminiscaris Domine delicta nostra.

Deinde dicit Sacerdos:

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster etc.

Postea subjicit sequentes versiculos, qui digni sunt, ut omni momento omnium in ore et corde versentur.

℣. Ego dixi Domine, miserere mei.
℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.
℣. Convertere Domine usquequo?
℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.
℣. Fiat misericordia tua Domine super nos.
℟. Quemadmodum speravimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur justitia.
℟. Et sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me.
℟. Et ab alienis parce servo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Sequuntur orationes ad Deum, ut Spiritu Sancto corda nostra renovet, vivificet et sanctificet.

Digna memoria est vox Ecclesiæ, quæ auditorem admonet non solum de naturæ nostræ cæcitate et infirmitate, sed

etiam de necessaria gubernatione Spiritus Sancti. Sic enim Ecclesia in quodam hymno de Spiritu Sancto canit: Sine tuo nomine nihil est in homine, nihil est innoxium. Hanc vocem ita nobis subjiciamus, atque apud animum proponamus, ut semper bona sonet in auribus nostris, et nunquam non etiam aliud agentibus occurrat. Siquidem crebra hujus sententiæ repetitione et meditatione illud efficimus atque assequemur, ut et miseriam naturæ nostræ agnoscamus, et a Deo ardentibus votis petamus, ut Spiritus ipsius bonus nos ut errantes oviculas in viam rectam ducat, vivificet et sanctificet.

I.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

II.

Deus cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

III.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

IV.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicuti tuus promisit Filius, veritatem.

V.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

VI.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper sancta consolatione gaudere.

VII.

Conscientias nostras, quæsumus Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Filius tuus Jesus Christus, paratam in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Sequuntur orationes dicendæ, cum celebraturus induitur sacris paramentis.

Exue me Domine veterem hominem cum moribus et actibus suis: et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Cum lavat manus.

Largire nobis quæsumus Domine, ut sicut abluuntur inquinamenta manuum, sic per te emundentur pollutiones mentium, et crescant in nobis sanctarum augmenta virtutum.

Ad amictum.

Caput meum, humeros meos et pectus meum, Domine, Spiritus sancti gratia protege, tibi ad serviendum Deo viventi et regnanti in sæcula.

Ad albam.

Dealba me Domine et munda cor meum, ut in sanguine Agni mundatus gaudiis perfruar sempiternis.

Ad cingulum.

Præcinge me Domine cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.

Merear Domine in lacrymis seminare, ut te propitiante cum exultatione metam, et portem manipulos meos.

Ad stolam.

Stola justitiæ et immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, circumda Domine cervicem meam, et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam.

Ad tunicam et dalmaticam.

Indue me Domine vestimento salutis et lætitiæ, et indumento justitiæ circumda me semper.

Ad planetam seu casulam.

Indue me Domine ornamento humilitatis, caritatis et pacis, ut undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis et hostibus mentis et corporis.

Ad mitram.

Galeam salutis Domine impone capiti meo, ut contra antiqui hostis omniumque inimicorum meorum insidias inoffensus evadam.

LITURGIA SEU ORDO CÆREMONIARUM, ORATIONUM ET LECTIONUM IN CELEBRATIONE MISSÆ.

*Sacerdos omnibus paramentis seu vestimentis Ecclesiasticis indutus, reverenter accedit altare, ibique primum in medio altaris expandit corporale, et super illud calicem velo coopertum sistit. Deinde procumbit in genua *), et signans signo crucis clara voce dicit:*

*) Gestus precantium est flectere genua. Et quanquam Deus non externas illas cæremonias, sed cor et affectum orantis respicit, et Esa. 29. Hic populus labiis me honorat, cor autem ipsorum longe est a me: tamen ubi cor accensum fuerit ad veram et ardentem precationem a Spiritu Sancto, decet et illam exteriorem cæremoniam seu corporis gestum accedere, quo testamur, nos et spiritu et toto corpore subjicere nos Deo conditori rerum, et humiliter ipsius opem implorare: excitatur etiam animus potentia hac externa cæremonia ad humilius et ferventius orandum. Tali gestu legimus Patres, Prophetas, Christum ipsum et Apostolos orasse. Dan. 9. Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis etc. Actor. 20. Paulus positis genibus oravit pro omnibus illis. Eph. 3. Hujus rei gratia flecto genua

**) In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde junctis manibus ante pectus recitat Antiphonam.

Introibo ad altare Dei.

Ministri adstantes respondent, vel ipse solus, si ministri non affuerint, prosequitur omnia.

Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Postea alternatim cum ministris dicit Psalmum 42.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto etc.

Repetit deinde Antiphonam.

℣. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Postea subjungit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde junctis manibus, capite demisso, generalem confessionem facit, ut sequitur:

Confiteor Deo omnipotenti et vobis, fratres, quod peccaverim nimis in vita mea, cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor vos orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent:

Misereatur tui omnipotens Deus, et remissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Sacerdos dicit, Amen.

Si non affuerint ministri, qui respondere possunt, Sacerdos omnia solus exequitur, et confessionem ita dicit:

Confiteor tibi Deo Patri omnipotenti me miserum peccatorem in peccatis conceptum, et natum, nimis peccasse in vita mea, cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor propter Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis victima factus est, miserearis mei, et remissis mihi omnibus peccatis meis, perducas me ad vitam æternam. Amen.

Insuper dicit:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Inclinatus prosequitur:

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.

℟. Et plebs tua lætabitur in te.

℣. Ostende nobis Dñe misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Ascendens ad altare dicit:

Aufer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris possimus mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Interdum sequentem confessionem publicam et generalem Sacerdos conversus ad populum clara et intelligibili voce dicet.

Exhortatio.

Dilecti in Christo Jesu amici, fratres et sorores, Quia in præsenti convenimus ad cœnæ Dominicæ celebrationem, et ad sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptionem, prout ipse eam instituit et ordinavit in memoriam et recordationem, quod idem corpus et eundem sanguinem suum in peccatorum

mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. Quare et hæc externa cæremonia servanda est. De qua et Basilius ita scribit Lib. de Spir. Sanct. cap. 27: Quoties genua flectimus, et rursus erigimur, re ipsa ostendimus, quod per peccata in terram delapsi sumus, et per benignitatem ejus, qui condidit nos, ad cœlum revocati sumus. Ambrosius: Venit quis, inquit in Psalm. 118, sermone 20., in Ecclesiam, dum honorem affectat sub Imperatoribus Christianis, simulata mente orationem se fingit deferre, inclinatur et solo sternitur, qui genua mentis non flexerit. Videt illum homo, et Christianum putat: videt homo orantem suppliciter, et credit: sed Deus audit negantem.

**) In nomine Patris etc. 1. Nomen Dei significat notitiam, invocationem et celebrationem Dei, et simul etiam potentiam et efficaciam. Hic finis omnium deliberationum et actionum nostrarum esse debet, ut quæcunque vel dicenda vel agenda suscipimus, non in fiducia nostrarum virium et sapientiæ suscipiantur, sed in agnitione, timore et invocatione Dei suscipiantur, et omnia fiant ad illustrandam notitiam Dei, et ornandam ejus gloriam, et confirmandam invocationem. Simul retinenda est spes, Deum invocantibus adfuturum et daturum, quæ petimus. 2. Monemur his verbis de mysterio sanctæ et individuæ Trinitatis. Dicimus enim: In nomine, non in nominibus. Una est enim æterna essentia divina, in qua sunt tres distinctæ personæ, æternus Pater, Filius imago Patris, et Spiritus Sanctus. 3. Usa est pia antiquitas significatione crucis in commonefactionem, nos scilicet esse caros Deo, exaudiri, custodiri ac defendi per et propter Filium, qui victima pro nobis factus, nostram in cruce exegit salutem. De hoc more cruce signandi ita Hieronymus (ad Fabiolam) scribit ad Demetriadem: Claudas, inquit, cubiculum pectoris, et crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegypti in te locum reperiat. Et alio loco Davidis illud: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, ad crucem, quam fronti imprimimus et ad solemnem signandi nos cruce morem refert. Et Chrysostomus docet (Homilia 55. in Matthæum), quid cogitandum ac recolendum sit, cum nos signamus cruce: Nemine(m) pudeat salutis nostræ symbolorum atque signorum: Paulo certa Domini nostri beatitudinis caput est atque origo, quo vivimus et per quam sumus. sed veluti coronam, sic læto animo crucem Christi circumferamus. Omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cum regeneramur, crux Domini adest: cum sacratissimo alimur cibo, cum in ordinem consecrandi statuimur, ubique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit. Quapropter et in penetralibus et in parietibus, et in fenestris, et in fronte quoque ac mente magno studio crucem inferamus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum est. Ductus enim est ut ovis ad occisionem. (Es. 53.) Quando igitur cruce te signas, universam crucis causam tecum verte, et iræ ac reliquarum passionum incendia extingue: quando te cruce signas, conge tuam frontem arma fiducia, libertate animum munias. Nec enim latet vos, quænam sint, quibus libertate donati sumus. Paulus enim cum ad capessendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad crucis et sanguinis memoriam reduxit, dicens: Pretio empti estis, non estis servi hominum. (1. Cor. 7.) Pretium autem hic crucem appellavit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Hic manifeste docet Chrysostomus cum signatione crucis conjungendam esse fidem in Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, pro nobis crucifixum atque mortuum. Et ita intelligenda sunt omnium veterum Scriptorum dicta de signatione crucis, ut cum idem Chrysostomus alio loco (Homilia 12. in Ep. 1. ad Cor.) inquit: A primis annis illius vestros spiritualibus armis muniatis, et cruce frontem sibi signandam erudiatis, et priusquam per se ipsi facere possint, vos id facite. Et qui non multum fuit a temporibus Apostolorum remotus Tertullianus: Quacumque, inquit, nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

nostrorum remissionem tradiderit, itaque cum omnes nos absque dubio peccatis onerati simus, quibus liberari ex animo cupiamus, procumbentes in genua humiliemus nos corde et ore coram Deo Patre nostro cœlesti, nos miseros peccatores uti et sumus esse confiteamur, et petamus ab eo gratiam et misericordiam ipsius singuli suo loco dicentes:

Confessio.

Miser ego peccator, qui in peccato conceptus et natus, toto vitæ meæ tempore vitam vixi peccatis contaminatam, agnosco et coram te, omnipotens æterne Deus, Pater cœlestis, serio et ex animo fateor, me non dilexisse te præ omnibus, nec proximum ac me ipsum. Multis proh dolor modis tua transgressus mandata te offenderam cogitatione, verbo et opere. Qua de causa interitum et exitium æquissimo tuo judicio meum mihi accersivisse scio, si me pro rigore tuæ justitiæ et meorum peccatorum merito judicare debeas. Sed promisisti, o Pater cœlestis, te in gratiam recepturum omnes miseros peccatores sese convertentes, et vera fide ad immensam tuam misericordiam confugientes, et quæcunque offensa quantumvis enormia illis condonaturum, nec illis unquam ea imputaturum. Hac re miser ego peccator nitens, fidenter te oro, ut juxta tuam eam promissionem mei misertus, mihique propitius omnia mea mihi peccata remittas, ad sancti nominis tui laudem et gloriam.

Postea recitat Sacerdos hanc precationem.

Omnipotens sempiternus Deus, ex immensa sua misericordia remissis omnibus peccatis nostris, nobis largiatur gratiam, ut vitam nostram vera resipiscentia emendemus, et cum eo in omnem æternitatem vivamus.

II.

INTROITUS.

Confessionem sequitur Introitus, qualis in libro Gradualium et latine et vulgari in lingua statis assignatur temporibus. In Ecclesiis vero ruralibus potest pro Introitu latino cantari Psalmus aliquis linguæ vulgaris, qui ad rationem temporis vel festi proxime accedere videtur.

III.

KYRIE ELEISON.

Post Introitum dicuntur preces Kyrie eleison, cum hymno Angelico et reliqua glorificatione ei adjuncta.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine Deus Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, salus nostra Jesu Christe et sancte Spiritus. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, Qui tollis peccata mundi, miserere nobis: Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus; Tu solus Dominus; Tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

IV.

Postea Sacerdos versus ad populum dicit Salutationem, ut attenti reddantur auditores et admoneantur, ut meminerint sacra publica concordibus votis esse peragenda. Unde et populus consensum suum declaraturus per chorum respondet: Et cum Spiritu suo.

V.

Salutationi subjicitur Collecta sequens, vel alia de festo seu Dominica, quam exhibent Gradualia. Una autem recitatur, nisi temporis necessitas pro sui ratione et conditione deposcat et alias.

Oremus.

Largire nobis quæsumus, omnipotens sempiterne Deus, acquiescentem in te Filioque tuo Jesu Christo fiduciam, certam spem nitentem tua misericordia omnibus nostris in necessitatibus et adversis, et ardentem dilectionem erga proximum. Per eundem Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Alia Collecta.

Deus nostrum refugium et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

VI.

Post Collectam Sacerdos versus ad populum legit Epistolam Dominicæ vel diei festi, cujus lectionis initium hoc esse potest.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos, Corinthios etc.

VII.

Epistolam sequitur Responsorium, quod usitate vocant Graduale, item Alleluja, cum utriusque versibus et Tractu, etc. Interdum piae Sequentiae cantantur, ut in diebus Nativitatis Christi, Epiphaniorum, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis et quarum usus esse solet in Dominicis, item nonnullæ aliæ, prout temporis ratio id fieri permittat. Interdum loco latini Responsorii canitur Psal-

mus aliquis linguæ vulgaris, qui ad rationem festi vel temporis proxime accedere videatur. Quæ omnia exhibet liber Gradualium.

VIII.

Deinde cantatur vel legitur Evangelium, quale fuerit statutis temporibus, sive diebus Dominicis sive festis. Initium vero erit hoc modo.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum etc.

IX.

Lectionem Evangelii proxime sequitur Symbolum vel Apostolicum vel Nicænum.

X.

Precatio ad Spiritum Sanctum, in qua petuntur dona seu effectus Spiritus Sancti, vera Dei agnitio, fides, invocatio, vera dilectio, obedientia et laetitia acquiescens in Deo etc.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende, qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti. Alleluja.

SACRA CONCIO.

ALTERA PARS MISSÆ.

I.

Finita Concione, si omittitur publica Ecclesiæ precatio, quæ usitate Litania dicitur, Concionator ex suggestu incipit Psalmum aliquem in vulgari lingua, qui ad rationem festi, temporis, vel Evangelii seu declaratæ materiæ maxime accedere videatur. Interdum etiam ad Psalmum adjicitur Cantus, cui nomen Offertorii datum est. Interea vero dum Psalmus et Offertorium canitur, ad sacrum usum destinatis elementis pane et vino, ut decet, appositis et præparatis, celebransadeornu Epistolæ, ministroaquam fundente, lavat manus, ex Psalmo 25 sequentes versus secum repetens, quibus de vera pœnitentia et pietatis fructibus admonetur.

